
Coll. Compl.
P.B.
1109 houts.
Rissen no 372
van aantekeningen voorzien

B & P I, 14





Ex Libris
F. W. T. HUNGER
geb. 3 April 1874
Amsterdam


EX LIBRIS · AXEL LILJEDAHL ·
H
K
L
H

Liber

II p. 127 – 281

III 282 – 364

IV p. I – LXXXII


V LXXXIII – CLXXIX

VI CLXXX – CCLII

Appendix CCLIII – CCLX

Frenzorum CCLXI – CCXCV





CAROLI CLVSI ATREBATIS,
IMPP. CÆSS. AVGG.
MAXIMILIANI. II.
RVDOLPHI. II.
Aulæ quondam familiaris,

RARIORVM PLANTARVM HISTORIA.

Quæ acceſſerint, proxima pagina docebit.

ANTVERPIÆ
Ex officina Plantiniana
Apud Ioannem Moretum.
CIↃ. IↃCI.

RARIORVM Plantarum Hiſtoria ſex libris deſcripta à Carolo Cluſio.

Ejuſdem Commentariolum de Fungis.

Additæ doctiſſimi viri Honorij Belli Medici percelebris aliquot ad Car. Cluſium Epiſtolæ de variis ſtirpibus agentes.

Alia item eruditiſſimi viri Thobiæ Roelſij Medici, de certis quibuſdam plantis, Epiſtola.

His præterea acceſſit accurata Montis Baldi agro Veronenſi deſcriptio, auctore Ioanne Pona, pharmacopæo vrbis Veronenſis diligentiſſimo.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS *diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ &c. Comes Tirolis &c. Agnoſcimus, ac vigore præſentium notum facimus vniuerſis: Quod cùm Doctus noſter & ſacri Imperij fidelis dilectus Carolus Cluſius humillimè nobis exponendum curauerit, præ manibus ſe habere ſcripta quædam, quæ in publicam vtilitatem edere ſtatuerit, vereri autem ne cum magnos ſumptus in Pictores & Sculptores fecerit, lucri cauſa alij, quod fieri ſolet, ſibi in fraudem eadem imprimant, aut imitentur, ſicq́ laboris ipſe atque induſtriæ ſuæ præmio fraudetur ac deſtituatur; nos conſiderantes, quàm præclaram iam antè operam in quibuſdam lucubrationibus, quæ iam antè fuerunt editæ, poſuerit, & quàm nobis exquiſita ipſius ac varia eruditio, præcipuè verò etiam in indaganda ſtirpium & herbarum natura ſedulitas atq; induſtria commendentur, quòd multa peregrinis ac remotis in locis didicerit & obſeruauerit, multa ſecum attulerit, quæ rara & luce digna ſint, quòd aſſiduis adhuc ſtudiis in hoc incumbat, vt quæ in antiquis auctoribus abdita & obſcura ſunt, eruat atque illuſtret, vt præclaram nominis ſui memoriam poſteritati relinquat, benignè ipſi, quod rogat, Priuilegio noſtro aduerſus omnem fraudem conſulere cupientes, præſentium vigore ſcienter animóq; benè deliberato, pro autoritate noſtra Cæſarea ſeriò decreuerimus, edixerimus ac ſtatuerimus, quemadmodum præſentium vigore decernimus, edicimus ac ſtatuimus, ne quiſquam Typographorum, Bibliopolarum aut aliorum, qui ſiue imprimendis ſiue vendendis libris aliáve quacunque ratione negotiationem exercent librariam, intra viginti annos, à prima editionis die numerandos, Caroli Cluſij opera duobus tomis expreſſa, quorum prior Stirpium &c. hiſtoriam continet, altero plerique libelli, &c. ab ipſo Latini facti comprehenduntur, & quæcunque præterea idem Cluſius edet opera, ipſo inſcio aut inuito typis ſeu quocunque alio modo aut charactere, ſiue integra, ſiue aliquam eorum partem imitetur, exprimat vel in publicum edat, néve ab aliis edita vel expreſſa vel aliunde allata intra Sacri Romani Imperij fines vendat, ac diſtrahat apertè vel occultè. Si quis autem præſens edictum noſtrum tranſgredi aut violare, & prædicta opera recudere & in fraudem prænominati Caroli Cluſij edere aut vendere auſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libri exemplaribus, tanquam quæ in commiſſum ceciderint, memorato Carolo Cluſio eiúſq; hæredibus, vel mandatum ab iis habentibus, ope Magiſtratus eius loci, vbi deprehenſa fuerint, vendicandis priuari, verumetiam mulcta decem Marcharum auri puri fiſco noſtro*

 Impe-

Imperiali fraudum vindici, ac parti læſæ ex æquo ſoluenda ac pendenda puniri volumus, ea tamen lege, ne quid ea opera Orthodoxæ Catholicæ Religioni contrarium habeant, & vt tria cuiuſcunque operis aut libri exemplaria, ubi excuſa fuerint, ad Imperialem noſtram Cancellariam tranſmittātur. Quod ſi negligatur, hac noſtra gratia ac Priuilegio ipſe, ipſiuſque hæredes excidiſſe cenſeantur. Mandamus proinde vniuerſis & ſingulis noſtris & Sacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus cuiuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis & Conditionis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco ac nomine Iuris vel Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium ſeu interdictum noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur. Sed ſi quos contumaces compererint, præſcripta pœna plecti, & quibuſcunq; rectè fieri poteſt modis, coërceri curent. Quatenus & ipſi grauiſſimam indignationem noſtrā euitare voluerint. Id quod teſtamur præſentibus literis manu propria ſubſcriptis & Cæſarei ſigilli noſtri impreſſione munitis. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ, die decima quinta menſis Februarij. Anno Domini milleſimo, quingenteſimo nonageſimo tertio: Regnorum noſtrorum Romani decimo octauo, Hungarici vigeſimo primo, & Bohemici itidem decimo octauo.

RVDOLPHVS.

Ad mandatum S. Cæſareæ M^tis proprium.

Iacobus Curtius à Senfftenaw. Io. Baruitius.

TIBI, Ioannes Morete, qui haud exiguos ſumptus pingendis & ſculpendis Plantis mecum pariter impendiſti, tibi inquam permitto, vt hanc meam Rariorum Plantarum Hiſtoriam, & adjunctos huic libellos, typis tuis excudas ac evulges: nec alibi alius quiſpiam intra viginti annos, cupio, ſive jubeo, ſub pœnis & mulctis, quæ S. Cæſareæ Majeſtatis litteris mihi conceſſis continentur.

Carolus Cluſius A.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTI, & ISABELLÆ Infantis Hiſpaniæ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Brabantiæ &c. priuilegio cautum eſt, nequis *Caroli CluſI, Impp. Cæſ. Augg. Maximiliani II. Rudolphi II. Aulæ quondam familiaris, Rariorum Plantarum Hiſtoriam,* præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, intra duodecim annos vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſam, in has inferioris Germaniç ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, III. Martij M. DCI.

Signat. I. de Buſchere.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS
BENEVOLO LECTORI.

MAGNAM voluptatem mihi ſemper attulit, in variis quas peragravi regionibus, Plantarum obſervatio. Nam quum nulla ſit Provincia quæ peculiares quaſdam, & quodammodo ſibi proprias non alat, inſignis varietas ubique meis oculis ſeſe ingerebat, quæ non potuit non eſſe delectabilis, viro à primâ propè ætate ad Plantarum obſervationem propenſo, præſertim quum aliquæ occurrerent à veteribus Auctoribus neglectæ, vel ab ipſis quidem deſcriptæ, nondum tamen à quopiam Neotericorum ſatis cognitæ: tum etiam aliæ, quæ ad plantarum à veteribus proditarum claſſem referri poſſe viderentur. Non minus enim gaudio afficiebar, quàm ſi ingentem Theſaurum reperiſſem.

CETERVM quum indecorum, & liberali ingenio minimè dignum arbitrarer, voluptatem quam ex ea obſervatione percepiſſem, mihi dumtaxat ſervare, & apud me quaſi premere velle, quin potius aliis ſimili ſtudio ſeſe oblectãtibus eſſe communicandam cenſerem: facere non potui, quin quâ potuerim fide & ſedulitate, primùm illarum, quas in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervaveram, Hiſtoriam, publici juris facerem: deinde, earum, quæ partim in Auſtriâ, Stiriâ, & Pannoniâ, partim vicinis Provinciis poſtea ſeſe obtulerunt.

EAS porrò Obſervationes, cùm Hiſpanicas, tum Pannonicas, quum animadverterem pleriſque gratas fuiſſe, imò illarum exempla adeò avidè expetita, ut nulla amplius ſibi ſupereſſe Typographus conquereretur: conſultum fore exiſtimavi, ſi eas recognoſcerem, atque aliarum plantarum, quas ab illis evulgatis obſervavi, hiſtoriam adderem, omnes veluti in unum corpus contrahens, ſingulas tamen in ſua genera & ſpecies, commodâ quadam ſerie (quantum quidem fieri potuit) diſtribuens. Mihi etenim perſuadeo, non minus gratum futurum eum laborem, quàm priores.

PLANTARVM autem Hiſtoriam in ſex Libros diviſi, ut commodius in ſuas claſſes diſtribui poſſent. Quum verò Plantarum hiſtoriam dico, neminem exiſtimare velim, univerſam Plantarum hiſtoriam me intelligere: ſed earum dumtaxat, quæ à me primùm obſervatæ, aut ab aliis nondum fuerant

proditæ, ante quàm eas publicarem: exiguæ enim laudis eſſe arbitratus ſum, earum hiſtoriam repetere, quæ ab aliis eſſet prodita. Non negaverim tamen, quin interdum nonnullas inſeram, quarum alij meminerunt, earum autem hiſtoriam non ſatis plenè conſcripſiſſe mihi videntur. Quarundam præterea mentionem facere me profiteor, quæ ab aliis fuerunt deſcriptæ, atque etiam illarum icones in meum librum interdum intuliſſe, quia ad ſeriem earum, quas deſcribo, ſervandam, commodæ videbantur.

BONI igitur conſulatur, quem (ſtudioſæ juventuti gratificandi ſtudio) in hac ſenectâ multis morbis obnoxiâ ſumpſi, labor, & alios juniores ad ſimilia, vel etiam majora tentanda excitet: libenter enim alteri hanc lampadem trado, ut qui annum ſextum & ſeptuageſimum jam agam. Si quæ tamen ſupererit vita mediocri valetudine conſtans, eam omnem ad publicam utilitatem impendendam profiteor. Kal. Feb. cIↄ.Iↄci.

AD CAROLVM CLVSIVM ATREBATEM.

DIGNVM eſt opellâ, nec pretio caret
Famâ æſtimando, quas juvenis vigil
Gnavuſque lucubrationes
Extuderis alacri labore
In lucem apertam, faſciculo ſenex
Iam comprehendas arctius unico,
Vt cuncta repræſentet unum
Diſpoſitâ ſerie volumen.
Poſtrema certè cúraque límaque
Sudore tanto, totque moleſtiis
Vix hercle credo, culte CLVSI,
Conſtiterit, velut hæc & illa
Prior: tametſi ſæpe animis ratum
Niſu voluptas in medio ſolet
Præbere delectamen ultro,
Nedum opere ingenij ſupremo.
Nam gaudet in ſe mens generoſior,
Cum laude ſi quid magnificum inchoat,
Fructuque finit; extimoſque
Haud patitur temerè umbilícos,
Deſiderantes fortè manum ultimam,
Vel impolitos vel nimium rudes
Manere: quamvis ceteróqui
Parvulum opus quoque terminatum
Induſtriorum judicio virûm
Amet probari. Nos malè conſita
Spineta caſtramus malignè,
Quaſdam etiam bene collocatas
Runcamus herbas cum lolio gravi,
Triſtique avenâ. Tu tua digeris
Feliciori, prout decorum eſt,
Ordine ſeminia herbularum,
Stirpeſque raros, quidquid & extera
Et noſtra gignit per ſpecies humus
Diſtinctiores. Singulorum
Cernere jam videor redactos
Quincunce juſto reticulata per
Dimenſa fines alveolátaque,
Id eſt, ad unguem rectiorem.
En, quid erit, quod oporteat te
Transferre? Planum eſt omne, ſibíque opus
Aptum eſt favorem ſcilicet omnium.
Aient nepotes, te fuiſſe
Mirificè, puto, diligentem.

Paulus Meliſſus Franc. Comes Pal. & Eq. civis Rom.

IN PLANTARVM HISTORIAM
CAROLI CLVSII.

VOS ô radices, vos ô cum Floribus, Herbæ,
Pulcræque ramis Arbores,
Nunc agite, ambroſij ſucci exhalate ſapores:
Nunc pandite altiùs comas:
Vnguine nunc calices diſtendite, nectaris auxit
Quod parte quinta Amor ſui.
Veſtra etenim, prius haud ulli bene cognita, virtus,
Famæ quadrigis aſtra obit.
Parsque adeò veſtrûm, cæcâ hactenus obruta nocte,
In veſte lucet aureâ.
Aſſertori igitur tali pro munere quâſnam
Grates habebitis pias?
Fallor? an omne genus morbi ilicet, agmine facto,
Trudetis ad Ditis lacus?
Et dabitis, ſummo vos qui guſtaverit ore,
Semelve naribus hauſerit:
Sic Cluſi nomen virtutesque imbibat imis
Animis potenter; ut nihil,
Quàm Cluſi laudes meditetur, & omnibus oris
Dicat bona in eum plurima?
Annuite. una Deum nam ſi Glaucum facit herba,
Quid non ſimul præſtabitis
Vos ô Radices, vos ô cum Floribus, Herbæ,
Pulcræque ramis Arbores?

Ianus Gruterus.

CLVSI, delities amorque DIVI
Maximi Æmiliani, Opimitate
Quo nil, nil Sapientiâ, orbe toto
Aut eſt, aut fuit, aut erit ſecundum:
Quàm rectè tua nomina omine imples?
Quàm rectè, puto, Cluſius vocaris?
Non quòd ſacra oculis tuis Apollo
Aonumque Machaonumque cludat;
Non quòd ſint tibi Hygææ operta templa,
In queis & Venus & colit Iuventas;
Non quòd Pallados arcearis aris,
Quas Prudentia menſque recta ſervat.
Sanè, Sacra oculis tuis Apollo
Aonumque, Machaonumque nudat.
Sanè, ſunt tibi Hygææ aperta templa,
In queis & Venus & colit Iuventas.
Sanè, Pallados aggregaris aris,
Quas Prudentia Menſque recta ſervat.
Sic dictus potius; quòd unus ipſe es
Cuius corde animoque continenter
Se Phœbus, Medicina, Athêna cludant.

Idem Gruterus.

Mi'pia

Μυρία μὲν βλαστῶν παμμήτωρ γαῖ' ἀνίησιν
Εἴδεα, τῶν πέλει ἀνθρώποις μέγ' ἄκος τε καὶ ἦδος:
Ταῦτα δὲ νυκτὶ τοπρὶν κεκαλυμμένα, νῦν πολυΐδμων
Κλούσιος ἀτρεκέως χαρταῖς σελίδεσσι φαείνει.

Νικάσιος ὁ Ἐλλεβόδιος.

In C. Cluſij Clariſſimi & amiciſſimi viri
opus Botanicum.

Donec erunt Herbæ, donec florentia Serta,
Cluſiadis viuet florida fama Libri.

Franciſcus Vertunianus Med. D. Pictavienſis.

Quàm longum ſparſi flores, quàm pulchra vireta
Germine Cluſiaco, & ſtirpe virente virent:
Tam patet & CluſI nomen, tam fama recluſo
Cælo ſparſa cluens, flore virente nitet.

Paſchalis le Coq. Med. D. Pictavienſis.

In Caroli Cluſij Plantarum Hiſtoriam.

Paſſa graves quondam fuerat Medicina dolores,
Et ferè opus medicis, prô dolor! ipſa habuit:
Quid faceret? poſt erratas vaga, pervaga terras
Cluſij in Atrebatis ducitur hoſpitium.
Cluſius ægrotam, mora nulla, potentibus herbis
Adjuvat, hinc medicas fert Medicina manus.
Hinc etiam extremos ſe Cluſia fama per Indos
Diderat, volitans docta per ora virûm:
Ille tuas Europa, tuas America plantas,
Africa ſive tuas, ſive tuas Aſia
Nouit, & hinc toto latè notiſſimus orbe eſt
Cluſius, Atrebatum Cluſius ille oculus.
Ergo animoſus abi Liber, & ſi fortè, quis auctor,
Quæreris, hoc ſat erit dicere, Cluſius eſt:
Hoc ſat erit, mora nulla, manuque, oculoque, animoq;
Lectoris, felix abripiere Liber.

Petrus Plateau I. F. Tornacenſis.

IN

IN PLANTARVM HISTORIAM CAROLI CLVSII.

TVLERVNT varios priora ſecla
Scriptores, neque defuere noſtro,
Linguis, iudicio, eruditione
Qui clari ſtudium omne in hoc locarunt
(Sui ut quemque animi impetus ferebat
Atque ardens amor ardui laboris)
Spartam quam ſibi ſinguli colendam
Sumſiſſent, numeris modiſque cunctis
Perfectamque darent & abſolutam.
Quod cùm ſit propè diſciplina in omni
Summa non ſine laude factitatum:
Tum vel præcipuè hoc videre in illa eſt
Quæ vires docet & figuram, & ipſos
Natales quoque, differentiaſque
Herbarum (ſtudium utile atque dulce)
Et frugum, fruticum, arborum, omniumque
Vita queis homini ſaluſque conſtat,
Et ſinu locuplete terra fundit
Cælo fertilibus rigata ſtillis.
Summa hanc barbarie obſitam ac tenebris
Plus quàm Cimmeriis (pudet fateri)
Primus reſtituit ſuo nitori
Noſtrûm ætate patrum Leonicenus:
Quem Ruellius, huncque mox ſequuti
Complures alij, haud quidem labore,
Sed quos ingenio, celebritate,
Doctrinaque adeò pares fuiſſe
Conſtat, dum meritò probantur omnes,
Dote quiſque ſua: (negata namque
Cuncta uni, ſua ſinguli tulere)
Vt negem facile eſſe judicare
Cuinam laurea jure debeatur:
Nemo ſi tamen abnegarit vnquam
Plus illum meruiſſe laudis atque
Præmî, qui ſalebroſa & invia inter
Primus compita figere eſt pedem auſus,
Venturiſque nepotibus præivit,
(Tua hæc docte Leonicene laus eſt:)
Quis, Cluſi, precor, alteri ſecundum
Audebit dare te, tuos labores
Qui norit, tua quique ſcripta vidit,
Vidit ſcripta, ſatis probanda nunquam?
Sint verò eximiam referre digni
Qui laudem fuerint (libens fatebor:)
At certè fuit ante qui præiret
Et viam daret explicatiorem,
Scripto, conſilio, aut opinione:

Cui

Cui, quòd non minimum tulit laboris,
Pars laudis quoque magna cedat, æquum eſt.
Verùm, dux tibi quis fuit, coméſve,
Quando quas animoſa gens Iberûm
Terras ſole terit calente toſtas,
Menſium ſpatio octo peruolaſti
Herbas mille manu legens avara;
Laudis qui ſibi vendicare partem
Tuæ vel minimam queat vel auſit?
Diſcendis tibi quis fuit magiſter
Herbis, Pannonicos, iuga alta, montes
Quas novas dare, te legente, ſcimus,
Noſtris te quoque dante habemus hortis?
Ignoraret opes ſuas Iberus,
Ignoraret opes ſuaſque Pannon,
Ignoraret opes & orbis ipſe
Amborum, niſi te docente noſſent.
Noſtri delicias alunt quod horti
Quæ vel viſu oculos juvant foventque,
Pulvinos hilarántve raritate,
Acceptum ferimus tibi illud uni,
Et grato tua ſcita ſcripta, Cluſi,
Cum plauſu modò lectitamus omnes,
Venturique auidè legent nepotes
Dum conſtabit honos decorque Phœbo
Et Floræ ſuus: efferentque Clusî,
Quaqua Sol oritur caditque, nomen,
Æternâ ſuper aſtra clara famâ.

Ioannes ab Hoghelande.

IN EFFIGIEM
NOBILIS DOCTISSIMIQ. VIRI
CAROLI CLVSII.

A Trebatum decus, & noſtri nova gloria ſecli
CAROLVS hæc Leydis CLVSIVS ora gerit.
Herbarum vivas Orbi dedit ille figuras,
At CLVSI vivam GEINIVS effigiem.

Bon. Vulcanius.

IN EANDEM.

Os Cluſi frontemq́ue oculosq́ue, & cætera vultus
Pictoris expreſſit boni manus benè.
Ingenij haud potuit vires: at Cluſius ipſe
Expreſſit illas hoc in opere quàm optimè.
Longa dies ut opus pictoris deleat, ipſum
Et Cluſium: opus hoc nulla delebit dies.
Ergo, illum in cineres ubi longa reſolverit ætas,
Adhuc opere in hoc ſibi ſupererit Cluſius.


Ioannes ab Hoghelande.

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER PRIMVS.

PLANTARVM, quas in variis peregrinationibus meis rariores obſervavi, hiſtoriam ſcripturus, ab arboribus eam auſpicabor, ſic enim ordo poſtulare videtur: deinde ad frutices, ſuffrutices & virgulta progrediar, quibus aliquot ἐπαυλοκαύλους ſubÿciam. Hæc autem omnia priore libro complecti animus eſt: reliquas ſtirpes in ſequentes libros diſtribuam.

DRACO. CAP. I.



A PAVCIS prodita eſt huius Arboris hiſtoria, eaque admodum mutila. Libuit itaque eam hîc ſubiicere, & ab illa noſtras Obſervationes auſpicari, quandoquidem valdè rara eſt, in noſtra præſertim Europa, & Herbariis dum hos Commentarios ſcribebam (ni fallor) incognita.

Draconis arboris hiſtoria. EST verò Draco (aptiùs enim nomẽ non inuenio) procera arbor, Pinũ procul intuentibus referens, adeò æquales, ſemperque virentes ſunt rami. Huius truncus craſſus, octo aut novem cubitales ramos æqualiter naſcentes & nudos ſuſtinet, qui in ſummo fiſſi, in alios ternos vel quaternos ramos cubitales, aut paulò ampliores, brachialiſque craſſitudinis deſinunt, nudos item & ſine foliis, in ſummo geſtantes capita plena cubitalium foliorum, unciali latitudine, ſenſim in mucronem deſinentium, media coſta denſiore & eminentiore, ut in Iridis foliis, tenuium & rubentium in lateribus: mucronem planè repræſentant ea folia, ſemperque virent, & Aloës vel Iridis modo, invicem amplexando naſcuntur. Truncus perquam ſcaber, multis rimis dehiſcit, humoremque fundit per Caniculæ æſtus, qui in rubrã lacrymam denſatus, ſanguis Draconis appellatur, ob quam ſanè cauſam, hanc arborẽ Draconem nuncupavi. Materia trunci firma eſt, ferrumque difficulter admittit, quòd veluti fibris tranſverſim & obliquè excurrentibus conſtet: at rami cùm multo ſucco prægnantes ſint, ſatis facilè cædi poſſunt.

EAM arborem Olyſipone primùm vidi anno reparatæ ſalutis humanæ, quingenteſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum, poſt monaſterium Divæ Virgini ſacrum, cui nomen à Gratia, octo palmorum craſſitudine, inter aliquot Oleas in colle naſcentem, monachis ignotam & neglectam, quam neque florem, neque fructum ferre aſſererent: rem tamen aliter ſe habere poſtea deprehendi, ramulo ex illa ipſa arbore anno ſequente revulſo donatus ab amico. Eſt autem hic ramus (quem cum aliquot foliis, corticiſque fragmento, & lacryma meis manibus exemta multo tempore adſervatum, à Cæſare Maximiliano evocatus, in Belgica cum multis aliis eius generis reliqui) pedali amplioréve longitudine, cui inhærent alij ramuli multo fructu racematim compacto onuſti. Fructui color flaveſcens, ſapor ali-

quantulum acidus,magnitudo exigui Ceraſi. Eum in ſummis capitibus naſci veriſimile eſt, ut in palma dactyli naſcuntur: ſpatha tamen uti illos includi non intellexi. Huius porrò arboris recentia capita tenella ſunt, & humilium Palmarum ſive Chamæriphes modo,cuius cerebrum in deliciis eſt,edi poſſent,niſi amaritudo prohiberet.

APVD veteres neminem iſtius arboris mētionem facere invenio,niſi fortè ea ſit, quam Strabo ex Poſidonio Gadibus naſci tradit,libro Geograph.tertio, his verbis.

Gadenſis arbor Poſidonij.

DE Arbore Gadibus exiſtente ſcriptis prodidit Poſidonius, quæ ramos humum uſque incurvatos habeat,frondes ſæpiſſimè mucronis ſpeciem geſtantes,quarum longitudo cubitalis eſt,latitudo digitorum quatuor. Huic & illud innatum eſſe creditur, ut uno fracto ramo lac effluat, radice abſciſſa minij humor exſudet.

VERVM neque noſtra hæc arbor ramos incurvatos,ſed erectos,neque folia tam lata habet,nec illius ramis effractis lac exſudat,at humor aqueus duntaxat. De radice quod adſcribit,noſtræ ſatis quadrare videtur, è qua ſecundùm radices terebrata, lacrymam ſtatis anni temporibus effluere aiunt rubram,ut poſteà dicemus.

CETERVM illud hîc etiam obiter indicatum volo, quia in Gadium mentionem incidimus, me, tametſi diligenter totam inſulam perluſtrarim, nullam arborem conſpexiſſe qualem Poſidonius ſcribit: ſed neque ullam aliam, præter aliquot ſalices, & unam aut alteram ſiliquam, licet (vt ab incolis viris fide dignis accepi) circa urbem Gades, recenti adhuc memoria, lętiſſima viridaria fuerint, omni fructiferarum arborum genere excultiſſima, quorum ne veſtigia quidem nunc apparent, ſaburra arenacea, quam naves eò appellentes exonerarunt, omnia complente & exurente. EX recentioribus binos duntaxat hanc arborem deſcribere memini,ſed ſuccinctè admodum.

ALOISIVS Cadamuſtus libro Navigationum cap.4. eius in hæc verba meminit.

Sãguis Draconis.

IN inſula Portus ſancti (è Canariis una) eſt Sanguis Draconis, lacryma arboris ferro ſauciatæ: nam ſtato anni tempore arbores inciſæ, emittunt anno ſequente gummi, quod ahenis decoctum & defecatum,ſanguis efficitur quem Draconis appellant. Eius arbor fructum producit Ceraſi inſtar menſe Martio,guſtu eximium,coloris veneti.

POST hunc Thevetus Singularium Franciæ antarcticæ cap. VIII. deſcribit his verbis è Gallico redditis.

ES T in Canariis inſulis arboris genus,certo anni tempore gummi fundens, quod Sanguinem Draconis vocant,perforata arbore prope radicem ſatis lato & profundo hiatu. Eius fructus luteus eſt, magnitudine Ceraſi noſtratis, refrigerando corpori, & levandæ ſiti in febre aut ardoribus valdè vtilis. Non eſt diſſimile hoc gummi Cinnabari Dioſcoridis. Hæc Thevetus.

Cinnabaris Dioſcoridis.

ET ſanè id gummi quod apud diligentiores quoſdam pharmacopolas invenitur, Sanguinis draconis in lacrymis nomine inſignitum,magna ex parte ex Madera & Canariis inſulis in Europam inuehitur: & forſitan etiam ex Aphrica,quæ Dioſcoridis tempore Cinnabarim ſubminiſtrabat.

AN hæc porrò arbor alicuius momēti ſit in medico uſu,neminem ſcribere memini: fructus tamen aciditas argumento eſt,utiliter in febribus (vt cenſet Thevetus) præberi poſſe. Eius lacryma adſtringendi vi pollet,illiuſque uſus non infelix ad muliebres & dyſentericas fluxiones,cruentas excreationes,firmandos commotos dentes, & roborandas gingivas. Quæ facultates eis admodum ſunt ſimiles, quas Dioſcorides Cinnabari tribuit, quamque Hæmatite lapillo efficaciorem facit. Hanc ob cauſam, non abs re exiſtimant celebriores Medici,exquiſitum illum ſanguinem Draconis, legitimam Dioſcoridis Cinnabarim eſſe, præſertim cùm eius tempore à nonnullis etiam ſanguis Draconis appellata ſit.

PERSEA. CAP. II.

VALDE rara etiam eſt hæc arbor,cuius ramum expreſſum damus: nam ſolo Valentino regno unicam arborem vidi,monaſterio D. Virginis cui cognomen de Ieſu, primo ab urbe Valentia lapide, ex America,ut ferebatur,eò delatam.

Perſea hiſtoria.

HÆC porrò arbor Pyro ſimilis eſt,in latum diffuſa perpetuoque virente coma, ramulis ex viridi palleſcentibus.Folia illi lauri latifoliæ,ſupernâ parte virentia,infernâ cinerei coloris,firma,nervis aliquot per obliquum diſcurrentibus, odore & ſapore quidem commendata,cum adſtrictione tamen linguam mordicantia. Flos Lauri ferè,copioſus, racematim compactus,pallidus,ſex foliolis conſtans. Fructus per initia pruno ſimilis, deinde ſucceſſu temporis,pyri in modum oblongus,nigro colore,iucundoque ſapore: nucleum cordis effigie continet, guſtu caſtaneæ aut dulci amygdalæ haud abſimili. Vere florentem conſpexi, Autumno maturum fructum ferre intellexi à CL. V. D. Ioanne Plaça Medico & Profeſſore Valentino, qui mihi illam quo nunc dixi loco commonſtrabat, incoliſque *Mamay* dici aſſerabat: tametſi qui nobis Americam deſcripſerunt Hiſpani, aliam ab hac diverſam arborem hoc nomine inſigniant. Sed multis poſt annis, ab eruditiſſimo viro Simone de Tovar Medico Hiſpalenſi, qui ſimilem arborem in cultiſſimo ſuo horto, cum aliis exoticis ſtirpibus alit, non *Mamay*, ſed *Aguacate* vocari edoctus ſum. An verò hæc arbor Veterum Perſea ſit,nec ne,diſpiciendum eſt.

THEO-



THEOPHRASTVS libro IIII. Hiſtoriæ Plantarum cap.II. Perſeam in hunc modum deſcribit. Eſt etiam in Ægypto alia arbor Perſea dicta, aſpectu magna &pulchra, ſed maximè ſimilis pyro & foliis, & floribus, & ramis, & tota figura, præterquam quod hæc perpetuo eſt folio, illa deciduo. Fructum autem fert multum, eumque omni tempore maturum edit, novo ſemper veterem occupante. Maturat autem ſub Eteſiarum flatum: reliquum crudiorem auferunt & recondunt. Eſt magnitudine pyri, figura oblongus, amygdalæ modo, colore herbidus, intus nucem continens quemadmodum prunum, ſed multo minorem & molliorem: carnem verò valdè dulcem, ſuavem, concoctuque facilem: nihil enim eos qui multum ederint tentat. Excellit hæc arbor radicum tum longitudine, tum craſſitudine, tum etiam multitudine: materiem etiam habet robuſtam, aſpectu pulchram, atram vt lotus, ex qua ſimulacra, lectulos, mēſulas, atque alia huiuſmodi conficiũt.

Perſea Theophraſti.

SIMILI modo, iiſdémque ferè verbis ipſam Plinius deſcribit lib.XIII.cap.IX. ſub Perſicæ arboris nomine, voces ipſas cõmiſcens, quas tamē lib.XV.c.XIII. apertiſſimè ſeiungit, & diſtinguit. Perſicæ, inquit, arbores ſero & cum difficultate tranſiêre, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt venenata cum cruciatu in Perſis gigni, & pœnarum cauſa à Regibus tranſlata in Ægyptum, & terra mitigata. Id enim de Perſea diligentiores tradunt, quę in totum alia eſt, myxis rubeſcentibus ſimilis, nec extra Orientem naſci voluit. Eam quoque eruditiores negaverunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam, & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, in honorem atavi ſui. Semper autem folia habet & poma, ſubnaſcentibus aliis.

Perſea Plinij.

Qui ſanè locus, eorum ſententiam apertiſſimè refellit, qui Perſeam arborem cum Perſica malo eandem eſſe, cerebroſiùs aſſerere volunt: ut taceam utriuſque arboris hiſtoriam eſſe diuerſiſſimam.

PERSÆ item meminit Strabo Geograp. vltimo, perpetuam illi comam tribuens, & fructum pyri magnitudine, figura oblonga, amygdalæ modo putamine incluſum, & corio.

Perſea Strabonis.

SED & Galen.lib.II. de Alimēt. ſe Perſeā Alexandriæ vidiſſe aſſerit: meminit & aliis locis.

IN eo omnes conveniunt, ut Perſeæ perpetuam comam tribuant, oblongum fructum, incluſum amygdalæ putamine & corio. Hæc quam exhibeo arbor perpetua quidem eſt coma, folio autem & flore laurum magis refert quàm pyrum: fructu etiam oblongo eſt, ſed qui myxis (qualem illi Plinus loco iam adducto tribuit) aut oblongis prunis ſimilior ſit, quàm amygdalis, & colore (ut Plaça referebat) nigro, non herbido.

Perſea perpetuò virens.

ITAQVE, vt verum fatear, tametſi nonnullis cum Perſea Theophraſto deſcripta notis, hæc noſtra conveniat: mihi tamen aptiùs quadrare videtur ei, quam Plinius libro iam memorato deſcribit: aut quam Plutarchus in Ægypto naſci teſtatur Iſidi gratiſſimam, quòd fructum ferat figura cordis æmulum, folium verò linguæ. Sed aliorum id relinquo iudicio: nobis ſententiam noſtram in medium protuliſſe ſatis eſt. Non poſſum tamen non mirari, quoſdam Perſeæ hiſtoriam negligentius perpendentes, non eſſe veritos ad hanc noſtram fructus Cuci ſuo pulvino nudati iconem in ſuis Commentariis pro Perſeæ fructu adiicere, fructus certè planè oſſei qui nobis aliquando pro Bdellij fructu obtruſus fuit: niſi fortè pyri vel cordis forma quam utcumque exprimit, eos ut id facerent impulerit. Verùm Cuci integer fructus, etiam per multos annos adſervatus, & planè reſiccatus, pugno maior eſt, magnúmque perſicum malum potiùs æmulatur, quàm prunum aut pyrum. Eius hiſtoriam Theophr. lib. IIII. Hiſt. cap. II. Plinius lib. XIII. cap. IX. tradunt paulo pòſt Perſeæ deſcriptionem. Neuter tamen Perſeæ fructum pyro ſimilem facit, ſed magnitudine illi æqualem.

Plutarchi Perſea.

Cuci.

HVIVS quam exhibeo arboris neminem hactenus experimentum feciſſe, quod ſciam, puto.

AT Perſeæ fructum cibo idoneum, & ſtomacho utilem Dioſcorides facit: arida verò folia in farinam redacta, illitu ſanguinis eruptiones ſiſtere tradit.

CETERVM *Mamay* ab Hiſpanis Hiſtoricis deſcriptum, arbor eſt formoſa, ſimili modo virens, vt iuglans, lata coma, ſed celſa, & quæ in pyramidem aliquantulum deſinat inſtar cupreſſi: foliis longitudo maior quàm latitudo, materies ligni fungoſa, fructus rotundus & magnus, carne malum cotoneum referens, ſed ſapore perſici mali duracini: cui inſunt terna vel quaterna oſſa, interdum plura, valde amara.

Mamay. Gomara Hiſtoria general. India, cap. LXIIII.

LAVROCERASVS. CAP. III.

Laurocerasi flos. Laurocerasus cum fructu.

Cerasus folio Laurino B Pin: 450





NEc huius arboris hiſtoriam ab ullo proditam, imò ne herbariis quidem noſtræ ætatis cognitam arbitror. Cùm autem ex earum ſit genere, quæ perpetuâ comâ virent, elegantiſſimaque ſit aſpectu, locum inter primas, in noſtris hiſce Commentariis, meritò ſibi vendicare videtur.

Laurocerasi historia. EST verò Laurocerasus (ſic enim appellare libet, & nominis cauſam poſtea explicabo) iuſtæ magnitudinis arbor, caudice recto, multis ramis donato, qui cortice atrovirente obducti ſunt, novellis tamen omnino virentibus. Folia alternatim ramos ambiunt, non decidua, Lauri latifoliæ, ſive potiùs Citriæ mali foliorum æmula, per ambitum nonnihil dẽtata, nervis aliquot ex media coſta in latera excurrentibus, ſupernè ſplendẽtia, infernè nequaquam: color in vetuſtis ex atro vireſcens, in novellis ex viridi palleſcens: ſapor amarus, nucleorum mali perſicæ, aut amygdalarum amararum æmulus. Flos initio mihi non conſpectus, nam quam alebam arbuſcula, ſine flore, ſine fructu periit: quam verò D. Aicholtzio dederam, anno octogeſimo tertio ſupra milleſimum & quingenteſimum, menſe Maio egregiè floruit. Paucis pòſt annis floruit etiam D. Ioachimo Camerario V. C. quam ipſi donaram, vt ille Noriberga Viennam ad me ſcripſit. Oblongas porrò in ſummis vetuſtis ramis inter ſuperioris anni folia fert haſtulas, digitalis longitudinis, craſſiuſculas, in quibus breui pediculo numeroſi, & racemi in modum conferti, naſcuntur flores, candidi, quinque foliolis conſtantes, multis in umbilici ambitu ſtaminulis præditi, Ceraſi avium vulgò nuncupati floribus non admodum diſſimiles, odoris tamen expertes, qui nullum fructus rudimentum præbuerunt, ſed caduci admodum fuerunt. Supra hos deinde rami germinant & novella folia protrudunt. Fructus, quem in arbore naſcentem non vidi, ſed qui Conſtantinopoli miſſus fuit anno ſeptuageſimo quarto & octogeſimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum, ovali forma fuit, exigui pruni magnitudine, Sebeſten fructui proximus, foris niger, rugoſus,
Brunnensia pruna. pulpa præditus dulci & eduli, ceratiorum vel Brunnenſium in Moravia prunorum pulpæ modo, oſſiculum continens ſeſſili parte orbicularem, deinde ſenſim in oblongam tenuemq; cuſpidem deſinentẽ, ut teſtes eſſe poſſunt amici Belgæ, quibus eum fructum tunc cõmuni-
Galatensia pruna. cavi cum Galatenſibus ſive Peranis pruneolis, albis, oblongiuſculis, acidis. Vtrumque fructum licet diligenter terræ commiſerim, etiam in fictilibus, ut commodiùs curarem, neuter tamen germinauit. At qui eodem nomine acceptus eſt Byzantio, anno M. D. LXXXI. licet ſimili forma, colore & ſapore præditus, bina aut terna habuit ſub pulpa nullo putamine incluſa ſemina plana, ſpadicei coloris, plurimum accedẽtia ad Loti aphricanæ, vulgò Guaiacanæ nuncupatæ, ſemina.

CETE-

CETERVM ſub initium anni M. D. LXXVI. ab Illuſtri Domino Dauide Vngnad, Cæſareo apud Turcarum Imperatorem tunc Legato, nunc verò Bellici cõſilij Viennæ Præſide, mihi miſſa fuit eius arbuſcula, brachialis craſſitudinis, humanã altitudinem excedens, cum aliquot aliis rarioribus fruticibus. Sed cùm aſperrima eſſet hiems, & negligenter ab eo qui eos aduexit, curati fuiſſent: omnes in itinere radicitus perierunt, præter hanc & Caſtaneam equinam, de qua poſtea: imò parum abfuit quin & hæc periret. In fornicem autem cum eodem doliolo, in quo aduecta fuerat, eademq; terra, illata, & ſequente Aprili educta ramos omnino ſiccos cùm deprehendiſſem, ad vivum reſecui, & vaſculum loco umbroſo repoſui, ne à ſolis radiis exſiccata difficiliùs repullularet. Cœpit tandem Autumno ſecundum radicem aliquot germina proferre, quæ cum ea trunci parte cui inhærebant (reſecto inutili & ſicco) in aliud vas tranſlata, magna cura deinde alui, vt elegantẽ arbuſculam poſtea habuerim: reliqua etiam germina, ubi paulo altiùs excreviſſent, in terram inflexa radices egerunt, aliaſq; arbuſculas dederunt, quas & Principibus viris, & amicis communicavi.

Longior paulò in his referendis, & Lectori moleſtus fortaſſe fui: non potui tamen ea ſilentio præterire, ut intelligant ſtudioſi quibus difficultatibus ad huius rariſſimæ ſtirpis poſſeſſionem peruenerim.

MISSA porrò fuit hæc arbuſcula *Trabiſon curmaſi* nomine, quod Trapezuntinam dactylum interpretati ſunt. Sed cùm nihil cum palma commune habeat, ſatis impropriè hoc nomen illi inditum arbitror. Trabiſon curmaſi *Dactylus Trapezunt.*

BELLONIVS lib. I. Obſeruationum cap. XLIIII. inter arbores perpetuò virentes recenſet Trapezuntinam quandam ferentem ceraſa: meminit & eo libello, cui De ratione cicurandi ſilveſtres arbores titulum fecit, cap. XX. (utrumque librum Latio donaui, ut rei herbariæ ſtudioſi illius viri lucubrationibus quæ Gallico ſermone ſcriptæ ſunt, frui poſſint) & Lauroceraſum appellat: eius tamen hiſtoriam non deſcribit, niſi quòd eodem capite illius ramum mali Citriæ ramo æqualem facit, & eius prægrandem arborem Genuæ in horto Principis d'Oria poſtea vidiſſe aſſerit. *Lauroceraſus Bellonij.* Cùm verò huius noſtræ folia maximam ſimilitudinem cum mali Citriæ foliis habeant, nec defluant, & Trapezunte Conſtantinopolim, ut nomẽ indicat, primùm allatam fuiſſe veriſimile ſit, eam eſſe omnino exiſtimo, quam Bellonius obſervavit. Lauroceraſi autem nomen, quantum coniectura aſſequi poſſum, illi impoſitum à foliorum cum laurinis ſimilitudine, & fructu ceraſis æquali: tametſi poſtremo loco ex Pliniana hiſtoria id inveniſſe affirmet. Verùm nuſquam apud Plinium Lauroceraſi vocem legere memini: is quidem lib. XV. cap. XXV. ubi Ceraſi genera enumerat, de ceraſis lauro inſitis agit. *Ceraſus laurea.* Minùs quinquennium eſt, inquit, quòd prodière quę vocant laurea, non ingratæ amaritudinis, inſita in Lauro. Hanc autem quam proponimus arborem, ipſum intelligere, vix mihi perſuadere queo.

Sed cùm aptiore appellatione careamus: neque ſine iudicio Bellonius ea uſus eſſe videatur, Lauroceraſum cum ipſo nuncupabimus, donec ex veterum monumentis commodior aliqua ſeſe offerat. Si cui tamen Palmæ Trapezuntinæ vocabulum, quod Conſtantinopoli adepta eſt, aut Ceraſi Trapezuntinæ, ut Bellonius etiam Gallico ſermone uſurpat, magis arridet, eo utatur, per me licet.

Dalechampij porrò opinio mihi non ſatisfacit, qui hanc ſtirpem Theoph. Hiſt. lib. IIII. cap. IIII. Loton ſecundam eſſe cenſet: *Lotos II. Theoph.* nam huius fructus non naſcitur myrti modo alternis, ſive ut Græcus Theoph. codex habet *καθάπερ τὰ μύρτα παράλληλα*, ſed racematim uvæ modo: ipſius certè flores, uti dixi, in haſtula confertim plurimi naſcuntur. Neque quòd Dactylum Trapezuntinam eſſe ſtatuit Lotum aphricanam Matthioli, cui durum nucleum tribuit, qua de cauſa *διόσπυρον* Theoph. Hiſt. lib. III. cap. XIII. eſſe vult, cuius nucleus durus eſt, *Διόσπυρος Theoph.* in qua opinione etiam eſt, marginalibus in Athenæum ab ipſo Latio donatum ſcholiis. At Lotus Aphricana non nucleum, ſed ſemina duntaxat habet. Imò quotquot Viennæ Auſtriæ & apud Pannones cultas obſervavi, fructum quidem ferebant, ſed ſeminis expertem, & ſola dulci pulpa conſtantem, licet ſemine ex Italia miſſo natæ eſſent. Perinde Faba Græca Plin. lib. XVI. cap. XXX. eſſe poteſt.

MALVS MEDICA. CAP. IIII.

FOLIORVM ſimilitudo facit, ut pauca quædam de Mali medicæ generibus quæ in Hiſpanica mea peregrinatione obſervavi, ſuperiori arbori ſubiungerem.

MEDICORVM malorum varia ſunt genera. Alia enim Hiſpanis *Cidras* dicuntur, alia *Limones*, alia *Limas*, alia *Naranjas*, alia *Toronjas*.

QVÆ Citria ſive Cidras fert *Cidrera* dicta, brevi trunco eſt, longis ramis firmis, craſſis & acutis ſpinis, foliis magnis, latis, & per ambitum ſerratis aliquantulum. Cidras. Fructum fert magnum & oblongum, Melopeponis amplitudinem interdum æquantem, cortice per maturitatem flaveſcente, denſa carne, candida, firma & eduli, nullo ferè interiore ſucco, odor mali fragrãtiſſimus: flores ſunt candidi, ſępiuſculè forinſecus purpuraſcẽtes, odorati. Semper hæc aut floret, vel fructu onuſta eſt. Sunt qui fructũ naſcentem figulinis formis varias figuras exprimentibus includunt, atq; ita relinquunt donec fructus maturitatem conſequatur, tum demum formas auferunt, vt malum nativum colorem adſciſcat, iucundo ſanè ſpectaculo.

Malus Medica C.B.Pin: 435.

Citria malus.



Limones.

Malus Limonia acida C.B. Pin: 436.



Limones 4. generum. CITRIÆ ferè ſimilis eſt, quam ipſi Limoneram appellant, cuius fructus minoribus Citriis pares, oblongi, ſatis denſa carne, & multo ſucco acido præditi, nullis aut perpaucis intus acinis: folia Citriis breviora, flos purpuraſcens foris, ſpinæ minores & breviores quàm in Limera: huius generis reperiuntur etiam dulces, minores tamen & oblongis Limis ſimiles. Audio & eius genus prægnans reperiri, alium fructum minorem in ſe continens, incolæ ſua lingna *Limones preñados* vocant: verùm id genus non eſt mihi conſpectum. Doctiſs. vir S. de Tovar ex Fortunatis Inſulis delatum ſcribebat in Indice ſui horti quem ad me mittebat anno M. D. XCV. & aliud genus ſe alere totum ferè carneum quod varias figuras repreſentat, eam ob cauſſam ab Hiſpanis *Limones de figuras* appellari. Quartũ autem genus omnium maximum conſpiciebam Hagæ Comitis apud Batavos anno M. D. XCIIII. Ill[mæ] Heroinæ Principi de Chimay, à Doctiſſimo viro Bernardo Paludano Medico miſſum: id enim Citrij mali grandioris magnitudinem æquabat, corticem verò minùs denſum, & auri inſtar fulgentem habebat, grumos etiam interiores minus acidos, quàm reliqua genera.

QVAM ipſi Limeram nuncupant, magno caudice aſſurgit, ramoſque habet tenuiores,
Limas 2. generum. longos, firmis, longis, virentibus ſpinis armatos, folia per ambitum nonnihil ſerrata, florem candidum, fructum paulo minorem Limonera, oblongiuſculum, ubi maturuit flaveſcentem, cortice tenui, vt nil niſi ſuccum ferè contineat, eumque acidiſſimum. Semper flore & fructu onuſta conſpicitur. Aliud porrò eius eſt genus per omnia ferè ſimile, niſi ſpinis careret, vel eas perquam exiguas haberet, & illius fructus rotundus eſſet, ſumma parte quaſi corona aut umbilico inſignitus. Vtriuſque acini ſeu grana oblonga ſunt.

Aurea malus varij generis. AVREA malus reliquas huius generis magnitudine ſuperat, Malo vulgari non inferior fertili ſolo, tametſi humilis interdum reperiatur: firmos habet ramos, ſpinas paucas & breves, folia viridia, minimè per ambitum ſerrata, flores candidos odoratiſſimos, fructum, *Naranjas* Hiſpani vocant, maturitate aurei coloris, ſucco præditum aut dulci, aut vinoſo, aut acido, in quo grana frequentia, rotundiora quàm in Limonibus. Habet etiam hæc ar-
Aur. mal. pumilio. bor ſui generis pumilionem, qui inſitione vel inoculatione propagatur: liberalior eſt hæc ferendis floribus & malis etiam in frigidis regionibus, modò ritè curetur.

Ex eo genere quod dulci eſt ſucco, Hiſpali apud Chartuſianos (Hiſpani *las Cueuas* no-
Aur. malus eduli cortice. minant) trans Bætim flumen, binas arbores conſpexi quæ fructum ferebant carne multo firmiore præditum Armeniacorum ferè modo, licet ſimiliter camerulis diſtinctum & ſucculentum vt reliquorum, cuius cortex unà cum carne & ſuccoſa ſubſtantia mandebatur,
Aur. mal. μονοσπερμοφόρος. corticis color inſigniter aureus eſt. Hiſpani *Naranja caxel* vocant. Aliud inſuper genus cuius ſuccus acidus unicum granum continebat.

QVAE

Malum aureum.

(Malus aurantia major B.Pin. 436.



Poma Adami.

Malus adami B.Pin. 437.



QVAE vulgò Poma Adami dicũtur,ea Galli *Poncires* Bætici, *Toronjas*, Luſitani *Zamboas* appellant. Arbor ipſa interdum humilior eſt, Citriæ perquam ſimilis, magna tamen ex parte celſiorem Malum aureã æquat: breves habet ſpinas, folia Limoneræ, florem candidum, odoratum, fructum rotundum, triplo maiorem aurea malo, maturitate flaueſcentem, cortice inæquali, denſo, craſſa & fungoſa carne, quæ à nonnullis cum cortice ſimul editur, ſucco brevibus folliculis ut & mali aureæ comprehenſo (in reliquis enim generibus folliculi ſive veſiculæ ſuccum continentes oblongiuſculæ ſunt) granis ſubrotundis. Nonnulli Aſſyrium malum vocant. Toronjas Zamboas.

CETERVM, præter Aurantiam malum eduli cortice, decem mali Medici genera apud Hiſpalenſes inveniri, ex altero Indice, quem anno M. D. XCVI. eruditiſſimus vir D. Simon de Tovar mittebat, intelligebam: accipiebam enim ab illo ſemina illius quod Hiſpani *Zamboas* appellãt, deinde *Limones de carne*, *Limones de figuras*, *Limones preñados*, *Limones poncies*, *Limones ceuties*, *Limones dulces*, *Limas dulces*, *limas agrias*, *Limones de Yulte*, vel *Limas del Emperador*, quoniam, inquit, ab Inperatore Carolo V. ex Vngaria in Hiſpaniam primò delata hæc plãta fertur, cuius quidem opinionis fidem augere videtur, quòd ultra cetera mali Medici genera, hæc frigoris patientiſſima exiſtat. Eſt autem eius fructus edulis multo ſuaviore guſtu præditus quàm Aurãtiæ caxel, ſuccus verò eius maximè ad acidum dulcem accedens, ideoque omnium mali Medici generum acidorum ſuaviſſimum.

Omnium porrò folia perpetuò viridia ſunt, multiſque veluti foraminibus, ſi Soli obiiciantur, pertuſa, inſtar foliorum Hyperici, iuncturâ quadam pediculo inhærentia: ſola mali aureæ folia ſecundùm iuncturam tamquam appendices habent.

CASTANEA EQVINA. CAP. V.

EQVINAM Caſtaneam CL. V. Matthiolus cemmentariis in I. lib. Dioſcoridis deſcripſit: quoniam tamen nondum apud noſtros, aut certè rariſſimè conſpecta eſt, & mihi egregiè adolevit, illius hiſtoriam adiicere libuit. *Caſtaneæ equinæ hiſtoria.*


VASTAM eſſe hanc arborẽ intelligo, quam ſanè Vienna diſcedens anno M. D LXXXVIII. iſtic reliqui, intra duodecimum annum, in humanæ coxæ craſſitudinem, duarumq; orgyiarum aut amplius altitudinem adoleverat, latamque comam ſparſerat. Frigoris patientiſſimam eſſe, umbraque & aqua ut Platanum delectari deprehendi. Autumno autem, cùm folia abiecit, protinus gerit amentaceum quiddam extremis ramulis, & turgidum, quaſi parturiat, pinguique & lento humore conſperſum, in quo culices & huiuſmodi inſecta hærent, totaque hieme ita perdurat, donec ineunte vere, & præmaturè admodum, gemmæ in folia

Castanea folio multifido B: Pin: 419

Caſtanea equina.



Caſtaneæ equinæ fructus echinato ſuo calice tectus.



Caſtaneæ Peruänæ fructus.



ſeſe explicent, quæ palmata ſunt, & plerumque ſeptena numero uni eidemque pediculo inhærentia, tenella initio & dilutiore viriditate prædita, deinde venoſa, rugoſa, longa, ab infima parte ſenſim in latum excreſcentia, & per oras crenata, mucronata cuſpide, ſupernè virentia, infernè candicantia, amariuſculo ſapore: pediculi quibus inhærent oblongi, bini ſemper æquali ſitu, oppoſito tamen, alternatim ramos amplectuntur: novelli rami virent, adulti cinereo cortice obducti ſunt, ſub quo latet alius ſucculentus, viridis, lignum ambiens, ut in Sambuco, vel Acere latifolio, cui huius arboris (quantum quidem ex ea quam unicam alui deprehendere licuit) materies perſimilis eſt. Eius flos & recens fructus nondum mihi conſpecti, tametſi in eam amplitudinem, vt dixi, mea excreverit, ut ſperarē flores daturam: ſed neque ſæpiùs petitos ab amicis qui Conſtantinopoli cum Cæſareis Legatis fuerunt, impetrare potui. Siccus vero fructus inde aliquoties allatus, nudus omnino, & ſuo calice exemptus: tandem cum ſuo echino communicatus, à doctiſſimo viro Chriſtophoro Wexio ex ſua peregrinatione Ægyptiaca, Syriaca, Aſiatica, & Byzantina reduce anno M. D. LXXXVII. Eſt verò vulgari caſtaneæ æqualis, interdum etiam maior, non in mucronem deſinens ut illa, ſed planior, & orbiculari quodammodo forma, tuberculo quodam ſuperiore parte eminente, quod ſenſim gracileſcens, ad pronam uſque partem extenditur, germen (quod iſtic ortum habet) amplectens: coriaceo cortice integitur ut vulgaris, qui supernè ſpadicei coloris eſt, ſed infima, qua ſuo echinato calyci adhæret, exalbidus, ſimilem propemodum notam impreſſam habet, qualis in veſicariæ repentis ſeu peregrinæ ſemine conſpicitur, ſed longè maiorem, nec ita candidam: ſingularis eſt hic cortex, nec aliam tunicam aut lanuginem intra ſe occulit, quemadmodum noſtrates caſtaneæ: firma & ſolida conſtat carne, candida ut vulgares, non adeò grati ſaporis tamen, ſed amaricantis potius, præſertim vetuſtior & ſicca, qualem deguſtavi: ſingulæ magna ex parte, nonnumquam binæ, eodem calyce multis breuibus firmiſq; ſpinis horrido includuntur, qui per maturitatem in tres partes dehiſcens, nucem oſtendit ipſius lateri infima parte inhærentem, non à pediculo, vt reliquæ nuces.

VETERIBVS ignotam fuiſſe hanc arborem cenſeo, quandoquidem nullius hiſtoriam, quæ ab illis deſcripta ſit, legere memini, quæ huic arbori convenire deprehendatur.

At ceeſtaneſi. Ad caſtaneſi. Chaſtagne de cheual. Roſs keſten Caſtagna di cauallo. Caſtaña de cauallo.

Turcæ *at ceeſtaneſi*, vel *ad caſtaneſi*, id eſt, equinæ caſtaneæ nomine inſigniunt, quia eius fructum devoratum, anhelis & tuſſientibus equis plurimum auxilij adferre comperiunt. Gallis dici poteſt *Chaſtagne de cheual*, Germanis Roſs keſten/ Italis *Caſtagna di cavallo*, Hiſpanis *Caſtaña de cauallo*.

HIC nō poſſum nō adiicere elegās Caſtaneæ genus mihi à doctiſſimo viro, eodéq; Coſmographo


grapho clariſſimo Abrahamo Ortelio, vetere amico donatum anno M. D. XCI. quod ille ex Peruäna prouincia delatū, à celeberrimo V. Benedicto Aria Mōtano paulo antè acceperat.

Caſtanea Peruana. Sphæricæ porrò pænè figuræ eſt hæc Caſtanea, niſi latera haberet paulo depreſſiora, præſertim vbi pediculo inhęſit, cortice ſatis craſſo, fragili tamen, & veluti fungoſo obducta, coloris ex fuſco aliquantulum flaveſcentis: huic ſubſunt innumeræ tenues quidem ſed firmæ ſpinæ, putamini, quod nucleum includit, tenaciter inhærentes: ipſum putamen fuſcum eſt, non denſum, ſed lentum & fractu contumax, interiore parte læve & ſplendidum, quo continetur nucleus amygdalæ (putamine ſuo liberæ) magnitudine & colore, forma autem leporino reni ſimilis, intus albus, ſapore dulcis ferè ut amygdala aut caſtanea vulgaris.

Eius iconem, in ſtudioſorum gratiam, ſub Caſtaneæ equinæ fructu, ſuo echinato calice prædito, eadem tabellâ exprimi curavimus à perito & diligente artifice.

PLATANVS, ACER, SORBVS, &c. CAP. VI.

Platanus.



Platanus. TAMETSI Platanus in iis regionibus quas adij ſpōte non naſcatur, quia tamen cum Caſtanea equina Conſtantinopoli allata, ad aliquot orgyias mihi Viennæ Auſtriæ adolevit, illius mentionem hîc obiter facere volui. Hiſtoriā apud alios videre licet.

Acer ACERIS etiam, quod foliorum ſimilitudine proximè ad Platanum accedit. Eius in Viennenſi ſaltu, & aliis vicinis ſyluis obſervantur duo illa genera, à pleriſq; iā deſcripta.

latifolium. Latifolium oblongiore florum uva, candidiore & laxiore materie, quod ab imperitis Platani nomine donatū eſt: Galli *Plane* vocant, Vngari *Iauor fa.*

minus. Alterū minore folio, firmiore materia, craſſiore cortice, ab imperitis in Gallia Sycomorus nūcupatum, id Gallis *Erable*, Vngaris *Ihar fa* dicitur. Vtrumq; genus Germani Ahorn vnd Maſsholtz/ Itali *acero*, Hiſpani *el azre* appellāt.

Sorbus torminalis Cratægus Theophraſti. SORBVS item torminalis Plinio dicta & Herbariorum vulgo, quam Anguilara & doctiſſimi quique Cratægum Theoph. lib. III. Hiſt. plant. cap. XV. deſcriptum eſſe cenſent, Viennenſi ſaltui, & pleriſque aliis Auſtriæ & Pannoniæ ſyluis familiaris eſt. Eius fructus Octobri Viennam in forum venalis adfertur, à tenuioris fortunæ hominibus & pueris admodum expetitus: Galli *Alizier*, Germani Adlaſber/ Vngari *Barkoczca* vocant.

Aria cognominata. FREQVENS eſt & iiſdem locis, præſertim verò inter ſaxa & rupes, id Sorbi genus, quod nonnulli Ariam Theoph. eſſe cenſent, folio coryli aut alni ferè, ſed prona parte omnino incano, fructum ferens ſuperiori proximum ſed colore differentem, qui ruber eſt, minimè edulem, & à nullo animantium, præterquam ab avibus expetitum. Eius nullum vulgare nomen novi præter Auſtriacum, quod Melperpaum eſt.

Aucupariæ Sorb. AVCVPARIA etiam cognominata Sorbus à baccarum uſu, quòd iis hieme aucupes turdis & merulis inſidiari ſoleant, foliis legitimæ Sorbi, vel Fraxini. Eam Dalechampius cur torminalem cenſeat, nullam cauſam video, cùm eius rubris baccis nemo veſcatur, ſed à ſolis turdis aliiſq; ſylvicolis avibus, gallinagine præſertim expetatur: deinde, ubi Platani folia, quæ Plinius Sorbo torminali tribuit? Germanis Vogelbeer/Maſbeer vnd Maalbeerpaum: Vngaris *Vörös berkinye* dicitur.

Sorbus legitima. AT legitima Sorbus pleriſque regionibus quas adij ſatis vulgaris eſt, foliis ſuperiori proxima, mollioribus tamen, & nōnihil pubeſcentibus, fructum fert pleriſque expetitum, præſertim mulierculis & pueris, & interdum ſecundis menſis maturus additur. Vngari *Berkinye*,

Auſtriaci

Acer latifol.



Sorbus torminalis Plinij.



Sorbus legitima.



Auſtriaci *Aſcheritz* vocant: reliqui Germani arborē Speirbaum/ & Sperwerbaum/ fructū Speirling: Galli arb. *Cormier*, fruct. *Corme*: Itali arb. *Sorbolero*, fruct. *Sorbo*: Hiſpani arb. *Serual*, fruct. *Seruas*.

Iuglandis genus alterum.

HIC autem non poſſum non meminiſſe, generis illius Iuglandis haud vulgaris, mihi certè proximis annis demum obſervati, & nati nuce quæ cum aliis vulgaribus ſecundis menſis adpoſita in convivio quodam ad quod eram evocatus: ipſius porrò nucis teneritudo, & longior quā vulgaris forma, me invitabat, ut binas ſeponerē, ratus diverſam à vulgari eam eſſe arborem, quæ eiuſmodi nuces ferret. Hogelando amico nuces mittebam, quæ ipſi non modò germinarunt, ſed folia etiam protulerūt, vulgaris quidē Iuglandis foliis formâ ſimilia, hoc eſt alata, inſtar foliorum Fraxini, ſed lōgè magis tenella, atque in ambitu ſerrata: quorum odor etiam gravis ut in vulgari.

AVELLANA BIZANTINA.
CAP. VII.

Corylus varij generis.

CORYLVS duorum vulgo eſt generum, ſylveſtris ſponte naſcens paſſim obvia, & domeſtica, quæ in hortis colitur. Ea etiam duorum eſt generum: nam vel oblongiuſculum fructum fert eumque duplicem, unius enim nucleus rubra (qui præſtantior iudicatur) alterius alba pellicula integitur: vel breviorem & craſſiuſculum, qualis in Italia, Hiſpania reperitur, & Londini mihi conſpectus eſt, & Francofurti ad Mœnum ſatis frequens.

VERVM aliud genus peregrinū & rarum admodū hîc propono, quod anno M. D. LXXXII. primùm

Corylus.

Corylus Sativa fructu albo minore Sive vulgaris. B: Pin: 417.



Auellana pumila Byzantina.

Avellana peregrina humilis B: Pin: 418.



Avellanæ Byzantinæ ramus cum fructu minore.



primùm, deinde quadriennio pòſt iterum allatum eſt Conſtantinopoli cùm varij generis bulbaceis ſtirpibus curante Mag^co ac Generoſo D. Dauide Vngnad Barone in Zonneck, Conſilij bellici in Auſtria Præſidi, qui & Turcarum Imperatori, eiuſque Proceribus in deliciis eſſe mihi affirmabat.

Avellana Byzantina hiſtoria.

Eius porrò frutex, eo aſſerente, ſupra cubitalem altitudinem rarò excreſcit, ſed pumilus ſemper permanet: craſſos admodum magnoſque ferens in tenuibus pediculis calyces calloſos duroſq́;, modò ſingulares, modò plures ſimul in eodem pediculo cohærentes, ut vulgaris, extrema parte in multas craſſas longaſq́; lacinias diviſos, ſede etiam multis fimbriatis appendicibus obſita: ſunt verò ij calyces foris valde dura aſperaq́; lanugine hirſuti, interiore parte læves, continentes fructum Auellanæ ſylveſtri & ſponte naſcenti ferè ſimilem, vel aliquantulum breviorē, duroq́; putamine, ut illæ, conſtantem, qui nucleum ſimilem continet; quem initio obſervare non potui, quòd unicum dumtaxat fructum, qualem tum in Pannonicarum ſtirpium hiſtoria expreſſi, impetrare potuerim: poſtea tamen cùm plures nactus eſſet, & aliquot ab ipſo accepiſſem ſuis calycibus incluſos & exemptos, non modò deguſtare volui, ſed etiam telluri cōmiſi in fictilibus, non cum ſuo calyce, ut antè mihi fuerat ſignificatū, ſed nudos: atq; illi quidem altero dūtaxat à ſatione anno nati ſunt, & in ſingularem virgulā excreverunt pedalem, quam ſine

ordine

ordine oblongiora paulo quàm in vulgari ambiebant folia, perinde tamen rugoſa: Eius unicum fruticem humanã altitudinem ſuperantem adhuc alebam, cùm Francofurto diſceſſi M. D. XCIII. ſed qui ullius fructus ſpecimen nondũ dederat: imò neq; etiam anno M. D. XCV. licet in magnam altitudinẽ excreviſſet, ut ad me ſcribebat, cui arborẽ diſcedens reliqueram.

ALNVS. CAP. VIII.


Alnus vulgaris.

Alnus rotundifolia glutinosa viridis B: Pin: 428.



Alnus altera.

Alnus folio incano B: Pin: 428.



Cornus.

Cornus hortensis mas B: Pin: 447.



ADEÒ vulgaris eſt notitiæ Alnus, vt cùm ab omnibus rei herbariæ ſcriptoribus eius hiſtoria ſit prodita, ſupervacaneum eſſe videatur eius hîc meminiſſe. Quia tamen quotquot illius hiſtoriam dederunt, unicum eius genus agnoviſſe animadverto, operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi quæ circa hanc ſtirpem obſervabam, hîc proponerem.

VVLGARIS illa, omnibus provinciis (quas quidem adij) admodum familiaris eſt, & Gallis *Aulne*, Germanis Erlnbaum/ Italis *Alno*, Hiſpanis *Aliſo*, Vngaris *Egör fa* dicitur, Græcis *κλήθρα*.

At aliud genus alunt Auſtriæ & Styriæ montana, circa flumina & udis locis, etiã in Danubij inſulis circa Viennã frequens eſt alteri cõmixtum: quod perinde aſſurgit ut primum: huius cortex candidior eſt, folia quidem alteri ſimilia & perinde rugoſa, minora tamen aliquantum, ſupernè non ſplendentia ut in primo genere, ſed infernè candicantia: iuli etiam & ſtrobili minores quàm in vulgari, tenelliq́ue rami & novella folia nullo lento humore aſperſa ut in priore. Vtriuſq; differentia ruſticis illarum prouinciarum etiam bene nota: nam primũ genus Schwartz erln/ hoc eſt Alnum nigram: hoc Weiſs erln/ id eſt, albam Alnum appellant. Huius cortex magis refrigerantem & adſtringentem cum ſiccitate facultatem obtinere videtur quàm vulgaris.

FOLIO-

FOLIORVM quædam affinitas facit ut de Corno aliquid ſubijciam. Nam præter vulgatam, quæ à ceteris qui Plantarũ Hiſtoriam deſcripſerunt, eſt propoſita, aliud genus obſervabam Octobris initio M. D. XCIII. cùm Francofurto Coloniam deſcenderem, Andernaci ad Rhenum, in horto ejus diverſorij cui ſymbolum S. Spiritus, monente honeſto viro Hieronymo Scholier. *Corni maris aliud genus.*

Non minore porrò altitudine aſſurgebat illa arbor, quàm vulgaris mas, ejuſque caudex ſimili cortice erat obductus: verùm ramuli, illius ramulis longè fragiliores, folia ex adverſo eos amplectentia, brevi pediculo, inſtar foliorum vulgaris, nitentia, nec illis minùs nervoſa, in ambitu non ſerrata, ſed vulgaris folijs latiora, ex quorum alis cutaceæ thecæ emergebant etiam ante brumam, in quibus florum ſubſequente novo vere explicandorum gemmæ: floret enim cum vulgari, ejuſque fructus cum illo matureſcit, ſaturatiùs tamen (ut intelligebam) rubens: craſſiora etiam, brevioraque oſſicula habet.


VVLGARIS autem Cornus, ſed ſylueſtrior & magis pumila, frequens naſcitur multis Auſtriæ inferioris ſyluis. *Cornus mas pumilio.*

EADEM foliorum affinitas facit, ut quæ circa Vlmum etiam obſervabam, dum Salmanticæ in Hiſpania agebam, hîc adijciam: nempe Vlmorum, juxta Thormim amnem naſcentium quaſdam radices in frequentia tenuiſſimaque ſtamina deſinere, atque cùm præterlabentibus aquis perluantur, rubeſcentem colorem contrahere. In his naſcuntur & latent exigua quædam animalcula locuſtulis ſive exiguis ſquillulis perquam ſimilia, quæ Salmãticenſes piſcatores diligenter colligunt in eſcam capiendis piſcibus idoneam. Quæ verò piſcatorum oculos effugiunt, ſi diutiùs illis radiculis implicata perſiſtant, adoleſcunt, & ex radiculis emergentia avolant inſtar terreſtrium locuſtarum: poſtea certo tẽpore in aquas remeant, ad conſervandum ſuum genus. *Locuſta eſca piſcium: ea ex Vlmi radicibus.*

SILIQVA SILVESTRIS. CAP. IX.

Arbor Iudæ.

Siliqua sylvestris rotundifolia C. B. Pin. 400



HVIC arbori Siliquæ ſylveſtris nomen indidi, non quòd ſiliquæ veteribus deſcriptæ ſimilis ſit, ſed quia nonnullis Hiſpaniæ locis vulgari nomine ſic appelletur.

1. CRESCIT interdum in arborem juſtæ magnitudinis, locis cultis: ſed neglecta & ſponte naſcens, plerumque inter frutices potiùs, quàm arbores cenſenda eſt. Rariores fert ramos alternatim ex lateribus naſcentes, cortice ex purpura nigricãte tactos, qui primo Vere ante folia, aut ijs primùm germinare incipiẽtibus, inferiore parte ternos aut quaternos flores ſimul iunctos ferunt, geniſtæ aut piſorum forma, colore purpureo eleganti: folia deinde ex intervallis prodeunt Aſari ferè, minùs tamen carnoſa, circinatæ propemodum rotonditatis, nervoſa admodum uti Ariſtolochiarum, & dura, ſuperiore parte viridia, inferiore verò nonnihil candicantia: floribus ſuccedunt membranaceæ purpuraſcentes ſiliquæ, & quodammodo tranſparentes, compreſſæ, digitalis longitudinis & latitudinis, in quibus ſemen lentis planum, durum. *Siliquæ ſyl. hiſtoria.*

2. Aliud genus invenitur per omnia ferè ſimile, præter florem, qui in hoc candicat, cùm in ſuperiore purpureus ſit, & corticem virgultorum qui candicat potiùs quàm purpuraſcit. *Arbor Iudæ albo flore.*

Sponte naſcitur primum genus Granatenſi regno, & quibuſdam aliis Hiſpaniæ atque Narbonenſis Galliæ locis inter ſepes. Alitur etiam in hortis non modo in Germania & Belgica, ſed eiam in veteri Hiſpaniæ Caſtella ob venuſtatem. Secundum genus flore candido ſponte naſcens non vidi, ſed ſemine dumtaxat natum quibuſdam Belgicis hortis. *Natales.*

VVLGVS Herbariorum Arborem Iudæ appellat: quidam à ſiliquarum ſive loborum generatione Fabaginem: Granatẽſes vulgari ſermone *Algarouo loco*, hoc eſt Siliquam fatuam ſive ſilveſtrem: Mauritani illius regionis incolæ *Dit*: Caſtellani propter elegantiam & venuſtatem *Arbol d' amor*; Galli *Guainier*, quaſi vaginalem, quia, ut opinor, ejus ſiliquæ cultrorum vaginas æmulantur. *Nomina.*

QVO nomine hæc arbor veteribus ſit dicta, non facilè dixerim. Nonnulli ad Cercin Theoph. referunt. Sed ea nihil aliud eſt quàm populi tertium genus eleganter deſcriptum, *Cercis Theophraſt.*

B quod

quod Plinius Lybicam appellat, Gaza verò pro Cerci Alpinam poſuit: & Cerci κερκὶς vocabulum uſurpavit lib. I. Theoph. de plant. Hiſt. cap. XVIII. inter arbores ſiliquis præditas poſt κερωνίαν, ubi quædam Græca exempla non κερκὶς, ſed κικὶς legunt. Plinius lib. XXXI. cap. II. meminit Siliquæ ſilveſtris, quam purpureum florem ferre ait: an verò hæc noſtra ſit, difficile eſt ex unica illa nota iudicare.

DVM Mompelij degebam, peritiores rei herbariæ ſtudioſi Arborem Iudæ referebant ad
Colytea Theophr. Colyteam Theoph. deſcriptam lib. Hiſt. plant. III. cap. XVII. quæ ſic habet:


Quæ verò circa Idam provenit Colytea appellata, alterius generis eſt, fruticoſa, nodoſa, multis alis concava, non admodum rara, folio laurino latifoliæ Lauri, ſed rotundiore amplioreque, ut vel ulmeo ſimile appareat, oblongius tamen, colore parte altera herbido, tergo autem ſubalbido nervoſoque, nervulis prætenuibus fibriſque inter eas propagines quæ è medio callo coſtarum in modum excurrunt: &c. Et cap. XIIII. eiuſdem libri, ſiliquas illi tribuit leguminum modo. Quæ ſanè notæ, præſertim ſi utriuſque Colyteæ deſcriptio in unam contrahatur, Arbori Iudæ plurimum conveniunt.

Colutea Theophr. PORRÒ Colutea quam ſponte naſcentem in quibuſdam Auſtrię montanis inveni, egregiè à Theoph. lib. Hiſt. III. cap. XVII. deſcribitur ante Colyteam. & eſt ſatis vulgaris ubique notitiæ. Eam Galli *Baguenaudier* appellant.

Κερωνία. CETERVM Siliqua Græcis Κερωνία dicta, Valentino regno frequentiſſima eſt, ubi eius fructus in iumentorum pabulum cedit. Conſpicitur & aliis Hiſpaniæ locis magnæ altitudinis, lateque ramos ſpargens: caudex illius craſſus, longi firmique rami, folia alata ut Terebinthi aut Piſtaciæ, majora, Nouembri & Decembri iulum inſtar Iuglandis ferè, in flores ex rubro purpuraſcentes ſeſe aperientem: ſiliquas deinde digitali longitudine, craſſas, edules, quæ grana continent Caſſiæ ſiliquoſæ quam ſolutivam cognominant, granis non diſſimilia. Galli arborem *Carouger*, fructum *Carouges*: Germani fructum (nam arbor illis incognita Sant Johans brott: Itali *Carobe & Carobole*: Hiſpani arb. *Algarouo* & *Garouo*, fruct. *Garouas*: Vngari, Germanos imitati, fructum *Szent Ianos kenyere*, id eſt. D. Ioannis panem appellant.

LENTISCVS. CAP. X.

Lentiscus vulgaris B. Pin. 399.



Lentiſci hiſtoria. MAGNA ſolùm ex parte fruticat Lentiſcus, multis ab una radice ſtolonibus & virgultis aſſurgens, lentis, & viminis inſtar obſequioſis, cinereo cortice obductis: interdum verò quando non cæditur, ſed negligitur (ut pleriſque locis ad Anam flumen, quod Hiſpani *Guadi-ana* appellant, obſervavi) in arborē iuſtæ magnitudinis excreſcit: folia Glycyrrhizæ, firmiora & duriora, atra viriditate ſplendentia, alata, hoc eſt in longo pediculo utrimque ſita, foliorum inter ſe ſemper contrariis pediculis, ut in Terebintho, Iuglande, Fraxino, Sorbo, & pleriſque aliis, nullo tamen extremo imparem numerum (ut in illis) faciente, iucundi cum quadam gravitate odoris, ſapore acidiuſculo, & adſtringente: iis interdum adnaſcuntur veſiculæ aut folliculi, culicibus exiguis pleni ut in Terebinthinis: flos in alarum cavis circa oblongum pediculum racematim cohærens, muſcoſus, colore ex herbido palleſcente, nonnihil purpuraſcens: fructus deinde initio viridis, mox ex purpureo rubēs, per maturitatem niger & oleaginoſus, ervi magnitudine, nucleo duro, nigro, candidam medullam continente.

Natales. PROVENIT copioſè per Luſitaniam, Bæticam, regnum Valentinum, & toto illo tractu ad mare mediterraneum obverſo, atque in Gallia Narbonenſi: floret Aprili, fructus Octobri & Nouembri primùm matureſcit.

Bellonius lib. II. Obſervat. cap. VIII. refert in inſula Chio copioſiſſimum eſſe Lentiſci pro-
Maſtiche in ſola Chio. ventum, & primarias Inſularium opes & fortunas conſiſtere in Maſtichis (quam ſola hæc inſula ſubminiſtrat) collectione; nec minore impēſa & diligētia Lentiſcos iſtic excoli, quàm in Gallia vites, non differre tamen arborem ab ea, quæ in Narbonenſi Gallia & Italia provenit: Idem mihi retulerunt qui Conſtantinopoli redeuntes, in Chio aliquamdiu hæſerunt, nonnihil tamen differre arbuſculas ab ijs quæ in Italia naſcuntur.

Nomina. DICITVR Græcis σχῖνος, Latinis Lētiſcus, Gallis *Lentiſque*, Italis *Lentiſco*, Hiſpanis *Mata*, nonnul-

nonnullis *xarueca*, Luſitanis *arueira*. Ejus reſina Græcis ῥητίνη σχινίνη, καὶ μαστίχη, Latinis Reſina Lentiſcina, & Maſtiche, Officinis *Maſtix*, Gallis *Maſtic*, Germanis Maſtich/ Hiſpanis *Almaſtiga*, Italis *Maſtice*: oleum ex lentiſci baccis expreſſum Gallis *huile de maſtic*, Hiſpanis *azeite de mata*.

TRIBVIT Dioſcorides Lentiſco, Acaciæ & Hypociſtidis vires: Maſtichen ſanguinis rejectionibus, & veteri tuſſi utilem eſſe dicit: oleum quod è ſemine fit, cùm quid adſtringendum eſt. *Facultates.*

Cùm in Narbonenſi Gallia degerem, oleum ex Lentiſci baccis exprimebatur magni ad varia uſus, quod in peregrinas regiones aſportabatur. Et dentiſcalpia expurgandis dentibus idonea, non minùs quàm olim, ex Lentiſci ligno conficiebantur: ut etiam in pleriſque alijs regionibus, quæ Lentiſcum alunt. Hiſpani tamen majore ex parte feſtucis è Gingidij ſive Biſnagæ umbella detractis, dentes à cibo purgare ſolent, tametſi apud eos copioſè naſcatur Lentiſcus: ſed unica Biſnagæ umbella plurima dentiſcalpia ex tempore ſubminiſtrat. *Biſnaga.*

TEREBINTHVS Vulgaris B: Pin. 400. CAP. XI.



TEREBINTHVM in duo genera, hoc eſt marem & feminam diſtinguit Theophraſt. lib. Hiſt. Plant. III. cap. XV: Marem ſterilem faciens, feminam fructiferam, quæ duplex ſit, una fructum protinus ruffum promens lentis magnitudine, qui concoqui nequit: alia, viridem editum, poſtmodum ruffum tingens, poſtremò nigrum faciens magnitudine fabæ, &c. *Terebinthus mas & femina.*

Ego illas differentias non obſervavi, tametſi diligenter inquiſiuerim: niſi differentiæ ſint appellandæ, cùm frutices inter ſe omnino ſimiles fructum ferunt, alter inanem & rufum, alter interdum ad maturitatem perductum; nonnumquàm etiam frutex non adultus, aut nimis umbroſo & iniquo loco proveniens, nullum fert.

MAXIMA porrò ex parte Terebinthus fruticat, ramis longis, raris, cinereo cortice tectis: folia illi Lauri, aut Piſtaciæ potiùs (quæ plurimorum conſenſu Terebinthus indica eſt, cujus Theophraſt. lib. IIII. cap. V. meminit) ejuſdem cum illa odoris, circa unum pediculum conjugatim vt in Sorbo naſcentia, uno, quod extremo pediculo inhęret, impare, & hieme, quantum videlicet mihi obſervari licuit, decidua. Verè, cùm novella folia, prorſus ferè rubentia extremis ramis germinare incipiunt, naſcitur è ramorum tuberculis, copioſus & muſcoſus, ut oleæ, flos, purpuraſcens, vel phœniceus, racematim cohærens, qui temporis ſucceſſu in fructum tranſit Lentiſcino ferè ſimilem, paulò majorem & longiorem, initiò viridem, circa vindemias, dum maturuit ex cæruleo vireſcentem, tactu pinguem & reſinoſum, manuſq; dum colligitur inficientem, medullam in ſe continentem. Pleríque frutices eum rubeſcere incipientem, ante maturitatem, inanem abijciunt, Carpobalſamo quod in officinis venale proponitur, planè ſimilem. Fert etiam vindemiarum tempore concavos quoſdam folliculos ſeu veſiculas folijs & ramulis inhærentes, quales ferè in Vlmi folijs naſcuntur, ſed pallido aut purpuraſcente colore: interdum etiam extremis ramis oblonga & cartilaginea cornicula, varia forma excreſcentia, concava, quæ (uti etiam folliculi) aperta, lentorem quendam continere deprehenduntur cui permixta cinerea & fulginoſa excrementa, atque exigua animalcula alata. *Terebinthi hiſtoria.*

Spontè provenit plurimis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis locis, ubi interdum in arboris formam aſſurgit: ſed maxima ex parte ſolummodo fruticat. Nuſquam, quod ſciam, commemoratis locis reſina ex Terebintho elicitur: Bellonius in Syria & Cilicia copioſam inveniri, quæ venalis Damaſcum inferatur, & in Meſopotamia, à Turcis Aſamia vocata, quæ in Cairo venditur, refert. *Natales.*

GRÆCI τέρμινθον, Latini Terebinthum, Galli *Terebinthe*, Hiſpani nonnulli, à corniculis, ut arbitror, *Cornicabra*. Fructum ejus Avicenna Granum viride vocat. Reſina Græcis ῥητίνη τερμινθίνη, Latinis Terebinthina reſina, Avicennæ gluten Albotin, Officinis ignota, nam quam Terebinthinæ nomine donant, Abiegna eſt. *Nomina.*

HVIVS cortici & foliis eaſdem vires tribuit Dioſcorides quas Lentiſco, ſimilemq; eſſe illorum & parandi & ſumendi rationem. Præterea fructum eſui aptum eſſe, ſed ſtomacho *Facultates.*

adverſari,excalfacere,urinam movere,venerem excitare , cõtra phalangiorum morſus convenienter in vino bibi. Ejus reſina reliquas antecellit, teſte Dioſcoride: Galenus tamen, nonnullarum facultatum ratione, Maſtichen præferendam cenſet.

Terebinti bi fructus edulis. BELLONIVS lib.II.Obſeruationum cap. XCVI.refert, cùm in Cilicia eſſet, in Arabem quendam ruſticum incidiſſe, qui Camelum Terebinthi fructu onuſtum ageret Damaſcum, ut iſtic venderet,vulgò enim illic in cibum recipi. Quod verò ab alio nemine obſeruatum puto,ſcribit idem lib.I.cap. LXV. & lib. III. cap. 49. Thraciæ & Macedoniæ ruſticos menſe *Veſicularum Terebinth. uſus.* Iunio diligentiſſimos eſſe in colligendis nucibus illis aut veſiculis Terebinthi ramulis adnaſcentibus, cùm primùm efformatæ gallarum magnitudine ſunt, ante quam in ampliorem formam aut cornicula excreſcant, & iſtas magno vendere in Pruſa Bithyniæ urbe, magnus enim earum uſus ad ſericea ſtamina varijs coloribus imbuenda; eumque duntaxat in uſum plus quàm ſex millia pondo ſingulis annis inſumi.

C. V. Leonardus Rauwolfius Hodœporici lib.II.cap. VIII. ait Terebinthi, quod Arabes *Bont*, Perſæ *Terbaick* vocant,præter vulgarem duo genera obſervaſſe, unum majus, alterum minus. Bont quibir. Majoris fructum quem Arabes *Bont quibir* appellant piſtacijs forma valde ſimilem, Bont ſougier. breviorem tamen & rotundiorem: minoris, qui illis *Bont ſougier* dicitur, cum ſuo cortice magnitudinem,piſo majori æqualem eſſe,in rotundum nonnihil concavam,veluti milium ejus Indicum ſive *Dora*: utriuſque fructum non minùs jucundi ſaporis eſſe piſtacijs, eamq; ob cauſam inquilinos abundè ijs veſci, perinde ut nos pineis nucleis & avellanis. Naſci magna copia in Perſia, Meſopotamia, Armenia, racematim cohærente fructu ut piſtaciæ, vel potiùs ut Terebinthi vulgaris,cujus etiam genus æſtimantur,cùm arbores illum fructum ferentes oblongiuſculis folijs Terebinthum ſatis æmulentur, qua nota à Piſtacia, quæ rotundiora & magis conſpicua habet folia,differunt. Poſſent,præſertim majus genus, ad Theo-*Terebinth. Indica Theophraſt.* phraſti lib. IIII. cap.v. Indicam Terebinthum referri, & ad *Faël* Serapionis, Avicennæ, & Faël. Rhaſis, quemadmodum minus ad eorundem *Bel*, quandoquidem illi ipſi Auctores ſimi-Bel. les facultates his nucibus tribuunt.

COGGYGRIA. CAP. XII.

Cotinus B. Plin: 415

Coggygria hiſtoria.



BICVBITALIBVS aut tricubitalibus conſtat virgis, digitalis craſſitudinis, nigricantibus,in numeroſos ſubrubentes ramos diviſis,hic frutex: folia firma,denſa, nervoſa, terebinthinis folijs fermè paria, latiora tamen, & orbiculato ferè mucrone, oblongis, ſubrubentibus pediculis nitẽtia tenuiores ramulos ambiunt,odore quodammodo lentiſcino , guſtuque adſtringente, non injucundo tamen: ea ſub æſtatis finem rubeſcunt,elegantiſſimoque nitore oculos oblectant: emicat è ſummis ramulis quidam veluti racemus multorum floſculorum ex herbido palleſcentium, exilibus, longis & punicantis coloris pedicellis inhærentium: paulatim deinde ſeſe explicant illi pedicelli in latam longamque plumaceam cęſariem, & ſemina plana lenticulæ modo, ſed longè minora ſuſtinent: radix illi dura,lignoſa, raris fibris donata,ut Terebintho.

Natales. Creſcit ſponte in monte Badenſibus thermis,quæ à Vienna quatuor miliaribus abſunt, imminente, vicinisque quibuſdam montanis locis,vbi interdum adeò pumilam erui, ut uix cubitalẽ altitudinem attingeret. Olim etiam legere memini, dum Avenione per Arauſiorum agrum & Boulline ad Montelimar proficiſcerer, Valentiam Allobrogum & Gratianopolim petiturus.

Floret circa Viennam Auſtrię inferioris metropolim Maio, calidioribus locis maturius: fructus matureſcit Iulio & Auguſto.

Nomina. Vulgus Herbariorum appellat hunc fruticem Cotinum, & à Plinio ita vocari exiſtimat. Cotini certè breviter meminit Plinius lib.XVI.cap.XVIII.his verbis: Eſt & in Apẽnino frutex *Cotinus Plin.* qui vocatur Cotinus,ad lineamenta,conchylij colore inſignis. Ex quibus ſanè nemo facilè colligat,an ei ſtirpi quæ apud Herbarios tale nomen obtinuit,Cotini appellatio rectè tributa ſit: ſed ab illis hoc nomen potiùs inditum ſuſpicor, à foliorum tabeſcentium rubro colore, quo Cotinum inficere ſcribit Plinius.

Idem

Idem Plinius lib. XIII. cap. XXIII. Coggygriam deſcribit in hunc modum: Similis & Coggygria folio [unedoni videlicet] magnitudine minor. Proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant) quod nulli alij arborum generi evenit. Ea ſanè plurimas notas habet noſtræ huic ſtirpi convenientes. *Coggygria. Plin.*

Plinius autem eo loco ad verbum ferè exprimit Theophraſti κοκκυμηλέαν lib. III. Hiſtor. plant. cap. XVI. deſcriptam poſt ἀνδράχνην. ὅμοιον δ' ἐστὶ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυμηλέας· τὸ δὲ δένδρον μικρόν. ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαππ‌οῦσθαι τὸν καρπόν. τοῦτο γὰρ οὐδ' ἐφ' ἑνὸς ἀκηκόαμεν ἄλλου δένδρου, ut vulgata habent exemplaria: at κοκκυγρίας legiſſe videtur, non κοκκυμηλέας, quam Gaza prunum interpretatus eſt, cùm tamen animadvertere potuiſſet eundem Theophraſtum aliam κοκκυμμηλέαν, hoc eſt, prunum ab hac planè diverſam libro IIII. Hiſtor. plant. cap. III. deſcribere. *κοκκυμηλέα Theoph.*

Itaque libentèr aſſentior doctiſſimo Ruellio, qui κοκκυμηλέας vocem priore loco corruptam eſſe cenſet, & κοκκονηλείας legendum eſſe ſuſpicatur: νηλεία enim apud Theophraſtum etiam Vnedonem ſignificat, cujus folijs, fruticis quem deſcribit, folia comparat. Aptiùs igitur meo judicio hanc ſtirpem Cocconeleian cum Ruellio, aut Coggygriam (ſi quis fortè Theophraſtum ſic ſcripſiſſe cum Plinio cenſet) appellabimus, quam Cotinum: cùm κότινος & Theophraſto & Dioſcoridi oleaſter ſit. *κοκκονηλεία.*

Hoc frutice ad paranda coria utuntur Coriarij, non minùs quàm rhoë, cùm alibi, tum circa Viennam Auſtriæ, ubi etiam rhois vulgare nomen *Sumach* indiderunt.

Rhus obſoniorum & Coriariorum.

Rhus folio Ulmi +14



CETERVM quia in Rhois, quo coria perficiuntur, mentionem incidimus, ab inſtituto non erit alienum de eo hîc nonnihil agere, prætermiſſâ ejus hiſtoriâ, quæ luculenter admodum à Theophraſto primùm, lib. III. cap. XVIII. Hiſtoriæ plantarum, deinde à Plinio lib. XIII. cap. VI. & lib. XXIIII. cap. XI. poſtremò à neotericis pleriſque deſcripta eſt, ne actum agere videamur. *Rhus Coriariorum.*

In Hiſpanica verò mea peregrinatione, magnum ejus proventum Salmanticenſi agro eſſe, iſticque quæſtus gratia diligenter coli, obſervabam. Multi enim agri eo conſeruntur, nec minore cura coluntur quàm vineta, alioqui nec tam lætè aſſurgit, aut ſi cultura abſit, degenerat & ſylveſcit: imò non deſunt qui vitibus interſerant, culturæ compendium quærentes, ut eadem operâ cum vitibus fodiantur. Cæduntur ſingulis annis enati ſurculi cubitales ad radicem uſque aut ſummam tellurem, deinde deſiccantur, in pollinem rediguntur, & in uſum convertuntur, ad paranda coria.

Officinæ hunc fruticem *Sumach* nominant Arabica appellatione, Hiſpani *çumaque*, Galli nonnulli *Rhon*.

Plinius eodem libro XXIIII. cap. XI. meminit alterius Rhuis, diverſi à ſuperiore. Nec Rhus, inquit, Latinum nomen habet, cùm in uſum pluribus modis veniat. Nam & herba eſt ſilueſtris, folijs myrti, cauliculis brevibus, quæ venena & tineas pellit: & frutex coriarius appellatur, ſubrutilus, &c. Hæc herba Rhus, quantum conijcere licet, ea eſſe videtur quam Brabanti & Batavi Gagel appellant, nonnulli Galli *Piment*, magni inter eos uſus ad conſervandas à tineis veſtes, & Belgis etiam ad robur ſuæ cereviſiæ addendum: illi enim incoquere ſolent, ut magis caput tentet, & temulentos potores efficiat. *Rhus herba Plinij.* Gagel. Piment.

Eſt & alius frutex folijs Oxymyrſines, flore albo in Hiſpania & Gallia Narbonenſi frequens, quod à nonnullis Rhus Plinij nuncupatur. Verùm cùm is nullius alterius Rhuis meminerit præterquam illius quam herbam cognominat, & Coriarij fruticis, cujus ſemen medicamentis & culinæ neceſſarium: arbitrantur peritiores potiùs ad Dryophoni Plinij hiſtoriam accedere: talis enim eſt lib. XXVII. cap. IX. ejus deſcriptio. Dryophonon ſimilis herba eſt, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circumdatis vtrimque folijs, pollicari amplitudine, qualia oxymyrſines, ſed candidioribus mollioribuſque, flore candido ſambuci, &c. *Dryophonon Plinij.*

ROBVR, QVERCVS. CERRVS. CAP. XIII.

Robur III.

Quercus gallam exiguæ nucis magnitudine ferens. B: Pin: 420.



Robur IIII.

Quercus folijs muricatis non lanuginosis, galla superiori simili. B: Pin: 420.



ROBORI quina genera à nonnullis aſſignari, ab alijs ſolùm quaterna, Theophraſtus lib. III. Hiſt. plant. cap. IX. & X. ſcribit: nonnulla tamen nomine diſcrepare. Vt verò Idæi dividere conſueverunt, hæc genera ſunt, ἡμερίς, quam nonnulli Robur, Gaza nunc placidam, nunc quercum vertit; αἰγίλωψ, quæ Cerrus: πλατύφυλλος, quæ Gazæ Latifolia, alijs Quercus: φηγός, quæ Eſculus: ἁλίφλοιος ἢ εὔφλοιος, Gazæ Salſicortex, alijs Cerrus femina: omnia fructifera: dulciſſimam autem glandem eſſe φηγῷ, ſive Eſculo, deinde ἡμερίδι, tertiam πλατυφύλλῳ, quartam ἁλιφλοίῳ, poſtremam & amariſſimam αἰγίλωπι, ſive Cerro. Macedones autem quatuor genera faciunt, ἐτυμόδρυν, quæ Gazæ Veriquercus, πλατύφυλλον quæ dulcem, φηγὸν quæ amaram, ἄσπριν, ſive Gazæ Cerrum, quę rotundam glandem fert: hanc nonnulli ſterilem omnino, alij vitioſum fructum ferre aiunt, quem nullum animalium guſtet præter ſuem.

Roboris varia genera Theophraſto.

Qui plura de his volet, conſulat Theophraſtum quo diximus libro, & Plinij Naturalis Hiſtoriæ lib. XVI. cap. V. & VI. Nos verò eas arbores hîc deſcribemus quæ per Hiſpanias, & in Aquitania Cantabris finitima vulgò *Roble*, deducto à Robore nomine nuncupantur, quaſque illis ſimiles in Auſtria & Pannonia obſervavimus: inſuper Cerrum, & nonnulla de Quercu non vulgaria.

Robur I. PRIOR igitur, Quercui vulgari admodum ſimilis eſt, ſed humilior, robuſta materie, caudice magis contorto, frequentioribusque ramorum alis cavo: folia magis ſinuoſa & inciſa quàm quercui, nec ita viridia, ſed averſa parte molli canaque lanugine pubeſcentia.

Frequens eſt in celſis Caſtellæ veteris montibus, atque in Aquitania ſupra Burdegalam, ubi *Roble* dicitur: tametſi idem nomen Hiſpani etiam tribuant vulgari Quercui, quæ in Hiſpanijs frequens eſt, & montibus Calpi fretoq; Herculeo vicinis ſemper viret. Quercum etiam propriè *Quexigo* Hiſpanis dici, & *Enzina de bellotas grueſſas* à quibuſdam vocari, mihi relatum eſt.

Quercus ſemper virens.

Robur II. ALTERA, Quercus ferè magnitudine in Auſtria, Styria, & Pannonia creſcens, ſtrigoſior eſt Quercu, ligno duriore, folio minùs amplo, altera parte nonnihil incano, exiguam glandem fert: incolæ à duritie Stainaichel appellant, Vngari *Keměni cher fa*, nonnulli *Muſral*.

Robur III. TERTIA, humilior eſt, & interdum humanam altitudinem non excedens, alioqui priori facie, foliorum forma, canicieque omnino ſimilis, ut illius pumilum genus eſſe videatur: fert hæc prægrandem gallam, exigui mali magnitudine, adeò copioſam, ut aliquando ramulum, vix palmum ſuperãtem, novem aut pluribus gallis onuſtum colligere meminerim: inhærebant eæ gallæ ipſi ramo contiguæ ferè, ſed ſine ullo ordine, rotunda quidem & veluti

ſphærica

ſphærica figura conſpicuæ, ſed aliquot tuberculis reſperſæ: rubent eæ dum recentes, præſertim ea parte qua ſolem ſpectant. Inveniuntur & in hujus folijs interdum pilulæ ijs ſimiles quæ Quercus noſtratis folijs innaſcuntur.

Multis Caſtellæ veteris montibus frequens eſt, & plerumque numeroſis ab eadem radice ſtolonibus fruticat. Omnes etiam montes Viennæ Auſtriæ vicini hoc roboris genere abundant, quod ſimilem fert gallam: ſed non adeò copioſam.

Hujus ramis contortis, deinde fiſſis & exſiccatis, Thedæ loco ruſtici utuntur aliquot Caſtellæ veteris locis, præſertim circa S. Martinum *Del Caſtañal.*

QVARTA, in arborem excreſcit puſillam: ejus item folia minora ſunt, duriora, anguſtiora, non adeò profundè inciſa & ſinuata, ſed veluti aculeatis denticulis tantùm ſerrata, infernè quidem candicantia, ſed nulla molli lanugine aſperſa. Frequentem etiam iſta alit gallam ſuperiori ſimilem, & acutis tuberculis ornatam, pallidiore tamen colore. *Robur IIII.*

Robur v.

Quercus foliis mucronatis minor B. Pin: 420.



Robur VII.

Quercus pedem vix superans B. Pin: 420.



QVINTA, huic ferè ſimilis eſt: ſed ſtolonibus brevioribus & magis contortis, rugoſioreque cortice: gallæ item extremis ramulis naſcuntur, alijs minores, læves & ſine tuberculis, colore ex ruffo nigricante, ijs quæ in officinis venales reperiuntur, perquam ſimiles. *Robur V.*

Naſcitur utrumque hoc genus in Luſitaniæ ſolitudinibus itinere Vlyſſiponenſi non procul Ebora, & ab incolis *Carvalla* nuncupatur.

SEXTA humilis eſt, nec humanam altitudinem excedit, fruticis potiùs, quàm arboris nomine donanda: tenuibus & lentis ramis, folijs ſecundæ ferè ſimilibus, ſed minoribus, nec adeò ſinuoſis, minorum gallarum, quæ plerumque binæ, ternæ, aut plures ſimul naſcuntur, admodum ferax: *Robur VI.*

Naſcitur in Auſtria & Pannonia: nullum tamen ejus nomen vulgare intellexi, ſed ruſtici cum ſecunda confundunt.

INVENITVR & ſeptimum quoddam Roboris genus (niſi quis ad Quercum referre malit) inter Rio frio, & Aldea Galega non procul Vlyſſipone, arenoſo ſolo frequentiſſimum, adeò humile, ut rarò pedem altitudine ſuperet, nuſquam alibi mihi obſervatum. Ejus ramuli tenues & flexibiles, vulgaris Quercus ramulis ſimillimi: folia ad quintum genus accedunt, aliquantulum tamen majora & molliora. Hoc fert glandem quernæ vulgari haud minorem, interdum etiam craſſiorem, calice planiore, admodum amaram. In reliquis generibus, præterquam in ſecundo, nullam glandem obſervavi. *Robur VII. ſive Quercus pumila.*

OMNES porrò adſtringendi vim habent, teſte Dioſcoride, præſertim interior & ſubiectus cortici liber, qui ligno membranaceus cohæret: quinetiam tunica putamini glandis ſubiecta. Decoctum ex ijs datur dyſentericis, cæliacis, ſanguinem exſcreantibus. Trita in peſſo, feminis fluxione vulvæ laborantibus, ſubditur. *Facultates*

CETERVM

CERRVS.

Cerri hiſtoria.

Quercus calyce hiſpido glande minore C. Bau: 420.



CETERVM Quercus genus non modò in Viennenſi ſaltu, ſed pleriſque etiam Pannoniæ ſylvis frequens eſt, eadem altitudine qua vulgaris Quercus, atque etiam celſiore aſſurgens, caudice erectiore, cortice craſſiore & magis ſcabro: folia frequentioribus inciſuris, ſed minùs altis diviſa habet, quàm Quercus, & longioribus tenuioribusq́ue pediculis inhærentia: ramulos breviores, frequentioribus nodis obſitos, gemmas minores, & aliquot gracilibus foliolis ceu ſtaminibus aut villis ſeptas: flores racematim compactos ut Quercus, è quibus, uti nec in quercu naſcuntur caliculi, ſed ij brevi craſſoq́ue pediculo annotinis ramulis adhærent, non in foliorum alis, omnino hiſpidi, & molliter echinati, in quibus glans eſt querna paulò brevior, & obtuſiore mucrone prædita, quæ Autumno maturitatem adipiſcitur: adhærent interdum inter folia, multis veluti ſquamis conſtantia capita.

Ruſtici & materiæ cæſores optimè eam à Quercu vulgari diſtinguere norunt, illius materiem candidiorem, laxiorémque, & ad opera minùs aptam cenſentes.

αἰγίλωψ. THEOPHRASTO Hiſt. plantarum libro III. cap. IX. *αἰγίλωψ*; Plinio Natural. Hiſtoriæ libro XVI. cap. V. Cerrus dicitur: Germanis Cerzaichel/ Vngaris *Cher fa.*

Lithoxyla. HVIVS Cerri craſſiorum atque etiam tenuiorum ramorum libralia interdum aut majora fragmenta in lapides commutata, ipſáque adeò matrice in nigrum ſilicem converſa (ſuperficie tamen candida & friabili remanente) atque naturales ipſius ligni venas, orbes, reliquámque formam etiamnum retinentia, non modò eruta conſpexi, & Ill. Herois D. Balthaſaris de Batthyan (cujus in hac Hiſtoria mentio ſæpe fit) munere habui: ſed ipſe etiam legi anno M. D. LXXX. in montis Eyſenberg vulgò nuncupati, & Pinkæ fluvio Pannoniæ imminentis acclivi, qua ad vallem *Pinkathal* ab ejuſdem fluvij eam perluentis nomine nuncupatam, deſcenſus eſt, atque ad Auſtrum & λυϐόνοτον ſpectat.

Mons ferreus.

Generoſi vini ferax. Obſitus is mons olim fuit (quemadmodum adhuc vicini) Quercus & Cerri arborum ſylvis: nunc verò vinetis generoſiſſimi vini feracibus, quibus varijs locis inſperſæ ſunt diverſi generis præſtantiſſimorum maximorúmque perſicorum malorum arbores. Eſt autem hic mons cum vicinis aliquot pagis jam memorati Ill. Dn. de Batthyan. p. m.

Quercus latifolia exotica. AT in eodem Viennenſi ſaltu, Latifoliæ ampliſſimas arbores inveni anno M. D. LXXVIII. cujus omnes glandes è longis pediculis dependentes, maxima ex parte non modò obſitæ, ſed quaſi incluſæ erant viridi quadam excreſcentia multis inęqualibus angulis prędita & ſcabra, quæ reſiccata, gallarum modò dura & firma erat, quarum etiam vicem explere potuiſſet. An id vitium illi peculiare fuerit, & ſingulis annis arborem infeſtet, me latet, ut qui ſemel dumtaxat per eam ſaltus partem iter fecerim.

Viſcum quercinum. CETERVM latifolia Quercus per multas Pannoniæ ſylvas viſci feraciſſima eſt: id Vngari *Fay gyöngy*, id eſt arboreum unionem vocant: ipſam verò arborem *Töly fa* Ilicem eſſe exiſtimantes.

BRYI porrò genus pleriſque Oceani littoribus obſervabam, quod, an ad Quercus marinæ hiſtoriam referri poſſit, facilè judicare non poſſum: licet cum ea quæ Theophraſto lib. Hiſtoriæ Plantarum IIII. cap. VII. deſcribitur, nullam affinitatem habeat.

Quercus marina I. Naſcitur autem hæc planta in ſcopulis qui mari alluuntur, aut marina aqua operiuntur, ſine ramis, ſed oblongis latiſque folijs, adeò mollibus, ut cùm æſtus receſſit, nullo modo ſuſtinere ſe queant, ſed in ſaxis ſtrata atque diffuſa conſpiciantur: multifida verò ſunt hæc folia, & ſecundùm alarum exortus atque cavitates, bullas quaſdam aqua plenas eminentes habent, eorum verò extrema in quoddam veluti rudimentum exigui cucumeris deſinunt, ſubflaveſcens, aqua plenum: atra viriditate prædita ſunt quamdiu ſub aqua latent, aut recenter à marinis undis ejecta: ſiccata autem nigreſcunt, & glutinis inſtar ſplendent. Nullis radicibus firmantur: ſed lepadum modò ſaxis, aut Oſtreorum teſtis inhærent.

Quercus marina. Corallina fruticosa Purpurea C.B.Pin: 306.



Quercus marina II.

MEMINI & aliud genus in Flandriæ & Zelandiæ maritimis colligere, folijs latioribus, tenerioribus, ſinuoſis, confertim naſcentibus, pedali interdum longitudine, & alia folia ex media coſta proferẽtibus, ut in Chamægeniſta, ea dum aquis operta ſunt vireſcunt, ejecta verò & reſiccata, candicant fragiliáque ſunt: in hoc genere nullas veſiculas obſervavi, ſed extrema foliorum plerumque in latum expanſa: ſaxis inhærent, aut trabibus in aquam immiſſis ad infringendum æſtus maris vehementiam.

Quercus marina Theoph.

QVERCVS verò marina Theophraſti loco jam memorato deſcripta, folium habet carnoſum, tenue, & Myricæ ſimile, colore ad purpuram accedens: forma flexuoſa, atque in latitudinem diffuſa, ramos breves, contortos, ſpiſſos: magnitudo arboris tota, cubitalis, aut paulò altior. Vtilis mulieribus ad lanas inficiendas.

Iſtam aliquando colligere memini ad mare mediterraneum, tempeſtatibus in littus ejectam cum Alga, & alijs maris purgamẽtis, dum Mompelij agerem: poſtea etiam circa Calpen & Valentiam, dum Hiſpaniam peragrarem; verùm cubito minorem, duriſſimo ligno. Ejus rami alba ſalſugine adeò conſperſi erant, ut ſaccharo tecti viderentur, in modum foliorum Tamaricis aut Ericæ vulgaris formati, ſed craſſiores: interdum etiam omnino purpuraſcentes fuerunt, nonnunquam partim albis partim purpuraſcentibus ramulis conſtantes. Nullas radices habebant arbuſculæ, ſed infima parte planæ erant, & plerumque aut lapidibus aut oſtreorum teſtis adhærebant.

Multas etiam hujuſmodi arbuſculas cubitales & ampliores, numeroſis ramulis prędítas, tum omnino albas, tum prorſus rubeſcentes, cum plurimis alijs Naturæ miraculis magnâ diligentiâ conquiſitis adſervabat Imp. Maximilianus II. feliciſs. memoriæ, in ſua arce Eberſtorſſ ſecundo ab urbe Vienna miliari.

SVBER. CAP. XIIII.

Suberis Aquitanici folia decidua.

SVBERIS duo genera Clariſs. Matthiolus obſervavit: ego unicum tantùm, niſi fortè quod in extrema Aquitania Pyrenæis proxima naſcitur, ab eo quòd per Hiſpanias frequens eſt, diverſum ſit. Nam Aquitanicum (quod quidem conſpexi) folia non retinet, ſed hieme abijcit: ut, cùm menſe Aprili in Hiſpanias proficiſcerer obſervavi, folijs enim prorſus viduatæ erant quotquot Suberis arbores circa Bayonam conſpexi. Quare Theophraſtus lib. III. cap. XVI. Plantarum hiſt. non immeritò tribuit Suberi deciduum folium, cùm dicat arborem eſſe Pyrrehnæ familiarem.

Suber Hiſpanicum latifolium perp. virens.

QVOD verò in Hiſpanijs naſcitur, perpetuò viret ut Ilex, cui adeò ſimile eſt, ut primo aſpectu plerumque fallat, niſi cortex craſſus, & diſrumpi ſolitus errorem detegeret. Majus eſt Ilice plerumque, & caudice (ubi adolevit) longè craſſiore, cortice item denſo, carnoſo, ſcabro, & rimoſo, qui niſi ſuo tempore detrahatur, dehiſcit, alióque ſubnaſcente expellitur: eo detracto, qui ſubeſt novellus ita rubet, ut procul aſpicientibus arbores rubrica aut minio pictæ videantur. Suberis rami Ilignis firmiores ſunt, folia majora, longiora, molliora, & ſupernè magis virentia, interdum nonnihil dentata, aliquando minimè, ut in Ilice. Glans magna, ubi maturuit nigricans, Iligna longior & obtuſiore cuſpide, calice etiam majore, magis hiſpido, & per oras molliter echinato: glans admodum adſtringentis & exſiccantis guſtus, Iligna multò ingratior: magna ex parte conjunctim naſcitur, ut pontica nux, ſed craſſo brevíque petiolo, & firmiore quàm Iligna. Ramulis nonnunquam adnaſcuntur dura & lignoſa quædam cinerei coloris tubercula, adeò firmiter inhærentia, ut niſi fracto ramo eximi non poſſint.

Natales.

Naſcitur pleriſque Caſtellæ novæ, Bæticæq; locis, præſertim circa *el Puerto de Mirabel*, ubi ingentes ejus ſunt ſylvæ, & tota adeò Luſitania.

Sed Matthioli Suber alterum oblongis anguſtíſque folijs quod Piſano agro naſci tradit, mihi nunquam conſpectum, quemadmodum nec illius *Cerroſugaro* Senenſi agro frequens,

Suber latifolium. Suber Latifolium folio deciduo C.B. Pin: 424



Φελλόδρυς. quod Theophraſti Arcadum φελλόδρυν eſſe cenſet: Italiam enim numquam vidi, licet ter profectionem tentarim, ſemel conſcenſa Maſſiliæ navi, bis ad alpes uſque progreſſus: ſed negotia perpetuo me revocarunt. Ideoque in poſterum omnem adeundi Italiam cogitationem depoſui.

Φελλός. HÆC porrò arbor Græcis φελλὸς, Latinis Suber dicitur. Hiſpani arborem *alcornoque*, ipſum corticem *corcha de alcornoque* vocant, glandem communi cum iligna nomine *bellota*, Italis arbor *ſugaro*, Germanis Pantoffelholtz dicitur. Galli arborem & corticem (qui illis potiſſimùm cognitus eſt) *Liege*. Liege Bellonij. Miror autem plurimùm, Bellonium lib. II. Obſervationum ſuo *Liege* fructum edulem Memæcylo ſimilem tribuere: niſi fortè *Liege* vocabulo diverſam à Subere arborem intelligat, præter omnium Gallorum receptum morem. Mihi certè nullum alium fructum in Subere videre contigit, præter glandem modò deſcriptam.

QVIQVERANVS libello quem de Laudibus Provinciæ inſcripſit, triplicem Suberi corticem tribuit, ſed præſtat ipſum audire: nam quædam in ejus hiſtoria tradit, ab alijs minimè obſervata.

Suber Quiquerani. Suberis, inquit, arbor uberrimè in Olbienſi ora provenit, Ilicis ſpecie, glande majore & deteriore, trunco ingenti. Hunc veſtiunt cortices terni: primus præcraſſus, qui in cadorum & omnium penè vaſorum obturamenta adſciſcitur, piſcatorumque retia, contra premente plumbo, elevat, ex eo fiunt etiam alvearia: ſecundus crepidas munit & hibernum calceatum. Ex tertio ſubtili atque admodum delicato, fiunt pateræ, è quibus quidquid hecticis propinatur, magna utilitate hauritur. Eò melior hæc arbor quò vetuſtior. Detrahendis corticibus hæc eſt ratio. Qua ſtipes telluri committitur, circumſcinditur ad lignoſam uſque materiem, pariterque in ſummis humeris, antequam in brachia dividat ſeſe: mox à ſummo ad imum finditur, detrahiturque triplex cortex. Non explanantur aqua, ſed igni, nec demuntur niſi tertio mox anno. Quòd ſi paucis diebus à tonſura largi imbres intervenerint, arbor interit, quod rarò accidit, nimirum regione calida & ſicca, & temporum obſervatione rarò fallente. Hactenus Quiqueranus.

VERVM in Hiſpanijs primum illum præcraſſum corticem dumtaxat detrahere ſolent: quo non modo ad cadorum obturamenta, alvearia, & nonnulla etiam vaſa ruſtici utuntur, ſed etiam ad tuguriorum, parietum, & murorum prætexta, præſertim in ea Bæticæ parte, quam Eſtremaduram vocant, ubi interdum totis pagis ædes magnis ſuberis fragmentis imbricum loco tectas conſpicere licet. Idem cortex exteriore illa ſcabritie deraſa muniendis crepidis & hiberno calceatui idoneus: itaque videtur Quiqueranus præter veterum Auctorum ſententiam ex præcraſſo illo externóque cortice binos feciſſe: nam ſcabritia illa exterior ad nullam rem utilis.

ILEX MAIOR. CAP. XV.

Ilicis 2. genera. ILICIS duo genera recenſet Plinius Hiſt. naturalis lib. XVI. cap. VI. Vnum folio non multum ab oleis diſtante, quod σμίλαξ Arcadum eſſe videtur, Theophraſto deſcripta lib. III. cap. XVI. Hiſt. plantarum, quam Ilici ſimilem facit, folio non aculeato, ſed molliore profundioréque.

Ilicis majoris hiſtoria. QVÆ autem mihi cognita, arbor eſt Mali aut Pyri magnitudine, multo frequentioribus brevioribúſque ramis prædita quàm Suber, quos latè ſpargit: folia perpetua, ſupernè viridia, infernè candicantia, guſtu adſtringente, foliis Suberis minora, & magis orbiculata, in adultis arboribus plerumque ſine aculeis, præter novella, & nunc primùm enata, quæ aliquantulum inciſa, aculeata ſunt: certè in tenellis arboribus ante quam glandem ferre incipiant, omnia folia aculeata obſervabam. Multos in extremis ramulis fert oblongos iulos, qui in flavos & muſcoſos floſculos polline & tenui pulvere perfuſos explicantur. Glandes è floribus non oriuntur (nam ſunt inutiles) verùm ex alijs quibuſdam ſeparatis pediculis: eæ autem quernis glandibus ſunt ſimiles, nunc majores longioreſque, modò minores & breviores, quæ nonnunquam ante maturitatem nigreſcunt, & gummi quoddam reddunt guſtu calidum,

Ilex major. Ilicis majoris ramus floridus.

Ilex folio rotundiore, molli, modiceque ſinuato, ſive Smilax Theophraſti C. B. Pin: 424.





calidum,ſaporis tamen non ingrati. Maturarum cortex ſive putamen nigricat, nucleus candidus,firmus & dulcis eſt, præſertim majorum : utræque tamen à nonnullis maximè expetuntur,illisque non minus avidè veſcuntur ac nos caſtaneis aut avellanis: hanc ob cauſam in foro Salmanticenſi, alijſque Hiſpaniæ locis, venales menſibus Octobri & Novembri proponuntur: ut non immeritò dixerit Plinius, per Hiſpanias glandem ſecundis menſis inſeri.

Hac vix minorem Londini anno M. D. LXXXI. in ſuburbano quodam horto ad dextram *Ilex Londinenſis prior.* Tameſis ripam, ſupra pontem qui utramque urbem conjungit, multis & frequentibus ramis præditam admodum fragilibus, in quibus confuſo ordine & ſparſim naſcuntur folia Hiſpanicæ folijs ſimilia. Florebat ſub finem Maij paulò ſeriùs quàm in Hiſpanijs,& glandes primùm emergentes habebat, quæ an maturitatem conſequantur,me fugit: nam ſequente Iulio Britannia exceſſi.

Altera porrò etiam vaſtæ magnitudinis in arcis regiæ ad Weſtmonaſterium horto alebatur, *Ilex Londinenſis altera.* ſed magnitudine cum ſuperiore non conferenda, licet adeò craſſo eſſet caudice, ut nemo amplecti poſſet. Hæc à ſuperiore nonnihil differre mihi viſa eſt: nam minora & magis orbiculata habebat folia,buxeis interdum non ampliora, nullis aculeis horrentia, alioqui ſubtus incana & ſupernè virentia, ut prioris folia: nullos in iſta flores obſervavi, & an glandem ferret nemo indicare potuit. An verò Ilex mas ſit,quam,Plinio teſte,glandem ferre negant,nihil ſtatuere poſſum.

Quam doctiſſimus Matthiolus exhibet,mihi videre non contigit,ad id fortè genus referenda eſt quod Plinius in Italia naſci tradit folio non multum Oleæ diſſimili, nam oblongum & anguſtum eſt: & Matthiolus Hetruriam ea ſcatere aſſerit. *Ilex Matth.*

VISCVM aut hyphear in nulla Ilice obſervare memini, ſed aliquando granum ex puniceo nigricans in ijs arboribus quæ frequentes naſcebantur ſilva illa ponè cœnobium *Grammont* vulgò dictum, Mompelliano agro,& interdum,in Bætica præſertim,tenuem & capillaceum muſcum cinerei coloris è ramis dependentem, qualem in Ilicis ramo ſua glande onuſto adpingere curavi : qui verò florem habet, ex priore Londinenſi expreſſus eſt, nam quos ex Hiſpania attuleram ramos,florem omnino corruptum & attritum habebant.

Copioſè naſcitur per univerſam Hiſpaniam locis præſertim campeſtribus & collibus, raro in montibus, Luſitaniæ non admodum familiaris, ubi Suber frequentiſſimum. Narbonenſis Gallia & Provincia Ilice etiam abundant,ſed minore glande quàm Hiſpanica. *Natales.*

Nomen Græcum eſt πρῖνος,Latinum Ilex,Hiſpanicum *Enzina*,Italicum *Elce*, Gallicum *Eouſe*,& *Cheſne verd.* Germanis & Vngaris ignota eſt. Fructum Theophraſtus ex Homero ἄκυλον vocat. Hiſpani *Bellota*,aut *Abillota*. *Nomina.*

QVIBVS-

QVIBVSDAM Caſtellæ veteris locis Ilicis rami cęduntur cubitali longitudine, in ſtrues & acervos congeruntur, & luto operiuntur, deinde ſubjecto igne in carbones uſtulantur, qui Salmanticam & alia loca deportantur. Arborum trunci, ad molarum fabricas & alia opera ſervantur: eſt enim materia firma & durabilis.

ILEX COCCIGERA. CAP. XVI.

Ilex aculeata Cocciglandifera C.B. pin: 425.



Ilicis coccigeræ hiſtoria. NVNQVAM altè aſſurgit hæc Ilex, ſed multis ab eadem radice prodeuntibus ramis fruticat, duorum aut trium (quando plurimum) digitorum craſſitudine, ſæpenumero unius tantùm, aut etiam virgultis tenuioribus, ramoſis: folia illi ſuperiore Ilice minora, aliquantulum ſinuoſa, magis virentia, nec averſa parte adeò incana, rigentibus aculeis armata, quæ vetuſtate interdum rubeſcunt: puſillam & valdè amaram fert glandem, calice ſpinoſo & echinato.

Natales. CRESCIT multis Hiſpaniæ locis, in Narbonenſi etiam Gallia & Provincia: nō dubium, quin & plurimis alijs, ſed non ubique coccum gerit. Nam ijs ſolùm regionibus quæ Mediterraneo mari vicinæ ſunt, & magno Solis ardore torrentur, naſci animadvertebam. Sed neque iſtic perpetuò fert: cùm enim frutex adeò adolevit, ut glandem alere incipiat, coccum non gignit: ideoq; ſolent incolæ quadriennes aut adultiores frutices urere, ut proximo anno novelli reſurgant, qui deinde ſingulis annis aliquot ſubſequentibus coccum ramulis inhęrentem inſtar exiguorum piſorum coloris cinerei gignunt. Hunc pueri & mulierculæ colligere ſolent & mercatoribus vendunt, qui magna ejus copia coacta, deinde præparata, in Emporia poſtea mittunt.

Nomina. IPSE frutex Dioſcoridi κόκκος βαφικὴ, Latinis Coccus infectoria. Plinio aquifolia ilex. Hiſpanis major frutex qui glandem fert, *caraſca* dicitur, qui verò coccum gignit, *coſcoja*. Granum ipſum Dioſcoridi etiam κόκκος βαφικὴ, Plinio coccum & cuſculium, unde Hiſpani ſuum *coſcoj* depravata voce ſumpſiſſe videntur: ait enim lib. IX. cap. XLI. Hiſt. natur. Coccum Galatiæ rubēs granum, aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt: & lib. XVI. cap. VIII. Omnes tamen has ejus dotes Ilex ſolo provocat cocco. Granum hoc, primoque ceu ſcapus fruticis parvæ aquifoliæ ilicis, cuſculium vocant, penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donat. Arabibus *chermes*, Hiſpanis *grana de tintoreros*, Gallis *vermillon* & *graine*, vel *graine d'eſcarlate*, dicitur.

Facultates. PORRÒ coccum vim adſtringendi habere, vulneribuſque & præciſis nervis convenienter ex aceto illini, teſtis eſt Dioſcorides. Meo tempore in Mompelio mulieribus in difficili partu, & collapſis viribus, ſcobem ejus ex vino, aut confectionem alchermes præberi ſolitam memini.

Coccus Pauſaniæ. CETERVM Cocci etiam meminit Pauſanias in Phocaicis. Perpetui inter vites ejus fruticis ordines, quem Iones & reliqui Græci coccum, Galatæ qui ſuper Phrygiam ſunt, patria voce *Hys* nominant. Creſcit eadem magnitudine qua Rhamnus, folio nigriore & molliore quàm Lentiſcus, in reliquis Lentiſco ſimilis: ejus fructus Solani fructui ſimilis, ervi magnitudine: gignitur in cocci fructu puſillum animal: id ſi maturo fructu in aërem exilierit, ſtatim volucre fit, culici ſimilimum. Verùm priuſquàm concipiatur animalculum, cocci *Pauſanias emaculatus.* fructum legunt: eſt etiam animalculi ſanguis tingendis lanis utilis. Hæc Pauſanias. Veteres autem codices, ut à nobiliſs. viro Iacobo Suſio, græcę & latinę linguæ peritiſſimo admonitus ſum, non habēt χῖνος nec χίνῳ, ſed πρῖνος & πρίνῳ, hoc eſt ilex & ilici pro lentiſcus & lentiſco: quæ ſanè lectio legitima eſt. nam quæ ſimilitudo cocci infectoriæ cum Lentiſco? facilis autem eſt lapſus à πρῖνος in χῖνος.

Hys. AB *Hys* autem Galatarum deducta videtur *Hyſgini* vox apud Plinium lib. IX. cap. XLI. *Hyſginum.* Quin & terrena miſcere, coccoq; tinctum, tyrio tingere, ut fieret *Hyſginum* &c. Et lib. XXXV. cap. VI. ubi de purpuriſſo agit. Quare puteolanum potiùs laudatur quàm tyrium, aut getulicum, vel laconicum, unde precioſiſſimę purpuræ. Cauſa eſt, quod hyſgino maximè inficitur. Vitruuius etiam lib. VII. cap. XIIII. hyſgini meminit.

COCCVM quo modo gignatur, & ejus colligendi rationem Quiqueranus libro ſuprà

ſuprà memorato multis verbis declarat, quæ hîc ſubiunximus.

Cocci baphicæ hiſtoria ex Quiquerano.

Ilicis duo genera: alterum arboreſcens, alterum frutex exiguus ſeſquipedali proceritate lætiſſimè viret, folijs lævore præfulgidis, ſpinarum vallò ambitis numeroſo, ſtolone aſſurgit in modum Roſarij: à noſtris Fagi appellationem ſortitur, quamvis nullam fagi imaginem repræſentet. Provenit locis planis quidem, ſed in altitudinem evectis, exilibus & ſitientibus collibus, ſed infœcundiùs. Vere medio rorati imbribus frutices, coccum hoc modo ordiuntur. Vbi imus ſcirpus ſe in duo brachia partitur, in horum medio primùm omnium increſcit rotundum quiddam, magnitudine & colore Piſi, hoc Matrem vocant, quod ex eo cetera grana producuntur. Matres porrò habet ut plurimùm quinque quælibet ceſpitum familia, quæ ineunte æſtate, æſtuque, minutiſſimorum vermiculorum catervam profundunt, fatiſcuntque in ſummitate. In animalia prorepit nova ſoboles colore candida, pro ſe quiſque in ſublime. At ubicunque vermiculi vel geminantis ſurculi axellis occurrerint, deſident, & incrementis aucti, milij magnitudine fiunt. Inde liberiùs adoleſcentibus, albus color in cinericium tranſit, jámque non animal, ſed Piſum rurſus apparent. Túncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis fœta: dúmque aſportantur mercatoribus, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur. Vermiculorum quidem qui citra vaginulam habentur pretium in libram quamlibet, aureus ſolatus, in granorum verò quæ adhuc eorum partem retinent, hujus quadrans. Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent: ceterùm, cùm primùm tempeſtivitas adeſt, in lintea præcipitati, ſoli exponuntur. Tum libato calore ſtatim prorepunt, atque effugere nituntur: ſed à cuſtode, qui continuus aſſidet, concuſſu lintei in medium eò vſque reijciuntur, donec emoriantur. Tanta quidem dum hæc fiunt, totóque mox triduo, odoris ſuavitate atque gratia, ut non Cibetæ, non Moſcho, non Ambræ, ſed ne Citriorum quidem floribus facilè conceſſerit. Si quæ verò grana legentis effugerint ſedulitatem, ea mox alatorum animalium numeroſum exercitum in auras effundunt. Obſervatum eſt uno anno ex campo lapideo, Arelatenſi agro, hunc proventum undecim aureorum millibus æſtimatum. Hactenus Quiqueranus.

Cocci parandi ratio uſitata.

SIMILEM Cocci parandi rationem in Gallia Narbonenſi, atque in Hiſpania, dum iſtic degerem, obſervare memini. Areas enim ſub dio habebant ad eam rem deſtinatas, eminente aliquantulum margine, quibus lineo panno inſtratis coccum effundebant, cuſtodibus ſummo feruore Solis perpetuo aſſidentibus, & extrema lintei bacillo concutientibus, vt vermiculos effugere properantes, in interiorem lintei partem repellerent: iſtam tamen ſummam odoris ſuavitatem non ſenſi, licet ſatis acres & ſagaces habeam nares.

VERVM Petrus Bellonius Obſervationum, quas nuper admodum latio donavi, lib. I. cap. XVII. aliam præparandi cocci rationem tradit: ejus verba referam.

Cocci colligendi & parandi alia ratio.

Cocci baphicæ cenſus ingens eſt in Creta: ſed ejus collectioni cùm potentiores operam impendere nolint, paſtoribus & pueris iſtam provinciam relinquunt. Invenitur menſe Iunio in exiguo quodam frutice, ex Ilicis genere glandem ferentis, ſine pediculo inhærens illius fruticis ſtipiti, colore ex cinereo albicante. Sed quia iſtius fruticis folia ſpinis horrent, uti Aquifoliæ, paſtores furculam ſiniſtra geſtant, qua ramulos deprimunt & inclinant, dextra autem putatoriam falcem, qua illos demetunt, & rotundas veſiculas exigui piſi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhæſerunt apertas & hiantes, puſillis rubris animalculis lende minoribus plenas, qui per hiatum illum effugiunt, & inanem veſiculam relinquunt. Pueri jam collectam coccum ad Quæſtorem deferunt, qui ex dimenſo ab illis redimit. Is animalcula à veſiculis cribro ſegregat, deinde ſummis digitis leniter ea prehendendo, in pilas efformat gallinacei ovi magnitudine: nam ſi nimium comprimeret, tota in ſuccum reſolverentur, & color periret. Itaque duo infectionis genera: unum pulpæ, alterum veſicularum: quoniam autem pulpa ad inficiendum commodior eſt, ejus precium quadruplo majus, quàm veſicularum.

OLEA SATIVA. CAP. XVII.

OLEÆ per Hiſpanias varia ſunt genera. Nam nunc magnam & carnoſam fert olivam, modò exiguam & gracilem, interdum etiam albam.

Olea hiſtoria.

HABET verò Olea folium Saligneo ferè ſimile, denſius, firmius, brevi pediculo ramulis exadverſo ut plurimùm inhærens, ſupernè magis incanum quàm infernè, amari guſtus, florem copioſum, in ramulis racematim compactum, ex herbido candicantem, quaternis foliolis conſtantem, & fructus rudimentum amplectentem: fructus ejus ovali eſt figura, oſſeo intus nucleo, per maturitatem nigreſcens, præter olivam quam albam vocant.

Oleum præſtantius.

Luſitanicæ Oleæ, minores olivas producunt, ſed multum olei ejuſque præſtantiſſimi præbentes: ſic etiam nonnullæ quæ in Narbonenſi Gallia & Bætica naſcuntur oleæ minorem fructum ferunt ex quo plus olei exprimitur, alteri, quod è majoribus olivis elicitur, longè præferendum.

Circa Hiſpalim, & craſſior oliva naſcitur, atque etiam minor, nonnumquam & alba: quam & circa Vlyſſiponem naſci, clariſſimus eques Damianus de Goës, idemque vir doctiſſimus piæ memoriæ, in quodam ſuo prædio, mihi aſſerebat.

Olea Sativa. *b. B: Pin: 472.*



Immaturas plerumque condiunt per Hiſpanias & Galliam Narbonenſem: interdũ etiam maturas & nigras, præſertim in Luſitania.

Olivæ legendæ tempus. Granatenſi regno primum Februario colligitur oliva, pleriſque verò Hiſpaniȩ locis, Decembri, ut & in Gallia Narbonenſi: hi quidem perticis decutiunt, illi autẽ rariſſimè, ſed potiùs admotis ſcalis manu legunt, ne ſequẽtis anni ſpem decuſſis germinibus prȩripiãt: vehemẽter enim laborant oleæ percuſſæ, & detrimentũ capiunt.

Viſcum baccis purpureis. NON procul Hiſpali, viſcum in oleis copioſè naſcens obſervabam menſe Ianuario, olivetorum dominos magno damno afficiens: integros enim olearum ramos, crebrò etiam maximam earũ partem cædere coguntur, ne latiùs vitium ſerpat, alioqui totas arbores occupaturũ, & ſteriles redditurum. Habet verò id viſcum baccas non albas, quales in alijs arboribus natum, ſed ex rubro purpuraſcentes, cujuſmodi nuſquam alibi videre memini. Has cùm in Belgium rediſſem, & columbis, & alijs avibus devorandas dabam, ut experirer an naſci vellent arboribus impoſito aviũ illarum fimo: verùm operã luſi.


Bellonius lib. II. Obſervationũ cap. LXXXIII. ſimile viſcum in oleis Hieroſolymitano agro creſcere ſcribit. Oleæ, inquit, iſtic peculiari nota à reliquis diſcernuntur: nam viſcum quod eis innaſcitur, rubris baccis eſt præditum.

Nomina. Ἐλαία ἥμερος Græcis, Olea ſativa Latinis, *Olivo* Italis & Hiſpanis, *Olivier* Gallis, Delbaum Germanis. *Olay fa* Vngaris, dicitur: fructus etiã ἐλαία Græcis, oliva Latinis & Italis, *azeytuna* Hiſpanis (oleum enim olivarum *azeyte* vocant) Gallis Latinos ſequutis *oliue*, Germanis oelbeer/ Vngaris *olay magh*.

Facultates. SATIVÆ oleæ foliorum vis eadem eſt quæ ſylveſtris, inquit Dioſcorides, ſed aliquanto inferior: unde ocularibus medicamentis, ob mitiorem vim convenientior eſt. Sudor ligno virente accenſo manans, illitu ſanat lichenes, furfures, & ſcabiem, &c.

Silveſtris Olea.]

Olea ſylveſtris folio duro ſubtus incano. B: Pin: 472.



SILVESTRIS OLEA.
CAP. XVIII.

Oleaſtri hiſtoria. OLEASTER inſtar Oleæ adoleſcit, illique per omnia ferè ſimilis eſt, cortice tamen læviore, rarioribus ramis, minùs frequentibus & brevioribus anguſtioribuſque folijs, licet eodem modo circa ramos diſpoſitis: flos ut in olea ſativa racematim cohærens, fructus exiguis olivis ſimilis, pauca tamen carne prȩditus, mucrone recurvo, è longis petiolis racematim dependens, primùm viridis, deinde purpureus, poſtremò ubi maturuit niger, ſucco prægnans purpureo, qui guſtatus nonnihil linguam vellicat. Tota arbor inſigniter amara eſt.

Natales. Naſcitur quibuſdam collibus juxta Tagum, & multis Luſitaniæ deſertis confragoſiſque locis, inter ingentia ſaxa, præſertim non procul à çerba, poſtrema Luſitaniȩ (ut nunc circumſcripta eſt) urbe, duobus ſupra Anam flumen miliaribus, ad radices ferè Caſtulonenſis ſaltus, quem nunc *Sierra morena*, hoc eſt Montem nigrum vocant, cujus pars ſuperanda eſt ijs qui Vlyſſipone Hiſpalim proficiſcũtur, ubi magnæ

ejus ſunt ſilvæ, in quibus Ianuario menſe fructum colligebam anno MDLXV. Maturus fit ejus fructus cum Olea: ſed magna ex parte incolis negligitur, & in ſturnorum aliarumq; avium eſcam tantùm cedit.

GRÆCI ἀγριελαίαν καὶ κότινον, Latini Oleaſtrum & Oleam ſilveſtrem, Hiſpani *azebuche*, ſed frequentius *azuche*: Galli *Olivier ſauvage* appellant. *Nomina.*

EASDEM cum Olea vires obtinet, ſed vehementiores & plures. Quas verò Dioſcorides Oleaſtro tribuit, eaſdem Plinius Oleæ adſcribit. *Facultates.*

Plura verò de Olearũ generibus, cultu, & alijs eò pertinentibus videre licet apud M. Catonem, M. Varronem, Columellam, Plinium, Palladium, qui exactè omnia iſta deſcripſerũt.

OENOPLIA ſeu NAPECA Bellonij, CONNARVS Alexandrinorum fortè, apud Athenæum. CAP. XIX.

Oenoplia non ſpinoſa C.B. Pin: 477.



NON incommodè forſitan Silveſtri Oleæ ſubijciam Oenopliæ, ſive Napecæ, cujus Bellonius meminit, hiſtoriam: quam Venetijs ad me anno M.D.XCIII. mittebat c.v. Honorius Bellus Vicentinus, Cydoniæ Cretæ Medicinam faciens, unà cum rami ſuis floribus onuſti icone, ipſius manu delineata.

ARBOR autem eſt, ipſo referente, Piri mediocris altitudine, cujus caudicem & ramos tegit cortex exalbidus, ad cineraceum tendens: ejus folia Paliuri Theophraſti, ſive Ziziphi rutilæ foliorum ſunt æmula, binas uncias longa, unam lata, tribus nervis à petiolo ſecundùm longitudinem excurrentibus prædita, ſupernâ parte ſaturâ viriditate nitentia, infernâ ad cineraceum aliquantulum tendentia, quę ramos alternis inordinata ambiũt: ad quorum exortum multi naſcuntur floſculi albi, floſculorum Oleę inſtar peculiaribus longis petiolis ſinguli nitentes: fructus ſuccedit parvo malo valdè ſimilis, magnitudine, vt plurimum, ceraſi, interdum tamen, nucem juglandem etiam æquante, ſuavis guſtus, oſſiculum in ſe continens olivæ inſtar. Bifera autem eſt: nam & novo Vere & Autumno ſingulis annis fructum profert: vernalis tamen plerumque ad frugem non pervenit, ob imbrium copiam, ſed à vermibus corrumpitur. *Oenopliæ ſive Napecæ hiſtoria.*

DVO ejus genera: ſpinoſum unum, alterum ſpinis carens. Spinoſum, ab Alpino deſcribitur, qui Connarum Athenæi (& rectè) eſſe cenſet, licet icon ipſius, arborem non rectè exprimat. *Ejus genera.*

Spinis carens, in Ægypto Syriaque provenit: naſcitur & in Creta, in urbe Rhetimo, è Syria allatum, quod non noverat Alpinus, quemadmodum neque ego ſpinoſum: quare diu fui in eâ ſententiâ, ut non Connarus Athenæi eſſet hæc arbor, ſed potiùs Polybij Lotus Lybica, ab ipſo Athenæo eodem libro paulò pòſt deſcripta: præſertim cùm viderem arborem ſpinis carere, hancque meam ſententiam Alpino ſignificavi, à quo Oenopliæ ramum ſpinoſum accepi, qui, demptis ſpinis, idem erat cum Napecâ à me deſcripta. *Natales.*

Vtriuſque arboris hiſtoria apud Serapionem ſub nomine *Sadar* eſt: ſed more ſuo cũ Loto Dioſc. (à qua valdè differt) confundit Bellonius lib. Obſervationum II. cap. LXXIX. Napecam inter arbores perpetua fronde virentes enumerat, quod in Ægypto & Syria naſcente, verum eſſe, at in Cretam tranſlatâ, omnino falſum docet experientia. *Sadar Serapionis.*

HÆC arbor in Ægypto & Syria, *Nep*, ſeu *Nap*, vocatur: at in Creta, proprio nomine caret. Hactenus Honorius Bellus. *Nomina.*

QVAM porrò Democritus apud Athenæum lib. XIIII. Deipnoſoph: ab Alexandrinis Connarum appellari tradit: magnitudine parva eſt, Pino, aut Vlmo, ut ait, ſimilis, utraq; non humilior, crebris ramis, nonnihil ſpinoſis, prælongis: pallido folio, tenero, natura rotundo. Fructum bis quotannis parit Vere & Autumno, apprimè dulcem, magnitudine oleæ phauliæ, carne & oſſiculo, ei, quam diximus oleæ ſimilibus, eximiâ ſaporis jucunditate. Recens eſtur: at cùm exſiccatus fuerit, molitur in farinam, quam pedibus calcant, non manibus pinſunt, aut aqua rigant, quoniam reſpuit ejus natura, ſed cogunt in offas negligentiùs, &c. Sed ego non ſatis aſſequor Democriti mentem, qui Connarum parvam quum faciat, Pino tamen, aut Vlmo (quæ magnæ arbores) non humiliorem eſſe ſcribat. *Connarus Alexandrinorum.*

PROSPER autem Alpinus lib. de Plantis Ægypti cap. v. Arbor, inquit, in Ægypto, quam

Nabca *Alpini.* illi *Nabca* dicunt, Loti magnitudine ſpectatur, inſtar Acaciæ ſpinoſa, folia ferens Iujubæ proxima, verumtamen latiora: flores Iujubæ floribus quoque planè ſimiles, albos ac parvos, à quibus exeunt pomula rotunda, odorata, dulcia, guſtuique valdè ſuavia, ceraſorum majorum Maroſticenſium appellatorum æmula, quæ apud primates Ægyptios, ac Turcas ſunt in magno pretio. Arbor bis in anno floret, Vere ſcilicet & Autumno, fœcundiſſimaque eſt, ſed verni fructus non perfectè maturantur, plerique enim ipſorum priùs putreſcunt, quàm matureſcant: Autumno perfectiſſimi ac optimi evadunt, eſuique ſummè jucundi: parum tamen nutriunt, facileque, ut ceraſa, in ſtomacho corrumpuntur, eumque offendunt, ſi immoderatè ipſorum eſui indulgeatur. Eam ſine dubio eſſe puto, quam Connarum ſive Paliurum olim ab Alexandrinis appellatum, Athenæi ſcriptis conſtat: etſi fructus & oſſa non videantur *Nabca* fructui & oſſi omnino reſpondere, quia hic pomo ſimilis eſt, & os rotundum habet, non oblongum inſtar olivæ. Nuſquam tamen in Ægypto exſiccatis illis fructibus farinam fieri apud eos animadverti. Sed præcipuus uſus ipſorum eſt recentium, ac viridium pro cibo: eis enim veſci, perinde atque noſtris ceraſa mandere, conſuetudo eſt.


Ejus facultates. Sed & in medicum uſum cedunt: nam cùm eorum facultas frigida ſit & ſicca, immaturorum frequens eſt uſus ad ſtomachi alvique relaxationem firmandam, ſucco ex ipſis expreſſo per os ſumpto, aut clyſteribus injecto: ex ijſdem fructibus ſiccis in aqua maceratis fit infuſio utilis ad inteſtinorum relaxationem & ulcera. Sed maturorum ſiccatorum decoctum aut infuſio, familiariſſima eſt ad omnes peſtiferas febres: aiunt enim hos fructus miram adverſus venenoſas qualitates & putredinem efficaciam habere, corque ſtrenuè roborare. Succus item perfectè maturorum, optimus eſt ad purgandam bilem è ventriculo, & primis venarum ductibus. In omnibus etiam putridis febribus, infuſione ex ipſis parata libenter ad ſedandum calorem utuntur, &c.

Ceterùm Oenopliæ iconem ſpinis carentem, qualem ipſe Honorius ad me mittebat, exprimi curavi, ut huic capiti adderetur. Ipſius quidem ramos, Cydoniã reverſus, in faſciculum compegerat cum aliquot ſtirpibus ſiccis, & ſeminibus ut ad me, Illuſtris viri Ioan. Vincentij Pinelli operâ, curarentur: verùm navis, quę iſta ferebat, ſævis tempeſtatibus acta, in Siciliam ejecta eſt, & corrupta, ut faſciculus ille cum magno meo dolore perierit. Exemplum tamen Epiſtolæ quam faſciculo addiderat, Ianuario mẽſe inſequentis anni M.D.XCIIII. accipiebam Maij ſub exitum, Lugduni apud Batavos: quæ quoniam earum ſtirpium quas mittebat, amplam mentionem facit, exiſtimavi me operæpretium facturum, ſi illam ad calcem mearum Obſervationum adderem: præſertim cùm pleraſque contineat, de quibus in meis Obſervationibus ago. Eam ob cauſam Lectorem rogatum velim, illam epiſtolam, & reliquas quas poſtea ad me miſit, legere ne pigeat: nam & eruditæ ſunt, & de multis ſtirpibus agunt, quæ à Veteribus quidem ſcriptæ ſunt, ſed pleræque vulgo Herbariorum nondum ſatis cognitæ.

Jujube majores oblongo C.B: Pin 446.

ZIZIPHVS RVTILA. CAP. XX.

Ziziphi rutilæ hiſtoria.



PYRI magnitudine interdum aſſurgit Ziziphus rutila, plerumque minor, contorto caudice, ſcabro cortice: læves ſunt rami ex nigro ruſeſcentes, ad ſingula internodia binis ſpinis firmis ejuſdem coloris armati, alterâ rectâ, alterâ hami modo incurvâ, ut in Rhamno tertio. Ab iſtis ramorum internodijs bini, terni, pluréſve tenues ramuli exeunt lenti & flexibiles, coloris palleſcentis, ſpithameæ longitudinis, in quibus alternatim & impari ordine folia naſcuntur Rhamni tertij, ſive Paliuri Theophraſti folijs ſimilia, tribus nervis diſtincta, per ambitum crenata, dilutiore tamen viriditate prædita, & majora quàm in Rhamno, ad quorum exortus aliquot flores exigui pallidi, quinque foliolis conſtantes, quales in Rhamno tertio naſcuntur, deinde fructus ovali figura, olivę magnitudine, primùm viridis, ubi maturuit, rutilus, dulcis ſaporis.

Natales. Alitur in pleriſque Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis hortis: ſpõtè naſcentem numquã vidi.

Tuberes. MEMINIT Ziziphi Plinius lib. XV. cap. XIIII. Hiſt. Naturalis in hæc verba. Æquè peregrina ſunt Zizipha & Tuberes, quæ & ipſa nõ pridem venêre in Italiam: hæc ex Africa, illa è Syria. Sextus Papinius, quem Cõſulem vidimus, primus utraque attulit, Divi Auguſti noviſſimis temporibus, in caſtrorum aggeribus ſata, baccis ſimiliora quàm malis, ſed aggeribus præcipuè decora, quoniam & in tecta jam ſilvæ ſcandunt. Tuberum

berum duo genera, candidum,& à calore ſericum dictum. Et lib. XVII. cap. X. Et Zizipha, inquit, grano ſeruntur menſe Aprili. Tuberes meliùs inſeruntur in pruno ſylveſtri, & malo cotoneo,& in Calabrice: ea eſt ſpina ſylveſtris.

COLVMELLA lib. IX. cap. IIII. ubi de Apum paſtione agit, Ziziphum duorum generum facit. Arbores, ait, probatiſſimæ, rutila atque alba Ziziphus. Tuberum etiam meminit lib. XI. cap. II.& inter arbores, quæ primæ florent, recenſet. Poſſunt, ſcribit, his diebus [pridie videlicet KL. Ianuarias] Ceraſi, Tuberes, & Armeniacæ, atque Amygdalæ, ceteræque arbores quę primæ florent, inſeri commodè.

Plinius ex eo ſumpſiſſe videtur quæ lib. XVI. cap. XXV. ſcribit: Floret prima omnium Amygdala, menſe Ianuario: ab ea proximè florent Armeniacæ, dein Tuberes & Præcoces, illæ peregrinæ, hæ coactæ.

PORRÒ non deſunt qui veteribus etiam Græcis hanc arborem cognitam eſſe putent, & *Lotus Pharidis inſulæ Theophr.* ad Lotum quam Theophraſtus lib. IIII. cap. IV. Hiſt. Plantarum in Pharide inſula Lotophagorum naſci tradit, referendam. Optimè ſanè convenire videtur arbori quam Athenæus libro XIIII. Deipnoſoph. ſub finem, Loti nomine deſcribit ex Polybij Megalopolitani libro duodecimo hiſtoriarum, his verbis:

Eſt autem Lotus, arbor minimè procera, aſpera, non tamen aculeata [alij ſpinoſa legunt] *Lotus Athenæi.* folio Rhamni, paulò latiore,& craſſiore: fructu per initia colore & magnitudine ſimili perfectis baccis Myrti, dum augeſcit, coloris phœnicei, oleæ magnitudine, rotundo, nucleo admodum puſillo. Maturus is colligitur & cum alica tuſus, ad ſervorum famulorumq; cibum in vaſa conculcatur, ac ſtipatur: ingenuorum autem edulijs, detracto nucleo, eodem modo reponitur, ac pro cibo eſt, guſtu caricis & palmulis non diſſimili, odore tamen ſuaviori. Fit & ex eo vinum, in aqua macerato,& trito, ſaporis grati,& jucundi, qualis eſt optimi mulſi: merum id & ſine aqua bibunt, ſed ultra decimum diem non perdurat: quamobrem ad uſum tam brevis temporis conficiunt. Fit etiam acetum ex eo.


Eundem etiam uſum Loto tribuit Plinius ex Cornelio Nepote lib. XIII. cap. XVII. & eo paſtos exercitus ultro citroque commeantes per Africam ſcribit.

GALENO σηρικὰ dici pleriſque placet. Verùm recentioribus Græcis ζίζυφα & ζινζυφα *Nomina.* eſſe, Officinis *Iujubas*, certum eſt. Arbor Hiſpanis *açofeifo*, Gallis *Iujubier*, Narbonenſibus *Guidoulier*: fructus ijſdem *açofeifas*,& *açufeifas*, *iujubes*, *guindoules*: Italis *giugiole*, Germanis autem Rot-Bruſt-beerlin.

SANGVINIS acrimoniam edomare creduntur ejus baccæ, & tuſſim ſpirandiq; difficultatem *Facultates.* lenire illarum decoctum; pectori, renibus, veſicæ prodeſſe. Galenus Serica parvi ſucci eſſe ait, nec concoctioni nec ſtomacho facilia, inſolentibus & effrenatis pueris & mulieribus cibi gratia tantùm expeti, exiguumque præbere alimentum.

ZIZIPHVS ALBA. CAP. XXI.

Olea sylvestris folio molli, incano C.B. Pin: 472



AD ſuperioris altitudinem interdum aſſurgit hæc arbor, ſed plerúque in latitudinem *Ziziphus alba.* ſeſe pandit: caudice eſt ſatis craſſo, cortice levi & candicante: rami qui interdum ſpinoſi ſunt, pleraſque virgulas habent tenues ſpinis carentes, ut ſuperior, folijs alternatim & ſine ordine etiam naſcentibus, ſalignis ſimilibus, mollibus, omnino incanis exornatas, ad quorum exortum oblongi naſcuntur floſculi, coloris ex argenteo palleſcentis, gravem, non tamen injucundum odorem latè ſpargentes & caput ferietes, quibus ſuccedunt oblongiuſculæ baccæ, exiguis olivis aut ziziphis ſimiles, albæ, fungoſa ſed dulci carne ſive pulpa præditæ, oſſeo intus nucleo caniculato.

Creſcit ſponte in ſepibus cum Rhamno & Vitice *Natales.* juxta urbem Guadix regno Granateſi: & in omnibus ferè viridarijs alitur non modò per Hiſpanias, ſed etiam per Galliam & Germaniam.

Floret æſtatis initio, fructus Autumno matureſcit: *Tempus.* ſed raro admodum frigidis regionibus fructifera eſt.

BELLONIVS libro Obſervat. II. cap. CXI. exiſtimat eſſe Ziziphum albam Columellæ, & ſcribit apud Heracleam agrorum ſepes ex hujuſmodi fruticibus conſtare, earumque fructum in urbibus venalem proponi,& à Græcis vernaculo ſermone Ziziphia vocari.

Item alio libello quem de Ratione cicurandi *Ziziphus alba Columellæ.* ſylveſtres arbores edidit, quemque etiam nuper

Ziziphus Cappadocia Plin. admodum latio donabam, à Plinio Zizipham Cappadociam appellari putat, cujus in hæc verba meminit, de coronis agens lib. XXI. cap. IX. Natur. Hiſtoriæ. Duo earum genera, quando aliæ flore conſtant, aliæ folio. Florem dixerim eſſe geniſtas, namque & ijs decerpitur luteus, item rhododendron, item zizipha quæ & Cappadocia vocantur: his odoratus, ſimiliſque olearum floribus.


Iovis barba Plinij. NON deſunt qui Iovis barbam arborem, opere topiario tōſilem, & in rotunditatem ſpiſſam, folio argenteo, cujus Plinius lib. XVI. cap. XVIII. Natural. Hiſt. meminit, eſſe exiſtiment. Anguillara tamen libello de ſtirpibus, quarta opinione, binas alias proponit argenteis omnino folijs, magis ut videtur ad deſcriptionem accedentes.

Elæagnus Theophr. ETIAM Elæagnum nuncuparunt nonnulli. Ἐλαίαγνος tamen Theophraſti, quæ lib. IIII. cap. XI. Hiſt. Plantarum deſcripta eſt, videtur Salicis genus eſſe: & aliquando illud eſſe exiſtimavi quod ſecundùm aquas naſcens, ampliora, candidioraq; habet folia quàm ceterę ſalices, *Salix latifolia.* ad mali folium nonnihil accedentia, ſed longiora: florem ſeu iulum mollem, villoſum, candicantem ante quàm ſeſe expandat, populi albæ iulo ſimilem; lignum reliquis ſalicibus lentiùs, & ad multos uſus utile. *Elæagnus Rauvvolfij.* Sed perlecto poſtea Doctiſſimi Rauwolfij Hodœporico germanico idiomate cōſcripto, animadverti ipſum aliam arborem obſervaſſe apud Halepū, *Saffaf* ab incolis appellatam, quæ ad ἐλαιάγνου hiſtoriam magis accedere videtur, odorato flore præditam, ex quo organis elicitur liquor ad roborandum cor perutilis. Eam verò eſſe cenſet quæ Arabibus *zarneb* & *zarnabum*, Serapioni *zurumbeth* appellatur.

Nomina. HANC autem ziziphum ſcribit idem Rauwolfius circa Halepum & in Libano monte ſpontè creſcere, & ab incolis *Seiſefun* vocari. Vulgus autem pleriſque locis Oleaſtrum appellat, & legitimum eſſe putat: Caſtellani & Granatenſes *Arbol parayſo*, hoc eſt, Arborem paradyſi: Galli, teſte Bellonio, *Injubier blanc* & *Olivaſtre*. Matthiolus commentarijs in Dioſcoridem Oleam Bohemicam appellat & ἐλαίαγνον Theophraſti eſſe cenſet.

Arbor fraxini folio flore coeruleo B. Pin: 415

AZADARAC Herbariorum. CAP. XXII.



SVPERIORI hanc arborem ſubijciendā putavi, quoniam à nonnullis eodem cum illa nomine nuncupatur, licet maxima ſit inter eas differentia.

Azadarac hiſtoria. EST verò vaſta & procera, non minùs aliquando quàm Lotus, caudice craſſo, cortice in nouellis lævi, ad ficus corticem ferè accedente, in adultioribus ſcabro & rimoſo: illius folia ad fraxini folia aliquantulum accedūt, ſed plurima è ramoſo & oblongo pediculo dependent, ut Cicutę aut Barbæ Caprinæ integrum folium æmulentur, viridia admodū, & nigricantia, & ſub hiemem cum ſuis pediculis decidentia. Æſtate in minoribus ramis oblongi naſcuntur pediculi aut virgulæ è foliorum exortu, multis longiuſculis ſtellatiſq; floribus purpuraſcentibus, odoratis racematimque cohærentibus exornati: quibus ſuccedit fructus initio viridis, maturitate autem candicans, magnitudine Meſpili aroniæ, fœtidus, ingrati ſaporis, oſſeum & hexagonum continens nucleū qualis ferè in nōnullis Myrobalanis conſpicitur. Tota hieme perdurat is fructus in arbore, nullis deguſtantibus avibus.

Natales. Nuſquam hanc arborem ſpontè naſcentē vidi: ſed in multis Bęticę viridarijs, & etiam ſecundùm regias vias alitur: nullibi autem major mihi conſpecta, quàm Hiſpali in Regio palatio. Italiæ pleriſque locis frequentem eſſe intelligo. Memini & in Mompelio olim videre.

Arbor ſancta. Lotus alba. Ziziphus alba. ISTIC meo tempore Arbor ſancta dicebatur: Doctiſſimo & celeberrimo viro Gulielmo Pellicerio Mompeliēſi Epiſcopo Lotus alba exiſtimabatur, alijs verò Ziziphus alba, quam opinionem adhuc retinere magni nominis viros miror, cùm nullas notas habeat quæ albæ zizipho conueniant: nam ubi oleæ flos & ceteræ notæ quas Auctores Zizipho albæ ſive Cappadociæ tribuunt? Italis Herbarijs Sycomorum vocari audio, non minùs ineptè & imperitè quàm Herbarij Galli ſecundam Aceris ſpeciem eo nomine donarunt.

Nomina. Bæticis vulgari ſermone *Arbol parayſo*, quemadmodum Caſtellanis Ziziphus alba dicitur: Italis *Perlaro*: Tripolitanis *Zenſelacht*, teſte Rauwolfio, qui eam ibidem naſcentem multis Tripolitanæ urbis plateis, ad umbram præbendam, atque alijs locis in ſua peregrinatione

natione obſervavit, fructum retinentem, donec ſequente anno nova germina præbeat.

Plerique eam eſſe putant, quam Avicenna lib. II cap. XVII. Azedaraeth appellat. Arbor inquit, nota habens fructum ſimilem Nabach [id eſt loto] & nominant eam in Rechi arborem Myrobalanorum, & eſt ex magnis arboribus. *Azedaraeth.*

Florem Azadaraeth calidum in tertio, ſiccum in fine primi, Avicenna loco memorato ſcribit, & cerebri obſtructiones aperire aſſerit: ſtillatitium verò ejus liquorem pediculos interficere, & comam alere, ſi eo vino permiſto caput abluatur. Fructum autem pectori noxium, & valdè pernicioſum eſſe. Rauwolfius addit canes interimere, ſi cum cibo objiciatur: ex quibus quidem facultatibus, Ziziphaм eſſe non poſſe, conijcere licet. *Facultates.*

PINASTER ET ALIÆ RESINIFERÆ. CAP. XXIII.

Pinaſter II. Auſtriacus.



Pinaſter III. Auſtriacus.



PINASTRVM appello Pinum ſilueſtrem, ſequutus Plinium, qui Natur. Hiſtor. lib. XVI. cap. x. Pinaſtrum nihil aliud eſſe quàm Pinum ſilveſtrem ſcribit, & quæ Theophraſtus Hiſtor. Plant. lib. III. cap. x. de πεύκη ἀγρία tradit, ad Pinum ſilveſtrem tranſtulit. Ejus in meis peregrinationibus varia obſervavi genera: terna in Hiſpanijs, quaterna in Auſtriacis Pannonicisque montibus & ſilvis.

MAIOR Hiſpanicus, in Pini altitudinem excreſcit, interdum etiam ſuperat, à medio ramoſus: folia habet Pini, oblonga, bina ſemper ſimul juncta, in viriditate nigricantia, acuminata & pungentia: ſtrobilo paulò minore quàm Pini, alato inter ſquamas, quibus compactus eſt, nucleo, molli & nullo putamine incluſo, ſed tenui cortice duntaxat tecto. Caudex rectus, cortex levior & minùs ſcaber quàm Pini. Plurimam Reſinam fundit. *Pinaſter I. Hiſpanic.*

Creſcit id genus in Aquitania, in Pyrenæis frequentiſſimè, & pleriſq; alijs Hiſpaniæ locis.

AVSTRIACVS major, duorum eſt generum adeò inter ſe ſimilium, ut pauci, niſi materiæ cæſores, diſcernere queant: alterum tamen genus lætiore & erectiore eſt caudice, læviore cortice, majore cono, Auſtriacis Weiſſe ferent dictum: alterum craſſiore plerumque eſt caudice, ſcabriore cortice, folijs paulò craſſioribus, minore cono Schwartze ferent appellatum. *Pinaſter I. Auſtriac. duor. gen.*

Tenuia porrò & oblonga habet utrumque genus folia, pungētia, bina ſemper conjunctim ex eodem tubulo prodeuntia, & circa ramos in orbem quaſi naſcentia. Maio menſe in extremis ramis quaſi botros ſive uvas quaſdam fert tenuibus ſquamis obſitas, qui ſponte aperientibus ſe ſquamis iulos oſtendunt vireſcentes aut palleſcentes, plenos tenui polline luteo, ſive farina, quæ levis auræ afflatu diſpergitur. Ex medijs deinde botris nova germina eodem menſe prodeunt ſuis novellis folijs tenui quadam veluti membrana incluſis onuſta, quæ extrema *Pinaſter II. Auſtriac.*

trema

trema parte, ante quam folia ſuccreſcant & explicentur, fructus rudimentum dant, grandiore jam firmiterq; ad germinum baſim inhærente ſuperioris Autũni immaturo fructu, viridi, ramorum alas ſpectante & reflexo. Vtrumque hoc genus Vngari *vad fenyö*, & *köz fenyö* nominant, & ex eo paſſim in montanis Auſtriacis & Pannonicis conficiuntur aſſeres, rotæ ab aqua verſatæ opera ſecti: ex albo etiam, quod parum ab Hiſpanico majore, & ſolis fortè natalibus differre videtur, ſcandulæ, & vinearum pali.

Pinaſter II. Auſtriacus alter. Nigri verò genus interdum invenitur triſtiore arbore, contorto caudice, & in latum ſparſis ramis, minore adhuc quàm præcedens cono.

Pinaſter III. Auſtriacus. CRESCIT & ad nonnullorum Auſtriæ montium radices in ſcopulis, & ſupra Badenſes thermas quatuor ſupra Viennam milliaribus, in montium crepidine tenui gramine obſita, aliud quoddam genus contorto admodum caudice, divaricatis ramis, quorum ſurculi multò gracıliores lentioreſque ſunt quàm in ſuperioribus duobus generibus: folia item habet illis longè tenuiora & breviora, tametſi bina ſemper coniunctim ex eodem tubulo in virgarum ambitu naſcẽtia: extremis virgis botrus ſive uva exiguorum iulorum veluti nucamento tenuiorum ſquamarum incluſa adnaſcitur, qui non vireſcunt aut flavent ut in ante dictis, ſed purpuraſcunt, deinde in tenuiſſimum pulverem abeunt, ſuccreſcente ex eorum medio novo germine ſuis novellis folijs membrana vel veſicula incluſis onuſto: hujus conus etiam minor eſt, & obtuſo plerumque mucrone.

Pinaſter II. Hiſpanicus.

Pinus maritima major B.Pin: 492.



Pinaſter IIII. Auſtriacus.

Pinaſter conis erectis B.Pin: 492



Pinaſter II. Hiſpanicus. MINOR Hiſpanicus duorum hominum altitudinem rarò ſuperat, inflexo & contorto caudice, ut plurimùm ab imo ramoſo: folia illi majori ſimilia, ſed breviora, & diutius virentia: coni etiam minores, oblongi tamen, turbinati, & candicantes, multa plerumque reſina infecti, non admodum ijs diſſimiles qui Auſtriaco, albo cognominato, innaſcuntur: nuclei quales in majore, nigra membrana contecti. Murciano & Valentino regno frequens.


Pinaſter IIII. Auſtriacus. PINASTER pumilio Auſtriacus humanam non ſuperat altitudinem: ſed ſtatim à radice in lentos & obſequentes, tametſi craſſos, rugoſoque & denſo cortice tectos, ramos dividitur, atque in latitudinem diffunditur: hos per ſingulas ſquamas bina ſemper ex eodem tubulo ſimul prodeuntia & juncta folia ambiunt, quemadmodum in Pinu & vulgari Pinaſtro, magis tamen carnoſa ſunt, craſſiora, breviora, & obtuſiore mucrone prædita, coloreque ſaturatiùs virente: ſtrobili unciales ſquamatim compacti lariceis conis haud majores, ſed magis turbinati, rectique, pediculo retrorſum non inflexo ut in prædictis generibus, nucleus alatus ut reliquorum, & inter compactiles ſquamas latens: radix craſſa, lignoſa, in diverſa tendens.

Naſcitur

Naſcitur in ſummis Auſtriæ & Styriæ alpium ſupercilijs, inter ſaxa & ſcopulos ut plurimùm, ubi nullæ aliæ arbores proveniunt.

Pinaſter III. Hiſpanicus.

Pinus maritima minor, C.B.Pin. 492.



Picea Pumila. Picea minor C.B.Pin. 493



ALTER pumilio ejuſdem ferè cum ſuperiore altitudinis, licet in lentos & obſequentes ramos diviſus ſit, non ſunt tamen adeò craſſo rugoſoque cortice tecti, neque ita in latitudinem diffuſi: virgæ etiam graciliores, folia exilia, Laricis folijs non diſſimilia, non adeò tamen mollia, neque ut illa decidua, ſed immortali viriditate prædita, ut ſuperiorum folia: ſtrobili exigui & graciles, nucleus etiam puſillus & nigricans, alatus ut reliquorum. Solo Murciano regno genus hoc, idque rariſſimè conſpexi. *Pinaſter III. Hiſpanicus.*

PRIOR, Pinus ſilveſtris montana Theophraſti nonnullis eſſe putatur, quemadmodum Belminor Hiſpanicus, marina. Pumilio Hiſpanicus, alterum fortè Piceæ genus deſcriptum Belmonio lib. III. Obſervat. cap. XLI. Pinum ſilveſtrem Hiſpani vocant *Pino carax*. Nucum Pinaſtri fructus Plinius Pityidas appellat. Dioſcorides tamen πιτυίδων vocabulum Piceæ Pinuſque fructui indifferenter tribuit: quem vim adſtrictoriam habere, & aliquantum excalfacientem, tuſſi pectoriſque vitijs auxiliari, per ſe, aut ex melle ſumptum, ſcribit. *Nomina.*

E Pinaſtri majoris Auſtriaci inferiore parte, radicibus viciniore, fiunt aſſulæ illæ pingues ad ignem accendendum, & lumen præbendum idoneæ, magni per multas Germaniæ provincias uſus: ſtrangulat enim humor ad radices deſcendens ipſas arbores, ſic ut in Tedam vertantur, ex qua aſſulæ. Eſt verò Tedæ vocabulum ὁμώνυμον, & interdum arborem ſignificat quam Plinius lib. XVI. cap. X. Natur. Hiſt. ſextum reſiniferarum genus facit. Reſinam autem ex Pinaſtro indigenas colligere non obſervavi, quemadmodũ in Aquitania, apud Cantabros, & alijs Hiſpaniæ locis, ubi arbores vulnerantur, ejus rei cauſa, ſingulis annis novum vulnus ſupra annotinum infligentes, donec ad decimi aut duodecimi pedis altitudinem pervenerint, & humor ab ea parte manare deſierit, tum demùm ſimili modo ex alia parte, ac deinde alia aperitur. *Teda.*

QVÆ verò Theophr. lib. III. cap. X. Plantarum Hiſtor. πίτυς ſit, ex Gazæ verſione & vulgatis græcis codicibus, difficulter admodum judicari poſſe exiſtimo, quandoquidem ejus materiam operibus ineptam eſſe, & magnitudine pino minorem, minuſq; erectam aſſurgere ſcribit. At ut ex melioris notæ codice colligere licet, omnium doctiorum judicio ea eſt arbor quam Plinius appellat Piceam, & apud recentiores rei herbariæ Scriptores eodem nomine donatur: arbor procera, & in metę modum creſcens, folijs brevibus, rigidis, & pungentibus, undequaque ramos ſingulatim cingẽtibus, qui cruciformiter, & decuſſatim in arbore naſcuntur, quam ob cauſam Vngari *keröztös fenyö*, hoc eſt cruciatam abietem nuncupant. Fert verò ea Maio menſe in extremis ramis ſingulares iulos palleſcẽte farina plenos, deinde *πίτυς Theop.* *Picea.*

ſtrobilos

ſtrobilos ſive conos mollibus ſquamis imbricatim compoſitis conſtantes, purpuraſcentes dum novelli ſunt & primùm nati, deinde paulatim in longitudinem excreſcentes, quæ in maturis ſeptem aut octo interdum unciarum eſt, ſub quibus exiguum alatum ſemen, Pinaſtro ſimile fovetur.

ἐλάτη ἄῤῥην.
Picea ſativa.

SED & multas habet notas, ex quibus conijcere liceat, Theophraſti loco jam memorato ἐλάτην ἄῤῥενα eſſe, hoc eſt, abietem maſculam. Eam autem appellant Hiſpani *Pino alvar*, Germani feuchten/aliqui rot thannen. Meminit etiam Plinius lib.xv.cap.x. Piceæ ſativæ quæ ſapiniam nucem ferat.

Picea pumila.

Illius autem genus reperitur, quod numquam valdè aſſurgit, ſed pumilum manet, fertque quædam nucamenta nucis ponticę magnitudine, è ſquamulis imbricatim compoſitis, ſed in pungens foliolum deſinentibus compacta, quæ maturitate dehiſcentia, concavas inanitates & veluti cellulas oſtendunt, à ſummis & extremis nucamentis ramuli nonnumquam enaſcuntur, frequentibus, brevibus, & pungentibus foliolis obſiti: ſed & tota arbuſcula brevioribus & pallidioribus folijs quàm ſuperior prædita eſt. In hac neque florem, neque fructum obſervavi: & haud ſcio an ferat. Videtur eam C. V. Dalechampius non ignoraſſe, ſed Pinum Tubulum, ſive Tibulum vocare. Plinio tamen Tibulus Pinaſter eſt gracilis, ſuccinctior, enodis, liburnicarum ad uſus, pænè ſine reſina.

Pinus tibulus.

ABIES CVM SVIS IVLIS.

Picea major prima ſive abies rubra
C.B. Pin: 498.



Abies. ἐλάτη θήλεια.

ABIES autem Plinij, ἐλάτη θήλεια, abies femina Theophr.lib.III.cap.x. eſt, arbor celſiſſima & formoſiſſima, cortice lævi, & candidiore quàm in Picea, ramis etiã decuſſatim creſcentibus, & in latera, velut alæ, expanſis, quos ambiunt folia plana in junioribus & bifido mucrone conſpicua, ſupernè viridia, averſa parte cineracea, & utrimque in ramulis veluti pectinatim diſpoſita, ita ut totus ramus complanatus, & compreſſus videatur: in vetuſtis autem arboribus folia iſtum ordinem (niſi in tenellis ramis) non ſervant, nam rigidiora magisque obtuſo mucrone, licet pungenti, redduntur. Adultæ arbores circa majorum ramorum extremos quaſi ſurculos, in ſingulorum foliorum alis prona parte exigua quædã nucamenta interdum ferunt, è quibus ſingulares breveſq; iuli emergũt, qui deinde in floſculos explicantur: perdurant ea nucamenta in alterum nõnumquam annum. Craſſiores habet quàm Picea conos, obtuſa cuſpide, latioribuſq; ſquamis præditos, Cedrinorum ferè modo, inter quas prominent veluti membranacea foliola: non propendent ut Picearum coni, ſed firmi & quodammodo cælum ſpectantes, extremis ramis circa arboris cacumen ſolũmodo naſcuntur. Tam verò hujus quàm Piceæ coni virent Autumni initiò, & multam reſinam fundunt. Sub Autumni finem & hiemis initium maturitatem conſequi feruntur.

Stelis.

In hac porrò arbore viſcũ, quod Stelin Plinius ex Theophraſto appellat, obſervavi anno redemptionis humanæ M.D.LXXXIII. ſed longè majore deinde copia anno M.D.LXXXV. in vivario Illuſtris Dn. Hyneck à Waldſtain Promarchionis Moraviæ non procul à Piernitz ipſius urbe (cuius arcem incolebat) albis, perinde atque vulgare viſcum, baccis præditum.

Nomina.

Tenuiores hujus arboris ramos ſolent Vienneſes, venali vino ante ſuas ædes ſuſpenſos proponere, ut aliarum regionum incolæ hederam. Itali *Abeto*, Hiſpani *Abeto*, Galli *Sap* & *Sapin*. Germani Weiſſe Thannenbaum/ Auſtriaci ſimpliciter Thannen nominant, Vngari *fenyő fa buk aleuele egy felöl all.*

Larix.

SED celſiſſima etiam eſt Larix, à Theophraſto minimè deſcripta ut arbitror: nam Gazæ Larix nihil aliud quàm πίτυς eſt, quam prioribus libris perpetuò Piceam interpretatus eſt, interdum autem eodem πίτυος vocabulo & piceam & laricem ſimul expreſſit.

Plinij larix eſt Theophr. πεύκη.

CETERVM Plinius de Larice agens, omnia illi adſcribit quæ Theophraſtus πεύκῃ tribuit, ut ex multis locis inter ſe collatis videre licet, quorum aliquot in medium proferemus.

Theophraſtus Plantarum Hiſtor.lib.III.cap.IIII. ἴδια δὲ τοιάδε τῶν ὀρεινῶν ἃ ἐν τοῖς πεδίοις οὐ φύεται: περί τε μακεδονίαν, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς, ἀγρία, φίλυρα, &c. Plinius Hiſtor. Natural. libro

libro XVI. cap. XVIII. Montes amant cedrus, larix, teda, & ceteræ è quibus reſina, item aquifolia, buxus, ilex, &c. Rurſus eodem capite Theophr. ἀείφυλλα μὲν οὖν ἐςι τῶν ἀγρίων ἃ καὶ πρότερον ἐλέχθη, πεύκη, πίτυς, ἀγρία, πύξος, ἀνδράχνη. Plinius eiuſdem lib. cap. XXI. Silveſtrium generis folia non decidũt abieti, larici, pinaſtro, junipero, cedro, terebintho, buxo, ilici, aquifolio, &c. Theop. præterea ejuſdẽ lib. cap. x. διαφορὰν δὲ ἔχει πίτυς καὶ ἄλλην πρὸς τὴν πεύκην. πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαςάνειν. τὴν πίτυν δὲ φασί τινες ἀναβλαςάνειν ὥσπερ καὶ εἰς λέσβον ἐμπρησθέντος τοῦ πυῤῥαίων ὄρους τοῦ πιτυώδους. Plinius eiuſdem lib. cap. x. Larix uſtis radicibus non repullulat, picea repullulat, ut in Lesbo accidit, incenſo nemore pyrrhæo.

Hinc factum eſſe arbitror, ut eodem capite perpetuam comam Larici tribuat: nam ſic ſcribit, Omnia ea perpetuò virent, nec facilè diſcernuntur in fronde, etiam à peritis: tanta natalium mixtura eſt, ſed picea minus alta quam Larix, &c. Ipſa tamen experientia aliud nos docet: folia enim, quæ vicena, & plura nonnumquam ſimul ab eodem exortu è tuberculis ramos confuſo ordine ambientibus exeunt penicilli modo, tenuia, mollia, viridia, ijs ferè ſimilia quæ in Corruda tertiâ Hiſpanicâ à me deſcripta naſcuntur, perennia nõ ſunt, ſed ineunte hieme decidunt, & novo vere alia ex ijſdem tuberculis renaſcuntur: rami longi ſunt & graciles, deorſum propendentes, in quibus unciales coni è mollibus ſquamis imbricatim ſibi invicem incumbentibus compoſiti, ex rubro pulcerrimè purpuraſcentes, dum novelli & recentes ſunt, ex ijſdem tuberculis è quibus folia prodeunt, brevi & craſſo firmoq; petiolo, ſurſum, hoc eſt, ad brachiorum alas reflexo, nitentes, ut mucrone cælum ſpectent; qui alata parvula ſemina continent. *Laricis folia hieme decidua.*

Græcis dicitur λάριξ, Latinis Larix, Italis *Larice*, Hiſpanis *Alerze*, ut aſſerunt nonnulli, nam nullam in Hiſpanijs naſcentem videre memini: Gallis *Meleze*, Germanis Lerchenbaum/ Vngaris *vörös fenyö kibol terebintina lezön*. *Nomina.*

Illud autem animadvertendum, Vngaros omnibus arboribus coniferis jam memoratis *fenyö* nomen, quod propriè apud eos Iuniperum ſignificat, adſcribere; quia folium ſpinæ ſimile & quaſi juniperinum habent.

MAXIMA porrò copiâ, harum arborum pleræque creſcunt in Viennenſi ſaltu, tum alijs montibus Alpibus vicinis, atque etiam in ipſis Alpibus, exceptis earum ſummis jugis & ſupercilijs, ubi nulle, præter pumilionem pinaſtrum priore loco deſcriptum, perſiſtere poſſunt. Creſcunt & pleriſque alijs Germaniæ & Bohemiæ locis, rariùs tamen Larix.

Abies marina Belgica.

Abieti similis maritima



Vinetorum pedamenta & pali Viennẽſi agro ex abiete fiunt, atque etiam ex Pinaſtro, quem album ipſi cognominant: circa Neapolim verò, & ſupra Badenſes Thermas, totoque illo tractu ex larice (nam eâ abundant) vt quæ corruptioni minùs ſit obnoxia.

Fiunt item iſtic ex larice longiſſimi canales, tectis ſupponendi & aptandi, ad pluviam & imbres ex ijs decidentes excipiendum, ſunt enim commodiſſimi: nam cùm firma & ſolida materie conſtent, diutiſſimè ſolis ardoribus, & alijs aëris injurijs reſiſtere poſſunt, nec findũtur, aut vitium contrahunt, eaque de causâ non picis, non alterius rei inductione egent. Horum magna copia Viennam advehitur quinquaginta pedum aut majore longitudine. *Canales è Larice miræ longitudinis.*

QVI plura de Coniferis arboribus cognoſcere volet, Petri Bellonij libellum cui titulum fecit de Coniferis arboribus & perpetua fronde virentibus, cum ijs quæ Matthiolus in primum librum Dioſcoridis cap. de Pinu & Picea commentatus eſt, atque cum alijs qui poſtea ſcripſerunt conferat.

ABIETEM verò marinam quam Theophr. Plant. Hiſtor. lib. IIII. cap. VII. deſcribit, videre non memini, & mihi ignotam fateor: Quercus enim & Abietis hiſtoriam confudiſſe videtur, multaſq; notas quercui tribuiſſe exiſtimo, quæ Abieti, aut ejus generis arbori marinæ meliùs fortaſſe convenirent. *Abies marina Theophr.*

Memini autem poſt meum ex Hiſpanijs reditum obſervare annis ſexageſimo ſexto, & ſexageſimo ſeptimo ſupra mileſimum & quingenteſimum in Flandriæ orâ maritimâ varias arbuſcularum formas Oſtreorum teſtis & Mytulorum

Abies marina Belgica. tulorum conchylijs adnatas, quarum Aliquæ Abietis figuram ita referebant, ut pumilæ Abietes viderentur, ramulis ordine utrinque diſpoſitis, ſed fragiles admodum, & puſillæ, rarò palmi altitudinem excedentes, ex tenuibus veluti ſquamis contextæ, nonnullæ omnino planæ, in orbem prominentibus ramulis aliæ.


Cupreſſus marina Belgica. Aliæ Cupreſſos ita æmulabantur, ut ſatis mirari nequirem Providentiæ divinæ opus & artificium, ramulis frequentibus in orbem, ſed nullo ordine naſcentibus, & ſurſum ſpectantibus cupreſſinorum foliorum modo efformatis. Harum tametſi aliquot annis inter chartas adſervatarum & compreſſarum rami, ſi in vitrum aut aliud vas aqua plenum inijciantur, ſtatim ſeſe explicare & in orbem diffundi, ſeque ſurrigere incipiunt: eaq; adeò de cauſa piſcatorum vulgus ſatis obſcœnum illis nomen indidit.

Plures adhuc collegeram, ſed cum pleriſque alijs Naturæ miraculis in ciſtâ repoſitas à Divo Maximiliano II. Viennam evocatus, in Belgica reliqui, nec ad manum habui cùm hæc deſcriberem, nec etiam ab eo tempore conſpexi, ideoque earum hiſtoriam dare nequeo.

HARVM autem marinarum plantarum, uti & reliquarum ſtirpium, atque omniũ Naturæ miraculorum diligentiſſimus obſervator erat Illuſtris vir Carolus à S. Audomaro p. m. Dn. de Dranoutre, Moerkercke, &c. Dynaſta.

Myrica marina Batavica. SED & anno M. D. XCV. inter rejectamenta repertas, maris littore arenoſos aggeres non procul Lugduno Batavorum alluentis, quatuor aut quinque plantulas conſpiciebam conchis Tollinarum adnatas, graciles valdè, digitalis aut majoris longitudinis, in breves & ſalſugine obductos ramulos diviſas, quæ Myricæ vel Ericæ ramulos mirum in modũ referrent.

ARBOR VITAE. CAP. XXIIII.



Arboris vitæ hiſtoria. ADMODVM elegans eſt ea arbor, cujus ramum hîc expreſſum damus, perpetuò viret, caudice eſt recto, aliquot orgyias alto, nodoſo, paulatim ſuccreſcente, cortice ex rubro nigricante, ligno duro; frequentes habet ramos in alarum formam expanſos, qui in alios ramulos planos alternatim è latere ſuccreſcentes diviſi, denuo in multa oblonga folia è numeroſis foliolis, quaternis ſimul ſemper compoſitis conſtantia expanduntur: flores Vere extrêmis folijs prodeunt, quemadmodum in Cupreſſo, puſilli, flaveſcentes, quorum nonnulli deinde in exiguum fructum pinei nuclei magnitudine efformantur, coni modo è ſex ſquamulis tenellis compactũ, initiò viridem, deinde palleſcentem, poſtremò ubi planè maturuit, nigricantem, quaterna plerumque ſemina paleacea, medio (in quo medulla acris & amariuſculi ſaporis) paululum extuberante continentem. Tota arbor graviter odorata eſt, reliquas congeneres longè ſuperans odore, quem, ſi quis folium nonnihil duntaxat digitis confricaverit, facilè eluere non poſſit. Hunc autem non modò viridis ex ſe exhalat, ſed etiam multis jam annis exciſa & reſiccata retinet.

Natales. Primùm mihi conſpecta eſt hæc arbor in horto Regio *Fontaine belleau*, non procul Aurelia Gallorum, eò ex Americæ Septentrionali ora, *Canadas* dicta, delata, Gallorum Imperium obtinente Franciſco hujus nominis primo, litteratorum omnium ſummo Mæcenate, nec antè, ut exiſtimo, Europæ cognita. Deinde apud doctiſſimum virum Nicolaum Raſſium Regis cheirurgum celeberrimum, eumdemque omnium Naturæ miraculorum ſtudioſiſſimum & peritiſſimum, qui primus mea opera eam Belgio communicavit, ubi nunc adeò frequens eſt, ut nullus ſit rei herbariæ ſtudioſus, qui eam in ſuo horto non alat: inde porrò in pleroſque Germaniæ hortos tranſijt: facilè enim rami depacti radices agunt, quemadmodum ſæpe ſum expertus, præſertim loco umbroſo & fertili pinguiq; ſolo. Naſcitur etiam ſemine: ſed tenellæ plantæ ante quàm in ramos dividantur & explicentur, Oxycedrum, Iuniperumq; majorem primùm enatas admodum æmulantur. Frigoris patientiſſima eſt: hieme tamen fuſcum & fuliginoſum colorem contrahentibus folijs, quæ novo Vere priſtinum nitorem & viriditatem recipiunt.

AD quam arborem veteribus deſcriptam referenda ſit, non facilè quis conijciat.

θύα Theophr. Plurimi θύαν quam Theophraſtus lib. IIII. Plant. Hiſtoriæ cap. I. montium cacuminibus, locisque algentibus proceram naſci tradit, eſſe exiſtimant, & cujus lib. V. cap. V. meminit in hæc verba: Thyum ab alijs Thya appellatum, naſcitur apud Ammωnis fanum, & Cyrenenſi agro, forma Cupreſſo ſimilis, ramis, folijs, caudice, & fructu: vel potiùs ceu Cupreſſus ſilveſtris. Multa etiam ubi nunc urbs eſt: & tradunt contignationes baſilicarum adhuc exiſtere, nulli

nulli enim putredini obnoxium eſſe hoc lignum. Criſpiſſima verò ejus radix, ex qua præcipua opera fiunt.

Anguillara porrò Theophraſti Thyam nihil aliud eſſe cenſet, quam Sabinam primam, ſive vulgarem. Sed licet Sabinæ genus inveniatur bacciferum: ejus tamen fructus, juniperi vulgaris fructu non major, valdè abſimilis eſt cupreſſino, cui Thyæ fructum Theophraſtus ſimilem facit, quemadmodum & totam Thyæ plantam cupreſſo. Et facilè in doctiſſimi Guilandini ſententiam problematis IX. & X. defenſione conceſſerim, plurimùm ad Thyæ hiſtoriam à Theophraſto proditam accedere arborem ſui generis Cupreſſo ſimilimam in Syria, Ægypto, & Arabia naſcentem, cujus fructus *Abhel* toto Oriente notiſſimus, pilularum Cupreſſi magnitudine, colore rufo in nigrum declivi. Talem verò *Habbel* nomine inſignitum, ſub anni M. D. LXXIX. initium cum alijs pleriſque exoticis mihi dabat doctiſſimus vir Bernardus Paludanus Friſius, nunc Enchuſianus poliatros, & omnium rerum naturalium (quibus ampliſſimum muſæum refertum habet) peritiſſimus, è peregrinatione ſua Syriacâ & Ægyptiacâ redux: quâ de causâ illius iconem lectoris oculis hîc ſubijciendum duxi. *Sabina baccifera.* *Abhel.* *Habbel.*

Habbel fructus.



Plinius etiam Naturalis Hiſtoriæ lib. XIII. cap. XVI. Thyæ meminit, & pleraque ex Theophraſti loco jam dicto deſumpſit.

Non deſunt qui ad arborem Brutam (de qua idem Plinius lib. XII. cap. XVII.) referant. Petunt, inquit, in Halimæos arborem Brutam, Cupreſſo fuſæ ſimilem, exalbidis ramis, jucundi odoris accenſam, & cum miraculo hiſtorijs Claudij Cæſaris prædicatam. Folia inſpergere potionibus Parthos tradit, odorem eſſe proximum Cedro, fumumque ejus contra alia ligna remedio. Naſcitur ultra Paſitigrin in finibus oppidi Sitacæ, monte Zagro. *Bruta Plinij.*

HÆC quidem arbor ad Cupreſſum nonnihil accedit: verùm ramos ſurſum non attollit quemadmodum illa, ſed in planas veluti alas expanſos, ut dixi, in latitudinē diffundit. Hujus item folia tametſi ex foliolis ſquamatim compacta, omnino plana ſunt, non rotunda uti Cupreſſo, Iunipero maiori, Sabinæ: nec rotunditatem ante contrahunt, quàm in ramos excreſcant.

Galli *arbre de vie*, hoc eſt, arborem vitæ nuncupant, neſcio qua ratione ducti, niſi fortè ob immortalem ejus comam, quam tamen cum multis alijs communem habet, aut odoris ejus vehementiam quam ſalubrem eſſe exiſtiment, hoc nomen indiderint. Vulgus Herbariorum & Thuiam & Arborem vitæ appellat. Nonnulli plura Thuiæ genera conſtituunt, & hanc arborem tertium genus eſſe volunt. *Nomina.*

NON dubium eſt, quin ad pleraque ſit utilis: nemo verò illius facultates noſtro ævo prodidit, quod ſciam. Cùm tamen magnam habeat partium tenuitatem, & amariuſcula ſit, veriſimile eſt digerendi & abſtergendi facultate præditam.

HANC porrò deſcribere videtur Oviedus lib. IX. cap. XIIII. his verbis. Sunt præterea nonnullæ aliæ, quas inter arbores recenſeo, craſſitudine & longitudine prœaltæ Pini, cujus folia Hiſpanicam filicem planè referunt, tametſi longè majora: ejuſdem tamen formæ, ut videlicet ſingula folia è multis folijs ſimul connexis conſtent. Habent igitur iſtæ arbores folia veræ Filici omnino ſimilia, ſatis viridia: & magna ex parte in torrentium ripis & convallibus humidis ſponte naſcuntur. *Arbor Filici ſimilis.*

IVNIPERVS. CAP. XXV.


IVNIPERI duo genera veteres conſtituūt, majus & minus. Dioſcorides unius fructum nucis juglandis magnitudine interdū augeri, alterius nucē ponticam æquare ait: cùm tamen reliqui Iunipero fructum non majorem quàm myrto tribuant: ſed nec ipſe cap. de Cedro.

VERUM de Iunipero cujus deſcriptio à Dioſcoridis interprete tanquam notha rejecta eſt, primùm agemus, deinde de altera cui ſpina pro folio eſt.


Iuniperus, quam majorem appello, frutex eſt humanam altitudinem rarò ſuperans, caudice contorto, non recto, multis ramis prædito, ſcabro cortice: folia habet carnoſa, & ex continua quaternorum foliorum mutuo connexorum ſerie compoſita, quemadmodum Cupreſſus: flores Iunipero vulgari & Oxycedro ſimiles, flavos, ſed extremis folijs inſidentes ut in Cupreſſo & Thuia: quibus ſuccedit fructus baccarum myrti magnitudine, rotundus, primùm viridis, deinde ad phœniceum colorem tendēs, qui maturitate nonnihil molleſcit, ſapore & odore Iuniperi baccis ſimili, qui tria aut quaterna, vel etiam plura grana oblonga & ſtriata habet, medullam albam & reſinam olentem continentia. Vere floret, fructumque diu retinet ante quàm matureſcat, uti Iuniperus. Primùm ſemine natus hic frutex, & adhuc tener, folia habet omnino diſſimilia, utpote quæ alterius juniperi folia æmulentur, niſi breviora & paullò molliora eſſent: cùm verò jam tertium aut quartum annum attigit, rotunda & cupreſſea folia efformare incipit: ut inferiores rami pungentibus & acutis folijs, ſummi verò obtuſis & rotundis onuſti interdum conſpiciantur. Quam metamorphoſim niſi quis diligenter obſervaverit, facilè in errorem induci poſſit, ut credat adoleſcentem à jam adultâ diverſam plantam eſſe. *Iuniperi majoris hiſtoria.*

D NASCI-

Iuniperus major Dioſc.



Iuniperus Alpina.



Natales.

NASCITVR ad Thyrrhenum mare: nam inter Calpen & Malacam, Bæticæ item & Galliæ Narbonenſis ora maritima obſervabam.

OPTIME convenit hic frutex cum Iunipero majore, quæ tamquam ſpuria è Dioſcoridis codice ab interprete rejecta eſt, ut dixi. Ejus vero hæc eſt deſcriptio.

Iuniperus major Dioſc.

IVNIPERVS major, quam aliqui ſilveſtrem Cupreſſum appellant, alij Mneſitheum, alij Acateram, Romani Iuniperum, vulgò cognita eſt, Cupreſſo ſimilis: aſperis maritimiſq; locis plerumque naſcitur, eaſdem quas ſupradicta [videlicet juniperus vulgaris] vires habens.

Cedrus Phœnicia minor.

NISI fortè ad Cedrum minorem alteram, quam Theophraſtus & Plinius phœniciam vocari, folio ab oxycedro differre, odoratioremq; eſſe ſcribunt, ut certè hęc eſt, referre malit.

Iuniperi majoris & Sabinæ baccif. differentia.

EX Neotericis nõnulli Sabinæ bacciferæ nomine appellarũt, cùm tamen à Sabina, etiam baccifera, plurimùm differat odore & forma: nam Sabinæ gravis odor, hæc Iunipero vulgari etiam odoratior: Sabinæ extremi rami in acuta folia plerumque deſinunt, contra vero hujus obtuſa ſunt; Sabinæ item baccæ maturitate nigreſcunt, minoreſq; ſunt quàm hujus, quæ, ut ſuprà dixi, phœnicei ſunt coloris. Sunt etiam qui Oxycedrum folio Sabinæ appellant, Galli, Bellonio teſte, *ſerbin*, quâ nonnulli magno, inquit, errore pro Sabina utuntur. Nec deſunt qui Thuiæ primum genus faciant. Ex ejus ſanè odore & ſapore colligere licet ſimilibus virtutibus præditam eſſe cum vulgari Iunipero.

Iuniperus vulg. celſior, & arboreſcẽs.

EA porrò Iuniperus cui ſpina pro folio eſt, vix totâ Luſitaniâ reperitur, Caſtellâ verò novâ admodum frequens eſt: ſed ea præſertim quæ celſior & arboreſcens ſupra Segoviam, qua inde Madritium itur, ut iſtic trabes & ædium contignationes incolæ ſibi fabricent: nec immeritò Plinius lib. Natur. hiſtor. cap. XVI. cap. XXXIX. dixerit hanc in Hiſpaniâ vaſtam naſci. Sed & in Belgio & pleriſque Germanię locis vulgarem juniperum in juſtam ferè arboris magnitudinem excreſcere obſervabam, præſertim in hortis & cultioribus locis natam.

ALIAM autem elegantem Iuniperum pungentibus folijs, in Auſtriacarum Alpium quibuſdam jugis mihi primùm obſervatam hîc adjungam.

Iuniperus alpina.

Cubitalem altitudinem ea non excedit, ſed depreſſa eſt, & quaſi humi ſpargitur, multoq; craſſioribus & brevioribus conſtat ramis quàm vulgaris, lentis etiam, fractu contumacibus, & contortis: tenellos ramos ambiunt terna folia, æqualiter ſemper naſcentia, ut in vulgari, verùm latiora, breviora, craſſiora, nec minùs quàm illa pungentia, colore interiùs ex cæruleo candicante, exteriùs viridi: florem non conſpexi: fructum autem in ramulis geſtat vulgari ſimilem, paulò tamen (vt mihi quidem videbatur) longiorem, antè quàm plenam maturitatem conſequatur: deinde, ubi maturuit, nigrum, ejuſdemque cum illo ſaporis.

Natales.

Creſcit in ſcopulis Durrenſtein & Etſcheri, quibus duntaxat locis inveniebam Auguſto


menſe

menſe pauculas ſtirpes fructu maturo & immaturo onuſtas. Guſtus autem indicabat, facultates à vulgari non abſimiles poſſidere.

VVLGARIS porrò Iuniperus Græcis ἄρκευθος, Germanis Krametbaum oder Wachholterbaum/ Gallis *Gineure*, Italis *Ginepro*, Hiſpanis *Enebro*, Vngaris *Teviſkes fenyö*. Ejus baccæ græcis ἀρκευθίδες, gallis *graine de Geneure*, italis *Granello di Ginepro*, hiſpanis *Neurinas*, germanis Krametbeer. *Nomina.*

OXYCEDRVS. CAP. XXVI.

Juniperus major bacca rufescente C.B. pin: 489.



IVNIPERO ferè ſimilis eſt Oxycedrus, magna ex parte contorto ut illa caudice, interdum etiam in arbuſculam excreſcens, tenui & rufeſcente cortice: folia habet Iuniperi vulgaris modo pungentia, aliquantulum tamē longiora & rariora, terna ſemper circa ramulos ſimul naſcentia ut in Iunipero: fructum initiò viridem, deinde flaveſcentem, poſtremò, cùm maturuit, punicei coloris, Iuniperi fructu multò majorem, ut interdum avellanam magnitudine æquet, & tuberculis quibuſdam, veluti ſquamarum rudimentis obſitum, nucleos tres aut quatuor inæquales continentem, majores quàm in ſuperiore, medulla intus alba. Floret Iuniperi modo, & eodem tempore utriuſque fructus maturitatem adipiſcitur. *Oxycedrus.*

PROVENIT pleriſque Hiſpaniæ & Narbonenſis Galliæ aſperis locis: nuſquam autem majorem videre memini, quam ſupra Segobiam & Guadarrama, itinere Madritiano, ubi arborum magnitudinem & altitudinem interdum æquat, trunco humani corporis craſſitudinem æquante, ex quo, veluti ex trunco Iuniperi, quæ ſimul cum iſto eadem altitudine creſcit, ædium trabes & contignationes incolæ faciunt. *Natales.*

Iſtic porrò in ejus ramis menſe Octobri enatam plantulam obſervabam digiti longitudine, inſtar viſci ramoſam, geniculatam, viridem, interdum flaveſcentem, ramulis miricę recenter natis, ſive ejus plantæ quam nonnulli Salicorniam, Mompelliani marinum Semperviuum vocant, ſed paulò minoribus conſtantem, quorum extremis aliquando inhæret veluti fructus Muſci, qui in arboribus aut ſaxis naſcitur, fructui perſimilis. Acido & valdè adſtringente guſtu eſt tota hæc plantula, Oxycedro, veluti viſcum in alijs arboribus, innaſcens. *Viſcum in Oxycedro.*

THEOPHRASTVS hunc fruticem ὀξύκεδρον καὶ κέδρον λυκίαν appellat Hiſtor. Plant. lib. III. cap. XII. Plinius, eum ſequutus, Natural. Hiſt. lib. XIII. cap. V. Cedrum minorem Lyciam & Oxycedrum. Nam quam alij pro Lycia exhibent, nihil aliud eſt meo judicio, quam novella majoris Iuniperi, ſive Cedri minoris Phœniciæ planta, quæ baccas proferre non ſolet, donec Tamaricis ſive Cupreſſi folia contraxerit, licet non deſint, qui quartum Thuiæ genus ex ea facere non vereantur. Minorem autem Phœniciam voco, ad majoris Coniferæ quæ & Cedrelate Plinio eſt, in Syria, Phœnicia & alijs locis creſcentis, differentiam. Hiſpani autem Oxycedrum à Iunipero non diſcernunt, ſed eodem nomine *Enebro* utramque vocant. Narbonenſes Galli *Cade* appellant, & oleum ex eo confectum, *huile de cade*, capitis malæ ſcabiei, quæ illis *Raſcle* dicitur, pecorumque ſcabiei & ulceribus, quibus à tonſurâ nonnumquam infeſtantur, adprimè utile. Idem oleum, quod cedriæ ſimile eſt, Hiſpani *Miera* appellant. *ὀξύκεδρος. Cedrus lycia. Cedrelate.*


MYRICA. CAP. XXVII.

DVO Myricæ genera Veteres nobis prodiderunt, ſilveſtre unum, aliud ſativum ſive domeſticum.

MYRICA ſilveſtris magna ex parte tantummodo fruticat, interdum in vaſtam arborem adoleſcit: ſcabro caudicis cortice, ramorum verò pumicante: folia habet Cupreſſi, aut Ericæ humilis vulgaris, coloris ex viridi ad cinereum tendentis: flores extremis ramis in oblongis pediculis confertos & racematim compactos, exiguos, foris purpuraſcentes, cùm expanſi ſunt, candidos, quinque foliolis conſtantes: qui deinde in exiguum ſemen tomento involutum *Myrica ſilveſtris. 1.*

Myrica ſilveſtris I.

Tamarix altera folio tenuiore ſive gallica C.B. Pin 485.



Myrica ſilveſtris II.

Tamarix fruticoſa folio craſſiore ſive germanica. C.B. Pin 485.



lutum efformantur, exiguis veluti valvulis incluſum, quibus maturitate dehiſcentibus effluit ut in Salice, Populo & ſimilibus. Ter plerumque in anno floret, vere, æſtate, autumno: recentibus floribus ſemen jam evaneſcens ſemper ſubſequentibus. Hanc Plinius inter eas recenſet quæ nullum fructum, imò ne ſemen quidem proferunt: cùm tamen Dioſcorides illi fructum tribuat compage muſcoſum.

Natales. Naſcitur plerumque juxta flumina, aliquando ſatis etiam procul ab illis: Obſervabam & in Narbonenſi Gallia ſtagno Volcarum vicinam: nuſquam tamen ampliorem videre memini, quàm ſupra Madritium Regum Hiſpaniæ Regiam, planicie multis hujuſmodi arboribus conſita, non procul ab amnium Xarama & Henares confluentibus, ſub Compluto, Hiſpanis *Alcala de Henares* nuncupato, quòd fluvius Henares eam urbem alluat: magnæ tamen iſtæ arbores, quas hominis ulna amplecti vix potuiſſet, diverſum florem non ferunt ab eo qui in fruticantibus dumtaxat tamaricibus provenit. Frequens etiam hęc eſt Belgicis hortis.

Nuſquam eam neque in Hiſpania, neque in Gallia, perpetua coma virentem vidi: ſed novo vere ſingulis annis nova foliorum germina proferentem.

Myrica ſilveſtris II. ALIVD hujus ſilveſtris genus in Pannonia naſcitur ſolummodo fruticans, nec unquam, veluti ſuperiùs, arboreſcens: brumam etiam fert, & riguis ut gallicum & hiſpanicum gaudet: craſſiores huic ſunt virgæ, folia craſſiora & latiora: ſingulis annis novos ſurculos producit cubitales, virides, ut plurimùm deſinentes in quandam ſpicam palmaris aut ſemipedalis longitudinis, è floribus ex albo purpuraſcentibus, majoribus quàm in ſuperiore, quinque etiam foliolis conſtantibus confertam: ijs ſuccedunt oblongi & mucronati caliculi, qui dehiſcentes, ſemen pappo ſalicis modo involutum oſtendunt: ex majuſculorum foliorum, ſurculos ambientium, alis, enaſcuntur alij ramuli exiguis foliolis onuſti.

Natales. Copioſè ad flumen Draſen, ante D. Hippolyti urbem, vulgò Sant Pelten nuncupatum, octo à Vienna Auſtriæ inferioris urbe miliaribus diſtantem, creſcit: ad amnē etiam Schwartze oppidum Neukirche alluens, binis ſupra Neapolim Auſtriæ miliaribus, præſertim arenoſis illis locis quæ hieme ab ijs amnibus inundantur.

Tempus. Floret Maio & Iunio, ac deinceps tota ferè æſtate flores & ſemen proferre non deſinit.

Huic ſimilem, quibuſdam Germaniæ locis ad Rhenum fluviū, & in Tyrolenſi comitatu naſci intelligo: frequentem etiam vidi ante paucos annos Londini Trenobantum in aliquot hortis.

Myrica ſativa. SATIVAM, quam Dioſcorides mitiorem vocat, & in Ægypto Syriaque naſci ſcribit, fructu Gallæ proximo, guſtu adſtringente, cujus etiam Plinius meminit, numquam conſpexi.

Bellonius obſervationum lib. II. cap. XXV. & XXVIII. in Ægypto ſe vidiſſe ait magnas arbores My-

res Myricæ gallam ferentes,ab Arabibus hujus temporis *chermaſel* appellatam, magni olim in medicina uſus: fructum verò arboris eſſe negat, ſed excrementum potiùs arbitratur his verbis. Tamarices in Ægypto locis humidis & arenoſis ſiccíſque indifferenter naſcuntur, illarum enim ſilvulę perinde in aridioribus locis reperiuntur,atque in humidis littoribus.Eæ autem excreſcentiâ,quam gallam nominavimus,adeo onuſtæ ſunt, ut parum abſit quin rami nimio pondere rumpantur. *Myrice Ægyptiaca galla Chermaſel.*

VOCATVR autem à Græcis μυρίκη,Plinio Myrice, Tamarix & brya ſilveſtris, officinis Tamariſcus, Hiſpanis *Taray*, Gallis *Tamariſque*, Italis *Tamarice*, Germanis Tamariſchen baum oder holtz. *Nomina.*

FOLIORVM Tamaricis decoctum ex vino & aceto, lieni indurato prodeſſe, teſtes ſunt veteres medici,& ipſa etiam experientia: atque in eundem uſum potorios calices ex ejus ligno tornari,è quibus bibant lienoſi:multis alijs inſuper morbis utilem eſſe Tamaricem:majoris gallam cruentis exſcreationibus, & cœliacis in potu dari, & contra profluvia feminarum,regium morbum, & phalangiorum morſus: illitu tumores inhibet: cortex in eoſdem uſus adhibetur. Decoctum foliorum cum vino potum lienem abſumit; multas præterea alias facultates huic frutici tribuit Dioſcorides,& Plinius. *Facultates.*

Memini etiam Francofortum ad Mœnum adferri ſolita doliola è Tamaricis ad Rhenum naſcentis ligno concinnata, ad ſextarium dimidium fortè capacia, nonnulla etiam paulò majora,quibus contentus liquor lienoſus proſit. *Doliola è myrica aſſinis.*

ERICA Coris folio I.

Erica maxima alba ... 485



CAP. XXVIII.

ERICAM Dioſcorides lib. I. Myricæ ſimilem facit, longè tamen minorem: libro verò III. Corin folio Ericæ pinguiore ac minore. Plinius Natur. Hiſtor. lib. XXIIII. cap. IX. fruticem eſſe ſcribit non multùm à Myricæ differentem, colore Roriſmarini & penè folio. Ex quorum ſententijs colligi poſſe videtur, plura eſſe Ericæ genera, ut certè ſunt: quemadmodum ex iconibus & earum deſcriptionibus ſubjectis videre licet. *Erica plura eſſe genera.*

PRIMVM itaque genus Ericæ,ſimile eſt Myricæ, & Septentrionalibus regionibus maximè familiare, locis incultis, rarò ſupra cubiti altitudinem aſſurgens, plerumque minùs, tenuibus ramis,duris,lignoſis,fruticoſum,colore ex nigro rubeſcente: frequentia habet folia, è foliolis quaterno ordine diſpoſitis conſtantia, uti Cupreſſus, tamarix, & ſimiles, viridia admodum, quæ temporis ſucceſſu in ramulos efformantur: flores ſecundùm ramulos à medio ad ſummum vſque propendent bullati quodammodo, quaternis foliolis conſtantes,elegantiſſimo purpuræ dilutioris colore,interdum etiam,ſed rarò,albo. Bis quidem floret: ſed majore ex parte Autumno tantùm,licet nonnumquam etiam vere. Rariùs provenit in calidioribus regionibus. *Erica Myricæ folio.*

Iſti per omnia ſimilem plantam,ſed paulò elatiorem,folijs tomentoſis & incanis,paulò etiam dilutiore flore inveniebam incultis, ſupra Windeſoram Regum Angliæ Regiam, locis.

ALTERVM Ericæ genus diverſo à ſuperiore eſt folio: etenim Myricæ folio non reſpondet, ſed Corin, foliorum forma & ſitu admodum æmulatur. Iſtius autem generis multæ ſunt ſpecies, magnitudine, foliorum & florum forma,coloreque, inter ſe differentes. *Erica Coris folio.*

PRIMA, omnium quas vnquam conſpexi maxima, humanam altitudinem interdum ſuperat,fruticoſa admodum,ligno duro, exrubro nigricâte: folijs exilibus & brevibus, quaterno ordine ramos obſidentibus, guſtu admodum adſtringente, flore copioſo, racematim penè totos ramulos occupante, ut interdum majores rami pedali longitudine onuſti conſpiciantur: eſt autem is flos concavus, veluti exiguum cymbalum, oblongus, odoratus, pulcher, albus. I.

Naſcitur in Luſitaniæ ſolitudinibus inter Vlyſſiponem & Conimbricam celebrem ejus Regni Academiam: inveniebam etiam citra Tagum decimo ab Vlyſſipone miliari, inde Hiſpalim profecturus. Floret Novembri, Decembri, & Ianuario, his enim menſibus & obſervavi & legi.

Erica Coris folio II.

Erica maxima purpurascens Longioribus foliis C.B. pin. 485



Erica Coris folio III.

Erica major floribus herbaceis purpurascentibus C.B. pin. 485



Erica Coris folio IIII.

Erica major scoparia foliis deciduis C.B. pin. 485



II. ALTERA, ejuſdem ferè altitudinis cum prima, etiam fruticoſa, tenuioribus ramis tamen, ejuſdem cum ſuperiore coloris, exilibus ſimiliter folijs quaternis ramulos ſimul amplectentibus, quorum extremis oblongiuſculi flores inſident ſuperioribus ſimiles, colore purpuraſcentes. Tota etiam adſtrictionis particeps.

Provenit ijſdem quibus prima locis, illa etiam frequentior, & eodem tempore florens.

2. Non multùm illi diſſimilis, quæ Narbonenſi agro frequens, longiore paulò & copioſiore eſt folio, flore purpureo, minore, & extremis ramulis confertim ſtipato, cujus iconem exhibere videtur Clariſs. Matthiolus.

III. TERTIA illis perſimilis, paulò tamen humilior, aliquantulum majora & latiuſcula, nigrioraq; habet folia, quaternis ordinibus circum ramulos naſcentia: plurimos flores per intervalla ſecundùm ramulorum longitudinem naſcentes, ſuperioribus forma ſimiles, herbacei primùm coloris, deinde ex albo purpuraſcentes. Tota etiam adſtrictoria facultate prædita.

Supra Vlyſſiponem frequēs inter ſuperiores, pluribus tamen locis occurrit, ut etiam citra Tagum. Floret Decembri & Ianuario.

IIII. QVARTA etiam fruticoſa eſt, duorum cubitorum altitudine, nonnumquam amplior, fragili ligno, tenuibus & minutis folijs, ut in Corruda prima ferè, viridibus, quæ in deſiccatis nonnihil ramis facilè defluunt: iſtius flos reliquis minor eſt, cavus etiam & herbacei coloris. Extremis ramulis capitula è multis folijs compacta nonnumquam gignit, his nō multùm abſimilia, quæ in vulgari & duriore Thymo aliquando cōſpiciuntur.

Vulgaris

Erica Coris folio v.

Erica ternis per intervalla ramulis C.B. pin: 486



Erica Coris folio vi.

Erica similis cortice cinereo arbuti flore C.B. pin 486.



Erica procumbens dilute purpurea C.B. pin 486.

Erica Coris folio vii.



Vulgaris admodum hæc eſt toti Hiſpaniæ, Luſitaniæ & Aquitaniæ: nam ſpatioſis illis ſolitudinibus, & incultis inter Burdigalam & Bayonam locis, quæ vulgo *Landes de Bordeaux* nuncupantur, nullum ferè aliud virgultũ conſpicitur. Nota eſt etiam Narbonenſi Galliæ, conficiendis ſcopis maximè idonea. Verno tempore & ſub hiemem floret.

QVINTA minor eſt ſuperioribus, cubitalis v.
videlicet ut plurimùm altitudinis, ramis gracilibus fruticoſa, quos terni per intervalla ramuli ambiũt, ternis folijs admodum exilibus circa illos diſpoſito quodam ordine & ſerie naſcentibus: flores plurimos habet ſuperioribus paulo majores coloris purpurei obſoletioris, confertim circa ramulos longis pediculis inhærentes.

Incultis Luſitaniæ locis ſupra Vlyſſiponem frequens. Florebat iſtic Decembri.

SEXTA admodum ſimilis eſt quintæ, pau- vi.
lò tamẽ humilior, neque fruticoſa, ſed omnes ferè virgas ſeu tenues ramos à radice proferens ſingulares, cinericeo cortice obductos, quos ſerie quadam ambiunt ramulorum rudimenta, ſeu germina è multis folijs confertim naſcentibus conſtantia, nigrioris quàm alterius coloris: flores concavi, quintæ floribus forma ſimiles, elegãtiſſimi ſaturatioris purpuræ coloris, è longiuſculis pedicellis verticillato ambitu, per intervalla, & è ſummis ramis depẽdent.

Naſcentem hanc vidi in Caſtella veteri Hiſpaniæ, ſupra Lutetiam Galliæ, & in Anglia ſupra Windeſoram menſe Septembri florentem.

SEPTIMA

VII. SEPTIMA multos teretes humiq́ue procumbentes ramos habet, pedales, interdum etiam cubitales, ex atro purpuraſcentes. Hos plurima gracilia ambiunt foliola, Tertiæ folijs penè ſimilia, paulò tamen longiora, quaternis plerumque, interdum quinis verſibus ordine diſpoſita, adſtringente guſtu: floſculi in ſummis ramulis oblongi, concavi, purpurei dilutioris coloris, ex quatuor foliolis ejuſdem ferè coloris prodeuntes, qui maturi & reſiccati, nigricans & minutum ſemen continent: radix dura, lignoſa, in diverſa tendens: ipſi tamen procumbentes rami, humiq́ue diffuſi, tenues capillareſq́ue fibras nonnumquam agunt.

Copioſè admodum creſcit ſupra Sechof in aſcenſu Herren alben magno miliari germanico ſupra Gamingam: inveniebam etiam inter ſaxa & ſcopulos in ipſis Durꝛeſtein Snealben atque aliarum Styriacarum & Auſtriacarum alpium præaltis jugis, ubi Iunio & etiam ſerius floret. Inter Pragam & Noribergam etiam Iunio florentem colligebam anno M. D. LXXIX.

Erica Coris folio VIII.

Erica procumbens herbacea B.B. in 486.



Erica Coris folio IX.

Erica procumbens ternis foliolis Carnea B.B. in 486.



VIII. MINOR eſt octava, & pedalem altitudinem rarò ſuperat, magna ex parte humi procumbens, quaternis folijs, ramulos, contrario exortu, ſemper ambientibus: flores ſecundùm ramulorum ſummam longitudinem inter folia dependent, cavi, puſilli, in quatuor angulos deſinentes, herbaceo colore præditi, in quibus deinde ſemen: radix dura & lignoſa.

Maximâ copiâ naſcitur in aſcenſu montis illius qui ſuperandus eſt ijs qui Gaminga ad Sechof vicinaque loca proficiſci cupiunt, quo loco & florentem & foliacea capitula proferentem Auguſto menſe collegi, nuſquam alibi mihi conſpectam. Quartæ genus eſſe videtur pumilum.

IX. NONA, æquali cum illa excreſcit altitudine, tenuibuſq́ue virgulis prædita eſt humi diffuſis, ex purpura nigricantibus, quæ ſumma parte in multos plerumque ramulos dividi ſolent: folia in ordines & verſus digeſta, ut in reliquis, tenuia admodum, Ericæ ſextæ in Hiſpania & Gallia naſcentis folijs ſimilia, terna ſemper, quemadmodum in illa, æquali inter ſe ſitu virgulas ambiunt: ſummi ramuli onuſti ſunt concavis & oblongis floſculis extrema parte in quatuor angulos ſectis, coloris cum quatuor illis foliolis, unde enaſcuntur, carnei, octonis ſtaminulis nigricantibus, ſtiloq́ue purpuraſcente è medio floſculo emergentibus: ſemen maturitate nigricans, exiguum habet: radicem alijs ſimilem lignoſam. Adnaſcuntur interdum hujus etiam ramulis viridia capitula, è latioribus foliolis compacta, capitulorum Thymi modo.

Invenitur hæc apud arcem Stichſtain in ſilva illi imminenti qua ad Sneberg ex arce iter eſt, alia item ad ſiniſtram oppidi Neukirche ſilva, & nonnullis montanis Pannoniæ ſilvis. Floret ut plurimùm Aprili & Maio, quo tempore aſpectu venuſtiſſima eſt.

DECIMA


Erica Coris folio x.

Erica erecta bacci candidis B.h.pin:486.



Erica Coris folio xi.

Erica baccifera procumbens nigra B.h.pin 486.



Decima fruticoſa eſt, cubitalibus aſſurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquæ cortice: folia ſuperioribus ſimilia habet, ſed nigriora & craſſiora, trino ordine circum ramulos diſpoſita, calidiuſculi cum quadam adſtrictione guſtus. Septembri & Octobri fructum à reliquis differentem ſummis ramulis inhærentem gerit, pulcherrimum, candidum, tranſparentem, obſcuriores & inæquales uniones formâ & colore referentem, ſucculĕtum, acidi ſaporis, tria granula dura plerumque continentem, qui Novembri exſiccatur, & ſpontè decidit. An floreat ignoro, incolæ negabant, & fructum paulatim intumeſcere grandiuſculumq́ue fieri donec matureſcat affirmabant. x.

In unâ Luſitaniâ hoc genus obſervabam non procul Vlyſſipone inter Riofrio & Aldea galega, ubi qui Tagum traijcere volunt, naves conſcendunt, & etiam ſupra Vlyſſiponem ſolo admodum arenoſo, copioſo ſuo fructu albo onuſtum: ut initio mãnæ grana iſti frutici inhærentia exiſtimarem, adeò procul aſpicienti impoſuerunt: jam enim primùm exoriebatur Sol, & frigidiuſcula erat aura, utpote Novembris initio.

Hvmi diffuſa eſt Vndecima, & latas occupat areas, multis ramis lignoſis, flexilibus tamen conſtans, ex atro rufeſcente cortice tectis, qui interdum fibras agunt, ut latiùs ſerpere, & ſufficiens alimentum meliùs attrahere queant: aſſurgentes ramulos numeroſa ambiunt foliola, ternis, interdum quaternis verſibus diſpoſita, craſſa & carnoſa, ſuperiori ferè ſimilia, ſapore primùm linguam exſiccante, deindi acri & linguam vellicante: puſilli ad foliorum exortus floſculi, tribus foliolis conſtantes, coloris ex herbaceo ſubalbicantis, purpuraſcentibus ſtaminulis internè præditi: his ſuccedunt rotundæ baccæ, juniperinis haud minores, initio virides, maturitate nigræ, & purpureo ſucco, uti mora, plenæ, in quibus multa inæqualia & veluti triangula grana: radix lignoſa & dura eſt. xi.

Hanc florentem, & viridibus baccis onuſtam, multaſq́ue adhuc ſuperioris anni maturas retinentem, inveniebam in præcelſi montis, vulgò Wechſel appellati, ſcopulis, quinto ſupra Neapolim Auſtriæ urbem milliari, menſe Iunio: poſtea etiam Auguſto, immaturo & maturo fructu plenam in Sneberg & Snealben celſiſſimarum Auſtriæ & Styriæ alpium jugis. Illius etiam arenoſis Hollandiæ tumulis erutæ ramum ſuis baccis maturis & immaturis onuſtum ad me miſit N. V. Ioannes ab Hoghelande anno M. D. XC.

Certum eſt eam ipſam eſſe, quam Matthiolus in montibus qui Boëmiam à Sileſia diſjungunt inventam, bacciferam cognominat, ac deſcribit, tametſi ſubvireſcentem pulpam ſuæ fructui tribuat, quæ in mea nigricat, & purpureo ſucco manus inficit: ſed immaturis fortè baccis præditam obſervavit. Multum autem differt ab Oxycocco Cordi, ſive Vaccinijs

paluſtribus

paluſtribus Dodonæi. Hujus enim folia craſſa, carnoſa, & acriuſcula ſunt, illius autem latiuſcula, prona parte cana, refrigerantisque & adſtrictoriæ facultatis.

Erica Hirſuta anglica [illegible] m 486.

Erica XII.

XII.



DVODECIMA cubitali pænè eſt altitudine, fruticoſa, tenuibus virgulis prædita, quæ ternæ ſemper circum majores ex intervallis naſcuntur: folia ſimiliter terna ramulis innaſcuntur, exigua quidem, ſed latiora quàm in ſuperioribus, inferiore & terram ſpectante parte nonnihil cādicantia, hirſuta, guſtus adſtringentis: ſummi ramuli ad foliorum exortus verticillatim exornantur per intervalla ternis perpetuò floribus æquali inter ſe ſpatio naſcentibus, & in unam partem converſis, majoribus quàm in reliquis generibus, concavis, ventre magis turgido, coloris ex rubro purpuraſcētis, numero ſex, novem, duodecim, quindecim, aut pluribus.

Iiſdem cum Decima, & alijs Luſitaniæ arenoſis locis creſcit ut plurimùm. Floret Octobri menſe, & ſubinde ſemen exiguum, nigricans, quale reliquæ (præter bacciferas) profert.

XIII. DECIMATERTIA, foliorum forma non multùm ab hac differens, pleriſque Brabantiæ & Geldriæ locis creſcit: nonnullis item Caſtellæ veteris, pręſertim circa collem *la peña de francia* vulgò appellatum, in quo monaſteriū D. Virgini ſacrum, pedalibus ſolummodo fruticans virgis, tenuibus, ex rubro nigricantibus, frequentibus eas cingentibus folijs, quaterno ordine diſpoſitis, ſuperiore ordine anguſtioribus, & Thymi vulgaris minoribus, hirſutis tamen & piloſis: ſummis ramulis plerumque dependent quini aut ſeni flores ſimul juncti, Lilij convallium floribus ſimiles, paulò tamen oblongiores neque adeò vētrioſi ſicut prioris flores, coloris ut plurimùm ex rubro dilutiùs purpuraſcentis: interdum etiam albi. Floret Vere & Autumno.

Ἐρείκη. Tetralix. Ἐρείκη Græcis, Erica & Erice Latinis, Athenienſibus *Tetralix*, teſte Plinio (Theophraſtus quidem Tetralicem nominat inter plantas quæ æſtate germinant, ſed qualis ſit non deſcribit) Galli *Bruyere*, Itali *Erica*.

Primùm verò genus, quod folio Tamaricis eſt, Hiſpani *Quiribuēla*, Luſitani *Queiro* appellant, Germani Heyden/ Vngari, apud quos non minùs abundè naſcitur quàm in multarum aliarum Provinciarum ſolitudinibus, *têli zöd*, id eſt hiemale viride.

Alterius generis primam Luſitani *atorga* vocant: quartam *urs* & *urgueira*, Hiſpani *breço*: ſeptimam montani paſtores aliqui Zinneck: decimam Luſitani *camarinhera*, fructum verò *camarinhas*, eam Amatus Luſitanus ſuis in Dioſcoridem commentarijs *Acacalim* eſſe exiſtimat, cujus Dioſcorides ſtatim poſt Ericam meminit: duodecima Luſitanis *Iemerinha*.

Acacalis.

Ericæ facultates. FOLIORVM Ericæ ſuccus oculorum imbecillitatem ſanat, ſi oculis inſtilletur: flos & coma ſerpentium morſibus illitu medetur. Memini, dum Mompelij agerem, Clariſs. virum D Gulielmum Rondeletium, Regium tum Profeſſorem, felici ſucceſſu uſum eſſe oleo ex Ericæ floribus confecto, ad tollendos herpetes fœdos & jam inveteratos totam faciem occupantes.


Luſitani decimæ fructum, qui Septembri & Octobri venalis Vlyſſipone invenitur, febrientibus exhibent, ad ſitim qua premuntur reſtinguendam: avidè etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur. Si Acacalis eſt, aquam in qua maduerit ejus fructus, ad collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conveniunt, addi, teſtis eſt Dioſcorides.

PRVNVS MYROBALANVS. CAP. XXIX.

Prunus cognominata Myrobalanus.

FACILE adoleſcit hæc arbor, & in vaſtam excreſcit amplitudinem, majoreſque ejus rami ſubinde in alios diviſi, opacam admodum præbent umbram: caudex multò læviore gratioreque oculis cortice præditus eſt, quàm reliqua prunorum genera: tenuiores rami graciles admodum, tenerrimo cortice veſtiuntur: folia quodammodo media inter Prunum & Ceraſum, tenella, per ambitum ſerrata ſunt: flos candidus, tenuior quàm in vulgari: fructus,

Prunus Myrobalanus.



fructus, cujus alternis annis feraciſſimus eſt, rotundus, oblongo tenuique petiolo inter folia pendens, aſpectu jucundus, per initia viret, cùm matureſcere incipit rubet, maturitatem adeptus purpura nigro commixta nitet, carnem ſucculentam & palato gratam, nucleum non admodum magnum habet.

Floret cum alijs ejus generis novo Vere: ſub Iulij finem & Auguſto fructus maturitatem adipiſcitur.

NONDVM vulgaris erat, cùm eam deſcriberem: ſed qui habebant, ex Cæſarei Palatij horto nacti erant, ubi omnium primas conſpexi ejus arbores tres ingentes, unde primum eò delatas, incertum: nonnulli è Conſtantinopoli, alij è Gallia genus duxiſſe arbitrabantur. Certè ea arbor quæ Biturigibus Gallorum Myrobalanorum Chepulorum nomine oſtenditur, huic perſimilis eſſe videtur, ut ex ejus folio inde delato mihique donato à Cl. V. D. Ioanne Poſthio, nunc Palatinalis Elect. Archiatro, æſtimare licet.

2. Nunc in eodem Cæſareo horto illius genus alitur ex ſuperioris nucleo natum, quod minore fructu & dulciore pulpa eſt: in ceteris nihil à ſuperiore differt.

CVR huic generi Pruni, Myrobalani ſit appellatio data, me latet: nam nec fructus ſimilis eſt, neque oſſicula, quæ reliquis Pruni generibus ſimilia habet, licet parva, cum legitimorum Myrobalanorum oſſiculis ſive nucleis quæ caniculata ſunt & ſtriata, quidquam commune habent.

Arbutus.



ARBVTVS. CAP. XXX.

ARBVTVM Theophraſti à Dioſcoridea differre peritiſſimus rei herbarię Anguillara cenſet. Cujus ſanè ſententiæ non poſſum non ſubſcribere: cùm Arbutus mihi hactenus obſervata, cum Cotonea malo nihil ſimilitudinis habeat.

EST verò pumila arbor, aut potiùs frutex, frequentibus ramis, quorum ſummitates rubeſcunt: alioqui trunco & majoribus ramis ſatis ſcabro cortice tectis: folia nullo ordine & temerè naſcentia ramulos ambiunt, Laurinis ſimilia, ejuſdem interdum amplitudinis, per ambitum ſerrata, ſemper virentia, lævia & ſplendentia: flores extremis ramis ſingulari appendice racematim cohęrent, albi, qua parte Soli obverſi ſunt, nonnihil purpuraſcentes, concavi, Lilij convallium floribus perſimiles: fructus frago ſimilis, orbiculatus, multò major, & rotundis prunis interdum magnitudine par, initio viridis, deinde flaveſcens, poſtremò, cùm plenè maturus, rubro colore elegantiſſimo conſpicuus, interiore tamen carne palleſcente, edulis, & à tenuis fortunæ hominibus valdè expetitus, ideoque Vlyſſipone, & alijs quibuſdam locis venalis à ruſticanis mulierculis in foro proponitur: ſemen milio non majus, tenui membrana obductum in meditullio continet. *Arbuti hiſtoria.*

Bæticæ

Bæticæ & Luſitaniç incultis,inter Myrtum,Ciſtum,& alios frutices provenit,ſemperque ferè aut florens,aut fructu onuſta conſpicitur,imò interdum utroque abundans: ſolet enim deciduo flore,novum germen extremis ramis proferre,in ſponſionem alterius floris. In Narbonenſi Gallia naſcentem etiam obſervabam. Crevit etiam apud meos Belgas ſemine,& à nonnullis fictilibus exceptus, cum alijs perpetua fronde virentibus diligentiſſimè adſervari ſolebat.

Bellonius lib.I.Obſervationum cap.XLIII.refert in vallibus monti Atho (veteribus adeò celebrato) vicinis,Arbutos naſci vaſtæ magnitudinis,cùm alibi duntaxat fruticent:ut minus mirum videri debeat,ſi Iuba (referente Plinio Natur.Hiſtor.lib.XV. cap.XXIIII.) quinquagênum cubitorum in Arabia eas eſſe auctor eſt.


Κόμαρος. Μιμαίκυλον. DICITVR porrò Græcis *κόμαρος*, Latinis Arbutus,Gallis *Arbouſier*, Hiſpanis *madroño*, Luſitanis,addita aſpiratione *madronho*: fructus Græcis *μεμαίκυλον*, Latinis Vnedo, Hiſpanis *madroños*,Gallis *arbouſes*.

PLINIVS Nat. Hiſt. lib. XXIII. cap. VIII. ait unedonis fructum eſſe difficilem concoctioni & ſtomacho inutilem: lib. verò XV.cap.XXIIII. pomum ejus inhonorum, ut cui nomen ex argumento ſit,unum tantùm edendi. Athenæus lib. II. Deipnoſophiſtarum ſcribit, ei qui plures ſeptem Arbuti fructus ederit,caput dolore vexari. Longè tamen plures ab alijs devorari obſervabam,cùm per Bæticam & Luſitaniam, Vlyſſiponem profecturus, iter facerem,& ipſe multos edi ſine ullâ noxâ: verum quidem eſt non adeò grati ſaporis eſſe ut fraga.

Facultates. Amatus Luſitanus ex Arbuti folijs & floribus aquam vitreis organis elici ſcribit, eamque ſervari tamquam ſacratiſſimam adverſus peſtem & venena antidotum.

ADRACHNE THEOPHRASTI. CAP. XXXI.

Arbutus folio non Serrato C.B.Pin: 460



ISTIVS etiam iconem brevemque hiſtoriam,cum Oenoplia ſuprà deſcripta, mittebat idem Honorius Bellus.

Potulaca ſive ἀδράχνης hiſtoria. POTVLACA, inquit, ſeu *ἀδράχνη* Theophraſti, frequens provenit in Creta, montibus Leucis,& alibi inter ſaxa,fruticis potiùs, quàm arboris modo: perpetua fronde viret, foliaque habet laurinis adeò ſimilia; ut ſolo odore dignoſcantur: nam Adrachnes folium odore caret: caudicis & ramorum omnium cortex adeò lævis, rubens & ſplendens eſt, ut corallij rami eſſe videantur: æſtate rumpitur cortex,& in tenuiſſimas bracteas decidit,quo tempore neque rubens, neque ſplendens cernitur, ſed medium quendam inter pallidum & cineraceum colorem adquirit: florem & fructum bis, ut Arbutus, profert, & hunc quidem adeò ſimilem, ut alterũ ab altero nullo modo dignoſcere queas. Differt tamen arbor hæc ab Arbuto: quoniam tantùm provenit in montibus, neque folium ſerratum habet, neque corticem caudicis ſcabrum: ligni materies duriſſima eſt, fragilis tamen,quia flecti non poteſt: ruſticis igni ſtruendo ſervit, & ad verticilla conficiẽda mulierum fuſis appendenda. Theophraſtus recenſet hanc arborem,inter eas,quæ detracto cortice non intereunt, & perpetuâ fronde virent, hiemeque in cacumine folia retinent: quod ita ſe habere, à me obſervatum eſt: ideo iconem duplicem ad te mitto.

Nomen vulgare. Vocatur hæc arbor in Creta,& tota ferè Grçcia, *ἀδρακλα*. Hæc Bellus.

Nos autem ex Theophraſti de Hiſtoria Plantarum libris I.III.IIII.V.*ἀνδράχνης* (ſic enim habent exemplaria græca,tametſi potiùs *ἀδράχνης* legendum videatur, quia vulgaris notitiæ herba eſt *ἀνδράχνη*) hiſtoriam quàm pauciſſimis verbis concinnabimus.

Adrachnes hiſtoria ex Theophr. Virent, inquit,perpetuò ex ſilveſtribus [præter alias pleraſque] *ἀνδράχνη*, Arbutus &c. Andrachne quidem atque unedo, inferiora folia,ut apparet,abijciunt,ſummi autem rami (aſſiduè enim ramos gignunt) ſemper virent. Arbuto etiam ſimilia folia habet Andrachne, magnitudine non valdè præſtans,cortice albo & circumrumpi ſolito prædita, tum fructu Arbuto ſimili. Andrachne & Apharca primum fructum maturant, cùm uva dulceſcit: poſteriorem,cùm floret: bis enim iſtæ fructiferæ hieme ineunte videntur. Cortice autem in orbem detracto,omnes arbores ferè,necari videntur,excepta Andrachne,quæ tamen & ipſa,ſi quis carnem vehementer preſſerit,germenque futurum luxaverit,morietur:itaque veriùs,fortè,

excepto

excepto ſubere dixerim: hoc enim & juvari potiùs cortice detracto affirmant, videlicet tàm externo, quàm carni proximo, ſicut etiam Andrachnem. Andrachnes verò lignum mulieribus ad telas, ſive opus textorium expetitur.

Plinius autem cap. XXII. lib. XIII. Naturalis Hiſt. Adrachnen appellat. Adrachnen, inquit, omnes ferè Gręci portulacę nomine interpretátur, cùm illa ſit herba, & andrachne vocetur, unius litteræ diverſitate. Ceterùm adrachne eſt ſilveſtris arbor, neque in planis naſcens, ſimilis unedoni, folio tantùm minore & nunquam decidente: cortice non ſcabro quidem, ſed qui circumgelatus videri poſſit: tam triſtis aſpectu eſt. *Adrachnes hiſtoria ex Plin.*

HANC arborem multis etiam locis, in ſua peregrinatione obſervavit Petrus Bellonius, atque lib. II. Obſervationum cap. CIIII. ſcribit, iter facienti Halepo Antiochiam, in tumulis naſcentem ſibi conſpectam, cujus ramos ſuo fructu onuſtos, quilibet eorum qui comitabantur, abſtulerit, ut in itinere ederet: maturus enim erat, elegantique ſuo colore, ſingulos ad edendum invitabat. Racematim autem cohęrebat, magnitudine & colore fructus Rubus idæi, quem Galli *Framboiſes* appellant, molliſque erat ut Arbuti fructus.

Nos ejus iconem, qualem ab ipſo Honorio Bello accepimus, Lectoris oculis ſubijcere voluimus, tum qualis eſt ſuo fructu onuſta, tum hieme ſuo fructu privata, utramque eadem tabellâ expreſſam.


TINVS, ſeu Laurus ſilveſtris. CAP. XXXII.

INTER Lauri genera Plinius Nat. Hiſt. lib XV. cap. XXX. Tini meminit, nulli fortè veterum Latinorum præterea cognitæ, niſi M. Cato lib. de re Ruſtica cap. VIII. eam Lauri ſilvaticæ nomine intelligat. Ejus tria genera nonnihil inter ſe differentia obſervabam. *Laurus ſilvatica.*

PRIOR frutex magnitudine Cornum feminam æquat, virgasq; habet oblongas, quadrangulas, ramoſas; folia ordine diſtincta, perpetuo gemina ſimul inter ſe adverſa, magna, lata, Cornus feminæ folijs pænè ſimilia, ad laurina tamen accedentia, perpetua, hoc eſt immortalis viriditatis, nigricantia & ſplendentia, nullo odore, & amaro ſapore prædita cum nonnulla adſtrictione: ſummis ramis florum quinis folijs conſtantium umbellas profert candidorum & odoratorum: deinde fructus ſuccedit Myrti baccis paulò longior, planior, anguloſus, cærulei coloris elegantiſſimi. *Tinus I.*

Naſcitur præruptis & lapidoſis locis inter alios frutices, & in ſepibus circa oppida Luſitaniæ *Montemor ho novo*, & *Tomar*, ubi cum ſuo flore & fructu colligebam menſe Novembri, tametſi aliàs Iulio & Auguſto floreat, fructus Octobri maturus ſit.

Tinus II.



Tinus III.



ALTER, eadem qua ſuperior altitudine aſſurgit, frequentioribus & firmioribus ramis, cortice ex rubro vireſcente tectis: circa quos folia ſuperioris, aliquantulum anguſtiora & oblongiora, *Tinus II.*

longiora, pluribus venulis diſtincta, ſibi invicem oppoſita, ut in priore: flores extremis ramis umbellatim etiam naſcuntur, colore nonnihil foris purpuraſcente, minùs odorati quàm ſuperioris: fructus etiam minor eſt plenior, nigrior.

Vno dumtaxat loco in Luſitania quodam monaſterio *Pera Longa* dicto, locis incultis ſupra Vlyſſiponem recens extructo, obſervavi ſecundùm piſcinas, & deinde Bæticæ maritimis.

Tinus III. TERTIVS in Belgicis hortis mihi primùm conſpectus, ſemine ex Italia delato natus apud nobilem & clariſs. virum Ioannem à Boiſot, peritiſſimum & diligentiſſimum rei herbariæ cultorem, arbuſculæ magnitudine, quę ſingulis annis florem & fructum ferebat. Alunt nunc & plerique alij rei herbariæ ſtudioſi, nobilesq; viri & matronæ, ramis ex ea quam dixi arbuſcula detractis & terræ commiſſis enatos frutices. Minore verò eſt folio quàm ſuperiores, Laurino tamen latiore, lævi, nigricante, perpetuo, ramos ordine quodam per intervalla ambiente, ut in ſuperioribus generibus: umbellæ florum nonnihil foris purpuraſcentium ſummos ramos coronant, deinde fructus ex cæruleo nigricans, lævis, minor quàm in alijs. Bis plerumque floret Vere & ſub hiemem.

δάφνη ἀγρία. Silveſtris laurus. THEOPHRASTO lib. I. cap. xv. inter perpetuo virentes è ſilveſtribus, dicitur *δάφνη ἀγρία*, à Plinio Tinus & ſilveſtris Laurus. Luſitani priorem *Vua de perro* (eſt tamen & alia planta diſſimilis hoc nomine donata) Alterum *follado*, à foliorum ut arbitror frequentia, Bætici *durillo*. Italicam Anguillara *lauro ſalvatico* vulgari nomine dici ſcribit, & à Brutijs *Moleſſo*: Bellonius *Ientagine* nuncupat.

ALATERNVS. CAP. XXXIII.

HVIVS fruticis perpetuo virentis duo genera, in mea peregrinatione Hiſpanica obſervare memini.

Alaternus I.

Phylica elatior C.B. Pin: 476



Alaternus II.

Phylica humilior C.B. Pin 477.



Alaternus I. VNVM arboreſcens interdum, longis ramis, non admodum craſſis, neque in multas alas diuiſis, flexilibus deinde virgultis, quæ externo cortice è candido vireſcente integuntur, latente ſub eo membrana quadam flaveſcente quæ lignum ambit: ramos veſtiunt incondito ordine diſpoſita folia, media inter Oleæ atque Ilicis folia magnitudine, craſſiuſcula, leviter per ambitum ſerrata, ex viridi nigricãtia, guſtu ingrata, & cum amaritudine paululum mordicantia: ad ſingulorum foliorum qui in ramulis naſcuntur, exortus, flores oleæ ſimiles, coloris ex herbido palleſcentis, racematim ex oblongis pedicellis dependent vere, interdum etiam media hieme. Nullum in hoc fructum vidi.

Alaternus II. ALTERVM multò humilius eſt, ramis brevioribus, cortice qui eos ambit, ex albo, viridi, & purpuraſcente coloribus ſimul permixtis infecto: folia illi ſuperiore minora, magis circinatę

rotundita-

rotunditatis, in ambitu etiam ſerrata: ex foliorum alis flores è longiuſculis pediculis dependent ut in ſuperiore, illis tamen majores, & coloris magis herbacei: quibus ſuccedit fructus racematim cohærens, Lentiſcini magnitudine, initio viridis, deinde nonnihil rubeſcens, qui tribus nucleis conſtare videtur: pleniorem, & nigri coloris, maturitate fieri arbitror, nam immaturo fructu colligebam Aprili, & floribus onuſtum Februario & Martij initio.

Primum genus Vlyſſiponeſi agro, locisq; vicinis in Luſitaniâ obſervabam. Alterum etiam ijſdem locis, præterea multis Bæticæ, tum Granatenſi regno & Valentino.

PLINIVS lib. XVI. cap. XXVI. Alaterni meminit, cui folia inter Ilicem & Oleam tribuit. Hæc adeò cauſa fuit cur huic frutici Alaterni nomen dederim, non Celaſtri quem Theoph. *Celaſtrus Theophr.* etiam inter perpetuo virentes recenſet, & tardè fructum maturare ait. Nec refert quod Plinius Alaternum neget fructum ferre, etenim in arbore non valdè ſibi nota hallucinari potuit, quemadmodum in ceteris quas eodem loco commemorat. *Plinio Alaternus ſterilis.* Fructum, inquit, arborum ſolæ nullum ferunt, hoc eſt, ne ſemen quidem, tamarix ſcopis tantùm naſcens, populus, alnus, ulmus attinia, alaternus, cui folia inter Ilicem & Oleam. Nemo enim rei herbariæ adeò ignarus eſt, qui alnos ex ſemine, quod in globulis adultiores ferunt, naſci non ſciat, cùm & ipſis ruſticis id ſit notum: tamarix ſanè ex ſemine non ſemel mihi nata eſt: populos, ſalices ſeminibus pappoſa lanugine involutis provenire, ulmos item attinias ex ſamaris (ferunt enim ſemen ſed minùs quàm latifolia) plerumque vidi.

CETERVM Alaternum eandem cum Theophraſti Philyca eſſe, Bellonius lib I. Obſervat. cap. XLII. cenſet. Nemo eſt in monte Atho, inquit, cui arbor Plinio Alaternus dicta, veteri legitimo nomine, quo ipſe Theophraſtus illam donavit, Philycæ, ignota ſit: Corcyrenſes verò & Cretenſes *ἐλαίπρινον* appellant, quia ejus folium inter Ilicem & Oleam medium eſt, teſte Plinio. *Philyca Theophr. ἐλαίπρινος.* Theophraſtus quidem varijs locis in ſua Plantarum Hiſtoria *τῆς φιλύκης καὶ τῆς κηλάστρου* meminit, ſed formam non deſcribit: utramque tantùm maturè germinare, & ſerò fructum reddere, Philycæ honorem in alendo pecore, ſemper enim fronde abundare, maximè flexibilem eſſe, candoreque Celaſtri.

Luſitanis prior *caſca* appellatur, quibuſdam *filiguero* & *ſanguentio*: Gallis, Bellonio teſte, *Dalader*, & *ſanguin blanç*: Lucenſibus *Iletro*. Anguillara Alaternum vocari tradit vulgari appellatione *Alatrerna* & *Linterna*.

Nullum illius uſum medicum novi. Sed Luſitani aſſerebant ejus cortice in aqua decocto piſcatores ſua retia ſubrutilo colore inficere: & tinctores è fragmentorum ligni, quod pallet, decoctione, nigreſcentem è cæruleo colorem conciliare.

PHILLYREA. CAP. XXXIIII.



PHILYRAM, de qua Theophraſtus, à Phillyrea Dioſcoridi deſcripta diverſam eſſe, nemo, ut opinor, jam ignorat. Nos de Phillyrea hîc agemus, cujus aliquot genera in Hiſpanijs & Narbonenſi Gallia obſervabam, omnia folijs concinno ordine diſpoſitis, & contrario inter ſe petiolorum exortu naſcentibus, ut in Olea, Myrto, & pleriſque alijs.

PRIOR altius aſſurgit quàm Ilex coccigera, ramoſque habet pollicaris vel etiam amplioris craſſitudinis, cortice viridi, ſed candicantibus maculis aſperſo, tectos: folia Ilicis coccigeræ, majora, viridiora, craſſiora, in ambitu nonnihil ſpinoſa, adſtringentis quidem guſtus, ſed non ingrati. Hujus flos non eſt mihi conſpectus, ſed fructus Lentiſcino æqualis, è foliorum alis dependens, maturitate niger, oſſiculum continens. *Phillyrea I.*

ALTERA priorem magnitudine ſuperat, multis ramis candicante cortice obtectis prædita: folijs Alaterno priori pænè ſimilibus, firmioribus tamen, & minùs nigricantibus, ſaporis quidem aliquantulum acris, ſed in quo amaritudo ſentiatur. Neque iſtius florem conſpexi, ipſum autem fructum racematim inter folia propendentem, magnitudine granorum piperis, aut fructus Myrti, rotundum, nigrum, calidi guſtus, oſſeum & durum nucleum candido & fragili cortice obductum continentem, Decembris initiò legebam. *Phillyrea II.*

TERTIA ſuperioribus minor eſt ut plurimùm: illius tamen arbuſculam videre memini duorum hominum altitudinem æquantem, & ab illa ramulum ſuis floribus onuſtum avel- *Phillyrea III.*

Phillyrea II.

Phillyrea folio leviter serrato C.B. pin 476



Phillyrea III.

Phillyrea folio Ligustri C.B. pin 476



Phillyrea IIII.

Phillyrea angustifolia prima C.B. pin 476



lebam, è quo ſubjecta icon delineata eſt, & cum pleriſque alijs ſtirpibus in meâ peregrinatione collectis adſervatur. Ejus autem rami exalbido cortice teguntur, ut in alterâ, aliquantulum rugoſo: folia habet ſuperioribus anguſtiora, nullis crenis ſerrata, ejuſdem ut in præcedente coloris, adſtringentis guſtus: flores oleæ ſimiles puſillos, ex herbaceo candicantes, confertim inter foliorum exortus naſcentes: fructum deinde rotundum, ſuperiori ſimilem.

Phillyrea IIII. QVARTA humanam altitudinem æquat, ramos tamen minores & frequentiores habet quàm ſuperiores, nigriore cortice tectos: folia Oleaſtri, anguſtiora, viridiora, amaritudinis non expertia: flores etiam exiguos, albicantes, oleæ ſimiles, ſimul congeſtos, & inter foliorum alas circa ramulos naſcentes: quibus ſuccedit fructus, maturitate niger, baccarum Myrti magnitudine, oſſiculo duro præditus.

Phillyrea V. QVINTA, jam deſcriptæ, forma, magnitudine ſimilis, in hoc differens quòd ejus rami tenuiores, rariores minuſque conferti: frequentiores etiam habet virgas à radice germinantes, fractu ſatis contumaces: folia etiam ex adverſo diſpoſita, paulò longiora & anguſtiora quàm Quarta, oleaſtrinorum modo firma, ſaturatiùs vireſcentia, ſubacris ſaporis. Hanc & flore & fructu carere incolæ mihi affirmabant: ſed utrûque ſuperiori ſimilẽ proferre non dubito. altera

Natales. Prior frequens eſt in Luſitaniæ incultis circa Eboram. Altera varijs Luſitaniæ locis, in ſepibus, ſed nuſquam copioſior quàm circa Tomar inſignem pagum, unde plurimum fructum in Belgium detuli. Tertia deſertis Bæticæ locis: ejus etiam unicam arbuſculam in Narbonenſi

nenſi Gallia conſpiciebam ad ingreſſum pagi *Peraul*, vicini Volcarum ſtagno, ſecundo à Mompelio miliari. Quarta abundè in Caſtella nova Hiſpaniæ, locis incultis non procul à Tago flumine diſſitis invenitur,& frequenter Mompeliano agro in ſepibus. Quintam nuſquam alibi vidi quàm in incultis Caſtellæ veteris & Bæticæ.


Omnes autem, præter ſecundam, cujus fructus amicis à meo reditu communicatus,& à pleriſque terræ creditus non eſt natus, non modò in cultiſſimis hortis Illuſtrium virorum Dn. Caroli à Divo Audomaro, Domini in Dranoutre, Moerkerke,&c. Dn. Ioannis de Brancion, ſed etiam in elegantiſſimis Nobilium virorum Dn. Ioannis Dilfi, Ioannis Boiſot, Generoſæ Dn. Mariæ de Brimeur Magnifici viri Conradi Scheti uxoris, Raphaëlis de Coxia pictoris Regij, Georgij van Rye mercatoris Machlinienſis, & aliorum quorundam rei herbariæ ſtudio ſe oblectantium,conſpectæ aliquando fuerunt. Et poſteriora quidem tria genera alias ſpecies peperiſſe videntur: nam quædam breviore & latiore folio, aliæ longiore & anguſtiore, quædã etiam ſerrato aliquantulum folio natæ ſunt, à matre nõnihil degenerãtes.

Φιλλυρέα Græcis dicta, Latinum nomen non habet: ſed græca voce Phillyrea dicenda. Prior à quibuſdam vernaculo Hiſpanorum ſermone *azebo* dicitur, illius ſemen Oxyacanthę nomine ad Belgas miſſum. Altera Luſitanis *adorna*. Tertiæ, quartæ, & quintæ indifferenter nomina dabant incolæ, modò *piadera*, modò *ladierna*, nunc *lentiſco*, nonnulli etiam *torviſco* (quod Thymeleæ proprium & peculiare eſt) nuncupantes. Tertium genus Peraulanis ſtagni Volcarum accolis, ſi benè memini, *alader* dicebatur. Quartum verò meo tempore Mompelianæ academiæ ſtudioſi, nunc Oleaſtrum, interdum etiam Halimum appellabant. *Φιλλυρέα.*

DIOSCORIDES Phillyreæ folia commanducata, ad oris ulcera commendat, vel eorum decocto collui os jubet: pota verò urinam ac menſes ciere dicit. *Facultates.*

HALIMVS. CAP. XXXV.

Halimus Latifolius ſive fruticoſus Bbb. Pin 120.



VNVM Halimi genus Dioſcorides tradit. Plinius Naturalis Hiſtoriæ lib. XXII. cap. XXII. duo genera recenſet, & tertium ex Crateva addit.

HALIMVS ergo Dioſcoridis, quem & majorem & latifolium appellare licet, frutex eſt omnino candidus, Rhamno ſimilis, ipſo etiam candidior, eademq; altitudine aſſurgens, multis ramis ex una radice prodeuntibus, craſſis, lignoſis, & fragilibus, nullis rigens ſpinis: folia oleæ, ſeu potius Rhamni, breviora tamen & latiora, interdum rhomboide figura, alba, carnoſa, quodammodo ſplendentia, ſaporis acidi, circa ramos, nullo ſervato ordine temerè naſcuntur: flos oleæ pænè, muſcoſus, purpuraſcẽs, racematim in ſummis ramis cohæret: deinde ſemen latum Atriplicis, aut portulacæ quam marinam vulgò appellant, copioſum: radix dura eſt, lignoſa, & in multos ramos ſparſa. Floret æſtate, ſemen Autumno matureſcit: inveni etiam Decembri florentem & maturo ſemine onuſtum. *Halimus I.*

PLVRIMVS ſponte provenit Vlyſſipone viciniſque locis ad Tagum, aut ejus oſtia, & æſtuaria mari proxima in ſepibus mixtim cum Rhamno, aut ſolus: Hiſpali item in ſepibus. Natus etiam nobis ſemine quod Vlyſſipone attuleram, quem etiamnum apud quoſdam rei herbariæ ſtudioſos ali exiſtimo: verùm minùs albus erat quàm natali loco, & ampliora nactus folia, Atriplicis ſilveſtris ferè magnitudine & forma, carnoſa tamen, & ſalſedinis nonnihil retinentia. *Natales.*

Fruſtra hunc, verbis Amati Luſitani inductus, Salmanticæ ad ædem D. Virginis, cui cognomen *de la Veiga*, fluvio Thormi vicinam, ſepe requiſivi: ſed Rhamnum iſtic frequentem, quemadmodum tota illa ſuburbiorum parte inveni: niſi Atriplicem ſilveſtrem, illic ut pleriſque alijs locis ſatis abundè naſcentem, pro Halimi frutice fortaſſis ſumpſerit.

HALIMI genus aliud, ſupra cubitalem, aut ſeſquicubitalem non aſſurgit altitudinem, flagellis potiùs, quàm ramis, adeò infirmis, ut plerumque procumbant & humi fundantur, candidis quidem illis, ſed minus ſuperioris ramis: hujus folia oblonga, anguſta, pinguia & carnoſa, cinerei & albicantis coloris: flos ſummis flagellis racematim cohærens innaſcitur, *Halimus II.*

Halimus angustifolius procumbens C. Bauhino.

Halimus II.



herbacei potiùs quàm purpuraſcentis coloris, deinde ſemen ſuperiori penè ſimile, paulò tamen minus. Floret quo ſuperior tempore.

In maritimis regni Valentini naſcitur: videre & legere etiam memini in aggeribus illius Inſulę, quam duo Rhodani cornua faciunt, inter Fanum D. Ægidij & Arelaten, cum Mompellio Arelaten & inde Maſſiliam proficiſcerer. Alitur etiam à noſtratibus in hortis. Alebat etiam Viennæ in ſuo horto cultiſſimo Cl. Vir Doctor Ioannes Aicholtzius inſignis Medicus, & dùm vixit amicus cariſſimus, adeò prolifico ſemine, ut plurimæ illi plantulæ ſingulis annis ſponte naſcerentur.

Halimus.III. A D Halimi etiam genera referri poteſt alia planta non modò in maritimis Mediterranei maris, ſed etiam ad Oceanum ſitis, ut in aggeribus Flandriæ, Zelandiæ, & Hollandiæ naſcens, pedalibus ramis, humi procumbentibus, ex cinereo colore purpuraſcentibus, folijs priori ſimilibus, pinguioribus & magis carnoſis, minùs tamen incanis, & ex viridi potiùs caneſcentibus: flos etiam extremos ramulos ambit racematim, ex herbaceo purpuraſcens, deinde ſemen ſecundo ſimile.

CL. Vir Iacobus Dalechampius (ipſum enim magnæ illius Plantarum Hiſtoriæ, quæ proximis his annis Lugduni apud Rovilium expreſſa eſt auctorem eſſe judico) verùm Dioſcoridis Halimum Tholoſæ in hortis coli ait: ſed cùm fructum Ribes vulgari ſimilem ei adpingat, dubia mihi eſt ejus fides: Dioſcorides enim nullius fructus in ejus Hiſtoria meminit: nec ipſe etiam Plinius. Ego verò primum quem deſcripſi, legitimum Dioſcoridis ἅλιμον eſſe cenſeo, & mitius genus Plinij: Luſitani *Salguedeiras* à ſalſugine, Hiſpalenſes *mariſma*, quòd maritimis creſcat, appellant. Alter ſilveſtre genus Plinij videtur, cui tenuiora folia tribuit: illius vulgare nomen mihi ignotum. Tertius vulgò Portulaca marina dicitur.

ἅλιμος.

Omnes autem perpetua ſunt fronde, & aliquid adfine cum Atriplice ſilveſtri (cujus varia inveniuntur genera foliorum amplitudine & exilitate inter ſe differentia) habere videntur, & fortè etiam facultates non diſſimiles.

Halimi facultates. HALIMI folia Dioſcoridi & Plinio, cibi gratia decoquuntur: radix drachmæ pondere in aqua mulſa pota, tormina diſcutit, ruptaque & convulſa mitigat. Plinius deinde utrumque genus prodeſſe dyſentericis etiam exulceratis cum pane, ſtomacho verò ex aceto. Vlceribus vetuſtis illini crudum, & recentium vulnerum impetus lenire, & luxatorum pedum ac veſicæ dolores: ſed in eiſdem remedijs, effectus majores ſilveſtris eſſe, & in ſananda hominum ac pecorum ſcabie: ſemine linguæ ſubdito ſitim non ſentiri &c.

Luſitani certè tenellas prioris, atque etiam Rhamni cimas in cibos recipiũt. Clariſs. eques Damianus de Goës, idemque vir doctiſſimus Halimi majoris folia cum furfuribus decocta, & podagris quæ à calida cauſa proveniunt, malagmatis modò calida impoſita, dolores lenire mihi affirmabat, cùm Vlyſſipone eſſem.

Tertij generis turiones & folia Flandri, Oceani accolæ, ſale condire ſolent, & in vſum ſervare, non ſecus ac Tyrrheni maris maritimis vicini, fœniculum marinum.

FRVTEX CORONARIVS. CAP. XXXVI.

Syringa vulgaris. VALDE elegans eſt hic frutex, multis ab radice longis virgis præditus, rectis, cinereo cortice tectis, digitalis aut majoris craſſitudinis (quæ tandem brachialis interdum evadit) nodoſis & quodammodo geniculatis, multam medullam in ſe continentibus: hæ deinde in multos tenellos virides ramos ſpargũtur, quos ex intervallis bina ſemper folia contrario pediculorum exortu naſcentia exornant, laurinis majora, oblõga, per extremum mucronata, rugoſa, viridia, in ambitu crenata, amariuſculi, primùm deguſtantibus, saporis, deinde acris: flores extremis ramulis inſident, terni, quini, ſepteni, nonnumquam plures, bini ſemper inter ſe oppoſiti, extremo impare: conſtant ij quatuor folijs mucronatis, albis, numeroſis fibris pallidis mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, odor jucundè gravis, qualis in aureorum malorum & citriorum floribus: his ſuccedunt capitula è multis quaſi valvulis compacta, ſupernè obtuſa, primùm viridia, deinde maturitate nigricantia, quibus


quibus dehiſcentibus, oblongiuſculum & tenue ſemen excidit, quod plerumque novellas plantas ſequente anno procreat: naſcitur etiam avulſione, & ſtolonibus radices ſpargentibus mirè ſe propagat. Floret Iunio, ſemen Auguſto maturum eſt.

Nuſquam ſponte naſcentem hunc fruticem vidi, ſed in Belgicis hortis mihi primùm conſpectus, neſcio unde delatus: poſtea in Hiſpanijs unus aut alter, è Belgio haud dubiè miſſus. Nunc pauci ſunt, in Germania, alijſque vicinis regionibus horti, in quibus ob odoris ſuavitatem & elegantiam non alatur.

Ostrya ulmo similis fructu in umbilicis foliaceis

Frutex coronarius.

Syringa alba sive philadelphus Athenaei B: Pin 398



ὄστρυς Theophraſti.



AN veteribus fuerit cognitus hic frutex, nondum ſtatuere poſſum: paſſim verò ab Herbarijs Frutex coronarius, quòd ejus flos odoratus in coronas interdum addatur, & Syringa à virgarum rectarum longitudine & fungoſæ interioris medullæ copia, appellatur: Auſtriacæ matronæ, Welſche holder/ id eſt, italicam ſive peregrinam ſambucum à florum odore vocant. *Frutex coronarius. Syringa.*

Sunt qui ὄστρυν Theophraſti eſſe cenſeant. Sed cùm illius ὄστρυς, quam à nonnullis ὀστρύαν appellari dicit, adeò luculenter ſit ab ipſo deſcripta Hiſt. Plant. lib. III. cap. X. non video quibus rationibus ſuam opinionem ſtabilire poſſint. Nemo enim in re herbaria vel mediocriter verſatus eſt, qui non agnoſcat Oſtryn ſive Oſtryam, illam eſſe arborem quæ in omnibus penè Germaniæ, Galliæ, Pannoniæ, & multarum aliarum Europæ Provinciarum ſilvis obvia eſt, τῇ ὀξύᾳ ſive fago, non fraxino, ut vult Plinius, qui lib. XIII. cap. XXI. Natur. Hiſt. eam deſcribit, corpore & cortice ſimilis, folijs fagi ſed minoribus, durioribus, per ambitum ſerratis, non ſplendentibus ſupernè ut illa, ante hiemem tamen, priuſquam defluant, ſimiliter flaveſcentibus, extremis ramulis ſpicam alatarum ligularum, in quibus ſemen hordeo ſimile latet, propendentem ferens. Herbarijs quibuſdam Fagulus dicitur, neſcio quo auctore, niſi fortè à fagi ſimilitudine nominis occaſionem ſumpſerint. Germani Hanen buche appellant, Galli *Cherme*, Atrebates mei populares ad græcam vocem alludentes *Heſtre*, è cujus craſſioribus virgis crates texuntur. *ὄστρυς ἢ ὀστρύα Theophr. Plinius emaculatus.*

Coronarius porrò frutex an vllum in medicina uſum obtineat, nondum intellexi: ſed nobiles apud nos matronæ, floribus ſyndone munda exceptis, & in conclavi ab aëre perflato ſupra menſam ſtratis, ſinguliſque diebus marcidorum & pridianorum loco recentibus ſuppoſitis, chirothecas ſuavi odore imbuere ſolebant.

EST alius quidam frutex à noſtris etiã Syringa vocatus, ſuperiori diſſimilis. Nam quamvis ab eadem radice multas proferat virgas rectas & nodoſas, magis tamen fraxini, quàm Syringæ ſuperioris, tenellas virgas referre videntur: multis etiam fruticat ramis, circa quos ad ſingulos nodos bina folia contrario ſitu naſcuntur, latiora quàm in præcedente, & longiore *Syringa cæruleo flore.*

nixa

Syringa Cærulea B. Pin. 398.

Syringa cæruleo flore.



Lilac Matthioli.

nixa petiolo, craſſiuſcula, dura, nigricantia, & ad populi nigræ ſive hederæ foliorum formam accedentia: ſummis ramis oblongos veluti racemos fert, è quibus multi flores ſuperiore minores, obſoletioris cærulei coloris dependent, odorati quidem, minus tamen quàm prioris Syringæ: ijs ſuccedit longiuſculus fructus, duabus veluti mẽbranaceis valvulis conſtans, quo bina oblonga & compreſſa ſemina continentur, coloris ex atro rufeſcentis. Facilè pangitur.

Hunc etiam alunt noſtratium horti, atque plerique Germaniæ, & aliarum Prouinciarum: floret cum ſuperiore, interdum maturius.

LILAC hunc vocat Doctiſs. Matthiolus, & ex pictura quę Conſtãtinopoli fuit illi allata, tum ramulis flore & fructu refertis ab Antonio Cortuſo ſibi miſſis, qui ex Aphricâ acceperat; ſed in eo fallitur quod fructum piſtacijs ſimilem illi tribuat, nucleo intus conferto & admodum pingui, ex quo oleum exprimatur, quod de Ben appellant: nam hujus fructus multum à Piſtacijs differt, ut ex ejus hiſtoria liquet.

Bellonius hujus meminiſſe videtur Obſervationum lib. III. cap. L. Nam poſtquam dixit Turcos nullis parcere ſumptibus, & ſummam adhibere diligentiam, in conquirendis exoticis arboribus, quæ elegantibus floribus ſint præditæ, addit: Alunt fruticem hederæ folijs perpetuò virentem, violaceis floribus, oblongum pediculum ambientibus, & vulpinæ caudæ craſſitudinem ęquantibus, qua de cauſa ipſi ſua lingua vulpinam caudam appellant.

Cauda vulpina.

Verùm noſtra Syringa cærulea perpetuam non habet comam, ut ille Caudam vulpinam habere aſſerit: ſed deciduo eſt folio, ut ſuperior.

Evonymus Latifolius B. Pin. 428

Evonymus I. ſive latifol.



Evonymus I. latifolius.

EVONYMVS. CAP. XXXVII.

NON minùs familiaris eſt univerſæ Pannoniæ Evonymus vulgo dictus, quàm reliquis provincijs quas quidem adij: alit tamen etiam quædam alia ejus genera nuſquam alibi mihi obſervata.

VIRGAS habuit primum genus, cùm id reperi, cubitales duntaxat, lẽtas & fractu contumaces, quas ambiebant bina folia ex adverſo ſemper naſcentia, leviter in ambitu ſerrata, Evonymi vulgaris folijs non abſimilia, quod ad formam attinet, ſed longè majora, Citriæ mali folijs amplitudine non cedentia, viridia, guſtus ingrati & amari: radicem digitalis craſſitudinis ſumma tellure in cubitalem longitudinem excurrentem, multiſq; flaveſcentibus fibris donatam. Nullos tum flores obſervabam: ſed poſteaquam in cultiſſimo horto C.V. Doctoris Ioannis Aicholtzij, Viennenſis Medici, vetere amicitia mihi cõjuncti, cui binas ſtirpes quas erueram, adoleverunt; ad humanã vel ampliorem altitudinẽ poſt paucos annos excreverunt, ampliora folia nactæ ſunt, flores & ſemen tulerunt. Maio enim menſe oblongi tenueſq; inter infima folia pediculi nati ſunt, è quibus aliquot dependebãt floſculi, quatuor albicãtibus foliolis & ad carneum quodammodo colorem accedentibus præditi, forma perſimiles Evonymi vulgaris floribus:

floribus: quibus ſucceſſit fructus, ut in vulgari, quadrangulus, interdum etiam quinque angulis conſtans, major tamen, & quaſi alatus, maturitate dehiſcens, & alba grana aurea pulpa incluſa nonnumquam Auguſto, ſed potiſſimùm Septembri menſe continens. Sub Autumni finem, folia abjicit cum reliquis arboribus quibus perpetua non eſt coma, & extrema ramulorum cuſpide oblongam gemmam, ſpem proximæ novo vere germinationis, producit.

Vno dumtaxat loco hunc fruticem obſervabam anno reparatæ ſalutis humanæ M. D. LXXIX. Maio menſe in ſilva illa quæ ex *Grebèn* Ill^ris^ Dn. Balthaſaris de Batthyan arce deſcenſus eſt verſus Waraſdinum, ea Pannoniæ parte, quæ olim Interamnis appellabatur, nunc autem Slavoniæ nomen obtinet, Germani Windiſchelãd vocant, ultra Dravum flumen: & inde binos illos frutices Viennam adferebam. *Natales.*

Evonymus granis nigris [illegible] 428.

Evonymus II.



BICVBITALIBVS ramis aſſurgit alterum, aut etiam majoribus, digitali, interdum pollicari craſſitudine, lentis & obſequioſis, déſo cortice obductis, viridi primùm, deinde multis nigricantibus maculis aſpero, qui in ſummo dividuntur in plures ramulos, ordine & ſerie quadam inter ſe oppoſitos, quos exornant folia ſimiliter ex adverſo ſita, latifoliæ Myrti folijs paria, teneriora, leviterque in ambitu crenata, guſtu primùm exſiccante, deinde amariuſculo & calido: è quorum ſinu, in oblongis gracilibuſque pedunculis, unus, bini, aut ad ſummum terni floſculi ſplendentes & purpuraſcentes dependent, quatuor foliolis conſtantes, umbilico quadrato, & luteis ſtaminulis quatuor angulos occupantibus, Coggygriæ flori non multùm abſimiles, majores tamen: fructus ſuccedit in quadrangulis ſiliquis vulgaris Evonymi ſimilibus, ſpongioſus, aurei coloris, ijs dehiſcentibus tenui filo propendens, in quo grana extima parte nigra & ſplendentia, Fraxinellæ granorum inſtar, bina interdum & terna eodem loculo & pulpa comprehenſa. *Evonymus II.*

Copioſè naſcitur in ſilvoſis utriuſque Pannoniæ montibus: ſed qui Alpes attingunt, id alere deſinunt. Invenitur & in Moravia: nuſquam verò abundantiùs, quàm in ſilva arci Greytzenſtein Ill. Comitis Nicolai de Salmis vicina, ſecundo à Vienna Auſtriæ miliari, ad lævam Danubij ripam. Floret Maio: fructus Auguſto plerumque matureſcit, maturiùs quàm vulgaris, & primum genus hîc deſcriptum. *Natales.*

Ευώνυμον Græcorum, Evonymus Latinorum cenſetur potiori doctorum virorum parti is frutex qui apud Herbariorum vulgus tale nomen obtinuit, tametſi quidam aliter ſentiant, & τετραγωνίαν (Gaza quadratoriam vertit) cujus ſolum nomen apud Theophraſtum lib. III. Hiſt. Plant. cap. VI. inter ſero germinantes invenitur, eſſe volunt: ejus autem εὐώνυμον, aliam quandam ſtirpem, quam infra ſuo loco deſcribam. *Εὐώνυμον.* *Τετραγωνία.*

PORRÒ vulgarem Evonymum à capris maximè appeti, & ejus folijs avidè ſine noxa veſci, dum in Pannonia eſſem, didici, eamque ob cauſam, ab Vngaris *kechke rago ſa*, id eſt, à capris roſa arbor dicitur: licet id Theophraſti opinioni repugnet, qui Evonymi folia, capris præcipuè, mortifera eſſe ſcribit. Germanis autem Spindelbaum dicitur, Gallis *Fuſain*, & *bois à faire lardoires*. *Evonymus vulgaris.*

PERICLYMENVM. CAP. XXXVIII.

VVLGARIS Periclymeni, duo genera ſunt cognita, utrumque vicinis fruticibus plerumque ſe circumvolvit: ſed illud quod in Septentrionalibus Regionibus naſcitur, extremis ramis multos flores odoratos admodum, & rubrum fructũ in unum caput coactum profert; alterum in calidioribus regionibus veluti Italia, Hiſpania, Narbonẽſi Gallia creſcit, latioribus folijs & binis aut ternis acetabulis extremos ramulos ambientibus, in quorum ſingulis ſeni plerumque flores exoriuntur præcociores & minùs odorati quàm in priore, quibus ſuccedunt baccæ ferè puniceę. Vtrumque genus Belgicis & Germanicis hortis valdè familiare, pergulas interdum veſtit. Neutrum ſponte naſcitur, quod ſciam (certè non obſervavi) in Vngaria, Auſtria, Bohemia: Matronæ Auſtriacæ Roſen von Jericho appellant. *Periclymeni duo genera.*

ALIVD porrò genus eſt, quod nullo adminiculo egens, per ſe conſiſtit. Iſtius plura genera obſervabam. Nam præter primum, cujus cùm luculenta deſcriptio extet Pemptade III. lib. III. *Secundi generis. Periclym. I.*

lib. III. cap. XXIIII. Hiſtoriæ ſtirpium Clariſs. Viri Remberti Dodonæi Cæſarei Medici, hîc repetendam eſſe non duxi: Lectorem tamen admonitum volui, inæquales baccas non ferre, quemadmodum nonnulli exiſtimant, ſed geminas ſemper, eaſque perpetuò ferè æqualis magnitudinis, cùm in Pannonia, Auſtria, Moravia, Bohemia, ubi plurimùm, tum in Allobrogum, Helvetiorumque alpibus, & alijs locis in quibus ſponte creſcit. In Belgicis autem hortis cultum, vix unquam æquales ad maturitatem perducere deprehenſum eſt; at cùm altera excreſcat & turgida fiat, una ſemper exilis, plena tamen remanet, lagenulamque geſtatoriam, aut cucurbitulam referre quodammodo videtur.

Chamaecerasus alpina fructu nigro gemino C. B. Pin. 451.

Periclymenum rectum II.



Periclymenum rectum III.



Chamaecerasus montana fructu singulari caeruleo. C. B. Pin. 451

Secun gen. Periclym. II. ALTERVM humilius eſt, humanamque altitudinem rariſſimè attingit: multò graciliores & rariores habet ramos albicante cortice tectos: folia priore teneriora, longiora, in ambitu nonnihil ſerrata, supernè virentia, infernè minus incana quàm primi: tenellis germinibus enaſcuntur inter folia graciles pediculi; unum interdum, ſed binos ut plurimùm flores ſuſtinentes, ſuperiore minores & teneriores, non palleſcentes ut illi, ſed purpuraſcentes, quibus ſuccedunt gemelli fructus æquè magni ac in priore, etiam æquales, nigri tamen, non rubri, ſucculenti, guſtu ingrato. Radix dura eſt & lignoſa.

Hujus unum fruticem in Pyrenæis montibus, binos aut ternos apud Allobroges, deinde frequentiores varijs montibus Auſtriæ & Stiriæ, inveniebam.

Secun gen. Periclym. III. TERTIVM ejuſdem cum ſecũdo altitudinis, craſſiuſculo eſt ſtipite, multos in ramos diviſo, nigricante cortice obductos, qui ſcaber eſt, & plerumque multis locis hiat: interdum ſtatim à radice in multos ramos ſeſe dividit: tenelli ramuli purpuraſcunt, & incana lanugine pubeſcunt: folia contrario ſitu inter ſe diſpoſita, ut in reliquis Periclymeni generibus, illi quòd rubras baccas fert non diſſimilia, exſiccantis & amariuſculi guſtus: flos non fuerat mihi conſpectus cùm hujus hiſtoriam primùm evulgarem, quandoquidem ſub finem Iulij ſolummodo obſervatus frutex ſuo maturo fructu onuſtus: at aliquot deinde annis elapſis, ſemine natæ ſtirpes, tertio à ſatu anno, flores è tenellorum ramorum alis pediculo inhærentes, protulerunt geminos, rudimento fructus, ut ceterorum, innixos, puſillos, palleſcentes, cavos & in quinque lacinias diviſos, ut reliquorum Periclymeni ſurrecti generum flores, è quorum umbilico prodeunt quinque ſtaminula flava appendice inſignita, fructus ſingularibus baccis, utrimque inter folia brevi pediculo dependentibus, conſtat, Chamæmeſpilo Geſneri magnitudine æqualibus, ſed longioribus paulò, coloris cærulei, quæ vinoſo & acidiuſculo ſucco plenæ, manus rubro colore inficiunt, & multa plana grana continent. Radix lignoſa latè diffunditur, & multis fibris prædita eſt.

Creſcit ſpontè ad radices cujuſdam montis pago Malitz vocato contigui, ad ſiniſtram, via quæ

quæ ad Taurum, ſuperioris Stiriæ Saltzpurgenſem Ditionem pertingentis præcelſum montem, ducit: nunc autem ſemine natum in quibuſdam hortis alitur. Incolæ fructum diligenter colligunt, & in tinctorium uſum reponunt.

Periclymeni III. & IIII. flores.



Periclymen. rectum IIII. cum fructu.

Chamæcerasus alpina fructu rubro gemino, duobus punctis notata C.B. Pin. 451.



QVARTVM genus humilius eſt, rarò cubitalem ſuperans amplitudinem, ramis ſecundo craſſioribus, candidioribus, lentis & fractu contumacibus: folia illi omniũ maxima, Laurinis non minora, per extremum mucronata, ſupernè virentia, infernè candidiora, nulla tamen lanugine pubeſcentia, neque in ambitu ſerrata, duriora etiam quàm ſuperiorum: flores in longo craſſiuſculoq; petiolo gemelli, ſecundo forma ſimiles, nunc ex purpura candicantes, modò purpurei: fructus plerumque unicus, rarò geminus, tametſi gemino flori ſuccedat, omnium craſſiſſimus, exigui ceraſi magnitudine, ruber, ſucculentus, tranſparens, duplici in ſummo, ubi flores inhæſerunt, ſtigmate notatus, ſed unicum granum continens. *Periclym. ſurrect. IIII.*

Frequens eſt in montibus Pyrenæis & Allobrogicis, ſed omnium abundantiſſimum in Pannonicis, Auſtriacis, & Stiriacis, præſertim ſupra monaſterium Neuberg, vbi, & in reliquis vicinis Alpibus plurimæ ſtirpes elegantiſſimæ proveniunt.

Florent omnia ſurrecti Periclymeni genera Aprili & Maio, fructus Iulio & Auguſto plerumque perficitur.

Primum genus Hunds kirſchen & Beinholtz à quibuſdam appellatur vulgo, quidam Xyloſtei nomine, poſtremam Germanicam vocem exprimentes donarunt. Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium incolæ tria priora genera Hunds beer vocant. Quarti nullum vulgare nomen didici. Verùm mihi non probatur eorum ſententia, qui hoc genus Plinianam Chamæceraſum eſſe exiſtimant: cùm ejus fructus nulla ſaporis gratia commendetur, nullamque habeat tota ſtirps cum Ceraſo affinitatem. Sed magis veriſimile judico, ipſius Chamæceraſum non eſſe diverſam ab ea quæ plurimis Pannoniæ, & vicinarum quarundam Provinciarum locis ſpontè provenit, cujus hiſtoria paulò pòſt ſequetur: nec mihi ſatisfaciunt qui Ficum Idæam, cujus Theophr. lib. III. Plant. Hiſtor. cap. XVII. meminit, eſſe volunt: nam hæc planta nullam, mea opinione, notam habet cum ipſius, nec cum Pliniana ficu Idæa convenientem. *Nomina.*


AD Periclymeni etiã genera proculdubio referenda eſt hęc elegãs planta, cujus iconẽ cum deſcriptione liberaliter pro mutua quæ inter nos erat amicitia cõmunicabat C. V. Thomas Pennæus Londinenſis medicus, cum alijs aliquot elegãtiſſimis ſtirpibus, de quibus ſuo loco. *Chamæpericlymenum.*

CAVLICVLIS verò dodrantalibus eſt, quibus quatuor, ſex, rariùs octo adhærent folia ex adverſo per intervalla ſita, Phillyreæ Narbonenſis, ſive mediæ, folijs ſimilia, ſed paulò majora, magiſque nervoſa, in mucronem deſinentia, quinque coſtis ab ipſo pediculo ad mucronem excurrentibus. E ſupremorum foliorum cavis duo veluti ramuli exeunt binis folijs eodem

Periclymenum humile Bh. Pin: 302.

Chamæpericlymenum.

Aliud Chamæpericlymenum tenerius.



Nomen.

Chamæ-meſpilus Geſneri.

Chamæmeſpilus Cordi Bh. Pin. 452.

Chamæmeſpili hiſtoria.



dem modo quo in caule diſpoſitis præditi, qui cacumine quaterna alia folia geſtant. Ex iſtorum ramulorum medio, pediculus nudus & ſine folijs exit, in cujus ſummo rubræ baccę (flores non fuere obſervati) racematim cohærentes naſcuntur, Prutenis ruſticis circa Gedanum vulgò Dantiſcum appellatum expetitæ atque etiam in Norwegia & Suecia, ubi in maritimis copioſè naſcitur, tenui radice ſe propagans, & vicina loca occupans, hinc inde fibras ſpargit.

Qui ad me mittebat, Chamæpericlymeni nomen, nec immeritò indidit.

CONSIDERANDVM porrò an eadem non ſit (certè perſimilis) cujus brevem hiſtoriam mihi communicabat, & plantulas aliquot ſiccas relinquebat doctiſſimus vir D. Henricus Hoierus Medicus Anno M. D. XCVI.

TERTIVM, inquit, locum aſſignamus herbulæ [inter bacciferas videlicet ſtirpes ab ipſo in Norwegia obſervatas] quæ folijs Hypericon humile mentitur: florem unicum profert, nigellæ flori quodammodo ſimilem, ex quo baccæ per maturitatem rubentes, nõ ſecus ac vaccinia rubra, ejuſdẽ quoque magnitudinis propendent, intus albæ, ſucculentæ, ſapore admodum dulci: quę manducatę, ſcabiem pruritumque generare vulgò creduntur, atque hinc illis nomen inditum Schrubbebeeren.

Plantulæ autẽ quas mihi ſiccas relinquebat valdè tenellæ erant, ex quibus obſervabã (quòd Hoierus brevitati ſtudens prætermiſerat) ſingulis ſurculis ſive cauliculis ſena plerũque, interdum octona inhærere folia, ex adverſo, ſive contrario ſitu ſemper naſcentia, in imis cauliculis minora, in extimis ampliora, Aſcyri folijs valdè ſimilia, è quorum ſinu ad latus pediculi florem ſuſtinentis, aliquando unicus, ut plurimùm bini, utrinque ſcilicet unus, exſurgũt ramuli binis aut quaternis folijs ſimili ſerie diſpoſitis præditi: florem porrò ſummis cauliculis nitentem, quatuor folijs candicantibus cõſtantem, in cujus medio multarum baccularum ſuis petiolis inhęrentium rudimenta nigricantia, quæ magnam gratiam flori addere debent.

CHAMÆMESPILVS GESNERI.
CAP. XXXIX.


FREQVENS eſt hic frutex in omnibus non modò Alpibus, ſed montibus etiam quibuſdam Viennæ Auſtrię vicinis, bicubitalibus, vel cubitalibus, interdùm etiam longè brevioribus virgultis, pro locorum, in quibus creſcit, naturâ, lentis, nigro cortice tectis, ſic tamen ut tenelli rami caneſcant: folia alterius generis Idęæ vitis folijs haud multùm diſſimilia ſunt, magis tamen ad cotoneæ mali foliorũ ſimilitudinem accedunt, minora tamen, craſſiora, ſupernè virentia, infernè canâ lanugine pubeſcentia, alternatim in virgultis naſcentia. Ineunte Vere è ſingulorum foliorũ alis floſculos profert herbacei coloris, concavos, ternos aut quaternos, in uvam quaſi cõgeſtos, qui deinde in fructum extuberant rotũdum, magnitudine baccarum myrti,

myrti, aut potiùs Spinæ appendicis, ſive vulgatæ oxyacanthæ, colore foris initio ſubflaveſcente, deinde rubro, carne intus pallida, fungoſa, oxyacanthæ iam dictæ ferè ſapore, quina oſſicula ſive ſemina continente. Auguſto maturus eſt.

GESNERO Chamæmeſpilum appellare placuit: quem alij recentiores ſequuti ſunt. In Epiſtolis ſatis apertè docet à Cotonaſtro ipſius (ne quis eandem ſtirpem exiſtimet) differre, cui majora folia, baccas non adeò rubras, nec adeò rotundas tribuit. Sunt qui Dioſcoridis
ἐπιμηλίδα, & Theophraſti meſpilum ἀνθηνοειδῆν eſſe cenſent. Epimelis ſanè Dioſcoridis,
quam & σιτάνιον appellari ait, vulgaris noſtra meſpilus eſt. Anthenoides verò Theophraſti *Επιμηλὶς.*
(quam Gaza Gallicæ appellatione expreſſit) qualis ſit, non facilè judicari poſſe arbitror. Mi- *Ανθηνοειδὴς.*
hi porrò videtur hîc frutex plurimas notas habere communes cum κομάρῳ ſive arbuto Dio-
ſcoridis, quæ à Theophraſti Arbuto differt, ut cap. de Arbuto adnotavi. Anguillaræ autem *Κόμαρος.*
videtur Dioſcoridis κόμαρος eſſe Andrachne, quam Theophraſtus Plant. Hiſtor. lib. III. cap. *Dioſc.* *Andrachne*
XVI. Arbuto ſubjungit, illique ſimilem facit folio & fructu. *Theophr.*

Vitis idea foliis oblongis crenatis, fructu nigricante [illegible] Pin: 470.

VITIS IDÆA. CAP. XL.



IDÆÆ Vitis nomen diverſis ſtirpibus tribui *Vitis idæa.*
video à Rei Herbariæ peritis: ſed maxima *πολύσημος.*
pars Myrtillum germanicarũ officinarum, hac appellatione Theophraſtum intelligere, vult. Sunt qui alium fruticem ab eo deſcribi arbitrantur. Nos utriuſque generis ſtirpes hoc capite deſcribemus, à priore initium faciẽtes, quod plurium opinione id nomen ſibi vendicare debet: cujuſque ſpecies (præter vulgarem nigris baccis, aliam buxeis nec deciduis folijs, bacciſque rubris, & tertiam paluſtribus naſcentem) duas ab alijs minimè deſcriptas obſervaſſe puto.

PRIOR flexilibus eſt ramis & humi dif- *Vitis idæa I.*
fuſis, gracilibuſque, multis germinibus vix è muſco (quo rami occultantur) prominentibus, in quibus nullo ordine digeſta ſunt folia, prioris Ledi alpini folijs penè ſimilia, paulò tamen longiora, anguſtiora, teneriora, minuſque craſſa, admodum venoſa, ſupernè virentia, infernè dilutiora, leviter per oras crenata, & mollibus quibuſdam villis hirſuta, longo pediculo inhærentia, guſtus valdè adſtringẽtis: in ſummis germinibus præcedentis anni, baccas fert (florem non obſervavi) rotundas, ceraſij nonnumquam magnitudine, oblõgis & tenuibus pediculis dependentes, coloris initiò viridis, deinde rubri, poſtremò nigri, ſucculẽtas, non ingrati ſaporis, nulla oſſicula continentes, ſed plana duntaxat ſemina, alba, numero ut plurimùm quina: radix lignoſa quibuſdam fibris donata eſt, & rami per terram ſparſi ſimiles fibras nonnumquã agunt.

Maturis & immaturis baccis onuſtum hunc fruticem, juxta Ericam bacciferam alteram naſcentem, in unius Snealben jugi ſupra Neuberg ſcopulis menſe Auguſto eruebam.

VICINIOR eſt vulgari Altera, quæ ramos etiam habet humi interdum diffuſos, teretes, *Vitis idæa II.*
lentos, nonnumquam verò firmos & erectos, cortice modò cinereo, modò rubeſcente tectos, in multas alas diviſos, & in his folia, illi quæ rubro eſt fructu forma ſimilia, ſed teneriora, venoſa, ſubtus exalbida, guſtus adſtringentis & nonnihil acidi: flos vulgari ſimilis, ex candido purpuraſcens, concavus, labris in quinque crenas diviſis, & exteriùs reflexis, ſuis intus ſtaminulis: fructus vulgari ſimilis, maturitate niger, ſaporiſque gratia non minùs quàm vulgaris officinarum myrtillus commendabilis, plurima granula in ſe continens: radix eſt dura, lignoſa, multis fibris capillata: ſarmenta, ſive rami procumbentes, ſubinde radices agunt.

Invenitur in Veitzalben jugo duobus ſupra Neuberg germanicis miliaribus: poſtea etiam obſervabam in deſcenſu Herzen alben ſupra Zechof multo fructu onuſtam, atque in Etſchero Auſtriæ monte ſupra Gamingam. Anno deinde M. D. LXXIX. reperi in ſilva Noribergenſi urbi proxima, ad Latomias, ubi & vulgares nigris & rubris baccis maxima copia naſcuntur ſub Pinaſtris, Piceis & Abietibus, duce & comite C. V. Ioachimo I. F. Camerario. In Sileſiacis verò montibus etiam provenire audio.

FORMA & amplitudine hæc à ſuperioribus differt: etenim multis ſtolonibus ſtatim à ra- *Vitis idæa*
dice fruticat, ternos, quaternos, & quinos interdum cubitos altis, craſſis, valdè ramoſis, nigri- *III.*
cante cortice obductis magna ex parte: primo vere folia ex gemmis in ramulorum lateribus

 naſcentibus

Vitis idæa II.

Vitis idea foliis oblongis albicantibus C.Bau: 470.



Vitis idæa III.

Alni effigie lanato folio minor C.Bau 458.



naſcentibus promit ſubtus omnino incana, & multo tomento obſita, ſupernè autem viridia, è quorum medio veluti corymbacea florum quinis foliolis candidis conſtantium coma emergit, ſine odore: folia deinde paulatim ſeſe explicant, tomentoſamque illam lanuginem abijciunt, & in ambitu ſerrata conſpiciuntur: fructus floribus ſuccedit, rotundus, niger, umbilico quinque alis aut lacinijs ſepto, ſpinæ appendicis fructu major, ſucculentus, ſubdulci melleoque ſapore, quali ferè Ceratia ſeu Siliquę, continens dena aut plura grana oblongiuſcula, plana, ſubnigra.

Abundantiſſimè naſcitur montibus Viennæ Auſtriæ vicinis, veluti ad Brunnam, Medeling, Cumpoſtkirche, Baden, Fiſcha, atque etiam ad radices Styriacarum alpium. Floret, ut dixi, ineunte Vere, fructus Auguſto maturus eſt.

Nomina. AN priorem rectè in hanc claſſem retulerim, alijs judicandum relinquo: nec enim mihi ipſi in illius nomenclaturâ ſatisfacio. Ledi alpini generibus adſcribi poſſet, niſi baccę quibus prædita eſt, & aliæ quædam notæ refragarentur. Vulgare nomen non intellexi. Simlerus verò ad Commentarij de Alpibus calcem ejus meminiſſe videtur, & Garlobsſtuden appellare: nam parum à Roſæ montanæ frutice differre aſſerit. Hujus ſanè folia ſatis ad illam accedunt.

Altera ab Auſtriacarum & Stiriacarum alpium Venatoribus Jegerber nuncupatur, libenter enim ejus baccis victitant ut ipſi mihi retulerunt: unde nomen inditum. In Sileſia vocatur Rauſch/ quemadmodum & ea quæ rubro fructu prædita eſt, & paluſtris: ſimilem etiam apud illos uſum obtinent, qualem Ledon alpinum Inſectoribus alpinis præſtat.

Tertiam Itali Vitem Idæam Theophraſti, cujus meminit lib. III. cap. XVII. Hiſt. Plantar. eſſe cenſent. Auſtriaci ruſtici montani Fliegenber vocant, vel quod muſcæ ejus fructum ob dulcedinem appetant, aut quia neglecta ab avibus, muſciſque in pabulum cedunt. Pena & Lobelius *Amelancher* nomine deſcribere videntur in doctiſſimis Adverſarijs. Ioſias verò Simlerus Flubirlin/ hoc eſt, pyrum petræam, loco ſupra memorato (ni fallor) appellat. Geſnerus in Epiſtolis varia (ſi modo hanc intelligit) tribuit nomina, Myrtomalidis, Petromelidis, Pyri cervinæ, Pyraſtri idææ. Dalechampius Epimelidem alteram vocat, & rubrum fructum tribuit, Cotonaſtrum Geſneri eſſe cenſens: deinde alio loco Amalanchier illi ἀμαμηλὶς ſeu ὀμομηλὶς Athenæi lib. XIIII. eſt.

Pyrus petræa. Myrtomalis. Petromelis. Pyr⁹ cervina. Pyraſter idæa. Epimelis altera. ἀμαμηλὶς. ὀμομηλὶς. Cotonaſter. Cydonago. Dyoſpiros.

COTONASTRVM porrò, quem Geſnerus Cydonaginem, Dyoſpiron & Wildkutten in Epiſtolis appellat à ſuperiore omnino diſtinguere videtur, cùm illius baccas rutilas eſſe ait, ſiccas, carne & ſucco nullas, ſeminibus intus quaternis triangulis.

Eum

Cotonaſter fortè Geſneri.



Eum fruticem legiſſe arbitror in Stealben jugis Iunio florentem & fructus rudimentum efformantem, cubitalibus ramis, lentis, nigro cortice tectis & nudis, quorum ſummitates deſinebant in brevia germina incana, quinis aut ſenis folijs prædita malo ſimilibus, ſupernè virentibus infernè nonnihil candicantibus, in ambitu ſerratis, guſtus amaricantis: inter quæ veluti umbella floſculorum occultabatur quinque folijs conſtantium, coloris purpuraſcentis, quorum deinde ſedes in exigua mala extuberabat. Illum ipſum quem legebamus ramum hîc adpingi curavimus. An verò Agriomelea Bellonij, quam lib. I. cap. XVII. in Cretæ montibus inveniſſe ſcribit, exiguorum malorum pyris forma ſimilium feracem? Ea ſanè Ὁμομηλίσι Athenæi quodammodo convenire videtur: & ipſe Bellonius eodem loco, Allobrogum Amalancier, ſive Cretenſium Codomalo, ab Agrimelea diſtinguit. *Agriomelea. ὁμομηλὶς Athen.*

VVA VRSI. CAP. XLI.

Vva Vrſi Galeni.

FRVTICAT pedalibus ferè ramulis, flexibilibus & lentis, humi diffuſis, rubeſcente cortice tectis, ut teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia, nullo ordine ramis adhærentia, Arbuti folijs minora, carnoſa, Chamæleæ Italicæ foliorum planè æmula, minimè tamen hirſuta, cum adſtrictione amaricãtia: extremis ramulis flores profert ex candido purpuraſcentes, ſive candidos, quibus leuiter purpuraſcẽs color admixtus ſit, cavos, Arbuti floribus ſimiles, & uvæ modo ſimul congeſtos: fructum (quem non vidi) incolæ rubentem, rotundum, exigui ceraſi inſtar, acidum referebant: radix parva ſed lignoſa. Perpetua fronde viret.

Vva Vrſi.



Vnico loco naſcentem conſpexi arido ſolo & aprico, via regia, in colle imminẽti cuidam viculo *Venta el bahul* vocato, inter Guadix & Baça, regno Granatenſi, iam florentem Martio anni M. D. LXV. ſeriùs tamen plerumque florere, fructum æſtate matureſcere, & in planta ad hiemem uſque perdurare ipſi incolæ affirmabant.

PERITIORES quidam Hiſpani quibus eam oſtendebam, Chamædaphnen eſſe exiſtimabant, craſſitudine foliorum proculdubio decepti. Mihi verò ad amuſſim quadrare videtur ἀρκτοςαφύλῳ quam Galenus lib. VII. cap. IIII. De Compoſit. Medic. κατὰ τόπους his verbis deſcribit. *ἀρκτοςάφυλος.*

Vva Vrſi in Ponto naſcitur, planta humilis & fruticoſa, folio Memæcyli, fructum ferens rubrum, rotundum, guſtu auſterum.

Nam quod nonnulli Vvam urſi Galeni à Theophraſti Vite idæa differre nõ putant, falluntur illi meo judicio: quandoquidem Vitis idæa nihil aliud eſſe videatur quàm ea planta cujus ſuperiore capite aliquot genera deſcripſi. Et hæc à Vitis Ideæ illo genere pumilo quod buxeis folijs ſemper viret & rubris baccis prẹditum eſt, multis notis differt, licet nonnulli *Vva urſi differt à Vite idæa.*

nulli qui huius iconem à me in Hiſpanicis obſervationibus ante exhibitam ab illius icone diſcernere non noverunt, ita ſenſiſſe videantur. Magis adhuc falluntur qui hanc meam cum Alpigena & Chamærhododendro Lobelij confundunt: nam ſi vtriuſque hiſtoriam & iconem diligenter contuliſſent, plurimùm inter ſe diſcrepare animadvertiſſent.

Alpigena.

Non deſunt qui Vvam urſi faciant ſpinam illam perpetuò virentem Oxyacanthæ vulgari floribus & fructu perſimilem, quæ in Belgicis hortis Pyracanthæ nomine ali ſolebat. Eam Anguilara, & rectè quidem meo judicio, Oxyacantham legitimam eſſe cenſet: nam Theophraſtus lib. I. Hiſtor. Plant. cap. xv. & lib. III. cap. IIII. perpetuam comam Oxyacanthæ tribuit. Dioſcorides Pyraſtri folio eſſe ait. cumque inſuper baccas habeat myrti, plenas, rubras, fragiles, &c. aptiſſimè Oxyacantham referre mihi videtur.

Pyracantha. Oxyacantha.

Ceraſus pumila C.B. Pin 450

CHAMAECERASVS. CAP. XLII.

Periclym. ſurrect. IIII. non eſſe Chamaceraſ.



SVPRA dixi, eorum ſententiam mihi non probari, qui quartum Periclymeni ſurrecti genus Plinianā Chamæceraſum eſſe exiſtimant, & meas rationes iſtic attuli. Plinius quidem Nat. Hiſt. lib. xv. cap. xxv. enumeratis aliquot Ceraſi generibus, addit: Sunt & Macedonica parvæ arboris, raroque tria cubita excedentis: & minore etiamnum frutice Chamæceraſi. Neutram autem harum, fruticem illum qui inter Periclymeni genera deſcriptus eſt, dici poſſe cenſeo: ſed eos quos nunc deſcribam.

Chamaceraſi hiſtoria.

VARIAE altitudinis invenitur Chamæceraſi frutex: nam interdum in cubitalem, bicubitalem, aut ampliorem magnitudinem attollitur, umbroſis videlicet locis & tenui ſolo: ſiccioribus autem locis, & juxta ſemitas plerumque ſupra pedalem altitudinem non aſſurgit. Tenues autem & lentos habet ramulos ſeu virgas nigricante ex cinereo cortice obductas, quæ ex intervallis quædam tubercula, & veluti gemmas proferunt, unde tanquam ex cachrye, aliquot exigua foliola, Myrti Tarentinæ folijs æqualia prodeunt, ſimulque flores bini, terni, quaterni aut plures ſeſe explicant, candidi, quinque foliolis conſtantes, multis in medio ſtaminulis præditi, Ceraſi vulgaris floribus perſimiles, minores tamen: infra hos flores, atque etiam in extremis virgis, ex alijs tuberculis exeunt ſine floribus folia ſuperioribus majora, Ceraſi vulgaris acerbo fructu foliorum formam imitantia, & in ambitu ſimiliter crenata, longè tamen minora, & atra viriditate ſplẽdentia, ſubamari guſtus: floribus ſuccedit exiguus fructus, rotundus, carnoſus, maturitate ruber, exſiccantis minuſque grati ſaporis, quàm ſint acida ceraſa, oſſeo intus nucleo: radix craſſa, longa, dura, paucis fibris prædita, profundum petens, & quæ difficulter erui poſſit.

Natales.

Creſcit paſſim in Pannonia, Auſtria inferiore & Moravia, editioribus ſicciſque locis, ad vinetorum etiam in collibus ſitorum margines, & juxta publicas vias. In Bohemia videre non memini. Floret Aprili cùm primùm folia germinare incipiunt: fructu Iunio, interdum etiam Iulio duntaxat maturus eſt.

Nomina.

Græcis χαμαικέρασος dicitur, Latinis Chamæceraſus, Germanis Auſtriacis Erdt weixel/ Vngaris *Vad-megy*, id eſt, ſilveſtris meraſus (meraſum enim vocant illam ſeriùs matureſcentem Ceraſum auſtero fructu nigro) Gallis, apud quos ſponte non naſcitur, *Ceriſier nain* nuncupari poterit.

Ceraſus Macedonica.

CETERVM Macedonica Ceraſus per Pannonias & Auſtriam, in agrorum & vinetorum marginibus frequentiſſima eſt, raro ad trium cubitorum altitudinem accedens, nihil in reliquis à vulgari, quæ acerbum & rubrum fert fructum differens: nam flores, fructum, folia ſimilia habet.

Mahaleb.

INVENIVNTVR porrò in Auſtriâ & Pannoniâ alij frutices qui cum Ceraſo aliquam affinitatem habent, & à nonnullis inter ejus genera referuntur: quemadmodum qui à pleriſque Mahaleb vocatur, odorato flore, in ſcopulis & ſaxoſis Pannoniæ locis naſcens, & collium urbi Viennenſi vicinorum radicibus, à ruſticis Auſtriacis eam ob cauſam Stein weyxel/ hoc

hoc eſt petroſa Ceraſus appellatus. Hunc etiam pleriſque Narbonenſis Provinciæ & Allobrogum locis non procul à Rhodano ſitis obſervare memini. Sunt qui Vaccinium Plinij, & Lacatha, cujus nudum nomen apud Theophraſtum Plant. Hiſt. lib. III. cap. IIII. & VII. extat, eſſe cenſent. Plinius tamen Nat. Hiſt. lib. XVI. cap. XVIII. Vaccinia aquoſis ſolummodo naſci tradit, tingendi cauſa ad ſervitiorum veſtes: in quem ſanè uſum neminem hunc fruticem aut ejus baccas uſurpare intellexi; at paluſtris illa Vitis idæa, cum ea quæ nigris & rubris baccis, eſt tincturæ apta, quemadmodum paulò antè annotabam. *Vaccinium Plinij. Lacatha Theophr.*


Ceraſus item avium, aut Ceraſus racemoſa vulgò herbariorum nuncupata, in ſilvis frequens, Germani Elern oder Elexen dicunt, Vngari *Zelnice fa.* Belgicæ officinæ, ante quàm res herbaria adeò exculta eſſet, pro Vitice habuerunt. Sunt qui Padum Theophraſto lib. Hiſt. Plant. III. cap. I. eſſe cenſent. Sed cùm Theophraſtus eo loco Padum duntaxat retulerit inter arbores umbroſis gaudentes, nulla addita deſcriptione: quâ ratione ſuam opinionem ſtabiliant, non video. *Ceraſus avium. Padus Theop.*

MYRTVS. CAP. XLIII.

CATO tria Myrti genera tradit, nigram, albam, & conjugulam. Plinius lib. XV. cap. XXIX. Naturalis Hiſt. ſuo tempore aliter diſtincta fuiſſe Myrti genera refert, videlicet in ſativam atque ſilveſtrem, & in utroque genere latifoliam inveniri. Sativarum genera topiarios deinde facere, Tarentinam folio minuto, Romanam patulo, Exoticam denſiſſimo, ſenis foliorum verſibus: eam verò non eſſe in uſu: ramoſam utramque aliam, Conjugulam ſe exiſtimare, quæ ſuo tempore Romana nuncuparetur. *Myrti tria genera veteribus nota.*

Ego verò in Hiſpanica mea peregrinatione, & alijs quæ adij locis, multo plura genera obſervare memini: nec dubito quin ex ſatione major adhuc varietas oriri poſſit. *Myrti Claſſis I.*

Myrtus Bætica latifolia, domeſtica.



VNVM, ſatis craſſis ramis, folijs duplici ſerie rariùs diſpoſitis, magnis, ut interdum ad Lauri tenuifoliæ aut Arbuti foliorum amplitudinem ferè accedant, dilutiùs paulò virentis coloris, odoratis: rariùs hoc floret aut fructum fert, quia texendis ſepibus, quas tōdere ſolent, eo plerũque utantur. *Myrtus Bætica latifolia, domeſtica.*

Nuſquam id genus vidi, niſi in monaſterio quodam Hiſpali, & in lætiſſimis Mauritanorum Granatæ viridarijs, in quibus, piſcinas & lacus claudebant ſepes illo Myrti genere conſtantes, & ex alio quodam non multùm huic diſſimili, minoribus tamen, & paulò denſioribus folijs, cujus nos hîc picturam damus.

SECVNDVM genus altiùs fruticat, & à radice plurimos denſos, craſſos, firmoſque ramos promit: folia ſuperioris ſecundę ſpeciei ſimilia habet, ſed adeò confertim naſcentia, ut penè mutuo ſeſe contingant petioli, duplici interdum ſerie, ſæpiùs triplici, valdè odorata: flos ejus candidus quinque folijs conſtat, ceraſiorum floribus ferè ſimilis, albis villis plenus, odoratus: cui ſuccedit paulò oblongior fructus quàm in Tarentina, initiò viridis, deinde cùm matureſcere incipit, purpuraſcens, tandem plenam maturitatem adeptus, niger, vinoſus, grati ſaporis, candida incurvaque grana in ſe continens. *Myrtus Bæt. latifolia exotica.*

Hoc genus in Complutenſis arcis horto primùm mihi conſpectum, multis ejus fruticibus ſerie quadam & ordine diſpoſitis, elegantiſſimo ſpectaculo, cùm ſemper vireat: deinde Cordubæ in quibuſdam hortis.

TERTII generis unicam arborem vidiſſe memini in Hieronymitarum monaſterio, primo ab vrbe Corduba miliari, eadem foliorum denſitate & ſerie quâ ſecundum genus, verùm minore folio & ſaturatiùs virente: fructu etiam majore & magis orbiculato, qui reliquorum Myrti generum fructus inſtar, alba & inflexa grana habet, minora tamen quàm ſuperioris. *Myrt Bæt. anguſtifolia exotica.*

QVARTVM genus non adeò denſè fruticat, neque multum aſſurgit, tenuibus & fragilibus ramis, folijs ejuſdem cum tertio magnitudinis, ſimiliter mucronatis, duplici ſerie rariùs circa *Myrtus Bætica ſilveſtris.*

Myrtus Bætica anguſtifolia.



Myrtus Bætica ſilveſtris.



circa ramos naſcentibus, nigricantibus, odoratis: flos alijs ſimilis eſt: fructus rotundus, oblongis pediculis ex foliorum alis prodeuntibus inhærens, copioſus, initiò viridis, deinde candicans, maturitate niger, vinoſus, grati admodum cum quadam adſtrictione ſaporis.

Natales. Sponte prouenit pleriſque agris & collibus Extremaduræ (quæ Bæticæ pars eſt ad Anam flumen ſita) & Luſitaniæ illi conterminæ, adeo copiosè, ut per aliquot miliaria, nulli ferè alij frutices conſpiciantur. Octobri interdum florentem, ſed maxima ex parte fructu onuſtam hanc Myrtum colligebam, cùm Madritio Vlyſipponem proficiſcerer, locis incultis & procul à mari, procul à fluminibus diſſitis, nunc lætioribus, viridioribusq; & amplioribus folijs, nunc planè exſuccis, & ferè rigentibus palleſcentibusque, pro locorum natura & ſitu: nam in convallibus nata, multò lætior & viridior ſemper erat.

Myrtus domeſtica fructu albo. 1. QVINTVM genus ſatis altè fruticat tenellorum & rubentium ramorum frequentia denſum, folijs omnium minimis, anguſtioribus, & magis mucronatis quàm in ulla Myrto, ſaturatius virentibus, fragrantis odoris: flos par reliquis, tum etiam fructus, qui initio quidem viret, maturitate autem non nigreſcit ut reliquorum, ſed exalbidus manet.

2. Hujus generis invenitur alia ſpecies ejuſdem cum ſuperiore formæ, ſed per omnia tenerior, exiliore & anguſtiore folio.

Primùm mihi utraque hæc Myrtus conſpecta eſt in hortulo illuſtris viri Dn. Ferdinandi Cotinho Luſitani, peregrinarum & exoticarum rerum ſtudioſiſſimi, & multis longinquis peregrinationibus clari: cujus hortuli ſepes ex hoc Myrti genere conſtabant. Iſtic Muſam naſcentem, & aliquot alias peregrinas ſtirpes vidi. Eſt verò is hortus in editiore urbis parte extra mœnia, apud quem veteres aliquot inſcriptiones marmoribus inſculptas videre licet.

Conſpiciuntur omnia iſta Myrti genera (præter primi ſpeciem priorem) apud C.V.Dn. Ioannem Boiſot doctiſſimum & rei herbariæ ſtudioſiſſimum, qui omnium primus ex ſeminibus à me communicatis aluit: deinde apud pleroſque alios quibus communicavit: rami enim in terram pacti radices agunt, ſed quintum genus omnium facilimè comprehendit.

Myrti claſſis altera. NVNC verò apud eundem, & apud illuſtres viros Ioannem de Brancion, & Ioannem Dilſum ipſius agnatum, nobileſque Matronas, Mariam de Brimeur Conradi Scheti, Margaretam de Clermes Præſidis Namurcenſis, uxores, alioſque quamplurimos in Belgio rei herbariæ ſtudio ſeſe oblectantes, alebantur & alia Myrti genera ab his quæ deſcripſi diverſa: quorum nonnulla latiore erant folio, quædam mediocri, alia minore.

1. LATIFO-

Myrtus domeſtica fructu albo. (myrtus foliis minimis & mucronatis B. Pin. 469)



1. LATIFOLIAE quædam amplo eſt folio, quod tamen primæ claſſis Latifoliæ primæ magnitudinem non æquat, viridi, rariore ordine, & eo duplici circa ramos diſpoſito. *Myrtus latifol.*

2. Alia paulò minor eſt, interdum vegetiore viridioreque folio, quandoque pallidiore, & triſtiore.

3. Tertia denſiore eſt folio, & magis mucronato, eodemque nunc vegetiore & lætiore, nunc etiam pallidiore

QVAE medio eſt folio, non multum abſimilis eſt quarto generi à me in ſuperiore claſſe deſcripto, ſed minùs nigricantibus & quodammodo palleſcentibus virgultis, longiore etiam fructu. *Myrtus media.*

MINORE quæ eſt folio, omnium frequentiſſima in Septentrionalium regionum hortis fuit, ante quàm minor illa prioris Claſſis nota eſſet. Ejus cùm ramuli faciliùs radices agant, ſi pingui ſolo pangantur, quàm hujus, etiam ſatis vulgaris facta eſt multis Germaniæ hortis. Habet verò minor hæc conferta admodum folia, duobus ut plurimum verſibus in ramulis diſpoſita, nonnumquam ternis: quemadmodum in alijs generibus aliquando etiam accidit. *Myrtus Tarentina.*

Florent plerumque iſtic Autumno, fructus rariſſimè ad maturitatẽ pervenit, ſed in ipſa planta tota hieme hærens, cùm rurſus ſub Veris finem aëri exponitur, inanis & immaturus decidit.

DICITVR autem Græcis hic frutex μυρσίνη, Latinis Myrtus, Gallis *Myrte* & *Meurte*, Hiſpanis *Arayhan*, Italis *Myrto & Mortella*, Germanis Myrtus baum. *Nomina.*

5. Primum, ſecundum, & tertium genus in prima claſſe deſcriptum Hiſpani *Arayhan moriſco*, hoc eſt Myrtum Mauritanicam vocant. Latinis poterit eſſe Exotica, licet ternis, ad ſummum, foliorum verſibus diſtinctam viderim, cùm Plinius ſenos verſus ſuæ exoticæ tribuat. verùm quidem eſt adeo denſè ſtipata interdum naſci in ſecundo & tertio genere folia, ut pluribus verſibus conſtare videantur.

Quartum genus Hiſpani ſimpliciter *arayhan* & *myrta* vocant: eam ſilveſtrem judico, quoniam ſpontè locis incultis provenit. Sed ὀξυμυρσίνη ab hac planè ſegreganda eſt, ſui generis inter ſilveſtres propria. Plinius tamen lib. xv. cap. VII. in quo de factitijs oleis agit, ſilveſtrem myrtum minore ſemine à quibuſdam oxymyrſinem vocari ſcribit, ab alijs chamæmyrſinem, ab alijs acaron à ſimilitudine. *Myrtus ſilveſtr. ὀξυμυρσίνη. Chamæmyrſine. Acaron.*

Quintum genus Candida myrtus appellari poterit à baccarum exalbidarum colore. Et omnes iſtæ myrti (præter quartam) hortenſes & domeſticæ.

Latifoliam quæ in Belgicis hortis alitur, Romanam dici poſſe exiſtimo, quam Plinius eandem cum Conjugula Catonis eſſe putat: eam ex Italia & Roma in Belgicam illatam certum eſt, nam in Hiſpania videre non memini. Hortenſis Belgica minutiore & denſiore folio, ad Tarentinam meo judicio referenda eſt. Niſi quis potiùs ita cenſeat, candidam minutiſſimo omnium folio in prima claſſe repoſitam, Tarentinam eſſe vocandam. Nam cum Cato tantùm nigræ, albæ & conjugulæ meminerit: jam verò conjugula Plinio ſit Romana, nigra ex fructu ſatis nota: reſtat candida, quæ ad nullum Plinio deſcriptum genus referri poſſit, quàm Tarentinam. Sic Hortenſis illa in Belgicis hortis ab initio culta, minutiore folio, non incommodè Ægyptiam Theophraſto de Cauſis Plantar. lib. VI. cap. XXVII. deſcriptam referet, quam & anguſta fronde, nigroque fructu eſſe, & alias odore præcellere aſſerit. *Romana. Conjugula. Tarentina. Ægyptia.*

PORRÒ Myrti folia viridia & ſicca, ipſæque baccæ, cùm foris impoſita, tum intra corpus ſumpta, reſtringendi vim habent. Multæ præterea Myrti facultates apud Dioſc. lib. I. reperiuntur. *Facultates.*

Bellonius lib. I. Obſervationum cap. LII. refert Illyricos myrti folijs coria perficere, quemadmodum Macedones Rhoë, Ægyptios Acaciæ ſiliquis, Aſiæ minoris incolas glandium Eſculi calicibus, Gallos Quercus libro, Phryges ſilveſtris Pini corticibus.

MYRTO-

MYRTO-CISTVS PENNAEI. C.B. Pin 468. CAP. XLIIII.

Μυρτο-κίστος balearica.



ELEGANS eſt hæc planta, cujus iconem C.V. Thomas Pennæus Londinenſis Medicus anno M. D.LXXX ad me mittebat, & ſubſequente anno Londini in Anglia ſiccam oſtendebat, quam ille ex Balearium inſularum majore, vulgò Majorica nuncupata erutam μυρτο-κίςον appellavit: cujus rei cauſa illius hiſtoriam inter Myrtum & Ciſtum reponere libuit.

FRVTEX eſt interdum tricubitalis, ſcabro admodum cortice, & veluti quibuſdam tuberculis obſito, qui in vetuſtis ramulis facilè abſcedit & ſponte decidit: folia ſunt penè Myrti (quorum dorſum non minùs ſcabrum eſt quàm ipſi ramuli) ſupernè lævia, conjugatim ut in Ciſti & Myrti generibus circa ramulos naſcentia: flores ſummis virgis inſident lutei, quinque oblongis folijs cōſtantes, & multis in meditullio longiuſculis ſtaminulis præditi: his ſuccedit oblongum & pentagonum capitulum ſemine plenum.

Tota ſtirps odorata eſt, & lentorem, ſive pinguem quendam ſuccum, quali Ciſti Ledi genera madent, effundere videntur.

CISTVS MAS. CAP. XLV.

Ciſti ſumma genera.

CISTI duo prima (ut Plinianis utar verbis) genera Dioſcorides facit, marem & feminam: deinde tertium addit Ledon dictum.

Ego, illius veſtigijs inſiſtens, tria etiam ſumma genera conſtituam: deinde ſingula in eas ſpecies quas obſervavi, dividam, initium à Mare facturus.

Ciſtus mas I. cum Hypociſtide.

Ciſti maris quinque ſpecies.

Ciſtus mas I.

Ciſtus mas folio oblongo incano C.B. Pin 468.

Hypociſtis rubra.



MAREM porrò Ciſtum appello, qui flore quidem, ut reliqua Ciſti genera ſilveſtrem roſam æmulatur, ſed colorem rubrum nunc ſaturatiorem modò dilutiorem habet: cujus quinque ſpecies foliorum forma aut colore inter ſe differentes obſervabam.

PRIMVS Ciſtus mas, cujus hîc iconem cum ſua hypociſtide exhibeo, humanâ altitudine plerumque fruticat, ligno ſatis fragili, & candicante cortice tecto: frequentibus ramis alternatim ſemper ex adverſo reſpondentibus: eandem etiam ſeriem ſervantibus folijs, quę omnino ſunt incana, molliora & longiora in novellis plantis, in adultis verò, contractiora, duriora, & aſpera, foliorum ſalviæ modo, mucronata, adſtringentis guſtus: flos ejus Cynorhodi aut ſilveſtris roſæ magnitudine, quinque folijs conſtans, dilutioris rubri coloris ſeu, ut vocant, incarnati, multis ſtaminibus croceis medium florem, ut in Roſa ſimplici, occupantibus: flori ſuccedunt capitula quædam pentagona, dura, hirſuta, incana, mucronata, in quibus exiguum eſt ſemen ex ruſo nigricans, ſeminis Hyoſcyami aut Papaveris magnitudine.


Ad hujus radices, quæ ſummis ceſpitibus diffunduntur & cohærent, copioſè naſcitur elegantiſſima omnium quas umquam viderim, Hypociſtis, nouo Vere, cùm Ciſtus jam ad explicandos flores ſe parat: nam quando primùm è terra emergit, purpureum ſive kermeſinum ſericum

ſericum eſſe diceres: deinde paulatim aſſurgens,& ſeſe explicans,multum de priſtini coloris elegantia remittit, & cytinos ſuos profert candicantes, turgidos & lento ſucco plenos: qui à peritis pharmacopœis denſatur & in uſum adſervatur.

Frequens eſt hic Ciſtus,cùm in Hiſpania,præſertim ea parte quæ Bætica appellatur, tum in Luſitania & Gallia Narbonenſi,maximè Setio monte.

Ciſtus mas II.

Cistus mas angustifolius C. B. Pin. 464.



Ciſtus mas V.

Cistus mas folio Chamaedryos C. B. Pin: 464.



SECVNDVS eadem altitudine qua ſuperior aſſurgit, interdum etiam majore, non minùs fruticoſo ſtipite,neque minore ramorum frequentia: minùs tamen candicat:folia habet eodem ordine diſpoſita,molliora tamen,longiora, anguſtiora,& magis mucronata: flos ejus ſuperiori ſimilis,carnei coloris: capitulis etiam & ſemine parum differt. *Ciſtus mas II.*

Naſcitur & in Hiſpania,& diutiùs reliquis maris generibus floret:illius item ramuli teneriores,rorulentum quidpiam pingue & odorum ſub Autumnum contrahunt.

Dubium non eſt,quin Hypociſtis ſub hoc genere etiam creſcat: nullam tamen, quemadmodum nec ſub tribus ſubſequentibus,obſervavi.

TERTIVS ſuperioribus brevior eſt, non minùs tamen fruticoſus: tenuiores habet ramos,folia ſuperiore breviora,dilutiore viriditate prædita, magis rugoſa, pinguia & odorata; florem alijs ſimilem,dilutius rubentem, & aliquantulum odoratum, quam notam in reliquis Ciſti Maris generibus non deprehendi: hujus capitula ſuperioribus paulò minora ſunt, & ſuis involucris (quæ florum calices ſunt) diutiùs occultantur,ſemen in capitulis æquale. *Ciſtus mas III.*

Hunc duntaxat in Luſitania ſpontè naſcentem, ſupra Olyſſipponem itinere Conimbricenſi,atque etiam in maritimis obſervabam.

QVARTVS humana altitudine plerumque attollitur, ut reliqui fruticoſus, & ramulis aliquantulum incanis: ejus folia reliquis majora & quaſi orbiculata, nonnihil hirſuta & rugoſa:flos ſuperioribus forma ſimilis, paulò major, & colore ſaturatiùs rubente: hirſuta, dura, pentagona capitula, ſuperioribus majora, in quibus ſemen rufum, majus quàm aliorum continetur. *Ciſtus mas IV.*

Invenitur Regno Valentino & Arrogonum, audio etiam in Italia frequentem eſſe: natus in Belgicis poſtea hortis, ſemine ex illis provincijs miſſo.

QVINTVS humilis eſt, & ſupinus ut plurimùm, multis pedalibus aut paulò amplioribus ramis ex eadem radice prodeuntibus: folia criſpa ſunt & quodammodo ſinuoſa, candicantia & hirſuta, guſtus acerbi & adſtringentis: flores ramulorum ſummitatibus æquali altitudine & quaſi umbellatim naſcuntur, ſuperioribus paulò minores, ſed elegantis ex rubro purpuraſcentis coloris & intenſioris quàm in quarto: capitula reliquis minora, ſuis involucris plerumque contecta,ſemen continent reliquis ſimile ſed magis atrum. *Ciſtus mas V.*

Hunc in ſola Luſitania naſcentem videbam ſolo admodum arenoſo: nec uſquam frequentiorem

quentiorem quàm apud monaſterium *Pera longa* dictum, quinto ſupra Vlyſipponem milia-ri, ſemine maturo onuſtum, flore in nonnullis plantis etiam Novembri mihi conſpecto. Se-men in Belgium reverſus, ut ceterorum Ciſti generum aliquot amicis communicabam: ſed nemini natus eſt hic frutex, præterquam uni Petro Coudebergo Pharmacopæo doctiſſimo & rei herbariæ ſtudioſiſſimo, quem tamen diu conſervare non potuit, nam ſubſequens hiems ſatis rigida abſtulit.

Reliqua genera quæ hiemem ſuperarunt, omnibus rei herbariæ ſtudioſis qui in Belgio vi-vunt, ſatis nota, cùm ea aut in ſuis hortis alant, aut aliquando aluerint.

Florent verò omnes iſti Ciſti Aprili, aliquando etiam maturiùs, nonnumquam ſeriùs, pro regionum & locorum natura & temperamento: ſemen Auguſto, Septembri & Octobri matureſcit.

QVATVOR priora Maris genera communi vocabulo dicuntur Hiſpanis *eſtepa*: quin-tum genus peculiariter Luſitanis *roſella* vocatur.

CISTVS FEMINA. CAP. XLVI.

Ciſtus femina folio Salviæ C.B. Pin 464.

Ciſti feminæ varietas.



CISTVM feminam etiam in ſuas ſpecies diſtribuam. Nam aut elatior eſt, & rectis virgis fruticans, ſicut Mas: aut ſupinus & humi ſparſus, ut Erica vulgaris Myricæ folio. Deinde utrumque genus colorem in flore variat, qui maxima ex parte candidus eſt, quandoque lu-teus, ſeu Ochræ colore.

Ciſti feminæ hiſtoria.

EST igitur Ciſtus femina frutex ramoſus, cu-bitum interdum altus, nōnumquam humi ſtra-tus, gracilibus, nigricantibusq; ramis, folio non minore quàm in maris quarto genere, circinatæ ferè rotunditatis, rudi & aſpero, viridi tamen, ſaporis adſtringentis & acerbi: florem habet paulò minorem quàm mas, quinti generis flori penè ſimilem, album, nonnumquam etiam fla-vum, luteis fibris, ut in roſa ſilveſtri, medium florem occupantibus: capitula minora ſunt ma-ris capitulis, nigriora, non mucronata, ſed non-nihil compreſſa ſuperiore parte, ſemen paulò nigrius & ſatis magnum continentia.

Recti & ſupini qui album florem gerit magna eſt in Hiſpania, Luſitania, Gallia Narbonenſi & Aquitania abundantia. Qui verò luteum pro-fert, nonnullis duntaxat Hiſpaniæ locis, & ex-trema Aquitania Cantabris finitima, circa Ba-yonam vidiſſe memini.

Hiſpani Ciſtum feminam vulgò *xara-eſtepa* vocant, nomine ex Maris & Ledi appellatione compoſito. Narbonenſis Galliæ incolæ, qui circa Mompelium viciniſque locis habitant, meo tempore *mouges* vernacula lingua dicebant.

Κίστος. Κίσθαρος. Κίσσαρος.

CISTVS autem uterque, mas & femina, Græcè dicitur *κίστος* Dioſcoridi, quem & *κίσθαρον* & *κίσσαρον* à quibuſdam vocari ſcribit.

Theophraſt. emaculatus.

PORRÒ, quàm multis annis habui opinionem, hîc diſſimulare nō poſſum. Ea eſt, Theo-phraſti græcum exemplar multis jam ſæculis mendoſum fuiſſe, & Hiſtoriæ Plant. lib. VI. cap. II. initio, *κίστου* pro *κισσοῦ* legendum eſſe, errore à librarijs facilè admiſſo, ob vocum af-finitatem.

Nam cùm Theophraſtus de arboribus agens lib. III. Hiſt. Plant. cap. ultimo, adeò diligen-ter Hederam in ſumma genera, humi repentem & in altum ſe attollentem; hanc denuò in tria genera, candidam, nigram, & quæ Helix appellatur: tertiò, ſingula genera in multas ſpe-cies diſtribuerit. Cur lib. VI. ejuſdem Hiſt. cap. II. quaſi ſui oblitus, inter ſuffrutices Hederæ denuò meminit, ejuſque duo duntaxat genera facit, utrique florem roſæ ſilveſtris tribuens? cujus obſecro quænam eſt ſimilitudo cum Hederæ flore omnibus notiſſimo?

Plinius Theophr. mendoſum exēplar ſequutus.

Certè ſic ego exiſtimo, mendoſum Theophraſti exemplar in cauſa fuiſſe, cur Plinius (qui plerumque ex Theophraſto ſua depromit) de Hedera acturus lib. XVI. cap. XXXIII. Nat. Hiſt. ex Theophr. lib. VI. capitis ſecundi initium ad verbum mutuatus, reliquam deinde Hederæ hiſtoriam ex ejuſdem lib. III. perſequutus ſit.

Sic enim habet Theophraſtus, *καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαιροῦσι. τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ τῷ τὸ μὲν μεῖζον καὶ σκληρότερον, καὶ λιπαρότερον ἔχειν καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον. ἄμφω δὲ ὅμοια τοῖς ἀγρίοις, πλὴν ἔλαττω καὶ ἄοσμα.*

Plinius autem, Hederæ duo genera prima, mas & femina: major traditur mas corpore, & folio

folio duriore etiam ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. Vtriuſque autem flos ſimilis eſt roſæ ſilveſtri, niſi quod careat odore.

Item lib. XXI. cap. IX. de coronis agens. Vtuntur è ferulis, & corymbis, & hederæ flore purpureo. Eſt & in alio genere earum ſilveſtribus roſis ſimilis. Et in ijs quoque color tantùm delectat, odor autem abeſt.

Similiter cùm de Ladano agit lib. XII. cap. XVII. Hederam pro Ciſto ponit. Verum autem Ladanum (inquit) Cypri inſulæ, & eſſe œſipum hircorum barbis genibuſque villoſis inhærens, ſed hederæ flore deroſo paſtibus matutinis, cùm eſt rorulenta Cypros, &c. Quod ſatis indicant ſubſequentia verba. Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, Ledam appellẽt, &c. Nam Ledon Ciſti genus eſſe, neminem ignorare arbitror, & paulò pòſt demonſtrabimus.

Sed lib. XXIIII. cap. X. κισσὸν à Ciſto diſtinguit. Nam poſteà quàm de Hederæ facultatibus egit, ſubjungit, Græci vicino vocabulo ciſton appellant fruticem majorem Thymo, folijs ocymi. Duo ejus genera. Flos maſculo roſaceus, feminæ albus. Ambo proſunt dyſentericis, &c. Et paulò pòſt, Sub his maxime naſcitur Hypociſtis, quam inter Hederas diximus.


CETERVM Ciſti folia, & parva germina trita, adeò deſiccant & adſtringunt, ut ulcera glutinare valeant: Flores autem efficaciores ſunt, ſic ut cum vino poti dyſenterias, ventris imbecillitates, fluxuſque & humiditates perſanent: nomas per ſe illiti cohibent, vetuſtis vlceribus, & igni ambuſtis cum cerato medentur. *Ciſti facultates.*

HYPOCISTIS verò, quæ Græcis ὑποκιστὶς dicitur, à nonnullis ῥόδινθρον, ἢ κύτινος cognominatur teſte Dioſcoride. Plinius ſcribit orobathion à quibuſdam dici, arefactam in umbra, ſiſtere alvum ex vino auſtero nigroque, ſiccare & ſpiſſare, & rufam ſtomachi rheumatiſmos emendare: potam tribus obolis, ſanguinis excreationes, cum amylo dyſenterias potam & infuſam, vetera quoque ulcera purgare. *ὑποκιστὶς. ῥόδινθρον. κύτινος. Orobathion.*


CISTI FEMINAE CLASSIS ALTERA. CAP. XLVII.

ALIQVOT præterea Ciſti genera in Hiſpania & Luſitania obſervabam, quæ ad Feminam veluti ad primarium genus, meo judicio, potiùs referenda, quàm ad Marem, aut Ledon: quandoquidem nullo pingui lentoque liquore ſunt obſita, nec roſeum ſive purpureum florem habent. *Ciſti feminæ Claſſis II.*

Ciſtus folio Halimi I.



Ciſtus folio Halimi II.




PRIOR cubitales aut ampliores profert ramos, graciles, ſatis fruticoſos, in quibus folia Portulacæ marinæ ſimilia, ſed omnino incana ut Halimi (à quo cognomen indidi) obtuſiore mucrone, ſubacidi & adſtringentis guſtus: ſummis ramis multi inhærent flores, quinque folijs conſtantes, flavi coloris, minores quàm in ſuperioribus, illi Ciſti generi quod nonnulli Helianthe- *Ciſtus folio Halimi I.*

Ciſtus folio Lavendulæ.

Ciſtus folio ſpicæ B: Pin 465.



Ciſtus folio Sampſuci. incano B: Pin: 465



Ciſtus folio Thymi. & B: Pin 465.



Helianthemon vocant, ſimiles, ſuas fibras in medio continentes: his ſuccedunt longiuſcula & triangula capitula, exiguum ſubrufum ſemen continentia.

Hypociſtis lutea. Ad hujus radices Hypociſtin naſcentem omnino luteam, ſive ochræ colore, ipſius plantæ florem colore referentem, Ianuario menſe anno M.D.LXV. reperiebam. Hanc pueros & paſtores manducare intellexi.

Ciſtus folio Halimi II. ALTER procerior eſt priore, firmioribus ramis & incanis ut prior: folia etiam habet Halimi, paulò tamen longiora, anguſtiora, magis mucronata, & dorſo elatiore, incana tamen tota & ſicca, ſubacidi etiam & adſtringentis ſaporis. Iſtius neque florem, neque ſemen vidi.

Vterque frequens eſt in Luſitania arenoſo ſolo & aura marina afflato, inter Ericas, non procul Olyſſippone, nuſquam alibi mihi conſpectus.

Ciſtus folio Lavendulæ. TERTIVS plerumque cubitali aſſurgit altitudine, plurimis ramis, iiſque brevibus præditus, circa quos confertim naſcuntur folia anguſta, incana, Lavendulæ folijs proxima, adſtringentis guſtus flores ſuperioris floribus non multum abſimiles, parvi, candidi: ſemen non obſervavi.

Hic frutex adeò Lavendulæ ſimilis eſt, ut excepto odore & ſapore, pro ea ſumi poſſit: & certè quas plantas initiò conſpexi negligebam, Lavendulam eſſe exiſtimans, ſed floribus deinde conſpectis in aliquot alijs plantis, diligentiùs obſervatas, Ciſti genus eſſe deprehendi.

Solo Valentino regno hoc Ciſti genus inveniebam aridis & petroſis locis quarto à Valentia miliari, Aprilis initio.

Ciſtus folio Sampſuci. QVARTVS frutex eſt multos graciles ramulos proferens, in quibus folia parva, quaſi circinata,

nata, incana, Sampſuco ſimilia, paulò minora, & dorſo eminente, contrarijs inter ſe pediculis, ut in ceteris Ciſti generibus, naſcuntur, & adſtrictionem habent cum quadam aciditate & ſalſedine conjunctam: flos in ſummis ramis copioſus quinis albis folijs conſtat, quorum meditullium macula ex purpura nigricans inficit, villis & ſtaminibus flavis medium florem occupantibus: capitula deinde lini ferè exigua, trigona, in quibus ſemen minutum Hyoſcyami, ex nigro candicans ſive cinereum continetur: totus verò oblongus ille ramulus qui florem & capitula ſuſtinuit, ſemine maturo areſcit, ut in ſingulis Ciſti generibus.

Primùm hunc inveni in Hiſpaniȩ Caſtella veteri, ſupra oppidum cui nomen D. Martini *del Caſtañal*: deinde copioſum circa *Caraiçejo*, & toto Bætico agro inter Tagum & Anam flumina.

Hiſpani *Quiruëla* aut *quiriuëla* appellant, communi fermè cum Ericæ minoris vulgatioris vocabulo, quia fortaſſis inter Ericas numerant.

QVINTVS pedali fruticat altitudine, ramulis ex purpura nigricantibus, duris, lignoſis, qui magna ex parte ſine folijs conſpiciuntur, præterquam circa eorum ſummitates, in quibus confertim naſcuntur exilia admodum, viridia, Thymi foliorum æmula, adſtringentis guſtus: florem ſummis ramis fert ſuperiori ſimilem, minorem, & nullis maculis infectum: ſemen non obſervavi. *Ciſtus folio Thymi.*

Hic mihi ſolùm conſpectus eſt extrema Bæticæ parte, qua Caſtellam & Luſitaniam ſpectat: fieri tamen poteſt ut etiam alijs locis naſcatur.

CISTI FEMINAE TERTIA CLASSIS. CAP. XLVIII.

SVPERIORIBVS proculdubio conjungendæ ſunt plantæ, hoc capite ſubijciendæ, cùm & forma reſpondeat, nec diſſimile ſit temperamentum. *Ciſti feminæ Claſſis III.*

Chamæciſtus I.

Chamæciſtus vulgaris flore luteo. B. Pin 465.



Chamæciſtus II.

Chamæciſtus repens Serpyllifolia lutea B. Pin 466.



OMNIBVS nota eſt planta pluribus regionibus vulgaris, quam Germani, quòd locis incultis inter Ericas naſcatur, & folijs Hyſſopum vulgarem æmuletur, *Heyden yſſop* appellant, floribus vel albis, aut pallidis, ſed maxima ex parte aureis, qua de cauſa Herbariorum in Germania vulgus Conſolidam auream nuncupat. Sunt qui Plinij Helianthen eſſe volunt, alij Panacem Cheirωneium Dioſc. cui folium amaraco ſimile, florem aureum, radicem parvam nec altè demiſſam tribuit. Ego ad Ciſti feminæ tertiam claſſem reducendam cenſeo: quemadmodum & alia genera ſubſequentia in meis peregrinationibus obſervata. *Chamæciſtus I.* *Conſolida aurea.* *Helianthe.* *Panax Cheiron.*

MVLTOS promit Chamæciſtus alter ex eadem radice ramulos, tenues, oblongos, ſumma tellure ſparſos, ſubrubentes, in quibus exigua folia, ordine quodā & duplici ſerie, quem- *Chamæciſtus II.*

admodum in reliquis Ciſti generibus, diſpoſita, Serpillo ferè ſimilia, nigricantia & hirſuta, craſſaque: ſub florum autem partum, in novellis ramis, longiora & candidiora: flores in extremis iiſdem novellis ramulis terni aut quaterni, oblongis & hirſutis pedicellis inhærentes, quinis folijs, ut ſuperioris flores, conſtantes, illiſque magnitudine pares, ſed aurei planè coloris & odorati: ſemen obſervare non licuit: radix multifida, aliquot fibris latè ſparſis capillata.

Nuſquam niſi in ſummis Auſtriæ & Styriæ Alpibus inveniebam, idque ſemel, menſe Auguſto florentem: in hortum verò tranſlata, ubi illam aliquot annis alui, Maio mihi floruit: ſed flores cum ſuis pedicellis nimium caduci, omnem obſervandi ſeminis occaſionem planè ademerunt.

Chamæciſtus III.



Chamæciſtus IIII.



Chamæciſtus III.

DODRANTALIBVS eſt Tertius ramulis, humi ſimiliter diffuſis, quos bina ſemper contrario inter ſe ſitu ſepiunt folia, Myrti tarentinæ folijs æqualia aut anguſtiora, ſupernè cinerea quadam lanugine obducta, infernè verò omnino incana, guſtu adſtringente & nonnihil amaro prædita: pedicellos poſtea exerit duas aut tres uncias longos, quibus inſident quini aut ſeni flores ſuperiori ferè forma ſimiles, quos pictor malè expreſſit, & ſculptor corrupit, lutei coloris: his ſuccedunt trigona parva capitula, ſemine inæquali, minuto, ruffo plena: radix lignoſa, dura, vivax: in hoc etiam ramuli flores ſuſtinentes, maturo & deciduo ſemine, exſiccari & confringi plerumque ſolent.

Maxima abundantia naſcitur in omnibus illis montibus qui à Calemberg Danubio imminenti, ad Alpes Auſtriacas continua quadam ſerie procurrunt, tum etiam in Hamburgenſi Pannoniæ monte, aliiſque ejuſdem Provinciæ locis ſublimioribus præſertim, ſicciſque, gramine tamen tectis agris. Floret Maio, ſemen maturum eſt Iunio.

Chamæciſtus IIII.

QVARTVS exigua eſt planta, tenuibus, lignoſis, humique ſparſis virgulis prædita: folijs primo generi, quod Helianthen putant, ſimilibus, minoribus tamen, omnino cādicantibus, guſtu adſtringentibus: flores extremis ramis inſident, quinque folijs conſtantes coloris interdum albi, ut plurimùm pallidi, ſtaminibus medium florem occupantibus: ſemen triangulis capitulis Lino paribus ineſt exiguum, rufum. Radix lignoſa & fibroſa.

Chamæciſtus V.

QVINTVS ab hoc non differt magnitudine & ramulorum tenuitate: flores item ſimiles, ſemina ſimilia: ſed folia anguſta omnino & tenuia, Ciſto folijs Thymi (qui quintus eſt in ſecunda Ciſti feminæ claſſe) reſpondentia, incana etiam & ejuſdem temperamenti. Radix perinde dura & fibroſa atque ſuperioris. Flores aperit uterque Maio.

Frequens eſt utraque plantula Salmanticenſi agro, ubi *perdiguera* ab incolis appellatur, quia perdices circa eam frequenter ſe volutant, & pulverant.

SEXTVS


Chamæciſtus v.

Chamæciſtus foliis minoribus incanis B. Pin 466



Chamæciſtus VI.

Chamæciſtus anguſtifolia B. Pin 466



Chamæciſtus VII.

Chamæciſtus ſerpilli folia floribus carneis B. Pin 466



SEXTVS dodrantales aut majores humiq; fuſos ramulos habet, multis oblongis anguſtiſque folijs, nullo certo, ſed cõfuſo ut plurimùm ordine diſpoſitis, ſeptos, præter vulgaré in omnibus Ciſti generibus foliorum ſitum, ſaporis initio velut gummoſi, deinde amaricantis: extremos ramulos bini aut terni occupant flores quinque foliolis conſtantes, lutei, cum ſuis in medio ſtaminulis, coloris: quibus ſuccedunt trigona capitula ſatis magna, majuſculum & inæquale ſemen continentia: radix lignoſa, dura, vivax, foris nigro cortice obducta, & in aliquot ramos ſparſa. *Chamæciſtus VI.*

Rarior eſt, nuſquam enim niſi in monte Badenſibus thermis imminenti, quarto à Vienna Auſtrię miliari, atque in Hamburgenſi duobus à Poſonio Vngariæ urbe miliaribus, pauculas plantas inveniebam florentes mẽſe Iunio, quo tempore, aut paulò pòſt, ſemen etiam perficit.

OBLONGIS, quandoque dodrantalibus tantùm ſerpit Septimus ramis, humi diffuſis, nigricantibus, in multos alios breves ramulos diviſis: folia frequentia & conferta ſunt, bina ſemper inter ſe oppoſita, exigua, Serpillo minora, Thymi durioris folijs haud majora, craſſa, ſuperiore parte viridia, infernè candicantia, amaricãtis ſaporis: extremis ramulis innaſcuntur bini aut quaterni floſculi ſimul juncti, perpuſilli, è quinque foliolis cõpoſiti, carnei quaſi coloris: his ſuccedunt capitula, maturitate in quinque crenas ſeſe aperientia, & ſemen exile admodum oſtendentia: radix dura, lignoſa, aliquot fibris donata eſt: quinetiam rami ſubinde tenues fibras agunt. Exſiccata planta non injucundo ſpirat odore. *Chamæciſtus VII.*

Chamæcistus Hirsuta B: Pin 466

Chamæciſtus VIII.



Ciſtus annuus.

Naſcitur tenui ſolo inter ſaxa, in ſummis Sneberg/Snealben/ & alijs Auſtriacarum Styriacarúmque Alpium ſupercilijs. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis quo nix, quæ juga illa tegit, maturè aut ſerò ſolvitur, ratione.

Cùm Pannonicarum ſtirpium hiſtoriam primùm evulgavi, nondum mihi conſtabat quò iſtam plantulam referre deberem, quòd mediam quandam naturam inter Chamæciſtum & Cneωrum Matthioli obtinere videretur: eam ob cauſam inter utriuſque capita locaveram, & ἀνώνυμον reliqueram, liberum cuique faciens quo potiſſimùm nomine appellare liberet. Sed diligentiùs poſtea obſervatam, inter

Chamæciſtus VIII.

Chamæciſti genera reponere placuit, impellentibus me, ut ita facerem aliquot cauſis.

Octavvs palmaris eſt aut paulò amplior, ſuperioribusq́; firmior, multis lignoſis, rectis & nigricantibus ramulis præditus, quos numeroſa & adeò conferta ambiũt folia, ut quaternis verſibus digeſta videãtur, Myrti minoris folijs non diſſimilia, minora tamen & hirſuta, licet atra viriditate supernè ſplendeant, quorũ guſtus adſtrictionis particeps eſt: flos unicus interdum & alter extremis ramulis exit, ſatis craſſo pediculo ſubnixus, unico quidem conſtans folio, ſed quinque profundis crenis, ijſdemq́; velut circinatis diviſo, ut quinque folia habere videatur, ejuſdem cum primo genere penè magnitudinis, coloris ex albo purpuraſcentis, & quaſi carnei dilutioris, decem ſtaminibus extrema parte nigris, & ſtylo oblongo purpuraſcente medium florem occupantibus: floribus excuſſis apparent pentagona capitula obtusè mucronata, quę maturitate aperta ſemen continere deprehenduntur exile admodum, flavi coloris.

Cistus folio salicis B: Pin 465



Rariſſimum hunc fruticem duntaxat in Snealben jugi ſcopulis naſcentem obſervabam, unde florentem ſub mẽſis Iunij finem erui; ſemine verò prægnantẽ in Veytzalben ſummo ſupercilio, duobus ſupra Neuberg miliaribus. Semel atque iterũ ex ijs jugis cum ſuo ceſpite deſumptum in meũ hortulum trãſtuli cũ alijs elegantibus alpinis ſtirpibus: ſed miteſcere noluerũt.

Nomina.

Nvllvm nomen vulgare has plantas obtinere intellexi præter Primam, quæ, ut dixi, Heyden yſſop à Germanis dicitur: Tertiam quæ ab Auſtriacis Heyl aller Welt kraut vocatur, à præſtanti videlicet curandorum vulnerũ facultate (quo etiam nomine ipſos donare audio Priorem) & Quartam atque quintã ab Hiſpanis *perdiguera* appellatas. Sunt autem omnes perpetuò virentes & ſua folia per hiemẽ retinentes: ſed eorum flores admodũ caduci, & ſtatim ſeneſcẽtes.

CISTVS ANNVVS. CAP. XLIX.

VT Superiores plantæ multos durãt annos, ſic quas hoc capite deſcribam, Chamæciſto, mea opinione, cõgeneres, annuæ ſunt duntaxat, & primo à ſatu anno perire ſolent.

Ciſtus annuus 1.

1. Prior in vinetorum apud Salmanticenſes marginibus, & Granatenſi Regno mihi obſervata, longiuſculis hirſutis, rectis, & raris eſt virgulis, folijs autem amplioribus quàm in Chamæciſto primo, magiſque viridibus, adſtringentis

gentis

gentis guſtus: flos Chamæciſti primi flori ſimilis, pallidus aut albicans eſt, ſemen minutum rubeſcens in trigonis capitulis, duplo quàm Chamæciſti primi majoribus continetur.

Caſtellani *turmera* vocant, quia forſitan, ubi hæc naſcitur, tubera, quæ illis *turmas* dicuntur, creſcant, Granatenſes *yerva del quadrillo*. An Hydnophyllon herba, quam Pamphilus in gloſſis, teſte Athenæo lib. II. Deipnoſoph. tradit ſupernaſcentem tuberibus, cujus indicio ſubeſſe tubera cognoſcunt? *Hydnophyllon.*

2. Ejus alia ſpecies invenitur longioribus aliquantulum virgis, non tamen minùs hirſutis, anguſtioribus etiam folijs, cujus flos minor, pallidus, valdè caducus; capitula & ſemẽ ſimilia.

ALTERAM, Madritiana ſilva inveniebam, ſecundo ab urbe Lutetia miliari, pedali altitudine aſſurgentem, exiguis, tenellis, rectis, nec admodum ramoſis cauliculis: oblongis folijs, anguſtis, hirſutis, diluta viriditate præditis, quæ cum ramulis per Caniculę æſtus pingui quodam & lento humore ſunt obſita: flos puſillus eſt, quinque folijs conſtans, punicante macula inſignitis, pallidi alioqui coloris ut ſuperior: tenella admodum & triquetra capitula puſillum & cinereum ſemen continent. *Ciſtus annuus II.*

Hujus nullum vulgare nomen intellexi. Sed utraque Maio menſe floret.

Prioris ſemen, maximè commendari ad nephriticos dolores, atque ad alios uſus utile eſſe, me monebat Doctiſs. vir Simon de Tovar Hiſpalenſis Medicus.

CISTVS LEDON. CAP. L.

SVPEREST ut tertium Ciſti genus in ſuas ſpecies etiam diſtribuamus, quæ non minùs variæ ſunt quàm in Ciſto femina. Initium autem abs omnium vulgatiſſimo, & pinguiſſimo per Hiſpanias naſcente faciemus. *Ciſtus Ledon.*

Ciſtus ladanifera hiſpanica incana C.B. Pin. 467

Ciſtus Ledon I. anguſtifolium.



1. PRIMVM igitur Ledon fruticat ad hominis altitudinem, quam etiam interdum ſuperat, ramis frequentibus, lignoſis, duris, nigris: folia, quemadmodum & rami, ex adverſo ſita ſunt, oblonga, tranſverſum digitum quandoque lata, nonnumquam etiam latiora, ſupernè ex viridi nigricantia, infernè candicantia, quæ cum tenellis ramulis pingui quodam odorato, calido, & tranſparente liquore adeò copioſo aſperſa ſunt, ut procul etiam ex ſplendore conſpici & agnoſci poſſit, odor autem octava miliaris germanici parte naribus percipi: flore eſt inter reliqua Ciſti genera & pulcerrimo & ampliſſimo, magnæ Roſæ inſtar, ſimplici quinque foliorum textura, omnino interdum albo, ſed cujus ſingula folia circa unguem ex purpura nigricante macula rhomboide nunc majore, modò minore & anguſtiore, ut plurimum infecta ſunt, floris umbilico multis croceis fibris pleno, ut in alijs Ciſti generibus: capitula in longis pediculis, folijſque ſuis denudatis, omnium maxima, rotunda ferè & plana, non mucronata, & ſæpenumero decagona, dura, interius flaveſcentia, quibus dehiſcentibus, ſemen decidit copioſum, ſubrufum, omnium minutiſſimum. *Ledon I anguſtifolium.*

Tota planta, dum reſiccata eſt, quendam candorem contrahit, pinguem tamen illum ſuum lentorem & ſuavem odorem non amittit, ſed eum retinet ad multos etiam annos.

Creſcit hoc genus multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis frequentiſſimè, piſtoribus ad calfaciendas fornaces, & tenuioris fortunæ hominibus ſtruendo igni ſerviens. Nuſquam tamen abundantiùs quàm in collibus eorumque declivibus inter Tagum & Anam flumina, & toto ferè monte *Sierra morena* nuncupato, ut mihi aliquando contigerit ad viginti ferè miliaria per hujuſmodi frutices iter facere.


2. Superata Calpe, littore marino, quâ Malacam iter eſt, latiore naſcitur folio, quaſi ad Lauri anguſtifoliæ foliorum formam & amplitudinem accedente: non minus tamen pingui lentoque illo humore abundat, quàm jam deſcriptum. *Ledon I latifolium.*

Hiſpani utrumque *xara*, Luſitani priorem ſpeciem *eſtepa* appellant.

ALTERVM genus, ubi ſponte naſcitur, brevius eſt, & bicubitalibus duntaxat aſſurgit ſtolonibus, ramoſis: rami ſunt fragiles, folia omnium, inter Ciſti genera quę obſervabam, maxima, ſu- *Ledon II. latifol majus.*


Ledon latifolium II. majus.

Ciſtus Ledon foliis populi nigræ major B: Pin 464



Ledon II. latifolium minus.

idem minor B: Pin: 464



Ciſtus Ledon ~~Creticum~~ Hirſutum B: Pin 467

Ledon IIII.



ma, ſupernè viridia, infernè nonnihil candicantia, Hederæ foliorum formam interdum, & Populi nigræ plerumque æmulantia, ſatis rudia & carnoſa, hieme rubedinem nonnullam contrahentia, ſubacidi & adſtringentis ſaporis: flos candidus, Ciſti feminę flori par: capitula pentagona, mucronata, exili & nigricante ſemine referta ſunt.

Tenellæ plantæ neque pingues, neque odoratæ ſunt, ſed annotinæ duntaxat, & vetuſtiores, Autumno præſertim, quo tempore omnes Ciſti ſpecies quæ pingues ſunt, abundantiore ſucco, craſſiore ſaltem & magis tenaci prægnantes eſſe mihi viſæ ſunt.

Ledon II. latifol. minus. 2. Hujus generis alia ſpecies etiam invenitur, per omnia ferè ſimilis, ſed humilior, neque cubitum excedens: folia etiam minora: flore, ſemine, guſtu conveniunt.

Vtrumque genus naſcitur in ea montis Mariani (vulgò Sierra morena dicti) parte, quæ ſuperanda eſt ijs qui Vlyſſippone Hiſpalim iter faciunt. Invenitur etiam quibuſdam collibus Granatæ vicinis.

Primam ſpeciem incolæ *xara-xarguna*, & *xaron* vocabant: Granatenſes *xara-eſtepa*, eodem quo Caſtellani Ciſtum feminam nomine. Altera ſpecies incolis *xaquarça* dicitur.

Ledon III. Cyprium. TERTIVM in Hiſpanijs non obſervavi, ſed ſemine ex Italia miſſo Cyprij Ledi nomine, nobis & pleriſque alijs Belgis rei Herbariæ ſtudio ſeſe oblectantibus natum eſt, cubitali, interdum majore altitudine, fruticoſum, nigricantibus ramis, carnoſis folijs, & præ ſaturata viriditate nigricantibus, mediæ inter primi & ſecundi generis

generis folia magitudinis, brevioribus tamen, & rhomboidis quodammodo figuræ, quę cum novellis ramis lento & roſcido humore obſita ſunt, non adeò tamen abundanti & denſo, neque etiã adeò odorato, ut in primo genere: flos albus eſt, ſecundo generi ſimilis, ſemen etiam exile nigricans in rotundis capitulis.

QVARTVM genus multis ramis fruticat, cubito longioribus, lentis & flexibilibus, hirſutis, albicantibus: folia reliquis Ledi generibus molliora, ad Ciſti feminæ folia accedunt, verùm paulò longiora, anguſtiora, hirſuta, nigriora, & lenta pinguedine conſperſa, non modò verno tempore, ſed etiam per totam æſtatem conſpiciuntur: flos albus eſt Ciſti feminæ flore non minor, nec ei abſimilis: capitula exigua membranaceis quibuſdam & laxis involucris tecta, ſemen continent omnium inter Ciſti genera maximum, nigrum. *Ledon IIII.*

In ſola Caſtella veteri hoc genus obſervabam, vicinis pago S. Martini *del Caſtañal* locis, ubi ab incolis *Ardivieja* nuncupatur, adeò frequens, ut vulgare ſit iſtic proverbium,

Quien al monte va, y mas no puede, A lomenos ardivieja coge. hoc eſt,

Quicunque montem accedit, potiùs quàm inanis redeat, vel Ardivieja (plantam viliſſimam) colligat. Apud noſtros Belgas ſatum feliciter provenit.

Ledon V.



Ledon VI.



QVINTVM eadem qua proximè deſcriptum aſſurgit altitudine, verùm ramis duris, lignoſis, nigricantibus: oblongis oleæ folijs, anguſtioribus, fuſcis, pinguibus, & lento humore conſperſis, quemadmodum & novelli ramuli: flos albus omnium ferè minimus: longa & anguloſa capitula, in quibus ſemen ex rufo nigricans, exiguum. *Ledon V.*

Ad hujus radices genus illud αἱμοδώρου, ſive Cynomorij, Hypociſtis nuncupatum, adnatum inveniebam, multis veluti ſquamis, ut quod in aliorum Ciſti generum radicibus creſcit, compactum, palleſcentis coloris, quibuſdam tamen lineis purpuraſcentibus & nonnihil vireſcentibus diſtincti, cytinos ſuos ſumma parte proferens, lentoque & glutinoſo ſucco totum prægnans.

Nihil iſto Ledi genere vulgatius toto Valentino regno, & Narbonenſi Gallia, ubi aliud Ledum non obſervabam: ſed in pleriſque alijs Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis etiam invenitur.

SEXTVM penè Quinto ſimile eſt, breviùs paulò, minoribus anguſtioribusque folijs, lento humore aſperſis, quemadmodum illius folia: flos major eſt, albus item, & quinque folijs conſtans, ſemen etiam reſpondet. *Ledon VI.*

SEPTIMVM cubitale eſt, multis & frequentibus ramis fruticans, cineraceo colore præditis, quos ſepiunt frequentiſſima folia Roriſmarini coronariæ foliorum æmula, omnino caneſcen- *Ledon VII.*

Ledon VII.

Ciſtus Ledon foliis roriſmarini ferrugineis. B. Pin 467.



Ledon VIII.

Ciſtus Ledon foliis roriſmarini ſubtus incanis. B. Pin 467.



Ledon IX.

Ciſtus Ledon foliis roriſmarini, ſed non incanis B. Pin 467.



caneſcentia & hiſpida, nec minùs pinguia, & lento ſucco perfuſa cum ſuis tenellis ramulis, quàm quintum genus: flos ſummis ramis copioſus, candidus, ſuperiori ſimilis, nec ſemen diſſimile.

Valentino etiam Regno hæc duo poſtrema mihi duntaxat obſervata ſunt, circa Xativa, & ab incolis *xaguarço* dicuntur.


Ledon VIII. OCTAVVM eadem qua ſuperiùs magnitudine creſcit, rami tamen magis expanſi ſunt, folia tenuiora, ſuperna parte ex fuſco viridia, inferna verò candicantia, ut Roriſmarini coronariæ folia videantur, guſtu tamen adſtringentia, licet lento quodam & pingui humore ſint cum tenellis ramis obſita: numeroſi flores ſecundùm ramorum longitudinem naſcuntur quinque folijs conſtantes, exigui, poſtremò tamen deſcriptis pares, lutei coloris: ſemen in puſillis capitellis ex cinereo nigricans.

Invenitur hoc frequens incultis illis locis citra Tagum, ſupra Olyſſipponem, cum Ciſto folijs Halimi, & nonnullis Bæticæ, ubi ab incolis *Romero*, id eſt, Roſmarinus appellatur.

Ledon IX. NONVM minus eſt ſuperiore, folia paulò majora, neque ſubtus incana ut in præcedente, ſed rariora & magis glutinoſa ſunt: ramulos, quibus flos inhæſit, tenues, exſuccos, planeque retorridos, aliquot inania capitula & omnino hiantia jam excuſſo ſemine, ſuſtinere deprehendebam.

Ledon X. DECIMVM pedali duntaxat eſt altitudine, ramulis exilibus, lignoſis, ſatis tamen fragilibus, nigricantibus, pinguibus, & quodam lento humore madentibus: folijs longè minoribus quàm in Nono, non multùm à Thymi folijs diſſidenti-

Ledon x. Cistus ledon foliis thymi B Pin 467.



diſſidentibus: flores non obſervavi, quemadmodum nec in ſuperiore: ſed in oblongis ramulis quaſi umbellatim prodeuntia capitula exigua & ſuperiore parte aperta, inania jam & cum ſuis ramulis arida.

Naſcuntur verò hæc duo poſtrema, in extrema Bæticæ parte, qua Caſtellam nová ſpectat, ab incolis *xaguarço* nuncupata: tametſi poſteriùs nonnulli etiam *tumeruela* appellent, quòd ſub ea fortè tubera, vel potiùs, ut exiſtimo, Hypociſtis, quæ illis tuberis fortaſſe loco obſervata eſt, naſcantur: tubera enim Hiſpani *turmas*, ut antè dixi, vocant.

Non minus perpetuò virente nec decidente ſunt folio iſta Ciſti genera, quàm Mas & Femina.

GRÆCIS porrò hic frutex λῆδον, Latinis Ledon dicitur: Plinius etiam Ladan appellat. Pingue verò illud quod ex eo colligitur λάδανον, Latinis Ladanum, officinis Laudanum. *Λῆδον. Ledon. Lada. Λάδανον.*

EIVS colligendi rationem Dioſcorides lib. I. Plinius Naturalis Hiſtoriæ lib. XII. cap. XVII. deſcripſere. Quam verò inter recẽtiores Bellonius lib. I. cap. VII. Obſervationum in Creta obſervaſſe ait, adſcribere hîc libet, cùm ab alio nemine ſit adhuc prodita.

Græci colligendo Ladano peculiare inſtrumentum parant, vernaculo ſermone illis Ergaſtiri dictum. Eſt verò id inſtrumentum raſtro dentium experti ſimile: huic affixæ ſunt multæ ligulæ ſive zonæ è corio rudi nec præparato confectæ. Eas leniter adfricant ladaniferis fruticibus, ut inhæreat liquidus ille humor circa folia concretus, qui deinde à ligulis per ſummos Solis ardores cultris eſt abradendus. Itaque Ladanum colligendi ſummus, imò intolerabilis eſt labor, cùm totos dies ardentiſſimo caniculæ æſtu in montibus hærere neceſſe ſit: neque facilè quiſquam alius ad id colligendum operam ſumit præter Calohieros, hoc eſt, monachos Græcos. Nuſquam autem majore copia per totam inſulam cogitur, quàm ad montis Idæ radices, pago Cigalinus nuncupato, & apud Milopotamo. Hactenus Bellonius. *Ladani colligendi ratio.*

Si quis tamen in Hiſpanijs huic colligendo operam navare vellet, multò minore, ut mihi videtur, negotio magnam ejus longè puriſſimi, reſinoſi, & odorati copiam colligere poſſet, cùm integræ aliquando, ut dixi, ſilvę inveniantur omnium pinguiſſimi illius Ledi quod primo loco deſcripſi: neque illo ex Aphrica invecto, magna ex parte impuro, opus eſſet.

CETERVM Ladanum primo exceſſu calidum eſt, adhæc ſubſtantia tenui, proinde emolliens, & moderatè digerens, atque etiam concoquens: itaque mirandum non eſt, ſi peculiariter ad uteri vitia conveniat: ſimiliter adſtrictionis paululum habet, quocirca etiam defluentes capillos retinet: nam quidquid pravi humoris ad radices eorum reſedit, id omne abſumit, tum meatus quibus infixi ſunt, contrahit.

LEDVM ALPINVM — CAP. LI.

1\. LEDO non ineptè ſubjungetur odoratus hic atque elegans frutex, multis cubitalibus, lignoſis, duris, humi, ut plurimum, diffuſis, cinereoque cortice tectis ramis præditus: quorum extremi ramuli confusè naſcentibus folijs ſunt obſiti, Chamæleæ Italicæ foliorum æmulis, duris, supernè viridibus & ſplendentibus, infernè dilutiore colore conſpicuis, mucrone interdum rotundiore & obtuſiore, in ambitu villoſis hirſutiſque ut ſunt & nova germina, adſtringentis ſaporis: germinum extremis inſidet coma florum deorſum inflexorum & propendentium, campanulæ modo concavorum, qui ſumma labra quinque diviſuris ſecta habentes, foris intenſiùs rubent, & argenteis veluti guttis (cum ipſis unde dependent petiolis) conſperſi ſunt, interiore verò parte dilutius rubri, aliquot ſtaminulis intra latentibus, ſuaviuſculi odoris: ijs ſuccedunt exigua capitula quinque cellulis conſtantia, in quibus ſemen fulvum, minutiſſimum ſcobis inſtar: viridia capitula trita, ſuo odore capitis gravedinem quodammodo inducunt: radix dura, lignoſa, oblonga: ſed & rami per terram ſparſi interdum fibras agunt. *Ledi alpini hiſtoria.*

Invenitur in ſummis Gneberg/Gnealben/Wechſel/Durzenſtein aliarumque vicinarum Alpium jugis inter ſaxa, ad devexa plerumque latera. Obſervavi etiam ſupra Gamingam, Chartuſianorum

Ledum alpinum hirsutum Bibl. in 468.

Ledum Alpinum.



norum cœnobium, in montis aſcenſu lapidibus ſtrato qui ſubeundus eſt ijs, qui ad Schol/& vicinas Alpes proficiſcuntur.

Ledi alpini genus alterũ.

2. Aliud ejus genus invenitur in Stealben ſupra Neuberg/ rarioribus folijs, nec ita confertis, majoribus, durioribus, admodum venoſis, longiore mucrone prędítis, minimè in ambitu hirſutis, & prona plerumque parte flaueſcentibus, aut ferrea rubigine nigricantibus: flores habet ſuperiori ſimiles, ſed paulò dilutiores, capitula & ſemen ſimilia. Hujus folijs & ramis adnata aliquando reperiuntur tubercula nunc nucis ponticæ, modò piſi magnitudine, inæqualia, foris rutilante aut palleſcente nonnumquam colore, intus fungoſa, & alba pulpa plena, adſtrictionis participe, quæ gallarum vicem præſtare poſſint.

Floret utrumque genus Iunio & Iulio: ſemen ſub Auguſti finem, aut paulò ſeriùs matureſcit.

Nerion alpinum.

NERION alpinum nobilis idemque doctiſſimus Vlyſſes Aldrovandus hunc fruticem appellat, teſte C. V. Conrado Geſnero in deſcriptione Montis fracti. Alpini paſtores Alprosen & Bergrosen nominant, ut ipſe eodem loco & in Epiſtolis, & Simlerus ad calcem Commentarij de Alpibus referunt, quidam Barenbluſt/ nonnulli Hunerlaub vocant. Primum genus omnino intelligi exiſtimarem à Clariſs. Viris Pena & Lobelio in Adverſarijs, ſub Alpinæ Chamærododendri odoræ nomine, niſi bacculas aſparagi vel taxi pares illi tribuerent, quas in noſtro non reperias; ſed pentagona tantùm capitula, ut ex ejus deſcriptione ſatis liquet.

Chamærododendros alpina.

Alterum plurimum convenit cum eorum montana Chamæleæfolia, ſive Lentiſcifolia Chamęrododrendro minus odora. In Obſervationibus prioris iconem exhibet Lobelius Balſami alpini nomine: pictor tamen flores fideliter non expreſſit, quos in quinque crenas, non in quatuor, diviſos eſſe comperiſſet, ſi ramos ſuis floribus onuſtos, à me anno M. D. LXXIIII. amicis Machliniam miſſos (è quibus illam iconem expreſſit) diligentiùs conſideraſſet: licet non negem interdum fieri poſſe, ut quatuor tantùm crenis dividantur, ſic nonnunquam ludente in floribus natura: at omnes in eodem ramo tales natos eſſe, credibile non eſt.

Chamærodod. Chamælea folia. Balſamum alpin.

Evonymus quorundam.

Hic eſt frutex quem à nonnullis Evonymum dici, ante memini, neſcio qua ratione ductis. Nam in hoc ubi fructus ſeſamo proximus in quo acinus in quaternos verſus digeſtus, qualem Theophraſtus, ſive granum quadrangula figura, quod Plinius, illi tribuunt? Ex modò deſcripta ſanè hiſtoria ſatis liquet ne minimam quidem notam ad Evonymum referri poſſe. Itaque cum Geſnero loco ſuprà memorato, & in Epiſtolis, Ledi potiùs eſſe, quàm Nerion aut Evonymum arbitror, multum me impellente, ut ita cenſeam, hujus ſtirpis odore & temperamento. Ruſtici & Paſtores eorum montium in quibus obſervaui, utrumque genus Rauſch appellant, eoque Tinctores qui vicina loca inhabitant, utuntur ad lineas penulas nigro colore inficiendum. Nullum præterea uſum apud eos obtinere intellexi.

LEDVM SILESIACVM. CAP. LII.

CISTI Ledi generibus adnumerandum etiam eſſe hunc non minùs elegantem & rarum fruticem, non eſt dubium: ijs enim odoris fragrantia proximus eſt.

Ledi Sileſiaci hiſtoria.

CVBITALIBVS autem interdum eſt virgis, firmis, lignoſis, cortice cinereo obductis, quarum extrema in plures alias tenuiores & quodammodo purpuraſcentes, eaſque etiam nudas dividuntur: illæ viciſſim in alios dodrantales ramulos, virentes quidem, ſed tomento quodam rubiginei coloris obſitos, quos nulla ſerie digeſta ſed confuſa ambiunt folia, Libanotidis coronariæ folijs ferè ſimilia, ſed longiora, ſupina parte viridia, adeoque in pronam partem reflexa & convoluta, ut ejus nihil conſpici poſſit præter nervum ſecundum folij longitudinem excurrentem, ſimili tomento, cum petiolo cui inhæret, pubeſcentem, grati & ſuavis odoris, acriuſculi tamen ſaporis: ſummis iſtis ramis inſident capita ex multis brevibus quaſi ſquamis ferrugineis compacta, è quibus deinde ſeſe explicat corymbacea quædam multorum florum coma, oblongis, tenellis, atque virentibus, nonnihil tamen lanugnoſis,

pedicellis

Ledum Sileſiacum. Ciſtus Ledon foliis Roriſmarini ferrugineis C.B. Pin. 468.



pedicellis inhærentium, grato odore nares ferientium, quinis foliolis albis conſtantium, non ſubluteorum (ut temerè quidam qui ſiccum cum flore ramum duntaxat conſpexit, aſſerere non eſt veritus) decem candidis ſtaminulis cum ſtylo medium florem occupātibus: his demum ſuccedunt oblongiuſcula capitula, pentagona, oſſiculis fructus corni, aliquando magnitudine non cedentia, quæ dum adhuc viridia ſunt, argenteis punctis diſtincta eſſe videntur, ſed maturitatem adepta, rubiginei ſunt coloris, ſemenque continent oblongum, flaveſcēs, adeoque exile, ut ſcobis, è ligno à vermibus eroſo ſponte decidentis, inſtar ſit. Verùm peculiare eſt in iſtis capitulis, ut matura deorſum inflectantur, terramque mucrone ſpectent, magna Naturæ providentia, ne ſemen temere effluat: nam præter reliquorum conſuetudinem, à pediculo, non ab extrema cuſpide, aperiri & dehiſcere ſolent: maturo ſemine, terni aut quaterni alij ramuli rubigineo tomento obducti cum ſuis folijs in comæ lateribus naſcuntur, ſpem florum in ſequentem annum pollicentes: radix lignoſa eſt, & brevibus fibris donata.

Tota planta, præſertim floribus onuſta, odorata eſt, & aromaticum quidpiam ſpirat: quare mirum non eſt, ſi, teſte Matthiolo, veſtibus injiciatur ad eas à tineis præſervandas.

Naſcitur pleriſque Sileſiæ locis, unde non modò aliquot ſtirpes erutas, quæ in meum hortulum tranſlatæ per biennium duntaxat creverunt, ſed etiam recentes ramos elegantiſſimis floribus & ſuo fructu onuſtos, ad nos mittebat anno M. D. LXXVIII. Cl. V. D. Achilles Cromerus Niſſenus, tunc Rmo ac Illmo Epiſcopo Vratiſlavienſi à ſecretis, nunc verò Brunnenſis in Moravia πολίατρος: qui nos etiam pro noſtra amicitia peramanter admonebat, ad montium radices aliquot ſe plantas inveniſſe, quæ flores ſex folijs conſtantes, duodeniſque ſtaminibus præditos præferrent. Inſuper addebat, qui illi dux viæ fuiſſet, Venatorem adfirmare, ſimilem plantam in ſummis montium jugis conſpexiſſe, jam ſuis floribus ornatam, quæ digitalem longitudinem non excederet: nominatam autem ab eo Heydniſch binkraut/ hoc eſt, peregrinam apiariam, quia videlicet apes ejus floribus delectantur. *Natales.* *Apiaria peregrina.*

Floret ſub finem Iunij & Iulio, ſemen Auguſto & Septembri maturum eſt: inhærentque interdum in ſequentem uſque annum capitula, ſic ut recenti flore, & fructu ſuperioris anni vacuo, nonnumquam & tertij anni fructus pedicellis, onuſti rami conſpici poſſint.


ROSMARINVM ſilveſtre vocatur hic frutex à Matthiolo: ſed, ut dixi, ad Ledi genera potiùs referendus videtur, in qua ſententia eſt doctiſſimus noſter Lobelius: ideoque Ledum Sileſiacum nuncupavi. Si quis Boëmicum (quod in Boëmia teſte Matthiolo naſcatur) aut folijs Roriſmarini cognominare malit, à foliorum cum illo ſimilitudine, per me licet. Cordo haud ignotum fuiſſe arbitror, & Plantarum Hiſtoriæ lib. I. Chamæpeucen ab eo appellari. *Roſmarinum ſil. Matthioli.* *Chamæpeuce Cordi.*

NON dubium eſt, quin, ſi quis periculum faceret, ad pleraque magni uſus futurus ſit hic frutex. Atque adeò Sileſij, teſte Cromero, adverſus articulorum contractiones utilem feliciſſimo experimento compererunt, totius plantæ decocto in ſolium infuſo, cui ægri inſideant, eoque remedio ſubinde repetito. Idem me hujus oleo ſtillatitio Fabiani Ilges Niſſeni tum Pharmacopæi opera & diligentia vitreis organis extracto, menſe Octobri anni M. D. LXXXII. donabat: Anno autem ſubſequente, ipſemet Fabianus Ducis Brigenſis nunc Pharmacopœus, oleum quod è ſummis ejus fruticis ramis florentibus exceperat ad me miſit: quod cùm admodum fragrans ſit, & ſtirpis florumque nativum odorem retineat, eaſdem proculdubio facultates etiam obtinebit. Nondum tamen quempiam periculum feciſſe intellexi.

IISDEM porrò locis quibus id Ledum creſcit, nonnumquam invenitur frutex quidam pedalis altitudinis, rarò amplior, tenuibus ſubrubentibus virgis præditus, quæ deinde in tenuiores candicanteſque ramulos dividuntur, anguſtis longiſque folijs temerè & confuſo ordine eos veſtientibus onuſtos, ſupernè virentibus, infernè verò caneſcentibus, & Salicis *Ciſti Sileſiaci genus.*

pumilæ

Roſmarinus ſilveſtris ἄοσμος. Ciſtus Ledon foliis ſalicis anguſtifoliis C. Bauhin 468.



Roſmarin. ſil. ἄοσμ.

pumilæ anguſtifoliæ, quæ paulò pòſt deſcribetur, valdè ſimilibus folijs, nullius grati odoris, ſed peradſtringentis ſaporis: ſummis etiam ramis inſident capitula ex multis brevibus ſquamis compacta cachryos modo, è quibus ſeſe explicant aliquot floſculi tenuibus oblongiſque pedicellis inhærentes, quinque foliolis, ut ſuperioris, præditi, ſed diverſi coloris, rubri nimirum dilutioris ſive quodammodo carnei, quibus excuſſis pentagona conſpiciuntur capitula brevia, obtuſo mucrone, exili, palleſcente ſemine plena.

Eodem quo ſuperior tempore floret, & maturum ſemen profert.

Hvnc ſub anni M. D. LXXXII. Autumnum, è Sileſia ad me mittebat Cl. V. Fridericus Sebizius Ducis Brigenſis Medicus, hac inſcriptione, *Ros marinus ſilveſtris ἄοσμος*, Similem verò ante multos annos Machliniæ aluimus in horto; & florentem, non procul Loon arce, inter Brabantinæ Campaniæ ericeta erutum, accepimus.

Speiræa Theophr. fortè.
Cap. LIII.

Briga Sileſiæ etiam mihi Viennam miſit elegantem hunc fruticem idem Sibizius, ipſo Vere, anno M. D. LXXXVI. qui in meo hortulo repoſitus, egregiè provenit (umbroſo enim loco collocaram ut faciliùs comprehenderet) & ſequēte anno flores & ſemē protulit.

Dvorvm autem cubitorum altitudine aſſurgit, tenuibus ramis ſeu virgis puniceo cortice obductis, per quos ſine ullo ordine ſparſa ſunt frequentia, longiuſcula & anguſta folia, ſalignis proxima, per ambitum ſerrata, supernè dilutiore viriditate prædita, infernè veluti ærugine aſperſa, exſiccatis cum quadam amaritudine conjuncti guſtus. Extremi ramuli, digitalis ferè longitudinis, ſatis craſſam ſpicam ferunt exiguorum florum, uvæ in modum congeſtorum, quinis folijs cōſtantium, è quorum umbilico multa ſtaminula prodeunt, coloris cum ſuo flore ex albo rubeſcentis ſive carnei, nullo peculiari odore præditorum, niſi qualis ferè in florente olea eſt: illis evaneſcentibus ſuccedunt puſilla pentagona capitula, quæ ad plenam maturitatem pervenientia, tenuiſſimum & pulvereum quodammodo ſemen flaveſcens effundunt. Menſe Iulio floret, ſub Auguſti finem ſemen matureſcit.

Qui ad me mittebat Sebizius, percontabatur an ad Syringam referri poſſet, propter pentagona capitula forſitan quę Syringæ albo flore capitulis haud abſimilia, minora tamen, pollinem potiùs, quàm ſemen effundentia. Sed ego ad σπειραίαν, cujus Theophraſtus lib. I. cap. XXIII. Hiſt. Plant. inter frutices qui ſpicam pariunt meminit, commodè referri poſſe judico: Sic enim ait, πλείω δ' ἀκρόκαρπα τῶν ἄλλων ἢ τῶν δένδρων. οἷον τῶν τε σιτηρῶν τὰ σταχυώδη. καὶ τῶν θαμνωδῶν, ἐρείκη, καὶ σπειραία, καὶ ἄγνος, καὶ ἄλλ' ἄττα. Et fortaſſe commodiùs quàm Vsburnum Matthioli, quod nonnulli σπειραίαν eſſe volunt.

Speiræa Theophr. fortè.

Speiræa Theophr. fortè.

frutex ſpicatus foliis saligneis serratis C. Bauhin 475.



SALIX

SALIX ANGVSTIFOLIA PANNONICA. CAP. LIIII.

PRÆTER vulgaria Salicis genera,quorum ſuperior Pannonia non minùs ferax eſt quàm reliquæ quas adij Provinciæ, peculiares quaſdam ſalices in ea obſervabam, quas alibi videre non memini.

Salix anguſtifol. Pannonica.

CRESCIT ergo peculiare quoddam genus juxta torrentes & udis locis,craſſo caudice,& ramis in multo tenuiores frequentioresque ramulos diviſis prǽditum,quàm vulgaris ea ſalix quæ anguſtis alioqui folijs prona parte incanis eſt: hujus inſuper folia non modò ſubtus caneſcunt,ſed licet ſupernè viridia,quadam tamen alba lanugine pubeſcunt, anguſtiora ſunt, in longiorem mucronem deſinunt, frequentioraque in ramulis naſcuntur:flores alijs generibus ſimiles,pallidi, ſemenque minutiſſimum, nigrum, candida molliqùe lanugine exceptum,levis auræ arbitrio huc illuc fertur.Solet etiam hæc Salix alia quadam peculiari nota à ceteris diſtingui : nam plerumque ſubrubentibus quibuſdam tuberculis, baphico cocco ferè ſimilibus, onerata habere folia conſpicitur. Vienna torrens, ſub urbe Vienna in Danubium influens,ea maximè abundat.

Viſcum ſaligneum.

IN inſula porrò Danubij quæ è regione Poſonij eſt, altiſſimas & craſſiſſimas ſalices conſpiciebam maxima prægrandium Viſci fruticum copia onuſtas. Audio etiam circa illam ipſam urbem & in Caſtaneis arboribus,& Coryli,roſarumqùe fruticibus, viſcum naſci, mihi id affirmante ornatiſſimo viro Andrea Heindl,ejus urbis Pharmacopæo.

Eleagnus Theophr. Siler Plinij. Leucophlæos Dalechãpij.

Vngari ſalicem latifoliam aquaticam, quam ego aliquando Eleagnum Theophraſti eſſe ſuſpicatus ſum, Anguillara Siler Plinij eſſe credidit, Dalechampius platyphyllon leucophlæon cognominat,appellant *Reköttye ſa*, vulgarem luteam ſive pallidam *Saar fiz*, rubram *Köz fiz fa*, amerinam ex qua corbes fiunt, *kötö fiz*. Germani omnes communi vocabulo, Weidenbaum/Welden/ & Felber nominant,Galli *Saulz ou Saules*. Itali *Salice*, Hiſpani *Sauze*.

SALIX PVMILA. CAP. LV.

MONTIVM herboſa & aperta juga pumilas alunt, quæ tribus generibus (præſertim quas obſervare potui) diſcernuntur.

Salicis pumilæ latifol. genus I. & II.

Salix alpina pumila rotundifolia repens, inferne subcinerea B: Pin 474



Salix pumila latifolia I.

PRIMVM enim virgas habet minimi digiti craſſitudine, humi fuſas, pedales, interdum etiam majores, frequentibus prǽditas ramulis, qui ſurſum attolluntur, & inter gramina emergunt uncialibus ferè folijs obſiti, ſupernè viridibus & ſplendentibus, infernè ſubcinereis & quodammodo caneſcentibus, non multum abſimilibus Vitis idææ II. folijs. Fert ea in tenellis ramulis floſculorum molles ſpicas,quibus ſuccedunt capitula ut in majore & latifolia ſalice, quæ matura aperiuntur Auguſto,mollemq; lanuginem fundunt, in qua puſilla nigra grana latent: radix admodum craſſa eſt,pro plantæ tenuitate, craſſiſque & obliquè ſparſis fibris firmata.

Salix pumila latifolia II.

ALTERVM ſimiles fundit virgas,humi etiam jacentes, nonnumquam paulò longiores, magis ſcabro cortice tectas, & in frequentiores ramulos diviſas, quas ſimilia cum ſuperiore folia ambiunt, magis mucronata, ſupernè viridia, infernè ſplendentia, licet tenui lanugine pubeſcant. Hujus florum ſpica, ſive iulus craſſiuſculus eſt, illi pænè ſimilis qui in latifolia ſalice naſcitur: radix cum ſuperiore convenit,imò craſſior quodammodo videtur, non minus quàm illa diſperſa, virgis etiam,ſecundum radicis caput, interdum fibras agentibus.

Salix pumila anguſtifol. I.

TERTIO generi graciliores ſunt virgæ,ut plurimùm pedales, nonnumquam dodrantales duntaxat,rectæ,lentæ, ſubflavo cortice tectæ: uncialia folia, ſativi lini foliorum modo anguſta, ſupina parte viridia, prona verò cinerea, & cum novella adhuc ſunt,omnino cana: flos ut in vulgari flaveſcens, exigua, brevi, molliqùe ſpica ante folia naſcitur, at in candi-

Salix pumila anguſtifolia I.

Salix pumila Linifolia incana C.B. Pin. 474.



Salix pumila anguſtifolia II.

Salix pumila brevi anguſtoque folio incana C.B. Pin. 479



dam deinde lanuginem reſolvitur: radix digitalis craſſitudinis, obliqua, nigra, & tenuibus fibris donata eſt. Creſcit etiam hoc genus in udis cæduis ſilvis infra Francofortum ad Mœnum.

Salix pumila anguſtifol. II. INVENITVR porrò in Pannoniæ & Auſtriæ quibuſdam depreſſis cæduis ſilvis & uliginoſis pratis, Quartum quoddam genus, gracilibus & cubitalibus interdum virgis aſſurgens, non minùs quàm in ſuperiore lentis, quæ à medio ad ſummum ramulorum, multas ferunt exiguas florum ſpicas, molles & incanas, maturitate in pappum & lanuginem abeuntes: folia ſuperiore breviora, anguſtiora, ſupernè viridia, infernè cana lanugine pubeſcunt & ſplendent: radix ſuperiore non minùs craſſa eſt, & tenuibus fibris prædita: ſed & virgulta ſecundùm ſummum radicis caput, qua telluri cohærent, ſubinde tenues & capillatas fibras agunt.

Nec huic diſſimilis, paulò tamen latioribus folijs prædita, quę paſſim in fabuloſis Hollandiæ aggeribus Oceano objectis inter gramina & ſpartum, *halm* illis nuncupatum, naſcitur.

CHAMELÆA. CAP. LVI.

Chamelæa I. hiſtoria. SVRCVLOSVS frutex eſt Chamelæa, ramis palmaribus, interdum minoribus, præſertim calidis regionibus: folijs perpetuò virentibus, Oleæ ſimilibus, minoribus tamen nec incanis, ſed viridibus, guſtus initio amari, deinde linguam vellicantis: flores habet exiguos, pallidulos aut flavos, tribus foliolis conſtantes, ex foliorum alis prodeuntes, fructum tricoccum tithymali modo, pelliculâ primùm viridi, deinde per maturitatem rubrâ, amari & fervidi guſtus, obductum, durum, & ubi exſiccatus fuerit, fuſcum. Floret Aprili, fructus Auguſto matureſcit.


Natales. Naſcitur Valentino & Aragonum regno totaque Catalonia: verùm multò brevior & candidior quàm in Gallia Narbonenſi. Certè Mompeliano agro circa Miravaux, & vicinum illi collem, viaque ad Frontignanum urbem, Setio monti, quod vulgò *Cap de Sete* dicitur, proximam, frequens eſt, ubi multò vegetior & viridior quàm in Hiſpanijs. Nunc etiam à rei herbariæ ſtudioſis in Germania & Belgio alitur.

Nomina. Χαμέλαια Græcis, quaſi humilis Olea dicitur: Dioſcoridi etiam πυρὸς ἄχνη, ἢ ἄκνηστος, ἢ κόκκος κνίδειος dicitur: apud Latinos Græcum nomen retinet Chamelææ. Quidam Hiſpani *Olivilla* vocant, Narbonenſis Provincia *Garoupe*.

Facultates. DIOSCORIDES auctor eſt pituitam & bilem detrahere, in catapotijs ſumptam, ita ut

duæ

Chamelæa tricoccos.



duæ Abſinthij partes ad unam Chameleæ miſceantur, & Hydromelite exceptæ in catapotia cogantur: in ventre tamen non liquefieri, ſed quotquot aſſumpta ſunt regeri. Hujus item folijs cum melle tritis ſordida ulcera & cruſtoſa repurgari. Eaſdem pænè facultates tribuit illi Plinius lib. XXIIII cap. XV. Nat. Hiſtoriæ: ſed lib. XIII. cap. XXI. Chameleam cum Thymelæa confundit.

ALIVD porrò Chamelææ genus nobis ex Italiâ defertur ab hac planè diverſum. Id recto ſtolone fruticat, ramoſque habet admodum flexibiles, tenaci cortice, & qui difficile diſrumpi poteſt, obductos, folia admodum conferta, carnoſa, Daphnoidis foliorum formam imitantia, multò tamen minora, & incanâ lanugine, infernè præſertim, pubeſcentia: flores ſimul congeſtos, quatuor foliolis conſtantes, dilutiſſimè purpuraſcentes, ex lanuginoſis coloriſque argentei calyculis prodeuntes: fructum non tricoccum, ut ſuperior, ſed unicum, oblongiuſculum, tenui miniata membrana tectum, ſucculenta carne, & fervidum nucleum in ſe continente, præditum. *Chamelæa II.*

Eum fruticem duntaxat apud nos videbam in hortis cultum, biſque interdum eodem anno florentem. Viennæ Auſtriæ aliquoties illius ſemen terræ credidi, & natas plantulas diligenter ſummaque curâ conſervare volui; ſed ſubſequens hiems ſemper corrupit.

THYMELAEA.



CAP. LVII.

FRVTEX eſt Thymelæa pollicaris interdû craſſitudinis, cubitalis verò altitudinis aut amplior, & in multas virgas diviſus cubitales, pulchras, tenues, rectas: quas ſepiunt perpetuò virentia folia Lini ferè, ſed majora, latiora, non obtuſa cuſpide ut Chamelææ, neque adeò fragilia, ſed mucronata, lenta, & gummoſum quiddam, ſi dentibus atterantur præbentia: flores fert in extremis virgis copioſos, quatuor foliolis conſtantes, Oleæ ferè ſimiles, candidos, racematim fermè propendentes: deinde fructum baccarum myrti interdum magnitudine, paulò longiorem, initio viridem, poſtea corallij modo rubrum, carne ſucci plena Ceraſorum inſtar, ſub qua latet unicum ſemen, nigra fragilique pellicula, album & fervidi ſaporis medullam obvolvens: radix lignoſa eſt & dura, in tenellis plantis raphani modo efformata, craſſo cortice tecta, ſed, quemadmodum tota planta, lento & admodum tenaci. *Thymelææ hiſtoria.*

Naſcitur per totam Hiſpaniam locis aſperis, & pleriſque Narbonēſis Galliæ. Floret autem Iulio, & toto nonnumquam Autumno, ſemenque ſubinde profert. *Natales.*

GRAECI *θυμελαίαν* vocant, nonnulli etiam *χαμελαίαν*, teſte Dioſcoride, *καὶ πυρὸς ἄχνην, ἢ κέστρον, ἢ κνέωρον* (tametſi eodem capite folia peculiariter *κνέωρον* appellari dicat) Eubœenſes *αἰτώλιον*, alij *λῖνον*. Latini Thymeleæ appellationem retinent: Hiſpani *torviſco*: cujus bac- *Nomina.*

 cis men-

cis menſe Octobri & Novembri aviculis plerumque inſidiantur. Ejus fructus Græcis *κνίδειος κόκκος*, Latinis Granum cnidium peculiari voce dicitur. Hallucinantur enim, inquit Dioſcorides, qui coccum cnidium fructum eſſe Chamelææ exiſtimant.

Facultates. FOLIA per meſſes colligi debent, & ſiccata in umbra recondi, auctore Dioſcoride: &, ſi dare libebit, antea tundi & nervi eximi. Purgant autem, & aquoſa ducunt, ſi acetabuli menſura vino diluto macerentur, moderatiùs autem, addita lente cocta, aut contritis oleribus. Seminis medulla, bilem, pituitam, & aquas per inferna detrahit, ſi viginti granorum pars interna bibatur: verùm fauces adurit: itaque cum farina aut polenta, aut in uvæ acino dari debet, aut melle cocto obducta devorari. Plures ejus facultates apud Dioſc. lib. IIII. videre licet.

SANAMVNDA HISPANICA. CAP. LVIII.

SVPERIORIBVS meritò cõjungi poſſe exiſtimo duo ſuffruticum genera, quæ Sanamundæ nomine donata per Hiſpanias obſervabam, quibus addi poteſt & tertium illis ſimile.

Sanamunda I.

Thymelaea foliis Chamelaeae minoribus subhirsutis B. Pin 463



Sanamunda II.

Thymelaea foliis Kali lanuginosis salsis B. Pin. 463.



Sanamunda I. PRIMVS Suffrutex multis cubitalibus ramis ab eadem radice fruticat, obſequioſis, flexibilibus, cortice exteriore nigreſcente obductis, alium interiorem lentum & in tenuia fila ſe dividentem complectente: folijs Chamelææ æmulis, minoribus tamen, brevioribus, carnoſiſque, ad Tithymalum paralium, aut Myrtum proximè accedentibus, ſed aliquãtulum hirſutis, circa ramulos confertim & ſerie quadam diſtributis, gummoſis ſi mordeantur, amaris initio, deinde acribus & adurentibus: flores inter folia naſcuntur Oleæ ſimiles, oblongi, in quatuor foliola per extremum diviſi, lutei: fructus (ut ex relatu accepi) penè Thymelææ eſt, ſed nigricantis coloris: radix craſſa, & lignoſa.

Frequens eſt regnis Granatenſi & Valentino, in apricis & Sole illuſtratis locis: Verno tempore floret, hoc eſt, Martio & Aprili.

ISTIC ab Herbarijs, hoc eſt, ijs qui Stirpium notitiam ſe habere profitentur, Sanamunda vocatur, à ruſticis verò *mierda-cruz*, ob purgandi videlicet facultatem, cujus cauſa ruſticis illius regionis magno in uſu eſt.

Sanamunda II. ALTER cubitalis etiam altitudinis frutex eſt, ramis lentis, flexibilibus, carnoſo & denſo cortice intectis, qui (ſublata exteriore cute) per totam plantam, præſertim circa radicem, Lini aut Cannabis modo in fila diduci poteſt: ſuperiores ramuſculi denſorum, confertorum, lanuginoſorum, & veluti tomento quodam obſitorum foliorum comam pariunt, ſuperiore minorum, & mucronatorum, ſalſi nonnihil guſtus, ſed deinde acris & calidi: exornatur hæc coma flaveſcentium floſculorum Oleæ ſimilium numeroſa ſobole: radix craſſa & lignoſa ſuperiori ſimilis eſt.

Iſtius

Iſtius fructum obſervare etiam non potui, quandoquidem Februario florentem inveniebam petroſo & ſalebroſo loco, maritimis Bæticæ, inter Calpen & Eſtepona, montibusque Granatæ proximis.

GRANATENSIBVS Mauritanis Sanamunda vocatur, apud quos purgandorum corporum gratiâ frequenter vſurpatur. Drachmæ enim pondere cum decocto Cicerum ſumpta, mirificè purgat per inferiora. Circa Calpen, ubi vulgò *Burhalaga* appellatur, nullus illius uſus, præterquam ad excalfaciendas fornaces.

Sanamunda III. Thymelæa tomentoſa foliis Sedi minoris C.B. Pin. 463.



TERTIVS duos ſuperiores magnitudine excedit, candidioribus & multò lentioribus virgis, quarum cortex ſupra modum lentus eſt & frangi contumax: extremi ramuli frequentes & ferè omnino tomentoſi, procumbentem comam habent, & frequentibus foliolis obſiti ſunt, carnoſis, parvis, Sempervivo minori Dioſcoridis, quod nonnulli, Illecebram vocant, valde ſimilibus, urentis etiam facultatis: flores ſuperioribus ſimiles interdum herbacei ſunt, aliquando pallentes. Sed neque iſtius fructum obſervare licuit; floret autem cum ſuperioribus. *Sanamunda III.*

Invenitur hoc genus toto illo tractu maritimo Meridiei objecto, qui ab Herculeo freto, ad Pyrenæos uſque excurrit.

QVO porrò nomine vulgari appelletur, ignoro. Similem autem fruticem ſiccum ad nos aliquando miſerunt C. V. Alfonſus Pantius Medicus & Profeſſor Ferrarienſis piæ memoriæ, & ampliſſimus Iacobus Antonius Cortuſus Patavinus patricius; hic quidem Ericæ Alexandrinæ nomine, ille verò Cneωri.

Verùm Cneωrí-ne, an alio nomine, Veteribus deſcriptæ ſint hæ ſtirpes, alijs judicandum relinquo. Certum tamen eſt, Thymelææ congeneres eſſe, & ijſdem facultatibus pollere.

CNEΩRVM MATTHIOLI. CAP. LIX.

ILLIS ſubijciendum exiſtimavi elegantem hunc ſuffruticem, cui multi ſunt rami graciles, flexibiles, lenti, ſurculoſi, ab ipſa protinus tellure emergentes & humi diffuſi: folia nullo ordine diſpoſita ramulos ambiunt, viridia, cutanea, Thymelææ veræ proxima, ingrati primùm, deinde amari ſaporis, nulla aut perexigua (quantum quidem guſtanti deprehendere licuit) acrimonia prædita: flores in ſummis ſurculis, ſex, ſeptem, aut plures, conferti, quatuor foliolis conſtantes, ex rubro purpuraſcentes, Centauri minoris florum penè æmuli, ingrati etiam & amari ſaporis, aſpectu tamen pulcherrimi, atque odorati, caput (ſi diutius naribus admoveantur) tentantes: ijs ſuccedit fructus exiguus, Thymelææ fructui haud diſſimilis, non ruber quidem, ſed candidus, oblongiuſculus, ſemen continens cinerea membrana tectum, rotundum, Thymelææ grano par: radix longa, minimi digiti ut plurimum craſſitudine, interdum nigricans, majore verò ex parte flaveſcens, lenta, ſuperna parte nonnumquam gracilior, unde rami flexibiles & humi diſperſi emergunt, & ſubinde, ſecundùm alarum cava, ſatis craſſas fibras flaveſcentes agunt. *Cneωri Matth. hiſtoria.*

Provenit in multis montibus Viennæ vicinis tantâ abundantiâ, ut ruſticæ mulieres, dum floribus abundat, multos ejus manipulos in forum venales adferant, cum alijs varij generis floribus, exornandorum tricliniorum gratia. Naſcitur etiam in Pannoniæ ſilvis editiore loco ſitis ultra flumen Rabum ſive Arabonem. Frequens etiam creſcit quibuſdam ſiccioribus pratis Francoforto ad Mœnum vicinis, præſertim ſilva quadam quercubus conſita, circiter miliare infra eam urbem ad ſiniſtram fluminis, inter Ericas, ubi illam candidis etiam floribus variantem conſpiciebam, cujus etiam manipulos ruſticæ mulieres in foro venales proponunt. *Natales.*

Aprili plerumque florere ſolet, nonnumquam etiam Maio: fructus maturus eſt Iunio. Adeò autem fœcundus eſt hic ſuffrutex, ut ſæpenumerò ter eodem anno floreat, novis floribus ſemen ſemper conſequentibus, quod probè maturum, bis eodem anno de una eademque planta colligere memini Viennæ Auſtriæ.

Cneωrum Matthioli.

Cneωrum alb. Theoph.

Thymelaea affinis facie externa C.B. Pin. 463



Gaza mendoſum exemplar ſequutus.

MATTHIOLVS Commentarijs in Dioſc. cap. de Cinamomo hunc ſuffruticem pro Cneωro albo Theophraſti proponit. Cùm verò, quale ſit Theophr. Cneωrum, cujus lib. VI. cap. II. Hiſt. Plant. duo genera facit, album & nigrum, difficulter judicari poſſit, cur huic ſtirpi Cneωri nomen accommodare voluerit, multi mirantur. Poſtrema autem editione cap. de Thymelæa lib. IIII. aliud nobis Theophr. Cneωron adfert, nullis, ut ipſius verbis utar, deficientibus notis. Sed cùm nudam tantùm imaginē addito Cneωri nomine noſtris oculis ſubijciat, illiuſque hiſtoriam planè ſubticeat, ſi parum fidei, ipſius aſſertioni adhibuerimus, nemo, ut opinor, vitio vertet. Dioſc. & Gal. Cneωron, ad Thymelæam & Chamelęam referendum eſſe cenſent doctiſſimi quique. Peritiſſimus Anguillara opinionum lib. I. cap. de Caſſia, Cneωrum utrumque Theoph. arbitratur eſſe noſtrum Roremmarinum coronarium & Lavendulam, & Gazam mendoſum exemplar ſecutum, ὁ δὲ μέλας ἄοσμος, pro εὔοσμος legiſſe, propterea nigrum odore carere interpretatum eſſe. Cujus rei cauſſa mirificè illum exagitat Matthiolus. Certè meus Theophraſti Græcus codex qui Venetijs anno M. D. LII. Aldinis typis cuſus eſt, diſertè habet ὁ δὲ μέλας εὔοσμος.

Ceterùm niſi in hac planta, acrimonia, quæ quidem ſenſu percipi poſſit, abeſſet, ad Thymelææ genera, aut ipſi cōgeneres ſtirpes (quales multas inveniri paulò antè monuimus) húnc ſuffruticem referendum eſſe cenſerem. Vulgarem autem appellationem cur apud ruſticas mulierculas nullam invenerit, ſatis mirari nequeo, quandoquidem illius flores ipſis adeò familiares ſint, & in delicijs. Nonnulli tamen ruſtici Stein roſelin/ hoc eſt, petræam roſulam vocant.

Quibus verò facultatibus prædita ſit hæc planta, mihi adhuc incompertum.

Hippogloſſum Valentinum.

Thymelaea foliis acutis capitulo hirsuto, sive Alypum Monspeliensium C.B. Pin 463

Stein roſelin.

Hippogloſſi Valentini hiſtoria.



HIPPOGLOSSVM VALENTINVM. CAP. LX.

SVFFRVTEX hic potius, quàm herba, cubitali aut ampliore altitudine aſſurgit, multis ramis lignoſis, duris, fragilibus tamen, & nigricantibus prędìtus, circa quos, ex tuberculis interdum multa confertim & ſimul juncta folia naſcuntur, in tenerioribus verò ramulis, qui plerumq; rubeſcunt, rariora, Myrti ferè, longiuſcula, ex cæruleo nigricantia, carnoſa, nigricante pediculo, acuto mucrone, extremæ amaritudinis: ſummis ramulis ſingulares inhærent calices ſquamatim compacti, interioris orbis florum Scabioſæ, aut Morſus Diaboli magnitudine, qui florem continent villoſum & lanuginoſum, ex cæruleo candicantem in meditullio, at in ambitu omnino cæruleum: ſemen ignoro, nam florentem duntaxat conſpiciebam: radix dura eſt & lignoſa.

Natales. Februario menſe floribus onuſtum hunc ſuffruticem inveniebam in Bæticæ ſolitudinibus cir-

bus circa Antequeram, Martio autem, inter Velez & rubio & Lorca, quæ Eliocrota veteribus dicitur, Murciani regni urbes, totoque Valentino regno.


BAETICI, *Coronilla de frayles*, hoc eſt, coronulam fratrum ſive monachorum, quaſi eorum orbicularem tonſuram flore referentem, & *ſiempre enxuta*, quià ſemper arida & exſucca videtur, appellant. Murciani verò & Valentini vulgari voce *ſegullada*. *Nomina.*

Nonnulli Valentinæ academiæ Profeſſores Hippogloſſum eſſe cenſebant: ſed nihil cum Hippogloſſo Dioſcoridi deſcripto commune habet, niſi quis fortè ob foliorum ejus cumRuſci folijs affinitatem ei hoc nomen donandum putet, quæ tamen in hoc frutice circa pediculum oblongiora & anguſtiora ſunt: præterea diſſimiles utriuſque facultates.

Alij Alypum nominare malunt: ſed cùm planè arida ſit & ſucci expers, non video qua ratione ſuam ſententiam ſtabilire poſſint. *Alypũ quorundam.*

CETERVM circunforanei Bæticæ medici ejus decoctum propinare dicuntur ijs qui Gallica ſcabie ſive Venerea lue laborant, non ſine magno (ut aiunt) ſucceſſu. *Facultates.*

CASIA QVORVNDAM. CAP. LXI.



CVBITALIS eſt hæc planta, fruticoſa, tenues virgas ferens, vireſcentes, lentas, interdum etiam nigricantes, præſertim dum novellæ ſunt: & in his folia Lini rariùs per ramos ſparſa, amari ſaporis: flores aliquot ex luteo vireſcentes & palliduli, muſcoſi, corni florum æmuli, adſtrictoriæ facultatis, in eodem pediculo congeſti innaſcuntur: fructus deinde qualis Myrti, initio viridis, ubi maturuit ruber, Corallij aut Aſparagi maturo fructui ſimilis, ſubdulcis, lentusque, tandem nonnihil acrimoniæ exerẽs, oſſeo intus nucleo, qui medullam cõtinet albam, dulcem. Radice nititur dura & lignoſa. Floret æſtate, fructus Octobri, vel etiam ante matureſcit. *Oſyris Plinij fortè.*

Varijs Hiſpaniæ locis creſcit ſecundùm vias: frequentiſſimè autem Granatenſi & Valentino regno. Mompeliano etiam agro olim obſervare memini, ad ingreſſum Peraul, pagi ad ſtagnum Volcarum ſiti, deinde ſilvula Egremont cœnobio proxima, in qua multæ elegantes ſtirpes.

EO quo iſtic verſabar tempore, à ſtudioſis pro Oſiride habebatur: ſubſequentibus annis Caſeam appellare maluerunt, quod nomen etiam nonnullis Hiſpaniæ locis obtinet. Doctiſſimus Plaça Medicus & Profeſſor Valentinus Plinij Polygonum eſſe exiſtimabat: verùm ad quod Polygoni ab ipſo deſcripti genus referri poſſit, non video. Hiſpanorum vulgus *Badajoz* & vicina loca Bęticæ, qua Luſitaniæ conjungitur, incolens, *guardalobo* vernacula lingua appellat. *Caſiá.* *Polygonum Plin.*

Si quis cum Oſyride Plinio deſcripta conferet, aliquot notas communes habere deprehendet: nihil tamen ſtatuere volo. Certè *κνέωρος* Theophraſti, quem Caſiam ab Hygino vocari Plinius tradit, cujuſque ipſe lib. XXI. cap. IX. Nat. Hiſt. ex Theophraſto duo genera conſtituit, eſſe non poteſt. Sed neque etiam Virgilij Caſia, planta odorata, cujus in Bucolicis & Georgicis meminit.

VVA MARINA VVLGARIS. CAP. LXII.

HVIVS duo genera per Hiſpanias mihi ſunt obſervata, ſola duntaxat magnitudine inter ſe differentia.


PRIMVM humana interdum altitudine fruticat, Spartij, quod Hiſpani *retama* vocant, modo, brachialis craſſitudinis aliquando ſtipite, oblongis ramis, nigricantibus, qui deinde multas virgulas ferunt pedales, tenues, multis internodijs diſtinctas, ut Equiſetum ferè, propendentes, ſine folijs, admodum adſtringentis ſaporis: florem ſecundum internodia confertum, minutum, & muſcoſum, corni floribus non abſimilem, pallidum: deinde fructum exiguis moris ſimilem (ut mihi quidem retulerunt incolæ, nam florentem duntaxat videbam) rubentem, ſucculentum, acidum, in quo pauca grana, milio ferè ſimilia inſunt, foris nigra, intus alba: radix dura, lignoſaque eſt. *Polygonum IIII. Plin. majus.*

ALTERVM humile eſt, gracilibus, ſarmentoſis & frequentibus ramulis fruticoſum, qui internodijs ut in ſuperiore diſtinguũtur, humi ſparsâ & profusâ comâ, ſine folijs, ut Primum, *Polygonũ IIII. Plinij minus.*

nec


Polygonum IIII. Plinij majus.

Polygonum bacciferum maritimum majus. ſeu Uva marina major: C.B. Pin. 15



Polygonum IIII. Plinij minus.

Polygonum bacciferum maritimum minus. C.B. Pin. 15



nec minùs adſtringens: flores ſunt muſcoſi palliduli corni floribus etiam ſimiles: fructus exiguis moris par, per maturitatem ruber, ſucculentus, acidus, unum aut alterum granum milio pænè æquale, foris nigrum, intus album continens: radix alteri ſimilis ſed minor: longè etiam lateque ſerpens, & ſubinde novas proles ſub terra promens.

Natales. Floret utraque planta Maio menſe: fructus Auguſto vel etiam ſeriùs matureſcit. Primam tamen initio Martij floribus onuſtam deprehendebam circa *Velez el rubio*, regno Murciano, ubi plurima naſcitur, nuſquam alibi mihi conſpectam.

Alteram frequentem inveniebam in quodam colle, ſecundo à Salmantica miliari, totius ferè Hiſpaniæ meditullio, longiſſimè à mari. Quod equidem ſatis mirari non poteram, cùm antea nuſquam obſervaſſem niſi maritimis locis, & toto illo tractu inter ſtagnum Volcarum & ipſum mare Mediterraneum, ſupra Peraul & Magalonam, ad montem uſque Setium.

Nomina. HISPANI primum genus *belcho* vocant. Alterum genus Narbonenſis Galliæ incolę *raſins de mar*, hoc eſt, uvam marinam appellant. Cùm iſtic vivebam, peritiores pumilum genus ad Dioſcor. τράγον quod & τράγανον dici ait, lib. IIII. deſcriptum referebant: cujus ſanè aliquot notæ non ineptè huic plantæ quadrant. Poſtea nonnulli ad Androſacen retulerunt, Bellonium ſequuti, qui Obſervation. lib. III. cap. XLI. de Androſace agens, hanc innuere videtur.

Τράγον. Τράγανον. Androſace Bellonij. Croton Anguill.

Peritiſſimus Anguillara, Crotonis, cujus Nicandri interpres mentionem facit, nomine, hanc, ni fallor, deſcribit opinione duodecima. Creſcit, inquit, ad flumen Sebenicum in Dalmatia humilis frutex, Pino valdè ſimilis, frequentibus nodis, cujus folia [cirri ſeu ramuli potiùs] Equiſeto minori ſimilia ſunt, ejus flos rufeſcens, tametſi palleſcentem viderim, qui deinde in fructum extuberat rotundum Ceraſo minorem, maturitate colorem rubrum contrahentem, qui etiam edi poſſit. Naſcitur locis aſperis, montoſis & ſaxoſis, &c.

MVLTIS verò notis, hujus primum genus præſertim, cum Polygono quarto Plinij quadrare mihi videtur, quod his verbis deſcribit lib. XXVII. cap. XII. Quartum genus ſilveſtre appellatur, pænè arboris modo frutex, radice lignosâ, ſtirpe Cedri rubicundo, ramis ſparti, binûm palmorum, nigris geniculorum ternis quaterníſve articulis. Huic quoque ſpiſſandi natura, ſapor mali cotonei.

Deinde quas Dioſcorides Polygono tribuit facultates, adhuc hodie apud ejus regionis, ubi hic frutex naſcitur, incolas, in uſu ſunt: illius enim decoctum penis & veſicæ ulceribus conferre aſſerunt.

Ephedra. Caucon. Anabaſis. POSSET tamen ad Ephedram forſitan etiam referri, cujus idem Plinius lib. XXVI. cap. VII. in hæc verba meminit: Caucon, quæ & Ephedra, ab alijs Anabaſis vocata, naſcitur ventoſo ferè tractu, ſcandens arborem, & ex ramis propendens, folio nullo, cirris numeroſa, qui ſunt

junci

junci geniculati, radice pallida. Datur ex vino nigro auſtero trita ad tuſſim, ſuſpiria, tormina, &c.

* Hanc Bellonius lib. I. & III. Obſervationum arbores conſcendere dicit, cujus & fructum Androſaces ſimilem, rubrum ediſſe refert.

Ego verò hanc plantam ſolam ferè naſcentem, & ſeſe ſuſtinentem, nec ullo adminiculo egentem ſemper inveniebam.

ANAGYRIS. *Anagyris foetida B.Pin: 391.* CAP. LXIII.



TAMETSI nonnulli plura Anagyris genera ſe vidiſſe referant: ego unicum legitimum, quale videlicet à Veteribus deſcriptum eſt, tantùm obſervaſſe ingenuè profiteor.

ARBVSCVLA autem eſt humanam altitudinem non multum ſuperans, calidioribus præſertim regionibus (nam alibi duorum etiam hominum magnitudinem æquantem conſpexi) multis ramis fruticoſa, cortice ex viridi nigricante obductis, è quibus ramuli proſiliunt onuſti folijs trifolij ferè mænianthis, hoc eſt, ternis ſimul junctis, ſed supernè dilutius viriſcentibus, averſâ autem parte incanis, ut viticis folia, odoris, ut ſpatulæ fœtidæ vulgaris, (quam nonnulli Xyrin eſſe volunt) adeo gravis & tetri, ut tranſeuntibus ſuo fœtore caput offendat. Ex foliorum ſedibus & alis, bini, terni, aut quaterni ad ſummum flores ſimul prodeũt oblongi, quinque folijs conſtantes, geniſtæ ferè aut Cytiſi florum modo, ſed quorum ſupremum, quodque reliqua integit, brevius eſt, & minimè, ut in illis, reflexum, coloris intenſius aurei, reliquis palleſcentibus: ſiliquæ deinde ſuccedunt digitalis longitudinis, pollicaris verò latitudinis, cartilagineæ, in quibus terna aut quaterna ſemina, nonnumquam plura, ſatis magna, exiguis phaſiolis æqualia, renis forma, quæ initio candicant, deinde purpuraſcentem colorem contrahunt, tandem, cùm plenè matura, ex cæruleo nigricant: ut aptiſſimè Dioſcorides ποικίλον dixerit: nam in eodem fructu non exactè maturo tres differentes colores ſubinde conſpiciuntur. *Anagyris vera.*

Primùm omnium hunc fruticem naſcentem inveniebam primo ab Arelate lapide, ſaxoſo quodam colle, qui dicitur D. Antonij monente C. V. eodemque primario Mompelianæ Academiæ Profeſſore D. Gulielmo Rondeletio. Deinde frequentem circa Hiſpalim totius Bæticæ Emporium celeberrimum, tum etiam ad Mundam, Malacam & Valentiam. *Natales.*

Floret iſtic Ianuario & Februario, æſtate ſemen matureſcit. Hujus porrò ligni matrix ſive cor, non nigricat, ſed nonnihil potius palleſcit.

Ἀνάγυρις καὶ ἀνάγυρος, à nonnullis etiam ἄκοπος Græcè appellatur, teſte Dioſcoride & Plinio, Latinis Anagyris, Herbariorum vulgò Faba inverſa. Vulgare nomen Hiſpanicum non intellexi. *Nomina.*

TENERA folia trita Dioſcorides refert illitu tumores reprimere, &, ſi partus hæreat, & ſecundæ menſeſque morentur, drachmæ pondere bibi in paſſo: ſic & ſuſpirioſis dari, & contra capitis dolores in vino: difficulter parientibus adalligari, ita ut à partu ſtatim auferantur. Plinius addit, in vino vetere ad phalangiorum morſus dari. Radicis cortex, utrique, concoquendis diſcutiendiſq; adhibetur: & ſemen manducatum, vomitiones vehementer ciet. *Facultates.*


CYTISVS. CAP. LXIIII.

IN tanta opinionum varietate de Cytiſo, licet judicare difficile ſit, quis legitimus Cytiſus veteribus deſcriptus; peritiores exiſtimant eum eſſe quem C. V. Bartholomæus Marantha proponit. Ceterùm nemo, uti ſpero, inficias ibit, quin quos hoc capite enumerabo frutices, ad Cytiſi genera etiam referri debeant. *Cytiſus πολύσπορος.*

PRIOR interdum arbuſculæ magnitudine excreſcit, duro ſtipite, cujus materia flaveſcit, ſed cor ſive pars interior nigricat: is autem cum majoribus ramis & virgultis candicante cortice obducitur: tenelli ramuli toti villo obſiti: folia numeroſa ramos ambiunt, terna uni pediculo inhærentia Medicæ modo, dilutioris viriditatis, ſaporis viridium leguminum, amari tamen: *Cytiſus I.*

Cytiſus minoribus foliis ramulis pertenuibus villoſis C. Bau. 390.

Cytiſus I.



Cytiſus II.

Cytiſus foliis incanis anguſtis quaſi complicatis C. Bau. 390.



Cytiſus foliis ſubrufa lanugine hirſutis C. Bau. 390.

Cytiſus III.



ri tamen: aliquot flores extremis ramulis quaſi ſpicæ inſtar naſcuntur, Geniſtæ ſimiles, minores, lutei, nonnihil odorati: deinde lobi Geniſtæ pares, oblongi, aſperi tamen & hirſuti, in quibus exiguum ſemen, tumidiuſculum, nigricans, Geniſta minus: radix lignoſa, & in diuerſa tendens.

Cytiſus II. ALTER duorum cubitorum duntaxat altitudinis, fruticoſus, virgas profert candidas omnino, tenues, ramoſas. folia ſuperiori ſimilia, terna ſemper ex uno pediculo naſcentia, minora, prorſus incana, numquam expanſa, ſed ſemper quaſi complicata, prominente dorſo, impensè amara: flores, ut in altero, extremis ramis inſident ſuperioribus forma ſimiles, ſed intenſior & planè aureus color: ſiliquæ etiam longiuſculæ, aſperæ, ex purpura nigreſcentes, mucrone deorſum inflexo: ſemen paulò majus eſt, & ſubnigrius altero; radix ſimilis.

Natales. Vterque creſcit Salmanticenſi agro, & alijs utriuſq; Caſtellæ locis ſecundùm publicas vias. Florent Iunio, ſemen proferunt Iulio & Auguſto. Seminibus inde ad amicos in Belgium miſſis nonnulli in ſuis hortis aluerunt, ubi longè majores adoleverunt: ſed ſubſequutis poſtea Belgicis motibus, cùm negligeretur, & intermitteretur neceſſaria cura, præſertim hiemali tempore, utrumque genus perijt.

Cytiſus III. TERTIVS humanam altitudinem attingit, virgaſque habet longas, non admodum fruticoſas, neque lentas, nigreſcente cortice obductas: folia trifolij aut medicæ, terna ſimul uni petiolo inhærentia, ſupina parte viridia, prona verò ſubrufa lanugine hirſuta, leguminum amariuſculi ſaporis: flores ex alarum ſinu reliquis majores, cum Geniſtæ majoribus floribus comparandi,

Cytiſus IIII.



Cytiſus V.



comparandi,aureo colore fulgentes. Huius ſemen obſervare non licuit, cùm ſolum modo admontium radices circa Calpen & Bæticæ maritimis Februario florentem invenerim.

Duorum ſuperiorum nullum vulgare nomen intellexi, iſte verò ab incolis *Eſcabon* dicebatur.

QVARTVS cubitales & majores habet virgas,lentas,vimineas,in multas alas diviſas, quas ſparſim & ſine ordine ambiunt terna perpetuò folia eidem pediculo inhærētia,viridia, eminentiore dorſo, amariuſculo ſapore prædita: ſummæ virgæ in oblongam ſpicam florum quatuor foliolis conſtantium deſinunt, qui piſi florum formam æmulātur, longè tamen minores ſunt,lutei coloris,ſuaviſque odoris & melleum quiddam ſpirantis: ſiliquæ deinde ſuccedunt longæ,planæ,exiguum flaveſcens ſemen continentes: radix dura, lignoſa, longa, rarioribus fibris donata eſt. *Cytiſus IIII.*

Copiosè naſcitur non modò in omnibus ſilvis Vienenſis agri, & ſecundum vias, ſed pleriſque Pannoniæ locis,& in ea Auſtriæ inferioris parte,quæ veteri circumſcriptione Pannoniæ non continetur. Creſcit & in Hercyniæ ſilvæ parte quæ Boëmiam undique cingit, vbi florere incipit ſub finem Iunij,& Auguſto plerumque ceſſare ſolet: at in Auſtria & Pannonia maturiùs. *Natales.*

CVBITALES nonnumquam ſunt Quinto virgæ,rectæ,tenues,vimineæ & lentæ: quas ab infimo ad ſummum uſque exornant folia terna etiam uni pediculo inhærentia, proximè deſcripto ferè ſimilia,ſed anguſtiora,omnino incana, amari guſtus, quæ trita pinguia eſſe videntur: ex ſingulis interdum foliorum ſinubus ramuli prodeunt, ſimilibus folijs, ſed minoribus obſiti,ferentes in ſummo quinos aut ſenos flores loti pratenſis herbę(quam à prægrandibus ſiliquis nonnulli ſiliquoſam cognominant) floribus perſimiles, aurei coloris, odoris non expertes: deinde ex folliculis ſiliquas oblongiuſculas,planas, hirſutas omnino, atque in his ſubruffum ſemen planum, nonnumquam tumidiuſculum & rotundiuſculum, durum, quod maturitate dehiſcentibus ſiliquis excidit: radix dura eſt & lignoſa, nigricans, ſumma tellure ſparſa. *Cytiſus V.*

Frequens eſt toto Viennenſi agro, præſertim ſupra Phaſianorum fabricam, & multis alijs cum Auſtriæ ſuperioris & inferioris,tum Moraviæ & Pannoniæ locis aridis propter vias. *Natales.*

Floret Iulio,& ſubinde in Autumnum uſque:ſemen ſub Auguſti finem,& Septembri matureſcit,ſed vermiculis illud erodentibus eſt valde obnoxium.

Integras ſæpenumero hujus fruticis ſtirpes vulgari cuſcuta, quam plerique legitimam Dioſcorid. Androſacen eſſe exiſtimant, obſitas inveni. *Androſace Dioſcor.*

2. Ejus


Cytiſi v. ſpecies altera.



Cytiſus VI.



Cytiſus VII.



Cytiſi v. ſpecies altera. 2. Ejus aliud genus eſt multò majus, craſſioribus virgis, admodum hirſutis, rectis, folijs duplo amplioribus, ſiliquis ſeu lobis majoribus: ipſi etiam flores colore magis aureo rutilant.

Iuxta ſepes in Pannonia & Auſtria naſcitur, ſed rariùs eſt, & minùs obvium ſuperiore. Illius etiam ſemen vermiculis obnoxium.

Cytiſus VI. SEXTVS pedalibus, raro cubitalibus aſſurgit ramulis, tenuibus, omnino incanis: quos exornant terna ſemper folia, brevi pediculo inhærentia, quorum medium duplo longiùs eſt reliquis, cinerei & caneſcentis coloris, adſtringentis verò & linguam exſiccantis ſaporis: ramuſculi ferè ab imo ad ſummum per ſingulorum foliorum exortus, floribus aureo colore fulgentibus, jucundi odoris, onuſti ſunt, binis aut ternis ſimul naſcentibus ex molli quadam, & candida lanugine hirſuta vaginula, ſimilis cum ſuperioribus formæ, ſed minoribus. Semen non obſervavi.

Natales. Invenitur varijs Hiſpaniæ locis, præſertim Bætica: ſed nuſquam abundantiorem videbam quàm Valentino regno, ubi plurimus ejus uſus eſt: nam illius ramis nudis & à ſuis folijs liberis ſupra tegetes, ab his qui bombyces alunt, ſparſis, jam ſaturi mori folijs bombices, ſericea ſua ſtamina his ramis advolvunt, quę deinde à mulierculis & pueris explicantur. Valentini *boga*, & *boxa blanca* appellant.

Cytiſus VII. ALIQVOT habet Septimus ramos humi fuſos & ſparſos, tenues, lentos, fractu contumaces, qui nullis aut certè rariſſimis folijs ſunt obſiti, multos autem ex lateribus ramulos proferunt, tenellos, hirſutos, in quibus folia longis pediculis nixa, terno ſemper numero, breviora

viora quàm in Quinto genere, elato dorſo, supernè viridia, infernè cana lanugine pubeſcentia, amariuſculi ſaporis, & herbacei odoris: ex alarum in extremis ramulis, & per totos interdum ramulos ſparſarum ſinu prodeunt terni aut quaterni ſimul juncti, nonnumquam ſingulares flores, Quinti flori forma ſimiles lutei coloris, qui tamen dum marceſcere incipiunt, aureum colorem adeò ſaturum contrahunt, ut purpuraſcere videantur: folliculi, unde flores emergunt, pallent & lanugine pubeſcunt: ſiliquæ planæ & hirſutæ ſubfuſcum exiguum ſemen continent: radix dura, lignoſa, juxta quam rami per terram ſparſi ſubinde fibras agunt.

Spontè provenit ſilvula quadam ad Lachn pagum primo ab urbe Vienna miliari, & pleriſque alijs locis urbi vicinis: creſcit etiam in utriuſque Pannoniæ ſilvis, & in Interamni ultra Dravum flumen. Maturiùs floret ſuperioribus Pannonicis, Maio videlicet, nonnumquam etiam Aprili, & novos interdum ex ramulis flores per totam deinde æſtatem profert. *Natales.*

2. SED & hujus generis alia ſpecies invenitur pedalibus virgis, tenuibus, viridibus, ſupinis & humi fuſis, quas ambiunt ſimilia folia: flores etiam pares extremis virgis quini, ſeni, aut plures ſimul congeſti innaſcuntur, nulli autem per virgas ſparſi ut in ſuperiore: ſiliquæ & ſemina non differunt: virgarum, foliorumq; pars inferior & ſiliquæ molli hirſutiâ pubeſcunt. *Cytiſi VII. ſpecies altera.*

Hunc in ſolis Pannoniæ ſilvis Maio menſe florentem inveniebam.


SCIO & alios aliquot frutices Cytiſi nomine proponi: quia verò diligenter ab alijs deſcripti ſunt, hîc ſubijciendos non æſtimavi, ſed eos tantùm quos à nemine antè obſervatos, & Cytiſi nomine comprehendi poſſe putavi. Quarti tamen hiſtoriam noſter Lobelius in adverſarijs prodidiſſe videtur.

PORRÒ Cytiſi folia refrigerare, tumores inter initia diſcutere, ſi cum pane trita illinantur: decoctum potu urinam ciêre, Dioſcorides ſcribit. Columella lib. v. cap. ultimo, Plinius lib XIII. cap. XXIIII. addunt ex Ariſtomacho Athenienſi, nutricibus in defectu lactis aridum & in aquâ decoctum, potui cum vino dari: firmiores, celſioreſque infantes fieri: & alia pleraque ad Cytiſi culturam, & pecorum ex eo pabulum, pertinentia. *Cytiſi Facultates.*

COLVTEA SCORPIOEIDES. CAP. LXV.

CYTISO cognatæ ſunt eæ ſtirpes quas hoc & proximè ſequente capite deſcribam, ideoque ponè Cytiſi genera collocandas eſſe exiſtimavi.

Colutea ſcorpioides 1. elatior




Colutea ſcorpioides 1. humilior.



MVLTAS Prior ex una radice fert bicubitales, interdum & tricubitales virgas, graciles, ſatis tamen firmas, in frequentes ramos diviſas: folia alata ſeptem aut novem uni coſtæ inhærentia, bina ſemper ex adverſo ſita, uno impare extremam alam occupante, coluteæ folijs *Coluteæ ſcorpioides 1. elatior.*

Colutea Siliquoſa minor Coronata B. Pin: 397.

Colutea ſcorpioides altera.



Colutea ſcorpioides I. humilior.

ſimilia, ſed minora, ſaturatè virentia, ingrati admodum & amari ſaporis: è ſingulis ramulorum alis prodeunt tenues pediculi ſuſtinentes plerumque binos, nonnumquam ternos flores Coluteæ ſimiles formâ & colore, ſed minores & nõnihil odoratos: ſiliquæ teretes, oblongæ, quibuſdam veluti articulis diſtinctæ, oblonga, lævia, ſubfuſci coloris & ingrati ſaporis ſemina, ſingula ſingulis articulis incluſa habent: radix lignoſa eſt, longè lateque diſperſa.

2. Est & altera humilior, humiq; diffuſa, neque foliorum numero, aut ſitu, aut formâ, neque florum formâ & colore, à ſuperiore differens: ſed hujus virgę palmares aut pedales duntaxat, hieme interdum marceſcere ſolent, & novo vere denuò è radice novæ germinare: ſiliquę & ſemina paria: radix ſimiliter dura & lignoſa latè ſe ſpargit, & fibris aliquot donata eſt.

Natales.

Sponte naſcũtur ad Calenberg viciniſq; Viennæ montibus abundè, tum etiam in nonnullis Pannonię montanis locis. Prioré etiam in Belgicis hortis jam diu antè conſpexeram: & ejus Pena & Lobelius in Adverſarijs meminerunt, in Valena Mompelliani agri ſilvâ naſci aſſerentes. In hortis culta longè major evadit. Poſteriorem nunquam antea obſervaveram. Sed & ea in hortis culta paulò major fit, & plerumque virgas hieme retinet. Florent Maio.

Colutea ſcorpioid. II.

Altera nititur radice craſsâ, & lignoſâ, lentâ tamen, & flaveſcente cortice obductâ, multiſque fibris præditâ: ex qua plures ſingulis annis ineunte vere novas producit virgas pedales, nonnumquam etiam cubitales, lentas, vimineas, læves, virides, & in his temerè ſparſa alata folia, quina, ſeptena, aut novena uni coſtæ inhærentia, exſiccantis primùm guſtus, deinde nonnihil acrimoniæ in ſummis labris relinquentis: flores in foliorum oblongis virgulis inhærent copioſi, leguminacei, in orbicularem coronam diſpoſiti, flavi, nullo grato odore commendati: quibus ſuccedũt articulatim diſtinctę ſiliquę ſuperioribus breviores, ſemen in ſingulis articulis continentes, Polygalæ valentinæ modo.

Natales.

Creſcit in montium, qui à Danubio & Calenberg illi imminenti ad Alpes extenduntur, radicibus, inter vepres & ad vinetorum margines. Floret Iunio, nonnumquam etiam Maio: ſubſequens hiems virgas corrumpit.

Polygala Valentina.

Polygala altera B. Pin: 349.



Polygala valentina.

Cap. LXVI.

Polygala. 3.

Frvticosa eſt hæc planta, binos palmos alta, multas ferens virgulas lentas, ſparti aut junci inſtar: folia ſingulis coſtis inhærent impari plerumque numero, quina, ſeptena, aut plura, Lenticulę ſimilia, magis tamen carnoſa, & ad rutæ colorem accedentia, adſtringentis & ingrati guſtus: flores meliloto ſimiles, lutei, coronæ in modum, ſummis virgulis (quæ magnâ ex parte nudæ ſunt, & maturo ſemine exareſcere ſolent) inſident: incurvæ, deinde, longæ & teretes ſuccedunt ſiliquæ, tribus aut quatuor internodijs diſtinctæ, quæ ſemen continent durum, oblongiuſculũ, nigrum, ingrati ſaporis: radix longa, dura, lenta, craſſiuſcula eſt.

Perpetuò

Perpetuò virens eſt: floretque Aprili, Maio, & Iunio, ſemen verò Iulio maturum. Inveniebam etiam Septembri florentem, & calidioribus locis maturè admodũ, videlicet Februario.

Salmanticenſi agro frequens eſt ſecundum vias: Granatenſi, Murciano, & Valentino regnis, locis arenoſis & collium declivibus obſervabam. Apes ex ejus flore plurimùm mel colligere creduntur.

VVLGO Salmanticenſibus *Coroñilla de Rey* dicitur, quaſi ſertula regia, & iſtic officinæ Meliloti vice utuntur. Granatenſes & Murciani *Lentejuēla*, id eſt, Lenticulam, Valentini Polygalam appellant.

IN collibus ſilvoſis Valentiæ Hiſpaniæ vicinis invenitur & alia huic admodum ſimilis, ſed majoribus virgis, firmioribus, & utcumque rubentibus: majoribus etiam, viridioribus, frequentioribus & carnoſis folijs: majoribus & dilutioris coloris floribus: ſiliquis etiam paulò craſſioribus: ſemine verò omnino ſimili. *Polygala II.*

EIVSDEM urbis item maritimis Tertia, oblongis, lentis, fungoſis ſeu medulloſis, & omnino virentibus virgis prædita, quas rara obſepiunt folia, ſuperioribus adhuc craſſiora & molliora: flos Secundæ par: ſemen obſervare non potui.

Viret etiam perpetuò utraque: ſed in collibus nata diutiſſimè floret, Vere & Autumno. Prima & Secunda, ante meam ad Cæſ. Maximilianum II. profectionem, in Belgicis hortis alebantur.

PORRÒ Polygala Dioſcoridi & Plinio guſtu eſt adſtricto, quæ pota lactis abundantiam facit.

ANΩNIS NON SPINOSA, ſive MITIOR. CAP. LXVII.

ALVNT Sileſiaca prata Anωnidis quoddam genus à vulgari diverſum, quod ab alijs minimè obſervatum exiſtimo.

Anonis mitior I.



Fraxinella.



MVLTOS annuatim ex radice durâ, lignoſâ, & perenni fert cubitales, nonnumquam longiores ſurculos, rotundos, lentos, firmos tamen, ramoſos, molli lanugine obductos: multa folia alternatim caulem latâ baſi amplectentia, plerumque terna ex eodem pediculo prodeuntia, interdum ſingularia, molliora & ampliora quàm vulgaris: ſummæ virgę & rami deſinunt in oblongam ſpicam florum vulgari quidem ſimilium, ſed coloris magis ſanguinei: fert deinde ſiliquas vulgari perſimiles, & ipſum etiam ſemen. Tota planta lento quodam humore graviter & hircinum virus olente obſita eſt, Fraxinellæ ferè odoris inſtar: nullo autem aculeorum vallo munita eſt. *Anonis mitior I. purpureo flore.*

EST & aliud genus huic adeò ſimile (præſertim ſiutrumq; in hortis colatur) ut ante quàm flores explicentur, niſi diligenter inter ſe conferantur, vix diſcerni queant: paulò tamen pinguius *Anonis mitior II. luteo flore.*

guius

guius deprehenditur, nec adeò graviter odoratum: præterea ubi ſponte naſcitur, candidius eſt: ejus item flores, qui lutei ſunt, breviore ſpica naſcuntur.

Trifolium fœtidum. Prioris ſemen è Sileſia nobis miſſum eſt Trifolij majoris & fœtidi nomine, plantæ etiam ex eo natę. Alterum frequens naſcitur cùm in Narbonenſi Galliâ, ubi primùm obſeruabam, tum in Hiſpaniâ & Luſitaniâ. Floret utrumque genus Iunio & Iulio.

CVM totâ quaſi facie Anωnidem vulgarem, exceptis ſpinis referant hæ plantæ, licebit eas nominare Anωnides non ſpinoſas ſive mitiores. Poſteriorem nonnulli Hiſpani Ciceris *Natrix Plinij.* ſilveſtris genus eſſe autumabant: Pena & Lobelius Plinij Natricem eſſe cenſent, cujus lib. XXVII. Nat. Hiſt. cap. XII. meminit: ſed ejus Natricis radix duntaxat hirci virus olet recens eruta, non tota planta. Cumq́ue nullam pleniorem deſcriptionem addat, difficile eſſe exiſtimo, quænam illa Natrix ſit, judicare.

Fraxinella. OLET etiam hircum vulgò Fraxinella appellata, cujus radix Dictami albi nomine in officinis nota eſt, & uſurpatur. Illius paſſim in Pannonicis ſilvis, Viennenſiq́ue ſaltu, duo genera inveniuntur: Vnum elatius, oblongiore florum ſpica, ſaturatioribuſq́ue floribus & *Varietas.* nigrioribus folijs: Alterum humilius, breviore ſpica, dilutioribus floribus & folijs: Vngari *Dictamus* & *zaruas fiu* vocant. Creſcit & in Francofordiano ſaltu, in quo aliquot plantæ repertæ niveo flore præditæ.

DORYCHNIVM HISPANICVM.



CAP. LXVIII.

Dorycnio congener planta.



Dorycnium Hiſpanicum. FRVTICOSA & ramoſa hæc eſt planta, pedem aut ampliùs alta, tenues producens virgas, incanas, flexibiles: folia oleæ albicantia, minora & breviora, terna ſimul, interdum etiam plura ab eodem exortu prodeuntia, in novellis ramis, qui nondum florem protulerunt admodum frequentia & confertim naſcentia, adſtringentis guſtus: flos copioſus, parvus, trifolij pratenſis æmulus, albus, veluti in capitulum congeſtus ſummis virgis inſidet: quo decidente, quaternæ, quinæ, aut plures interdum ſuccedunt ſimul junctæ valvulæ, ervi magnitudine, rufeſcentes, in quarum ſingulis, ut plurimùm ſingula ſemina continentur verſicoloria, qualia penè Tithymali paralij, ejuſdemq́ue formæ, coloris & magnitudinis: radix dura & lignoſa nigricat. Perennis eſt, nec ſua folia abijcit, niſi novis receptis.

Natales. Exit copioſè Salmanticenſi agro, & alijs Hiſpaniæ locis, ſecundum vias & incultis: memini & Narbonenſi agro videre: frequentiſſimam etiam non modò circa Viennam Auſtriæ, ſed pleriſque Pannoniæ locis, calidiore tamen regione magis incanam. Floret Maio & Iunio: ſemen valvulis hiantibus exilit Iulio.

QVOTQVOT erant Salmanticæ rei herbariæ ſtudioſi, Dorycnium vocabant, eo quo iſtic verſabar tempore, quo etiam nomine apud Mompelianos, ante multos annos donatũ fuit.

Anguillara

Anguillara etiam hanc ſententiam amplecti videtur, Opinionum libro XIIII. Ejus ſemen à C. V. Vlyſſe Aldrovandro aliquando miſſum fuit Trifolij albi appellatione; & ex illo plantæ natæ. Salmanticenſe vulgus *mijediega* vocat. *Trifolium album.*

Ceterùm, licet cum Dorycnio Dioſcoridi deſcripto nonnullas notas communes habeat, ejus tamen hiſtoriæ per omnia reſpondere non videtur.

HVIC ferè ſimilis planta Valentino regno & quibuſdam Bæticæ locis naſcitur, cubitalibus & viminis modo lentis virgis, ſuperiore gracilioribus, brevioribus & latioribus folijs, brevique pediculo ternis aut quinis ſimul junctis, ramulos amplectentibus, ſalſi & nonnihil acrimoniæ obtinentis guſtus: oblongi ramuſculi, ternos, quaternos, aut quinos flores ſuſtinent, Medica majores, viridis coloris: alioqui tota planta candidior eſt ſuperiore, imò tota incana: ejus neque ſemen, neque radicem obſervabam: ſed ramulum qualem equitando abrumpere potui, exprimi juſſi, & hîc appoſui. *Dorycnio cōgener planta.*

VETERES porrò Dorycnium ſomniferum eſſe ſcribunt, & copioſiùs hauſtum mortem adferre. An verò planta, hoc capite deſcripta, ſoporifera ſit, neminem periculum feciſſe arbitror.

GENISTA TINCTORIA. CAP. LXIX.


Geniſta tinctoria Hiſpan.

Geniſta tinctoria frut. Hiſpan. foliis incanis B:P:395



Geniſta tinctoria vulgaris.

Geniſta tinctoria germanica B:P:395



AD duorum cubitorum altitudinem creſcit interdum hic frutex, nudo ſtipite, enodi, recto, digitali craſſitudine, candicante cortice tecto, qui in multiplices breveſque ramos, tenellos & fragiles ſumma parte dividitur: hos ornant folia Lini aut Thymelææ, frequentia, ſupernè virentia, infernè verò incana & argentei planè ſplendoris, guſtus initio exſiccantis & nonnihil adſtringentis, deinde ſubamari: flores ſummis ramulis naſcuntur ſpicatim congeſti Geniſtæ tinctoriæ Germanicæ ſimiles, lutei. Tota planta elegans eſt aſpectu. *Geniſta tinctoria Hiſpanica.*

Quo tempore floret, ſub ea creſcit Hæmoderi quoddam genus elegans, pedalis altitudinis, brachialis interdum craſſitudinis, multis floribus à medio ſcapo ad ſummum uſque exornatum, magnis, oblongis, luteis, extrema parte hiantibus & in quinque partes diviſis: totum humidum eſt, pingui oleaginoſaque materia turget. *ἀιμόδωρον.*

NVSQVAM hunc fruticem conſpiciebam, quàm Murciano regno ſecundùm vias naſcentem, & Martio menſe florentem. Incolæ ſtirpem ipſam *ſcopa* appellabant, Hæmoderum autem ſub eâ naſcens, *yerua tora*, quia forſitan ſi vaccæ eo veſcantur, ad venerem excitatæ taurum appetunt.


CETERVM ſuffruticem illum qui à tingendi uſu, floris Tinctorij, vel Geniſtæ tinctoriæ

nomen invenit, in Hiſpanijs videre non memini: at in Auſtriæ & Pannoniæ ſilvoſis locis, & ad montanorum pratorum margines frequentiſſimum conſpexi. Vngaris *Feſlö verag* dicitur. Frequentiſſimus etiam in omnibus pratis quibus proximæ ſilvæ, cùm Francofordiano agro, tum pleriſque alijs Germaniæ locis.

SPARTVM GRÆCORVM. CAP. LXX.

Geniſta Plinij. OMNIBVS notiſſimum, Spartum, ſive Spartium Dioſcoridis, eſſe Plinij Geniſtam, ſive Hiſpanicam & Africanam odorato flore, virgulis planè junceis & fractu contumacibus, quibus rara quædam, dum floret, inhærent folia brevi decidua, ut tota deinde planta ſine folijs conſpiciatur.

Spartium Dioſcoridis Geniſta Plin.



Spartium II. Hiſpan.



Illius hiſtoriam, cùm à pleriſque diligenter & accuratè ſit perſcripta, hîc proponendam non duxi: ſed ſi alia quædam ejus genera, quæ in Hiſpanijs obſervabam, tanquam nova, & à nullo adhuc exhibita, oculis ſubijcerem, operæprecium me facturum exiſtimavi.

Spartium II. Hiſpan. EST verò unum cubitali plerumque ſtipite, pollicem craſſo, ſcabro & ſtriato cortice tecto, qui in plures cubitales vireſcentes & ſtriatos ramos dividitur, & hi deinde in junceas, ſtriatas, virides virgulas, quæ novellæ adhuc & primùm germinantes, aliquot folijs exornantur, ſtatim atque planta florere incipit deciduis, ut tota deinde ἄφυλλος conſpiciatur: è virgularum lateribus prodeunt longi pediculi, è quibus dependent aliquot exigui flores, glycyrrhizæ vulgaris aut trifolij pratenſis floribus pænè ſimiles, lutei, inodori: ſuccedunt cartilaginei, rotundiuſculi lobi, vulgari fabæ quæ in jumentorum pabulum cedit, perſimiles, ex flavo ruſeſcentes, in quibus unicum maxima ex parte ſemen (rarò bina) continetur, durum, nigrum, exiguo reni ſimile, quod in lobis agitatis aut concuſſis crepitat, & ſonitum edit: radix dura eſt & lignoſa.

Spartiũ III. Hiſpan. ALIVD longè majus, & hominis altitudinem ſuperans invenitur virgulis priore tenerioribus, lentioribus, & magis obſequentibus, flore ejuſdem cum ſuperiore formæ, ſed paulò majore, & omnino albo: lobi etiam conveniunt, minores tamen ſunt & minus ſemen continent.

Natales. Primum varijs Caſtellæ utriuſque locis creſcit arenoſo ſolo, & Maio floret, ſemen maturum eſt Iulio. Alterum Gadibus duntaxat, & locis vicinis aurâ marinâ perflatis, mihi conſpectum

Spartium III. Hiſpan.

Spartium tertium flore albo B. Pin 398



ſpectum eſt, arenoſo & ſterili ſolo, ſuis floribus onuſtum Februario. Lobos obſervare non potui in ipſa planta: ſed mihi deinde ab amico miſſi ſunt ex Hiſpanijs.

VTRVMQVE genus Hiſpani *retama* vernaculo ſermone appellant: Geniſtam verò odoratam *hinieſta* & *ynieſta*: vulgarem & Septentrionalibus regionibus peculiarem, quæ iſtic etiam pleriſque locis naſcitur, *ſcobas*, quòd illâ, quemadmodum noſtrates, ſcoparum, quibus ædes purgant & everrunt, loco utantur. *Nomina.*

CETERVM hanc plantam ad Spartum, quod Dioſcorides σπαρτίον vocat, referendam omninò exiſtimo. An verò ijſdem facultatibus prædita ſit, non intellexi. *Σπαρτίον.*

De Sparto autem Hiſpanico junci folio, de cujus uſu Plinius lib. XIX. cap. II. Natur. Hiſtoriæ prolixè agit, poſtea ſcribemus.

CHAMÆGENISTA.
CAP. LXXI.

GENISTAE illius, quæ per univerſam ferè Germaniam, Galliam, Angliam atque Belgicam vulgatiſſima eſt, cuiuſq; flores nondum expanſos Belgæ muriâ condiunt, & capparum loco edunt, ſponte naſcentis nulla veſtigia obſervare potui in Pannonia & Bohemia, neque totâ Auſtriâ & Moraviâ. Sed duo Chamægeniſtæ genera pleriſque locis ſeſe obtulerunt. *Geniſta vulgaris.*

Chamægeniſta I.

Chamægeniſta foliis geniſtæ vulgaris B. Pin: 395



PRIMVM multis palmaribus, interdum etiam pedalibus aut majoribus virgulis humi diffunditur, teretibus, lentis, ſtriatis, virentibus, & in aliquot ramulos diviſis: per quos confuſo ordine, & quaſi temerè ſparſa ſunt foliola, bina, terna aut quaterna, ab eodem exortu & tuberculo prodeuntia, Geniſtæ vulgaris Germanicæ folijs ſimilia, eminentiore dorſo, & quaſi complicata, ſupernè viridia, infernè nonnihil incana, amariuſculi guſtus: ex illorum alis ſinguli aut bini flores lutei, quatuor foliolis conſtantes, Geniſtæ germanicæ florum æmuli, ſed minores, nullo interdum, aut certè perexiguo odore præditi, nonnullis locis ſatis odorati, naſcuntur: quibus deinde ſuccedunt planæ ſiliquæ, hirſutæ, exiguũ flaveſcens ſemen Cytiſi generibus ſimile continentes: radix eſt dura, lignoſa, aliquot fibris donata: ſed & virgulæ ſecundum radicem, qua terrâ integuntur, plerumque fibras agunt. *Chamægeniſta I.*

Naſcitur multis Pannoniæ locis ad viarum & ſilvarum margines, editis, ſiccis, atque deſertis nonnumquam agris. In cultis & inter vepres aliquando magis luxuriat, & in majorem altitudinem excreſcit. Floret Maio, quandoque etiam Aprili.

ALTERIVS, quæ plano eoque altero ex altero naſcente eſt folio, quod deinde in cauliculum convertitur, hiſtoriam, cùm ab alijs ſit prodita, hîc retexendam non æſtimavi. *Chamægeniſta II.*

Hanc plantulam olim apud Helvetios cùm iſtac iter facerem, & quibuſdam Germaniæ locis colligere memini. Deinde in Pannoniâ ſponte & copioſè naſcentem obſervabam in

ſilvâ

Chamægeniſta II. Chamægeniſta peregrina.

Chamægeniſta Sagittalis B. Pin: 395. Chamægeniſta Caule foliato B. Pin: 396.





ſilvâ Nemethwywar Ill^ris Dn. Balthaſaris de Batthyan urbi & arci munitiſſimæ proxima, atque ſupra Sopronium urbem vulgo Oedenburg dictam, Auſtriacis: ſed omnium affluentiſſimè inter Sakturnya Ill^ris Comitis de Zrinio minutiſſimam arcem, & Fridaw Magnifici Dn. Michaëlis de Zck arcem in collibus: & nunc proximè in ſilva quadam miliari circiter infra Francofortum, ad ſiniſtram Mœni fluminis, ubi etiam frequens Primum genus, & pleræque aliæ ſtirpes.

TERTIVM porrò elegans quoddam genus, Secundo quodammodo affine, ſolis Valentini regni locis incultis & aſperis obſervabam, quod prætermitti non debuit.

Chamægeniſta peregrina.

VIX palmari magnitudine aſſurgebat hæc Chamægeniſta, admodum tamen fruticoſa, folijs Chamelææ proximis, brevioribus, duris, & carnoſis, aliquantulum in ambitu ſinuoſis & criſpis, rigidiuſculiſque, uno ex altero è medio folij nervo prodeunte, quemadmodum in ſuperiore, interdum etiam binis ternísve ſimul exorientibus: hic verò nervus paulatim intumeſcit, & in ramulum convertitur, ſic cùm tota planta folioſa ſit, & non niſi folijs conſtare videatur, fit tandem admodum fruticoſa: in extremis iſtis folijs quini, ſeníve, aut plures flores ſimul juncti, ex villoſis calyculis naſcũtur, minores quàm in Geniſtâ, aurei planè coloris, niſi bina inferiora folia incana lanugine pubeſcerent. Florentẽ duntaxat colligebam quo dixi loco, menſe Martio. Poſtea tamen reſiccatas plantas nactus ſum pedales aut ampliores.

AVSTRIACI Vngaris vicini Priorem Gelbe klee/ hoc eſt, trifolium luteum appellant: Alteram Germani Erdpfrimmen/ id eſt terreſtrem Geniſtam, nonnulli Geniſtam ſagittalem. Tertiæ nullum vulgare nomen intellexi.

CETERVM in Pannonia etiam vulgatiſſima eſt ea Geniſtæ ſpecies, ſpinis & aculeis horrens, quam nonnulli Geniſtellam ſpinoſam nominant, Vngari *Iglicze*, hoc eſt, Aculeatam, Germani Stichend pfrimmen. Frequens eſt & circa Francofortum & multis alijs Germaniæ atque Belgicæ locis.

ANΩNYMOS COLVTEAE FLORE. CAP. LXXII.

FLORVM ſimilitudo & aliæ quædam notæ faciunt, ut hanc ἀνώνυμον quidem, ſed elegantem, & à nemine adhuc, ut arbitror (præterquam à me in Pannonicis) deſcriptam plantam ſuperioribus ſubjungam.

ἀνώνυμος Coluteæ flore.

RADICEM autem habet longè lateque ſumma tellure ſerpentem, lignoſam, lentam tamen, & ſubinde capillares fibras agentem, ex quâ prodeunt multi lenti & obſequentes ramuli,

Anωnymos flore coluteæ.

Ramobuxus flore Coluteæ Bb: 471.



muli, dodrantales, & circa exortum, qua terrâ integuntur, fibras plerumque agentes: folia in his buxi æmula ferè, carnoſa, viridia, paulo tamen magis mucronata, confuſo ut plurimum ordine diſpoſita, guſtantibus ingrata primùm, deinde amara & acria: in extremis ramulis prodeunt inter folia flores terni aut quaterni, oblongi, majore ex parte odoris expertes, nonnullis autem locis ſuavem & narciſſinam quandam fragrantiam referentes, tribus folijs conſtãtes, quorum duo alba ſunt, & alarum modo ſurſum expanſa, exalbida galeola illorum exortum integente, tertium in longiuſculum veluti tubulum convolutum, ſurſum per longitudinem apertum eſt, extremitate concavâ & incurvâ, lutei coloris, & per vetuſtatem omnino interdum purpuraſcentis aut rubeſcentis: floribus ſuccedunt latæ & compreſſæ ſiliquæ, Thlaſpi latifolij thecis paulo minores, virides, quę bina plerumque (nonnumquam unicum tantùm) continent grana, exigui ervi magnitudine, nigricantis ex cineraceo coloris, hirſuta, & veluti quoddam animalculum ementita, Polygalæ vulgaris majoris rubræ (de qua poſtea) ſemini haud abſimilia, minora, quæ, aperientibus ſeſe per latera loculis, ſponte decidunt.

2. Interdum etiam pro loci natura floris colorem variare deprehenditur: nam bina illa folia alarum inſtar ſurſum expanſa, galeolaque eorum exortum tegens, alba non ſunt, ſed pulcerrimè ex purpura rubent, tertium autem veluti in tubulum convolutum flaveſcit, ejuſque extrema pars aurea eſt. *ἀνώνυμος C.f. varietas.*

Frequens eſt Prior non modò in montibus Calenberg, Medeling, & Badenſibus thermis imminentibus, ſed & in alijs ad Auſtriacas & Stiriacas Alpes excurrentibus, qui omni Reſiniferarum arborum genere integuntur, inter ſaxa: plurimis etiam Pannoniæ locis eſt obvia, veluti apud Poſonium, Sopronium, & Zolonock. Altera multò rarior inventu. Floret verò utraque Aprili & Maio, ſemen prioris (nam alterius non obſervavi) Iunio perficitur.

NVLLVM nomen huic ſuffrutici impoſui, cùm dubitem an à veteribus fuerit obſervatus: pręterea ut ſtudioſis anſam prębeam diligentiùs veteres Auctores excutiendi, & apud illos aptam aliquam appellationem inveniendi, ne perpetuò ἀνώνυμος maneat. A ruſticis negligitur, propterea nullo illam nomine dignantur: quidam tamen, à perpetua viriditate, Wintergrüen appellari dixerunt.

SPINOSI SVFFRVTICES ET ἘΠΑΛΛΟΚΑΥΛΟΙ.

NVNC *ferè peractâ Arborum, Fruticum & Suffruticum deſcriptione, operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi ſpinoſos Frutices & ſuffrutices, easque Stirpes quæ caducæ per ſe conſiſtere nequeunt, ſed aliarum adminiculo egent (Theophraſtus ἐπαυλοκαύλους, vel ἐπαλλοκαύλες appellat, Gaza amplexicaules vertit) adjungerem. Initium autem faciam ab illis Suffruticibus, qui Geniſtæ flore ſunt præditi.* *ἐπαλλοκαυλοι.*

ASPALATHVS ALTER. CAP. LXXIII.

TAMETSI ſciam hunc fruticem non eſſe legitimum Aſpalathum alterum: quia verò tale nomen à pleriſque obtinuit, immutandum non putavi, præſertim cùm ad quem fruticem veteribus deſcriptum referri debeat, adhuc ignorem, niſi fortè Scorpij generibus adſcribendum eſſe quis cenſeat.

TOTA PLANTA cubitum non excedit, fruticoſa admodum & ramoſa, multis horrens ſpinis deorſum inflexis, firmis, acutis, in quibus enaſcuntur puſilla folia lentis magnitudine, viridia, qualia etiam (ſed teneriora) fert in novellis ramulis, quibus ſubſunt recens nati aculei: flores in firmioribus & rigidioribus ſpinis, terni, quaterni aut plures ſimul naſcuntur, Geniſtæ ſimiles, minores, coloris nunc lutei, nunc palleſcẽtis: ſemen in parvis ſiliquis exiguum. *Aſpalathus alter I.*

ALIVD

Aſpalathus alter III.



Aſpalath. alter II.

Aſpalath. alter III.

Geniſta Spartium ſpinoſum majus ter-tium Luſitanicum B: Pin: 394.

ALIVD ejus genus robuſtius, & aliquantum firmius, nonnumquam altiùs excreſcens, cujus flos perpetuò pallidior eſt, alioqui non multum priori diſſimile.

TERTIVM genus ad cubiti nonnumquam magnitudinem accedit: plerumque tamen minus eſt, & pedalis tantùm altitudinis, totum etiam tenerius: ramuli in multo plures ſpinas diviſi, iſtæ denuò in alias, ſic ut ſingulę ſpinæ totidem Abrotoni multifida folia videantur, niſi aculei obſiſterent, qui, à negligentiùs conſiderantibus, vix animadvertuntur: Vere ex ramulorum lateribus exigui alij prodeunt ramuſculi cani & hirſuti, quibus adnata ſunt mollia & incana lentis folia, majora quàm in primo genere: in ſummis illis ramuſculis flores priori ſimiles, paulò majores, lutei naſcuntur.

Natales.

Creſcit Primum, cùm in Cantabris ſuperato Pyrenęo ſaltu, tum varijs alijs Hiſpaniæ locis, & Narbonenſi Gallia. Secundum in Caſtellà veteri tantummodo obſervabam. Tertium in Cantabris duntaxat tertio à Victoria urbe miliari, ad radices Pyrenæorum, quâ Hiſpaniam ſpectant.

Nomina.


PRIMVM genus ab Herbariæ rei ſtudioſis Salmanticæ & Mompelij Aſpalathus alter vocabatur, vulgò Salmanticenſium, & aliorum, apud quos naſcitur, Hiſpanorum, *eulalia*: ſecundum Caſtellanis *aulaga*: tertium Cantabris *hallada*.

Facultates.

FLORIBVS prioris cum ſaccharo fermentatis, Salmanticenſes ad firmandas & reſtaurandas collapſas vires utuntur.

Scorpius I.

Geniſta ſpinoſa major longioribus aculeis B: Pin: 394.



SCORPIVS. CAP. LXXIIII.

Nepa.

DVO plantarum genera, quæ plurimùm ad Scorpij, quem Gaza Nepam interpretatus eſt, hiſtoriam accedere videntur, in meis peregrinationibus obſervabam.

Scorpius I.

PRIMVM cubitali aut ampliore altitudine aſſurgit, multis virgis ex atro virétibus, ſtriatis, denſiſſimo ſpinarum vallo obſitis fruticoſum, quæ deinde ſpinæ alijs minoribus ſunt circumſeptæ: folia nulla, niſi primo vere, apparēt, brevi decidua. Flores Geniſtæ minores pallidi, interdum verò adeò rufeſcentes, ut rubere videantur, præſertim ſub Autumnum: ſiliquæ deinde ſuccedunt breves, cylindraceæ, magna ex parte inanes, aliquando tamen ferentes exiguum ſemen pallidum aut ſubfuſcum, ut Geniſta vulgaris Septentrionalium: radix ſingularis in alias tenues ſe ſpargens, & interdum latè ſe propagans.


Floret Maio & Iunio, & quandoque totâ æſtate: circa Autumnum verò, denuò floribus onuſta conſpicitur, eoque tempore ſaturatiores & magis rutili ſunt, ut plurimùm, flores.

Scorpius II.

ALTERVM pedis altitudinem rarò ſuperat, totum denſiſſimis ſpinis horrens, quæ non confuſo ordine ut in ſuperiore naſcuntur, ſed ſeriem quandam ſervant, & ſemper contrario inter ſe exortu binæ naſcuntur, virentes quidem, ſed languidius quàm ſuperioris, neque aliæ ex alijs: ſummis ramulis inhærent bini aut terni

Scorpius II.

Geniſta ſpartium ſpinoſum minus B: Pin: 394.



terni flores ſuperiori ſimiles, lutei coloris, menſe Martio: quo tempore exiguas breveſque ſiliquas, vel potiùs ſemina ervi magnitudine, incluſa membranâ quadam multa incanaque lanugine hirſuta, deprehendebam denſiſſimis ipſius plātæ ſpinis occultata, ut ex ſuperiore æſtate deciderant: adeò verò caneſcebant, ut initio aranearum telas eſſe exiſtimarem: radix ſingularis, ſed in plures deinde propagines ſparſa, duta, & lignoſa eſt.


Natales. Primum varijs Belgicæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ locis cōſpexi, nuſquam tamen frequentiùs, quàm incultis illis locis ſupra Burdegalam, Bayonenſi itinere, & apud Cantabros Pyrenæorum jugorum accolas, ubi tantâ magnitudine aſſurgit, ut duorum hominum altitudinem æquare nonnumquam viderim, craſſitudine verò brachium humanum. Alterum collibus Granatæ vicinis itinere Cordubenſi duntaxat, nec uſquam alibi mihi conſpectum. An porrò Echinopoda, cujus doctiſſimus vir Honorius Bellus in alterâ ad me epiſtolâ meminit? plurimùm certè ad illam mihi accedere videtur.

Nomina. GALLI primum genus *Ionc morin*, Aquitani *jauge*, Belgæ Gaſpeldoꝛne appellant: nullum vulgare nomen Hiſpanicum intellexi. Alterum genus Granatenſes *Molino* vocant.

QVAS facultates Scorpius planta habeat, nemo tradit. Solus Plinius aduerſus ſui nominis animal valere auctor eſt.

ERINACEA. CAP. LXXV.

Geniſta ſpartium ſpinoſum foliis Lenticulae, floribus ex caeruleo purpuraſcentibus B.P. 394.



Erinaceæ hiſtoria. PLANE nova, & tota elegans eſt hæc planta, dodrantalis, in orbem per ſolum diffuſa, multis ſpinis virentibus, ſive aculeis horrida: flores Geniſtæ, ex cæruleo purpuraſcentes, minores, calyculis incluſi hiſpidis, villoſis, omnino ferè incanis, bini aut terni ſimul ſemper conjuncti: foliola interdum, dum floret, producit, ſed rarò, eaque perpauca, Lenticulę ſimilia, quæ cùm brevi marceſcant & decidant, tota planta maxima ex parte ſine folijs ſpectatur, & multiplici ſpinarum vallo Erinaceum in ſe convolutum repræſentat: radix lignoſa & magna eſt pro plantæ proportione.

Natales. Naſcitur regno Valentino, affluenter verò circa Siete aguas oppidulum, ſeptimo ab urbe Valentia miliari, Madritiano itinere, aſperis locis & ſecus vias. Aprili florentem obſervabam & eruebam iter iſtac faciens anno M. D. LXV. ſemen obſervare non potui, menſe ſequente in Belgicam reuerſus.

Nomina. INCOLAE *erizo* vocant, hoc eſt Erinaceum, quoniam erinaceum animal terreſtre, dum in orbem ſe contrahit, aut marinum, aculeorum & ſpinarum vallo planè æmulatur: quæ adeò cauſa fuit, ut illi Erinaceę nomen inderem, donec cōmodiùs aliquod ex veteribus Scriptoribus dare poſſimus. An verò incolæ ad medicū aliquem uſum adhibeant, non intellexi.

TRAGACANTHA ALTERA. CAP. LXXVI


Tragacantha altera. TRAGACANTHAE, quam aliquando Maſſiliæ florentem, & fructu præditam obſervare memini, ſimillima eſt hæc planta, fruticoſa admodum, multos pedales habens ramulos flexibiles, latè circumquaque ſeſe diffundentes, candicantes, &, dum adhuc tenelli

ſunt,

Tragacantha altera, Poterium fortè. | Χάλκειον Anguil. Poterium Dalechampij.

Tragacanth[a] affinis Lanuginosa, ſive Poterium C.B. Pin: 388.





Poterio affinis folijs Pimpinellæ ſpinosa C.B. Pin: 388.

ſunt, lanuginoſos, multis longis caneſcentibus ſpinis horrentes: foliorum plurimę ſimul junctæ alæ, Lenticulæ aut Tragacanthæ proximæ, exiguæ, candidæ, lanuginoſæque primo vere per intervalla exeunt, dulcis ſaporis: folijs hieme decidentibus, nervi illi medij quibus folia inhærebant in rigidas & acutas ſpinas evadunt, ut eo tempore tota planta ſine folijs conſpiciatur, contra quàm in Tragacantha, quæ hieme etiam folia retinet, nec ea abijcit donec nova ſequente anno adquiſierit: tum demum deciduis vetuſtis folijs, nervi illi medij etiam in ſpinas abeunt.

Iſtam neque florentem, neque ſemen ferentem vidi: ſed ſub ea plurimos folliculos bombycinis ſimiles, aut Alceæ illius, quam Matthiolus Hypecoum appellat, folliculis ferè pares, inanes inveni, quos ab illâ excidiſſe, & florem ex ſimilibus prodire album, non magnum incolæ referebant: de ſemine nihil certi intelligere potui: radix lenta, longa, in multos ramos diviſa, nigro cortice foris obducta, materie intus candidâ, fungosâ, dulci, interior pars gummoſum quidpiam & ſubdulce refert.

Natales. Naſcitur plurima circa Guadix, & *la Venta el peral*, Granatenſi regno, in collibus, arido & inutili ſolo: nec alio loco conſpexi.

VVLGARE nomen non intellexi. Sed cùm adeò ſit Tragacanthæ ſimilis, facilè mihi *Ποτήριον νευράς.* perſuaderem eſſe legitimum ποτήριον, quod ab Ionibus νευράδα vocari Dioſcorides ait, largè fruticare, ſpinis horrere, ſpiſſa lanugine eſſe, ramulis longis mollibus, lentis, tenuibus, Tragacanthæ proximis, in collibus & aquoſis naſci, & radicem reciſam proximè terram ſuccum gummi ſimilem reddere tradit: cujuſque Plinius lib. XXVII. Nat. Hiſtor. cap. XII. meminit, il-*Phrynion.* lam etiam à quibuſdam phrynion vocari ſcribens.

BELLONIVS lib. I. Obſervat. cap. XVI. duo Tragacāthæ genera obſervaſſe refert in Cre-*Rauvvolfius tria Tragacanthæ genera obſervavit.* tenſium montium verticibus: earum fortè altera huic ſimilis erit. Certè Rauwolfius lib. II. ſuæ Peregrinationis cap. XII. ſcribit tria Tragacanthæ genera in Libano monte inveniſſe, quorum unum meam hanc referret; alterum humilius, illi ferè ſimile, ſed luteis floribus, quorum ſinguli in orbicularibus flaveſcentibus folliculis includuntur, racematim quaſi in longiuſculis virgulis naſcuntur; tertium ejuſdem penè altitudinis, pluribus virgis firmioribus purpuraſcentibus aſſurgens, incana lanugine Poterij capitula ſuſtinentibus, & purpureis floribus ſpectabile.

Cla. V. Dalechampius, optimè de litterariâ re meritus, Poterium in Allobrogibus prope Muram oppidulum Gratianopoli vicinum in ſilvoſis convallibus reperiri ait. Sed ſi eam intelligit quæ ab alijs pleriſque Poterij nomine donatur, vereor, ut ſuam opinionem legitimis rationibus tueri poſſit; quippe cùm ea plāta penitus à Tragacantha differat, & folia Pimpinellæ vulgaris, quam Germani Sanguiſorbam vocant, virentia ſupernè, paulùlum candi-

cantia

cantia infernè habeat, minora & teneriora, ſpinas molles hinc inde per ſupremos ſurculos tranſverſim & obliquè ſparſas (cujus rei cauſa à nonnullis Pimpinella ſpinoſa appellatur) & radicem tenuem, duram, exſuccam. Poterium verò teſte Dioſcoride & Plinio frutex eſt longos habens ramos, ſpinis horridos lanugine ſpiſſa tectos, Tragacanthæ proximos, radices longas admodum, nervoſas & firmas, quæ proximè terram reciſæ dant ſuccum gummi ſimilem. Pimpinellam illam ſpinoſam aliquoties ſanè mihi ſemine natam, diligenter in horto & fictilibus conſervare volui, ſed ſemper hiems ſubſequens abſtulit. nonnumquam etiam mihi miſſum ejus ſemen Stœbes Theophraſti nomine: &, vulgo adhuc ipſam plantam in Creta vocari ἀςέβιδα, ſcriptum. De illa conſule Honorij alteram epiſtolam, quæ ad calcem harum Obſervationum adjecta.

Anguillara opinionum lib. VIII. videtur Pimpinellam illam ſpinoſam ad Χάλκειον ſive Ærariam Theophraſti referre. Doctiſs. autem Rauwolfius, qui eam in Libano monte etiam invenit, ſcribit libro & cap. jam memoratis, ab incolis *Bellan* vocari. *Χάλκειον.*

STRABO ſcribit circa novam Carthaginem plantam quandam eſſe, de cujus cortice telæ pulcerrimæ conficiantur: an hæc mea ſit, ignoro, nullam enim qualem ille deſcribit, dum iſtac iter facerem, obſervabam, aut iſtic naſci ab incolis intelligebam.

CETERVM Dioſcorides Poterij radices tuſas, præciſis nervis & vulneribus glutinandis illini, decoctum ejus nervorum affectibus prodeſſe, teſtis eſt. Eaſdem facultates tribuit illi etiam Plinius, & addit, in vino potum, rubetarum veneno auxiliari. *Poterij facultates.*

RHAMNVS. CAP. LXXVII.

DVO Rhamni genera Theophraſtus, lib. III. cap. XVII. Hiſtor. Plant. facit, album & nigrum, utrumque aculeigerum, & folijs perpetuis. *Rhamni genera.*

Rhamnus I. Rhamni I. altera ſpecies.

Rhamnus ſpinis oblongis, flore candicante. B.P. Rhamnus alter foliis ſalſis flore purpureo B.Pin. 477





Dioſcorides tria genera deſcribit, niſi mendoſum ſit exemplar, ut peritiſſimus Anguillara ſuſpicatur, qui tertium adſciticium eſſe putat. Et ſanè, cùm Dioſcorides eaſdem facultates ſuo Paliuro tribuat, quas Theophraſtus Paliuro libro & cap. ſupradictis deſcripto: veriſimile eſt tertij Rhamni deſcriptionem quæ apud Dioſcoridem extat, ad Paliuri ejus hiſtoriam revocandam, pleraſque enim notas habet cum Theophraſti Paliuro communes.

EST verò Rhamnus frutex faciendis ſepibus idoneus, rectis virgis, in multos ramos diviſis, candidis, quæque validis ac firmis aculeis horrent: folia plerumque quaterna aut quina ad ſingularum ſpinarum exortus naſcuntur, oblonga, ſubpinguia, ſubablida, oleæ ſimilia, ſed tenera & ſucculenta, Autumno, novis ſuccreſcentibus, interdum decidua; flores Autumno longiuſculi, candicantes, extremis oris in quinque crenas diviſi: quibus decidẽtibus ſeminis *Rhamnus I.*

quoddam rudimentum, ut in Iaſmino, relinquitur: numquam tamen ejus fructum videre mihi contigit: craſſa multiplicique radice firmatur.

Rhamni 1. altera ſpecies.

2. Iſtius generis alium obſervabam Rhamnum pænè ſimilem, ſed humiliorem, frequentioribus ramis fruticantem, minoribus folijs, magis carnoſis, ſalſi guſtus, ſuperiore candidiorem: floribus ejuſdem cum illo formæ, ſed purpurei planè coloris.

Rhamnus II.



Rhamnus III. fortè niger Theoph.



Rhamnus II.

ALTER flexibilioribus eſt virgis & ramis, ſpinarum etiam vallo horrentibus, anguſtioribus folijs, neque adeò carnoſis, perpetuis tamen ut in priore: flos oleæ herbaceus circa ramos frequens, deinde fructus rotundus, maturitate flaveſcens & tota hieme in frutice permanens. Totus autem frutex pulvere reſperſus videtur.

Rhamnus III.

TERTIVM his addo fruticoſum, frequentibus ramis, Spini in ſepibus naſcentis & pruna ſilveſtria ferentis magnitudine, cortice nigro tectis, & longis ſpinis armatis: folia ex quibuſdam tuberculis, ut in priore, multa ſimul enaſcuntur, longa & anguſta, carnoſa, viridia, adſtringentis guſtus, & Rhabarbari ſaporem utcumque referentis, perennia: flos Veris initio parvus, herbacei coloris, pluribus & confertim juxta folia naſcens: æſtate nigrum fructum fert parvo pruno ſilveſtri ſimilem, rotundum, acerbum.

Natales.

Prior Rhamnus multis Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Narbonenſis Galliæ locis naſcitur: Illius alteram ſpeciem uno tantùm loco proximè Horiuëlam urbem, veteribus Orcelim dictam, ad flumen Serabin, nunc *Segura* appellatum, Valentini regni extremis limitibus obſervabam. Alter non modò in Belgicis maritimis, ſed etiam in quorundam montium vallibus, ſecundùm amnes creſcit. Tertium incultis Granatenſis & Murciani regni locis, frequentem inter alios frutices inveniebam.

Nomina. Rhamnus niger Theophr.

NOMEN Græcum ῥάμνος, Latinum etiam Rhamnus. Hiſpani priorem *ſcambrones* appellant: alteram ejus ſpeciem *ſpino*: tertium *ſpino negro*, qui ad Theophraſti Rhamnum nigrum forſitan referri poſſet. An verò is ſit quem Bellonius in Creta inveniri ait nigro fructu, ignoro. Miſſus eſt ad nos ex Hiſpanijs, ejus fructus Lycij nomine, ex quo natæ plantæ.

Facultates.

DIOSCORIDI omnium folia igni ſacro, & ſerpentibus ulceribus efficaciter illinuntur. Sic etiam Plinio. Salmanticæ & alijs quibuſdam Caſtellæ locis, prioris folia cum turionibus, ex oleo, aceto, & ſale eduntur primis menſis, habent enim acrimoniam quandam cum aciditate conjunctam, quæ ſaporis gratiam conciliat. Tertij fructus decocto, relaxata & diſſoluta membra, podagræ etiam dolores utiliter foveri incolæ referebant.

LYCIVM.

LYCIVM QVORVNDAM. CAP. LXXVIII.

SVPERIORIBVS adijciendus videtur hic ſpinoſus frutex, multas ab radice virgas proferens, cubitales vel etiam ampliores, rectas, tenues, rubentes, multis ramulis præditas, qui in acutam ſpinam plerumque deſinunt, tametſi alios aculeos hinc inde ſparſos habeant, breves interdum & infirmos, nonnumquam verò firmos, & multis folijs obſitos ut in Rhamno priore: folia nullo ordine digeſta ſunt, ſpini foliorum æmula, ſed multò breviora, Myrti Tarentinæ aut Buxi folijs quodammodo ſimilia, lenti guſtus & cum aliqua aciditate mordicantis. Nec florem, nec fructum videre contigit: nam Novembri, & novo vere duntaxat hunc fruticem inveniebam aliqua ex parte ſuis folijs viduatum. *Lycium quorundam.*

Apud Complutum urbem, quam Hiſpani *Alcala de Henares*, quòd propter eam labatur amnis Henares, alijſque novæ Caſtellæ locis, & Bæticæ parte, quam vulgò Extremaduram cognominant, circa fluenta, & declivibus locis, hieme exundantibus naſcentē obſervabam. *Natales.*

QVONAM referendus eſſet hic frutex, diu dubitavi, & etiamnum dubito. Sunt nonnulli qui ad Lycium referri debere putant. Caſtellani, quibus ſcoparum uſum præbet, & in faſces colligatus calfaciendis piſtorum clibanis ſervit, *tamujos*, ſive *tamuëxos* vocant.

CETERVM, vox *tamuëxo*, mihi in memoriam revocat quendam ſuffruticem in incultis naſcentem, quem incolæ *tamoxo* appellant. Aſſurgit is pedali altitudine, frequentibus ramuſculis præditus, qui adeo exiguis & cōfertis foliolis onuſti ſunt, ut ramuſculorum lignum vix conſpici poſſit: ea ex cineraceo virentia ſunt, & extremæ amaritudinis. *Tamoxo.*

Fueritne autem veteribus cognitus hic frutex, & quo nomine ab illis vocatus, ignoro.

Legitimum porrò Lycium, in ſua Peregrinatione obſervavit Doctiſs. Leonardus Rauwolfius, cùm in Libano monte ubi ab incolis *zaroa* vocari ait, tùm Hieroſolymis Ioppen proficiſcens, cujus ſuccum Arabibus *Hadhadh* appellatione cognitum eſſe ſcribit, & fruticis iconem lib. IIII. inter pleraſque alias exhibet. *Lycium legitimum.*

SPINA INFECTORIA PVMILA. CAP. LXXIX.

Rhamnus catharticus (minor B. Pin. 478.



INFECTORIA Spina, cujus baccarum ſucco, viridem colorem conciliant picturis, & libris, quæque Rhamnus ſolutivus à Recentioribus nuncupatur, multis Pannoniæ locis vulgatiſſima eſt, ubi interdum arboream amplitudinem adipiſcitur. De ea nobis non eſt ſermo: ſed de alijs duobus fruticibus, qui illi admodum affines eſſe videntur. *Rhamn. ſolutivus.*

PRIOR bicubitalibus aſſurgit ramis, in multas alas diviſus, cortice lævi, Spinæ infectoriæ colore & ſubſtantia ſimili tectis, qui membranâ ſuperiore detractâ, ex viridi palleſcit, & amariuſculi ſaporis eſt: ramuli paucis ſpinis horrent, ſed ipſi in ſpinas plerumque deſinere ſolent: folia illi vulgari ferè ſimilia, minora, anguſtiora, ad pruni ſilveſtris ſive ſpini folia plurimùm accedentia, guſtu linguam exſiccante: florem ut in vulgari congeſtum ejuſdem coloris & formæ, hoc eſt ex pallido herbaceum, quatuor foliolis conſtantem, minorem tamen habet, radicem ut in alijs fruticibus lignoſam. *Spina infectoria pumila I.*

CVBITALES habet Alter ramos, minimi interdum digiti craſſitudine, magna ex parte minores, nigro rugoſoque cortice obductos, ſuperiore parte in ramulos diviſos, qui tenuiore lævioreque cortice tecti plerumque in acutam ſpinam deſinunt: folia Myrti, aut Pruni ſilveſtris potiùs, breviora tamen & minora, viridia, per ambitum nonnihil ſerrata, adſtringentis primum, deinde nonnihil amaricantis guſtus: flores inter folia herbaceos, quatuor folijs conſtantes: fructum deinde Spinæ infectoriæ vulgari non abſimilem, binis, nonnumquam etiam ternis veluti commiſſuris diſtinctum, initio viridem, deinde per maturitatem nigrum: radicem craſſam, lignoſam, duram, raras fibras in latera ſpargentem. *Spina infectoria pumila II.*

Exit Prior frequens in Leytenberg & vicinis montanis ſilvis. Alter abundanter in monte

Lycium facie primi; Sylveſtre ſive italicum C.B.Pin: 478.

Spina infectoria pumila II.



Badenſibus thermis imminente, & vicinis jugis loco petroſo & ſalebroſo. Vterque floret Maio, & Iulio fructum perficit.

SPINAM infectoriam pumilam hos frutices appellavi, quia magnam affinitatem cum vulgari habent, licet minores ſint. Si quis tamen Lycij genus potiùs eſſe cenſet, ejus arbitrio permitto in quam referat claſſem velit. Neutrius vulgarem appellationem intellexi. Et haud ſcio, an aliquo in uſu ſint apud eorum locorum, in quibus naſcuntur, accolas.

SMILAX ASPERA.
CAP. LXXX.


ASPERÆ Smilacis duo inveniuntur genera: unum frequentibus ſpinis horridum, rutilo fructu: alterum paucioribus aculeis armatum, ſed folia nullis, nigro fructu.

Smilax aſpera rutilo fructu.

PRIMA Smilax, longis, frequentibus, valdè implicatis ſarmentis, nunc in hanc, modò in alteram partem, certâ quadam ſerie ſervatâ, inflexis, lentis, & multis ſpinis horrentibus naſcitur: ex ſingularum alarum ſinu capreolos producens, quibus proximos quoſque frutices & arbores amplectendo, ab imis ad ſumma repit: folia ad ſingulos inflexus, hederæ, non anguloſa, ſed à pediculo latiora, deinde ſenſim in mucronem deſinentia, nunc ampla & viridia, modò anguſtiora & albis maculis conſperſa, ſpinoſâ cute, ut inquit Plinius, hoc eſt nervo illo medio eminentiore & foliorũ oris aculeatis & ſpinoſis: flores exigui, ſtellati, ſex foliolis conſtantes, multi, ad ſingulos extremorum ramulorum inflexus (qui multiplices ſunt) conjunctim ex eodem tuberculo, ſive (ut Theophraſtus ait) ἀπὸ ἑνὸς σημείου ex uno & eodem veſtigio exeunt, cãdidi, odorati, racemi in modum propendentes: fructus deinde exiguis uvis Labruſcæ æmulis conſtans, maturitate rutilus, nucleos tres, binos, unicum, pro acinorum magnitudine continens, duros, oſſeos velut Aſparagi, foris nigros: radix longè lateque ſerpentes ſub terrâ fibras habet, tenues, candidas, & germinâ ſummâ tellure ſpargit minimi interdum digiti craſſitudine, nodoſa ſeu articulata, albicantia.

Smilax aſpera fructu rubente. C.B.P:296.

Smilax aſpera rutilo fructu.



Smilax aſpera nigro fructu.


ALTERA ſimilibus cum priore ſarmentis & claviculis proxima quæque amplectentibus naſcitur, non eſt tamen adeò ſpinis horrida: folia etiam paulò breviora, atriora, molliora, nullis, aut certè rariſſimis aculeis obſita habet: flos alteri omninò formâ ſimilis, ſed colore differens: nam ex albo quaſi carneus eſt, fructuſque rudimentum, quod ex medio flore tamquam umbo prominet, rubeſcit, plenus autem & maturus fructus non eſt rutilus ut in priore, ſed omnino niger, & ſucculẽtior, quantum quidem mihi videtur: oſſicula cõveniunt.

Tempus.

Seriùs florent, imò Autumno etiam ipſo, cum ſuo fructu Octobri & Novembri florentes reperiebam: at frigidis regionibus culta, & fictilibus adſervata, Autumno duntaxat floret, numquam

Smilax aſpera nigro fructu.

Smilax aſpera (minus ſpinoſa), fructu nigro. C.B. Pin: 296.



numquam ſemen perficit. Mihi magna ex parte altero duntaxat à ſatu anno germinare cepit, nonnumquam & tertio. Perpetuò folia retinet.

Creſcit prior varijs Hiſpaniæ locis, & in Narbonenſi Gallia, aſpero & arido ſolo: naſcitur & in alijs calidioribus regionibus: raram in Luſitania conſpiciebam. Alteram autem pleriſque illius Provinciæ locis circa ſepes, & collium convexa, & extremâ Bæticæ parte, quâ Luſitaniæ contermina eſt. *Natales.*

Σμίλαξ τραχεῖα Dioſcoridi appellatur, σμίλαξ ſimpliciter Theophraſto. Gaza Hederam Ciliciam interpretatur, quia Plinius lib. XVI. cap. XXXV. ſcribit Smilacem Hederæ ſimilem, primùm è Cilicia profectam. Hiſpani priorem *çarça parilla*, hoc eſt Rubiviticulam appellant: Secundam extremæ Bæticæ incolę *uva de Perro*, id eſt, uvam caninam, Luſitani contermini *recama*, Olyſipponenſes *allega-caon*. *Nomina. Hedera Cilicia.*

CETERVM Dioſcorides ait folia & acinos, ante & poſt epotos, venenorum antidota eſſe: & acinorum ſucco, inquit Plinius, infantibus ſæpiùs inſtillato, nulla venena poſtea nocitura. Mihi in Hiſpanijs relatum eſt, ejus radice uſos, Americanæ Zarzæ parillæ loco, non ſine ſucceſſu: & multorum opinio eſt Zarzam parillam Smilacem eſſe novi orbis. *Facultates.*

ROSA. CAP. LXXXI.

Roſa centifolia Batavica.



NON minùs varia Roſarum genera conſpiciuntur in Auſtrię hortis, quàm in alijs pleriſque Provincijs. Aliquot tamē iſtic aluntur quæ ante videre non memini. Sunt & Sylveſtres prius mihi non conſpectæ, de quibus omnibus ſuo ordine. Sed ante quam illarum hiſtoriam deſcribere adgrediar, quædam de Centifolia roſa, cujus Theophraſtus, deinde eum ſequuti Plinius & Athenæus, meminerunt, præmittenda eſſe exiſtimavi: & de quibuſdam alijs roſis, quæ poſtea ad meam notitiam pervenerunt, dicendum. *Roſa Centifolia.*

Theophr. ergò Plant. Hiſt. lib. VI. cap. VI. ſic ait. Τῶν δὲ Ῥόδων πολλαὶ διαφοραὶ πλήθει τε φύλλων, καὶ ὀλιγότητι, καὶ τραχύτητι καὶ λειότητι, καὶ χροιᾷ καὶ εὐοσμίᾳ. τὰ μὲν γὰρ πλεῖστα πεντάφυλλα, τὰ δὲ δωδεκάφυλλα, καὶ εἰκοσάφυλλα, τὰ δ᾽ ἔτι πολλῷ πλείον ὑπαίροντα τούτων. ἔνια γὰρ εἶναί φασιν ἃ καὶ καλοῦσιν ἑκατοντάφυλλα· πλεῖστα δὲ τοιαῦτά ἐστι περὶ Φιλίππους, οὗτοι γὰρ λαμβάνοντες ἐκ τοῦ Παγγαίου, φυτεύουσιν, ἐκεῖ γὰρ γίνεται πολλά. σμικρὰ δὲ σφόδρα τὰ ἐντὸς· ἡ γὰρ ἔκφυσις αὐτῶν οὕτως, ὥστε εἶναι τὰ μὲν ἐκτὸς, τὰ μὲν ἐντὸς, οὐκ εὔοσμα δὲ, οὐδὲ μεγάλα τοῖς μεγέθεσιν: ἐν δὲ τοῖς μεγάλοις εὐώδη μᾶλλον ὧν τραχὺ τὸ κάτω.

Plinius autem lib. XXI. cap. IIII. Nat. Hiſt. de Roſa agens ſic ſcribit. Genera ejus noſtri fecere celeberrima, Præneſtinam & Campanam. Addidere alij Mileſiam, cujus ſit ardentiſſimus colos, non excedentis duodena folia. Proximam ei Trachiniam minùs rubentem, mox Alabandicam, viliorem albicantibus folijs, viliſſimam verò plurimis ſed minutiſſimis Spineo- *Varia Roſarum genera apud Plin.*

Roſa maxima multiplex C.B. Pin: 481.

Spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, aſperitate, lævore, colore, odore. Pauciſſima quina folia, ac deinde numeroſiora: cùm ſit genus ejus, quam Centifoliam vocant, quę eſt in Campania Italiæ, Græciæ verò circa Philippos: ſed ibi nō ſuæ terræ proventu. Pangæus mons in vicino fert, numeroſis folijs ac parvis: unde accolę transferentes conſerunt, ipſaque plantatione proficiunt. Non autem talis odoratiſſima eſt, nec cui latiſſimum maximumque folium: breviterque indicium eſt odoris, ſcabritia corticis.

Athenæus verò lib. xv. Deipnoſoph. (ejus verba latinè expreſſa addam, nam græcum exemplar præ manibus non habeo) Roſarum multa eſſe genera, Theophraſtus lib. VI. inquit, & horum plurimis in flore quinque folia, quibuſdam duodecim, alijs viginti, nonnullis circa Philippos [Macedoniæ oppidum] centum, quas plantant ex Pangęo tranſlatas, ubi copioſæ proveniunt. Harum puſilla valde ſunt interiora folia: ſic enim illa prodeunt, ut intrinſecus alia ſint, extrinſecus alia, ſed nec ampla, nec odoris jucundi. Suavius olent quibus folia quina, ſi ſcaber eſt cortex inferior. Præſtantiſſimus odor Cyrenis: quamobrem nobiliſſimum eſt illic roſaceum unguentum. *Cyrenaica roſa.*

Odoratiſſimam etiam apud Cyrenas naſci, auctores ſunt locis ſuprà citatis Theophraſtus & Plinius.

Roſa 60. foliorum. Herodotus autem in *Vrania*, ſive lib. VIII. roſas in Midæ Gordio geniti hortis ſua ſponte naſci refert ſexagēnum foliorum, fragrantiore odore quàm ceteras.

Centifolia Batavica I. AN porrò, quæ apud Batavos Centifoliæ nomine dicitur Roſa, ea ſit, cujus prædicti Auctores mentionem faciunt, hęreo. Nam illi Centifoliam inodoram eſſe, & puſilla habere folia, ſcribunt. Quæ autem apud Batavos alitur, non modò referente N. V. Ioanne ab Hoghelande (qui binas ejus plantas ſub anni M. D. XXCIX. initium mihi miſit, quas cùm prævaluiſſe putarem, corruptas eſſe deprehendi, præter unius radiculæ fragmentum) Præneſtinis majores, & perinde ferè odoratas intellexi: ſed etiam Francofurti ad Mœnum apud Balthaſarem & Carolum Hoyke Belgas fratreſque germanos illo ipſo anno conſpexi: ſequente verò, ex neglecto illo, & veluti abjecto fragmento nata mihi eſt ſtirps, quæ altero anno nempe XCI. circiter quadragenos flores tulit, non omnes tamen ejuſdem amplitudinis, ſed in nonnullis numeravi centena vicena folia, extrinſecus majora, intrinſecus puſilla, ſtaminum locum explentia, &, in ipſum calicem reflexa, odorem autem deprehendi præneſtinæ, ad albam nonnihil accedentem, colorem præneſtinæ non diſſimilem.

Centif. Batavica alba. Iſtius etiam ſtirpem unam, quę album florem ferat, habere ſe ait idem Hoghelandus, mediæ inter illam & proximè ſequentem magnitudinis, quam albam majorem provincialem appellari ait, ut ſuperiorem, majorem Præneſtinam.

Centif. Batavica II. Sed & rarius aliud Centifoliæ genus apud eoſdem Batavos inveniri, nuper ad me ſcripſit ille ipſe Hoghelandus, priore aliquanto minus, hoc eſt, mediæ inter illam & vulgarem præneſtinam magnitudinis, alioqui, color, odor, forma, conveniunt: quod verum eſſe ex ejus planta ab illo M. D. XCII. miſſa, ſequente anno deprehendi.

Prioris generis aliquot parvas ſtirpes poſtea accepi ab ornato viro, eodemque docto & diligente pharmacopœo Delphenſi, Theodorico Clutio, quarum paucæ quædam bellè germinarunt, ut permanſuras ſperem: ſequente anno una florem tulit.

Præneſtina alba. Non deſunt, qui Præneſtinam albi coloris inveniri aſſerant: mihi certè nondum videre contigit, niſi fortè ea ſit quam honeſtus vir Wilhelmus Oſterrat Francofurtenſis civis unicam in culto ſuo horto alit. Illius flos multò dilutior Præneſtina, & ferè albicans, perinde tamen magnus & plenus, in quo nonnulla etiam folia obſervavi media ex parte candicantia, altera purpuraſcentia, vel ſimilis coloris venis aſperſa. Anno etiam M. D. XCIII. florem mihi protulit ea quam ad me Hoghelandus miſerat, planta.

Roſa verſicolor. Illi congener eſſe videtur elegans illa roſa, de qua honeſtus vir Ioannes Reſteau, civis Colonienſis, ſuperioribus Autumnalibus nundinis apud me verba fecit: ſe videlicet Colonię in ſuo horto alere roſam Præneſtinæ ſimilem forma & magnitudine, quæ ut plurimùm dimidia ex parte candida folia haberet, reliqua rubra, aut tertia duntaxat ex parte alba, vel nunc integra alba, modò integra rubra inter ſe commixta conſpiciantur. Ejus prolem ſequente Octobri ad me mittebat, quæ prævaluit quidem, ſed nondum florem ullum dederat, quum Francofurto exceſſi.

Flava plena. Accipio etiam flavas roſas multiplici foliorum ſerie præditas extare: nuper enim Vienna Auſtriæ ad me ſcribebat nobilis Matrona, ejus ipſi factam eſſe ſpem, & alij ſe ſimiles expectare retulerunt. Memini certè aliquando videre, Conſtantinopoli allatos chartaceos quoſdam hortulos varij generis ſtirpibus ornatos, quæ ex chartâ tenuiſſimè inciſâ tam affabrè conſtructæ, & ſingulæ ſuis coloribus adeò eleganter depictæ erant, ut magnam admirationem & voluptatem ſpectatoribus adferrent: inter eas erant & flavæ roſæ plenæ, & aliæ pleræque ſtirpes raræ & elegantes. *Adonidis horti Chartacei.*

CETERVM ad eas quæ præter vulgares à me obſervatæ ſunt, redeamus. Illarum autem variæ ſunt ſpecies.

Roſa I. PRÆNESTINÆ, quam vulgus Provincialem vocat, valde ſimilis eſt Prior, nec illâ minus altè aſſurgit: in ſolo flore diſcrimen eſt, qui circiter quadragenis aut pluribus folijs, paulò amplioribus, & ſaturatius nonnihil rubentibus conſtat, multis ſtaminibus flavis umbilicum occupantibus, alabaſtroque multo craſſiore & breviore, quam ob cauſam Tulpel roose vulgo appellatur:

appellatur: odor minus ſuavis, & albæ ferè proximus. Hujus genus album florem ferens apud Batavos invenitur, Centifoliaque alba illis dicitur, de qua ſuprà.

Valde frequens eſt Viennenſibus hortis, & tota Auſtria, nullius tamen apud illos uſus, quàm ad eliciendam ſtillatitiam aquam. Francofurti ad Mœnum quædam ejus ſtirpes Præneſtinis miſtæ aluntur. Floret cum ceteris Iunio, interdum etiam Maio.

Roſa ſine ſpinis.

Roſa ſpinis carens flore majore / eadem minore Bauhin. Pin: 482



Roſa Cinamomea pleno flore.

Roſa odore Cinamomi flore pleno Bauhin. Pin: 483



MVLTIS ſtatim à radice aſſurgit Altera virgis, humanam altitudinem interdum æquantibus ſi fertili ſolo & umbroſo loco pangatur: ut plurimùm verò longè infra eam magnitudinem, & cubitalibus duntaxat, vel ſeſquicubitalibus, lævibus & ſine ſpinis, viridibus, in varios ramos diductis: folia habet alata, hoc eſt ternis aut quinis uni coſtæ (quæ ſubaſpera eſt) inhærentibus, binis ſemper inter ſe oppoſitis, extremo impari ſatis amplo, conſtantia, fuſca viriditate ſupernè nitentia, infernè caneſcentia: extremis ramis inſident flores, oblongis hirſutiſque pediculis inhærentes, multiplici foliorum numero conſtantes, Præneſtinis majores, medijque inter illas & rubras coloris, jucundi odoris: fructus brevis, craſſus, penè orbicularis, maturitate rubens, inæquale ſemen, &, ut rectè Theophraſtus notat, κυνικώδες, ut omnia Roſarum genera, lanugine involutum continet: radix dura, lignoſa plerumque, aliarum inſtar, ſub terra propagines in lateribus ſpargit. *Roſa II. ſive ſine ſpinis.*

Hujus cognitionem acceptam fero C. V. D. Ioanni Schrötero ſeniori, Ienenſis Academiæ in Thuringia Primati, & Ill^morum Ducum Saxoniæ, Landgraviorum Thuringiæ, & Principum Coburgenſium & Wimarienſium tum Medico, qui ab Illma Principe Principum Wimarienſium matre eam nactus, liberaliter Viennam uſque mihi miſit anno M.D.LXXVI. Floret autem Iunio. Vidi etiam multos poſt annos in quorundam Patriciorum hortis Francoforti ad Mœnum. Nec deſunt qui flore albo ſe conſpexiſſe affirment. *ejus varietas.*

2. Aliud ejus genus invenitur non valde diſſimilibus virgis, Viennæ Auſtriæ etiam ante meum in eam urbem adventum, in quibuſdam hortis cultum, quod minores & rariore foliorum textura conſtantes flores profert, colore penè fecum vini rubri. *Roſa ſine ſpinis altera.*

PARI propè Tertia eſt magnitudine: rarò enim duorum cubitorum altitudinem ſuperantem Viennæ obſervavi, frequentibus & brevibus ramis donatam, purpuraſcentibus, qui raris & brevibus ſpinis armati ſunt: foliorũ alæ illis ſimiles quæ in Roſa, vulgo Canellæ cognomen adepta, ſunt, hoc eſt, ex quinis aut ſeptenis folijs æquali inter ſe ſpatio diſtantibus conſtant, uno hinc, altero inde, geniculatim conjugatimque ſemper adhærente, unoque in cacum enexeunte, coloris ſuperna parte viridis, inferna candicantis: flores vulgari Cinamomeæ roſæ ſimiles, ſed majores, & multiplici puſillorum foliorum glomeratione conſtantes, quemad- *Roſa Cinamomea pleno flore.*

quemadmodum alba & Prenestina: odor ferè qualis in Alba vulgari plena fructum nondum videre licuit, tametſi multis annis aluerimus: ejus radix latè admodum ſerpit, & vivax eſt, novas virgas ſubinde producens.

Ejus natales dubij. Vnde primùm Viennam allata ſit, plerique dubitant: nōnulli tamen ex Tyrolenſi Comitatu originem ducere exiſtimant: alij è Gallia Moſchatę pleno rubro flore nomine miſſam. Tunc in omnibus Cæſareis hortis, quorundamq; Principum virorum, & Nobiliorum matronarum, & aliorum qui herbariæ rei ſtudio oblectantur, alebatur: multò verò frequentiorem poſtea apud Mag^cos ac Generoſos Dominos Adolphum Hermannum & Georgium Riedeſel zu Eyſenpach/ patrueles, Haſſiæ Mareſchalcos hereditarios: ſed omnium frequentiſſimam Caſſellis in amœniſſimo cultiſſimoque horto Ill^mi Principis Wilhelmi Landgravij Haſſiæ, &c. altiùs multò, & ſupra humanam altitudinem ſeſe attollentem, interdum etiam Autumno rurſus florentem, quæ tamen florem minus plenum ſuperiore, quæ Viennæ eſt, habere mihi viſa, & ſtolones atque ramos minùs rubentes.

Roſa campeſtris odorato flore.

Rosa campestris spinosissima flore albo odoro C.B.Pin: 483



Roſa campeſtris cum ſuo fructu.



QVARTA humilis eſt & fruticoſa, folijs illi quæ album florem fert, perſimilis: ſed ejus flores, licet albi, longè minores, neque unquam planè ſeſe explicantes, ejuſdem cum alba vulgari odoris & coloris, qui tamen plus carnei admiſtum habet. Paulò ſeriùs alia floret.

Hanc primùm obſervabam in cultiſs. D. Ioan. Aicholtzij horto, unde illam adquiſiviſſet ignorantis: deinde Francoforti ad Mœnum in quorundam Patriciorum hortis. Plurimùm

Roſa græcula Plinij fortè. autem meo judicio accedere videtur ad Græculam Plin quam lib. XXI cap. XXX deſcribit.

Roſa campeſtris odora. QVINTA cubitalibus aliquot, aut ad ſummum, ſed rariſſimè, bicubitalibus aſſurgit virgis, firmis, duris, lignoſis, rubeſcentibus, denſiſſimo ſpinarum vallo munitis, ex quibus frequentes confuſo ordine oriuntur ſpinoſi ramuli, virides, ſinguli ſuum florem ſuſtinentes, album, odoratum, quinque folijs conſtantem, luteæ aut Canellæ roſæ vulgaris æqualem, capillaceis quibuſdam ſtaminibus cum ſuis apicibus luteis medium floris umbilicum occupantibus: fructus rotundus, brevis, initio viridis, deinde, plenam maturitatem adeptus niger, craſſa, anguloſa, candida, dura ſemina continet: folia ſunt inter eam quæ luteos ſimplices fert flores, & illam quæ ab aggeribus in quibus ſponte provenit, ſive à Pimpinellæ foliorum ſimilitudine nomen apud Belgas accepit (dunnen rooſen & pimpernelle rooſen enim appellant) ferè media, per ambitum ſerrata, & nullius ſplendoris; radix dura, lignoſa, in diverſa tendit.

Invenitur multis circa Viennam locis, præſertim editioribus & montoſis. Floret Maio, quo tempore ruſticæ mulieres plurimos ejus faſciculos, ob odoris gratiam, venales in forum deferunt. Fructus Auguſto matureſcit.

SEXTA

SEXTA pedales, atque aliquando cubitales etiam ex eadem radice profert virgas, virides, lentas, infernè paucis, supernè multis ſpinis rigentes: foliorũ alas rubræ ſimillimas, quinque aut ſeptem folijs ſupernè viridibus, infernè candicantibus conſtantes: ſummis virgis & ramulis innaſcuntur ſatis magni calices ſive alabaſtri, hirti barbatique, quales in roſis rubris ſimplici foliorum ordine conſtantibus, ex quibus deinde ſeſe explicant magnæ, non omnino odoris expertes roſæ, quinque folijs præditæ, initio rubræ, deinde paulatim remittente & quaſi evaneſcente rubedine, carnei ferè coloris, multis luteis ſtaminibus, floris umbilicum, quemadmodum in alijs roſis, occupantibus: fructus ruber, rotundus, omnium maximus & pyri in modum turbinatus, fulveſcente pulpa, inæqualia alba ſemina continet. *Roſa pumila.*

Naſcitur paſſim in cæduis ſilvis, aliarum ſilvarum marginibus, ſublimioribus & deſertis agris per Auſtriam inferiorem & univerſam Pannoniam. Floret Iunio, fructus matureſcit Auguſto, & plerumque tota hieme ipſi ſtirpi inhæret.

Non ineptè, meo quidem judicio, χαμαιρόδον græcè dicetur hoc Roſæ genus, Latinè Roſa pumila: Auſtriaci Erdtroſen vnd Heydroſen/ Vngari verò *Paragi roſa* appellant. *Χαμαιρόδον.*

RVBVS IDÆVS PLACAE. CAP. LXXXII.

Rubus Idaeus Levis. C.B. Pin. 479.



IDAEI rubi genus mihi oſtendebat C.V. Ioannes Plaça Medicus & Profeſſor Valẽtinus, eodem cœnobio, quo Perſeã ſuperiùs deſcriptam, primo ab urbe Valentia miliari, ſine ſpinis, folijs rubi mollioribus, longis ſarmentis per terrã ſparſis, cujus fructum dicebat Rubo vulgari minorem, aliâs illi admodum ſimilem. *Rub. idæus Placæ.*

Anſam fortè præbuit Plaçæ ut hanc plantam rubum Idęum cenſeret, Dioſcoridis Latinus codex, qui capite de Rubo idæo, quod eſt in quarto libro, hæc verba, *quanquam & ſine ſpinis inveniatur*, addita habet, præter Græci codicis fidem.

CETERVM in Auſtriacis & pleriſque Germaniæ ſilvis ſponte provenit Rubus ille baccis ſive moris rubris, nõ modò ſaporis, ſed etiã odoris gratia commendatis: Eum Germani Himber/ Galli *framboiſier*, fructum *framboiſes* appellant: peritiores Idæum eſſe cenſent, de quo Dioſc. ut dixi, lib. IIII. Plinius lib. XVI. cap. XXVII. Nat. Hiſt. & lib. XXIIII. cap. XIIII. in hæc verba ſcribit. *Rub. idæus vulgaris.*

Idæus rubus appellatus eſt, quoniã in Ida, non aliâs, naſcitur. Eſt autem tenerior ac minor, rarioribus calamis innocentioribuſque, ſub arborum umbra naſcens. Hujus flos cum melle epiphoris illinitur, & ignibus ſacris, ſtomaticiſque ex aqua bibendus datur, ubi ſtomachicis legendum cum Dioſcoride: nam lib. XVI. cap. XXVII. contra ſtomachi vitia bibi ſcribit. *Plinius emaculatus.*

Rubus porrò idæus hic in hortis colitur duorum generum, rubro videlicet & albo fructu.

RVBVS SAXATILIS, ſive PETRAEVS. CAP. LXXXIII.


PEDALEM non ſuperat altitudinem, teretibus, ſubrubentibus, & hirſutis viticulis, in quibus bina aut terna folia, Rubo Idæo à pleriſque nuncupato penè ſimilia, hoc eſt terna ſimul ex eodem pediculo naſcentia, rugoſa, non hirſuta tamen, nulliſque ſpinis horrentia, valde exſiccantis & adſtringentis guſtus, deinde amariuſculi: in ſummis viticulis & ſupremis earum alis flores quidem fert (ſed cujus formæ aut coloris, ignoro, veriſimile eſt Rubo idæo aut humili pares) deinde fructum rubo vulgari aut Idæo minorem, hoc eſt minore acinorum numero conſtantem: etenim binos tantùm, ternos, quaternos, aut ad ſummum quinos acinos habet, longè tamen majores quàm in ullo alio rubi genere, omninò rubentes, & adeò ſucci plenos, ut quodammodo tranſpareant, acidi & palato gratiſſimi ſaporis: continent ſinguli iſti acini ſingula grana alba, rugoſa & inæqualia, adſtringentis guſtus: radix longè lateq; ſerpit, & longas interdum viticulas humi ſpargit, quæ ſubinde radices agunt. *Rubus petræus.*

Abundè provenit in ſaxoſis collibus Neuberg monaſterio imminentibus, ſub celſiſſimo ejuſdem nominis monte, cujus ſummum jugum perpetua nive obſitum. Creſcit & in alijs ſcopulis qui circa celſiſſimorum montium radices ſunt, non in ipſis montium jugis. Auguſto menſe colligebam maturo ſuo fructu onuſtum. *Natales.*

Rubus ſaxatilis alpinus.

Nomina. Chamærubus ſaxatilis B: Pin: 479.

χαμαίβατος.



Rubus idæus Geſneri.

RVBVM ſaxatilem ſive petræum appellavi, quia ſolis ſaxoſis & petroſis locis inveni, aliud enim nomen magis proprium mihi non ſuccurrebat. Ruſtici montani Steinber/ hoc eſt petræas baccas vocant. χαμαίβατος Theophraſti non ineptè meo judicio etiam dici poſſet: Gaza humirubum interpretatus eſt. Quanquam proximè ad Chamæbaton etiam accedat humilis ille rubus pleriſque Belgicæ ſilvoſis locis & agrorum marginibus interdum naſcens, baccis ſive moris ſucculentis, paucis & exiguis acinis conſtantibus, modò nigris, modò cæruleis, palato admodum gratis. Occupat etiam ille multos Auſtriæ & Pannoniæ agros, Vngaris *ſzeäöry* dicitur; vulgaris verò rubus *chypke fa*, & *födy ſzedör*, id eſt terreſtris morus.

Notus autem Geſnero haud dubiè fuit humilis hic rubus, eumque in deſcriptione montis fracti Idæum appellat. Rubus idæus inquit, fructu rubi ferè, abſque ullis ſpinis, humilis planta, lignoſa radice, folijs rubi vel fragi, acinis binis, ternis, aut ſingulis in uno fructu acido ſapore, in ſaxo. Meminit & in Epiſtolis. Simlerus etiam Commentario de Alpibus.

Similem planè meo ſuis baccis onuſtum, eodemque nomine apud montanos paſtores inſignitum, ex Sileſiæ montanis ſcopulis erutum, ad me mittebat D. Achilles Cromerus anno M. D. LXXX. quem copioſè ad metallicas fodinas Zuckmantel naſci poſtea ſcribebat.

CHAMAEMORVS.

Chamærubus foliis ribes Anglica B: Pin: 480.

Chamæmorus Anglicana.



Natales.

Nomen.

CAP. LXXXIIII.

INTER mites Rubos etiam cenſenda eſt hæc elegans planta, cujus iconem & hiſtoriam nobis cōmunicabat C. V. Thomas Pennæus, Londinenſis medicus, ſuprà memoratus, Chamæmori appellatione inditâ.

DODRANTALIBVS autem prædita eſt viticulis, in quibus alternatim tria, quatuor, rariùs quinque, folia ſcabra, malvæ, vel potiùs mori [*novellæ videlicet & primùm natæ, malim tamen cum Ribes vulgaris folijs conferre*] folijs non valde diſſimilia, in quinque præcipuas partes diviſa, & per ambitum ſerrata, longis pediculis innixa, qui ex binis alis ſive apophyſibus cauliculum amplectentibus exeunt. Summū caulem exornat flos unicus quinq; foliolis ex nigro purpuraſcentibus conſtans. Fructus mori fructui [*rubi vulgaris verius*] ſimilimus (unde nomen) ſed paulò minor, primùm albicans & acerbus, poſtea ruber, ex acerbo dulcis: radix utcunque nodoſa, ex ſingulis nodis paucas fibras ſpargens, mirè ſe propagans, & quam longiſſimè ſerpens, adeò ut brevi tempore maximum ſpatium occupet. Floret Iunio & Iulij initio: fructus Auguſto maturus eſt.

Nivoſa & aperta loca amat, ſummoſque montes, & magnâ copiâ inter ericas provenit monte Engleborow totius Angliæ celſiſſimo, duodecim miliaribus à Lancaſtria.

ANGLI *knotberries* appellant, hoc eſt, nodoſam baccam, à fructu nodis ſimili. Guſtu adſtringit, exſiccat, & refrigerat.

CHAMAE-

CHAMÆMORVS NORWAGICA — CAP. LXXXV.

CHAMÆMORO ſuperiori valde affinem in Norwagiâ & finitimis regionibus naſci, ex doctiſſimi viri Henrici Hoieri Medici, ad præſtātiſſimum virum D. Petrum Pauwium publicum in Lugdunenſi apud Batavos Academiâ Profeſſorem epiſtolâ intelligebā: qui & ejus fructum conditum ſub extremum annum M.D.XCIII. mittebat, & inſequentis anni Iunio virgulas, cum folijs & flore inter chartulas repoſitas.

ERANT autem hæ virgæ tenues, digitalis longitudinis, fuſci coloris cortice obductæ, quibus inhęrebāt uncialibus petiolis folia, vulgaris Ribes folijs nō valde diſſimilia, ſed paullò magis orbiculata, in breves aliquot lacinias diviſa, tribuſque eminentioribus nervis averſâ parte prædita, è quibus multæ venæ ad circumferentiam ſparguntur; in ambitu dentata: è ſummis virgis exeunt oblongiores tenuioreſque petioli ſuſtinentes ſingularem caliculum, è quo flos emergit candidus, nunc quaternis, modò quinis foliolis conſtans, umbilicum occupantibus multis exilibus ſtaminibus albis cum flavis apicibus: flori fructus ſuccedit, fragi magnitudine, rubens aut pallidus, cujus interior pulpa mollis, humida, mucilaginoſa, exilium acinulorum plena, guſtu non inſuavis. *Chamæmorus Norwagica.*

Paludoſis & humidis locis gaudêre, ex Hoieri epiſtolâ didici, & maturitatem adquirere fructum, menſibus Iunio, Quintili, Sextili: ab incolis verò Moltebeeren appellari. *Natales. Nomen.*

CETERVM, quæ conſervandi hujus fructus ratio, quàm admirabiles ejus facultates, cùm ex ipſius Hoieri epiſtolâ, tum ex ijs quæ ipſe anno ſexto & nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum præſens mihi Lugduni confirmabat, ſubijcere libuit.

EX ipſo fructu, inquit, Electuarium rudi minervâ conficiunt quotannis Norwagij, atque Finmarchij, in hunc fermè modum. Baccas in fictili aut aheno per ſe ad mediocrem conſiſtentiam coquunt, nullo alio addito liquore: cùm enim ſucci plenę ſint & molles, alieno humore irrigari non expetunt. Quanquam in delicatioribus ſunt nonnulli, qui melicrati Fionenſis (quo ſummè delectantur Septentrionales iſti) aliquid affundant. Hanc confectionem idoneis vaſis exceptam, &, ne corrumpatur ab ambiente aëre, butyro diſſoluto obductam, uſui ſtudioſiſſimè reſervant: nobile ſanè, & probatiſſimum illis adverſus ſcorbutum remedium. Etenim non facilè credas, quæ miracula iſta gens, ſolâ hac medicinâ faciat quotidie: ut omnino fatendum ſit, nihil ad hanc eſſe vel cochleariam illam tot encomijs hactenus celebratam, vel becabungiam, vel ſiſymbrium cardaminem, & id genus alia, quibus Germani ſeſe efferunt. Et meritò admiranda ſingularis Dei benignitas, quod Nordlandiæ longiùs ad Septentrionem remotæ, & fœdiſſimis morbis ob cæli ſoliq; inclementiam miſerabiliter ſcatenti, indigenis remedijs proſpicere voluerit: enimverò morborum crudorum, putridorum, melancholicorum, mira hic ubique ſeges. Idcirco neceſſitas miſeros ruſticanos varia auxilia edocuit, ut nunc vel in graviſſimis caſibus pauperculus aliquis accommodatè ſibi ſuiſq; mederi ſciat. Ita nonnulli ſcorbuticos, quamvis ridiculè, tamen benè atque utiliter hunc in modum curant. In vicinam aliquam inſulam moris abundantem exponunt, ibidemq; ſolos relictos, domum non transferunt, priuſquam ſanitati ſint reſtituti. Tum enim illi, quaſi ab omni humanitate excluſi, vitæ tamen (quod credibile eſt) cupidi, moris iſtis veſci coguntur, ſive ut extremo remedio promiſſam ſanitatem recuperare tentent, ſive ut ſitim, quâ ut plurimùm torquentur, extinguant. Dumq; hoc ad ſatietatem agunt, ſine dubio intra paucos dies oppidò convaleſcunt. Hieme verò quando id non licet, electuario ſuo non minus feliciter utuntur, ſine certâ doſi, aut cuſtodiâ. Aliqui toto curationis tempore, nullo alio alimento utuntur. Hactenus Hoierus. *Conditura fructus. Facultates. Scorbuticos curandi apud Norvvegos ratio.*

SED & ille ipſe alterius cujuſdam Bacciferæ, ſimilibus pænè ſuperiori folijs, à ſe in Norwegia obſervatæ hiſtoriolam mihi anno M. D. XCVI. communicabat.

PROXIMAM [*à ſuperiore videlicet*] inquit, laudem meretur, fruticoſa quędam ſtirps, quę Ribeſium foliolis & fructu, pro ſuâ proportione adeò æmulatur, ut nō dubitem tertiam Ribeſij ſpeciem appellitare. Dodrantalis eſt, cortice petiolorum nigricante, folijs latis, diſſectis vitis foliorum modo: baccæ in cujuſque pediculi apice quamplurimę conjunctæ tamquam in umbellâ, non, ut in vulgari Ribeſio, è multis oblongis racemulis pendentes, rubent, acidulæ, ſaporis valde grati. Incolis Tetiebeeren nuncupantur. *Chamæmorus altera Norvvag.* Tetiebeere.

CVM in Ribes vulgaris mentionem inciderimus ſignificandum exiſtimavi Auſtriacas & Stiriacas alpes ejus quoddam genus alere, nihil, vel quàm minimum à vulgari differens, fructu tamen non acido, ſed dulci. *Ribes vulgar. dulci fructu.*

Eſt præterea Secundum genus amplioribus folijs & majore fructu, licet acidi ſaporis ut vulgaris: hujus enim flos variat, quia qui in vulgari herbacei coloris eſt, in hoc eleganter rubet & puniceus eſt. An huic ſimilis quam N. V. Ioannes Boiſot in horto Bruxellis alebat? *Ribes vulgar. rubro flore.*

Mittebat etiam anno M.D.XXCIX. aliud Ribes genus ex Anglia acceptum ad me N. V. Carolus de Taſſis veredariorum Antuerpiæ præfectus, quod uvæ Criſpæ rubro fructu appellatione inſcriptum erat. Poſtea tamen è Iacobi Gareti epiſtolâ Londino ad me miſsâ fructum ferre intelligebam (meus enim frutex flores quidem tulit, deinde corruptus eſt) vulgari ſimilem,

Ribes vulgaris fructu dulci.



Berberis vulgaris.



Ribes μονό-καρπος. milem, paullo majorem, confertim tamen in eodem pediculo non naſcentem, ſed ſingularem ut in uvâ criſpâ.

Groſſularia fructu obſcurè purpuraſcente. CERTE anno M.D.XCIIII. Leydæ conſpiciebam Groſſulariæ genus amplioribus nigrioribuſq; folijs, ſpinas ad ſingulos foliorum exortus binas vel unicam habens (interdum etiam nullas) breves & vulgari multò infirmiores, prętet alias inertes & longè breviores ſparſim ramis cortice ex fuſco purpuraſcente tectis innaſcentes: fructum, dum immaturus eſt, vulgaris inſtar virentem, qui maturus purpuraſcit, plenâ autem maturitate ex purpurâ atrum colorem contrahit perinde ac nonnulla pruna. Atque id eſſe arbitror, quod paullo ſupra ſignificavi ex Anglia miſſum.

Groſſularia majore fructu. Vulgaris tamen genus etiam invenitur uberius naſcens, amplioribuſque folijs & majoribus baccis præditum.

Ribes vulgar. nigro, & albo fructu. VNGARI porrò vulgarem rubro fructu (nam quæ nigrum fert illis eſt ignota, multò autem magis quæ albo fructu prædita eſt, mihi paucos ante annos cum Groſſulariâ fructu obſcurè purpuraſcente cõmunicata) *apro tengöri zöló*, id eſt, minorem marinam uvam appellāt. Quidam, teſte C. V. Iacobo Dalechampio, hunc fruticem & Groſſulariam ſive uvam criſpam

Ἴσος Theoph. vulgarem, Theophraſto cognitos eſſe volunt ἴσου nomine: an verò Groſſulariæ hæc appellatio convenire poſſit, ambigo, quandoquidem Theophraſtus nullas ſpinas ἴσῳ (quem Gaza Aequum interpretatus eſt) tribuit, quam notam adeò inſignem & ſingularem diligẽtiſſimus & accuratiſſimus ſcriptor haud dubiè non prætermiſiſſet. Ejus verba ſubjungam, ut ſunt lib. III. Hiſt. Plant. cap. XVII. Τοῦ δὲ ἴσου, τὸ μὲν, λεύκον, τὸ δὲ, μέλαν· καὶ τὸ ἄνθος ἑκατέρου καὶ ὁ καρπὸς κατὰ λόγον· ὁ μὲν, λευκός, ὁ δὲ μέλας· ἐνίων δὲ καὶ ὥσπερ ἀνὰ μέσον ὂν τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζει· καὶ οὔτε οἰνωπὸν, οὔτε ἐκλευκόν ἐστιν, ὥσπέρ τινων· ἔχει δὲ καὶ τὰ φύλλα λεπτότερα καὶ λειότερα καὶ τὰς ῥάβδους, τὸ λευκόν.

Ribes legitim. Arabũ. DE Ribes autem legitimo, libenter acquieſco ſententiæ C. V. L. Rauwolphij, qui naſcentem ejus plantam in monte Libano obſervavit, ut ipſe lib. II. cap. XII. ſuę per ea loca Peregrinationis ſcribit. Legitimum, inquit, Ribes Arabum iſtic inveni Septembri menſe, tamquam primùm, & præter anni tẽpus erumpens, ſine flore & ſemine, duobus duntaxat folijs præditũ, hirſutis, orbicularibus, Petaſitis foliorũ vulgo crediti amplitudine, quæ brevibus, ſed craſſis & nõ minùs ſucculẽtis, quàm ipſi caules, pediculis inhęrebãt: è quibus caulibus fit (quem-

Natales. admodum in Halepo conſpexi) legitimũ Rob Ribes Serapionis. Gaudet humidis locis, craſſam habet radicẽ ex nigro purpuraſcentem, longiuſculã, rugoſam, incurvã & flexuoſam, ſatis ingrati ſaporis: caules, ut præcedẽte capite adnotat, pænè cubitales, hirſutos, unciã craſſos, virides, infernè (ut etiam Serapio prodidit) purpuraſcentes. Ante ipſum porrò, etiam illo ipſo loco obſervabat Petrus Bellonius, ut apparet ex libro, in quo de Coniferis arboribus agit.

Berberis vulgar. CETERVM per Vngariam, Auſtriam & vicinas Provincias, fre quentiſſimus etiam eſt ſpinoſus

Spina appendix Plinij.



Mespilus apii folio sylvestris spinosa, sive Oxyacantha

noſus ille frutex, qui in officinis Berberis appellatur, Germanis Erbſel/ Gallis *Eſpine vinette*, Italis *Creſpino*, Vngaris *iröm barbara*, & *faij ſoska*, hoc eſt, vinum barbarum, & arborea acetoſa, nuncupata. Hadrianus Iunius vir eruditiſſimus, & alij docti, Spinam appendicem Plinij eſſe cenſent. Ego tametſi illorum ſententiæ facilè ſubſcribere poſſem, retinent me tamē dubium quædam notæ peculiares & manifeſtæ in Creſpino, ſive Berberi officinarum, quæ in Spinæ appendicis hiſtoriâ non fuiſſent prætermiſſæ, ſi eam intellexiſſet Plinius, nempe flavum lignum, & magis flava radix, etiam ad tingendum apta, deinde trium illarum ſpinarū ad ſingulos nodos perpetua ſeries. Sic verò ego exiſtimo, Spinæ appendicis deſcriptioni non minùs bellè quadrare eam Spinam, quæ paſſim tonſilis, præſertim apud diligentes & curioſos hortorum in Belgio cultores, macerie implexâ, extimas hortorum oras ambit, rubentibus baccis fœcundas, quam Germani Hagdorn/ Galli *Aube eſpine*, Vngari *Galaginya fa* appellant: vulgus Herbariorum Oxyacantham nominat.


Nomina. *Spina appendix Plinij.* *Nomina.*

PRÆTER verò multiplices facultates Berberis vulgaris, quæ officinis notæ ſunt, & à C. V. Matthiolo deſcriptæ, hoc ſecretū ab amico accipiebam: vinum album tenue, in quo medianus ille cortex qui inter extimum & ligno adhærentem eſt, lineo panniculo involutus, per trium horarum ſpatium maceratus fuerit, mirificè, ſi bibatur, purgare.

Berberis vulgar. facultates.

Clematis daphnoidis latifolia.

Clematis Daphnoides major B: Pin 302.



Iſtius porrò Berberis genus, Aſchafenburgi ad Mœnum quinis ſupra Francofurtū miliaribus, inveniri, cujus baccæ ſive acini granis interioribus careant, ad condiēdum proculdubio aptiſſimi, non modò intelligebam, ſed magnū ejus fruticem in culto horto Ioannis Müler diligētiſſimi Phamacopæi & civis Francofurtēſis cōſpiciebā.

Berberis ἀπύρηνος.

CLEMATIS. CAP. LXXXVI.

CLEMATIDIS duo genera facit Dioſcorides, & diverſis locis deſcribit. Prior δαφνοειδὲς cognominata, vulgo Vinca pervinca, quo nomine etiam ab ipſo Plinio vocatur, qui lib. XXIIII. Nat. Hiſt cap. XV. Ægyptiam quoque cognominare videtur. Ejus autem binæ ſunt ſpecies: Vna vulgatior, cæruleo, ut plurimùm, flore, ſed quæ cum etiam variat, ut nūc albus, nunc ſubpurpuraſcens, qualem apud Allobroges ſponte naſcentem inter vepres obſervare memini, præſertim circa Lauſannam, eumq; interdum aliū florem medium complectentem: Altera longè ampliora habet folia, craſſiores viticulas, majoreſq; flores colore cæruleos: ea ſponte naſcitur cum multis Hiſpaniæ locis, tum in Narbonenſi Galliâ, magnâ præſertim copiâ circa Mompelium.


Clematidis daphnoidis varietas. *Clematis ægyptia.*

Altera Clematis à Dioſc. lib. IIII. Plin. lib. XXIIII. cap. XV. deſcribitur: facultates enim ab utroque Auctore traditæ conveniūt. Hujus varia genera in Belgicis hortis aluntur peregrè accepta, quorum tandem coloniam in Auſtriacos hortos etiam traducebam.


Clematidis alterius varietas.

AD eorum autem claſſem non dubium eſt quin referenda ſit vulgaris illa omnibus, quas adij Provincijs, planta, vicinis arboribus & ſepibus ſeſe implicans, craſſis, rugoſis, lentiſque ſarmentis, folijs quinis ex uno nervo prodeuntibus, guſtu acribus, floribus albis, multa ſta-

Clematis altera. Clematis Cærulea vel purpurea repens B: Pin: Boo.



Atragene Theoph. Clematis sylvestris latifolia B: Pin: Boo.



mina ex umbilico producentibus, odoratis, quibus ſuccedunt rotunda capita ſeminis ſimul congeſti, & capillaceâ comâ onuſti.

Ατραγένη Theoph. HANC rei herbariæ peritiſſimus Anguillara ἀτραγένην, cujus Theoph. Plant. Hiſt. lib. v. cap. x. meminit, eſſe cenſet, cui lubens aſſentior, inſuper Plinio lib. xvi. cap. iiii. Natur. Hiſt. *Vitis ſilveſtr. x Plinij.* Vitis ſilveſtris nomine notam fuiſſe aſſero, ut etiam cuilibet, utriuſque Scriptoris verba conferenti, facilè apparebit. Nam Theophraſtus in hæc verba ſcribit, *πυρεῖα δέ φασιν, ἄριστον μὲν ἐκ τῆς ἀτραγένης καλουμένης ὑπό τινων. τοῦτο δέ ἐστι τὸ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ καὶ τῇ οἰνάνθῃ τῇ ἀγρίᾳ· ὥσπερ ἐκεῖνα καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα. δεῖ δὲ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν· τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης.* Plinius verò, Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materiâ aridâ fomitis, fungi, vel foliorum facilimè conceptum. Sed nihil ederâ præſtantius quæ teratur, lauro quæ terat. Probatur & vitis ſilveſtris, alia quàm Labruſca, & ipſa *Nomina.* ederæ modo arborem ſcandens. Ruellius à Gallis *Viorne* dici ſcribit. Germani Lynen appellant. Illius ſarmenta ego in Pannonia conſpiciebam brachiali craſſitudine, nodis carentia, erecta, rimoſo cortice vitis inſtar tecta, haſtæ interdum longitudine ſub vaſtis arboribus, & latè ramos ſpargentibus, quibus ſe implicaverant, creſcentia.

Vitis ſilveſtr. xi. Plinij. PLINIVS Lib. xxiii. cap. i Nat. Hiſt. aliam adhuc Vitem ſilveſtrem profert à Labruſcâ differentem, geniculatam, rimoſo cortice, baccis rubentibus, quam ſi quis diligenter *Vitis ſilveſtr. Dioſc.* conferet cum Vite ſilveſtri Dioſcoridis, unam eandemque ſtirpem ab eis deſcribi comperiet. Eam *Taminia uva.* autem Plinius eſſe credit, quam vulgus Taminiam uvam vocat.

Clematid. II. facultates. CLEMATIDIS porrò alterius ſemen tritum, pituitam bilemque detrahere, in aquâ aut hydromelite, folia ejus illita lepras purgare, Dioſcorides auctor eſt. Plinius, ut diximus, eo quem memoravimus Libro, prorſus ſimiles facultates ei tribuit.

CLEMATIS ALTERA BÆTICA. CAP. LXXXVII.

Clematis altera Bætica. PEREGRINVM eſt hoc Clematidis genus, & à nemine, quod ſciam, ante quàm ejus hiſtoriam evulgarem, obſervatum. Longa autem habet ſarmenta, lenta & ramoſa, binos per intervalla capreolos contrarijs ſemper inter ſe pediculis naſcentes proferentia, quibus vicinas arbores & frutices ſcandit: folia pyri ferè, minora tamen, dura, viridia, in ambitu inciſa ſive ſerrata, acris & fervidi guſtus, ſingularia in ſingulis pediculis, ſed plurima ſimul ex clavicularum alis prodeuntia: inter quæ, ex utroque ſarmentorum latere pediculi exeunt, caliculum Tithymali caveolis ſeu labellis ſimilem ſuſtinentes, ex cujus medio exilit capitulum ex multis ſeminibus milio æqualibus conflatum, quibus inſident oblongi cincinni, & albæ quodammodo villoſæ plumulæ.

Hanc

Clematis altera Bætica.

Clematis peregrina foliis pyri incisis B: Pin: 300.



Hanc ſtirpem primum inveniebam anno quinto & ſexageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, inter Aſindum (vulgo *Medina Sidonia* appellatum) & Calpen, ſecundùm fluenta, vicinas arbuſculas operientem & ſuo pondere deprimentem: deinde alijs Bæticæ locis, Ianuario jam ſuos cincinnos explicantem. *Natales.*

NON dubium eſt quin ad κλεματίδα, cujus Dioſcorid. lib. IIII. meminit, referenda ſit, cùm & formâ & temperamento ſit illi valde ſimilis.

CLEMATIS CÆRVLEA PANNONICA.
CAP. LXXXVIII.

TAMETSI hæc fruticibus ſeſe non implicet, ut ſuperiores, ſed ſatis firma ſit, nec adminiculis egeat, Clematidis tamen nomen impoſui, quia ejuſdem eſt temperamenti, & florem purpureę Clematidi ferè ſimilē habet.

QVATERNIS autem vel quinis aſſurgit ſarmentis cubitalibus, rectis, duris, lignoſis, fulveſcentibus, quadrangulis, ſtriatis, quibus multa innaſcuntur folia, aſclepiadis pænè folijs reſpondentia, bina ſemper inter ſe oppoſita, quæ initio ſeſe invicem amplectentia, folliculi, aut tumentis veſiculæ formam exprimunt, deinde expanduntur, lata, venoſa, non valdè dura, fervidi guſtus, quemadmodum Flammulæ Matthioli folia: extremis ſarmentis & lateralibus ramulis quibus diviſa ſunt, ſingulares propendent flores magni, quatuor folijs crucis in formam decuſſatis conſtantes, deorſum nutantes Clematidis alterius purpureæ florum modo, mucronibus tamen exteriùs nonnihil reflexis, eleganti cæruleo colore foris ſaturatiore, intus dilutiore præditi, nonnihil odorati, meditullium occupantibus multis ſtaminibus villoſis ex flavo purpuraſcentibus: quibus ſuccedit ſemen Pulſatillæ ſemini ferè ſimile, in rotunda capitula, & veluti pilulas Atragenæ glomerato fructui ſimiles congeſtum, longâ villoſâ, reflexâque comâ exornatum, nullius acrimoniæ particeps: radix ſatis craſsâ, ſarmentitia, multas obliquas & fulveſcentes fibras ſpargit, perinde atque Clematis altera purpureo flore. Caules ſive ſarmenta ſingulis annis ad radicem uſque marceſcunt, & ineunte vere novella, frequentioraque ex ipſa repullulant. *Clematis Pannonica cæruleo flore.*

Clematis cærulea Pannonica.



Invenitur ſponte naſcens in pratis circa Stampfen duobus ultra Poſonium Vngariæ miliaribus, & alijs ad Danubij ripas ſitis ſupra Poſonium, medio ferè itinere inter eam urbem & Tuben, ubi etiam legitimam rubiam ſponte creſcentem legebam. Floret Maio & Iunio, ſemen maturum eſt Auguſto *Natales.*

CVM primùm Viennam Auſtriæ appellerem anno videlicet M. D. LXXIII. illius ſemen mihi communicabat doctiſſimus vir Ioannes Aicholtzius ejus urbis Medicus & Profeſſor publicus, Clymeni nomine, quo etiam ego (plantâ nondum conſpectâ) ad amicos in Belgicam mittebam: ex eo prognatæ plantæ ſimi-

Clematis Coerulea erecta. B: Pin: 300.

Flammula Matthioli.

Flammula Matthioli duor. gener.

I.

II.



ſem appellationem iſtic retinuerunt, licet anno ſequente, cùm Maio mẽſe, quibus dixi locis florentẽ deprehẽdiſſem, ſedulò amicos monerem, Clymeni non fuiſſe ſemen quod miſeram, ſed alterius plantæ, quæ ad Clematidis alterius genus aliquod verius referri deberet.

CETERVM Clematis illa altera, ſive Flammula Matthioli, cujus modò memini, adeò frequẽs in Auſtriâ inferiore & Pannonia, ut nullæ ſint ceduę ſilvæ, præſertim circa fluviorum in Danubium delabentium ripas, illis tumeſcentibus inundari ſolitas, quæ eâ non abundent. Duorũ verò generum, ab ijs qui diligentiùs obſervant, eſſe deprehenditur. Vna enim ſarmenta rubeſcentia habet, quemadmodũ & foliorum nervos & pediculos, præcociorq́; eſt, & odoratũ fert florem. Alterius autem ſarmenta cum foliorum pediculis vireſcunt, & florem ſeriùs proferunt. Humanam verò altitudinem utriuſque ſarmẽta ut plurimùm ſuperant, & ſingulis annis nova, eaq́; frequentiora ineunte vere (marcidis & corruptis prioribus) renaſcuntur.

Huic prorſus ſimilem mihi natam memini, ſemine ab amico mihi miſſo Clematidis flore albo pleno appellatione. An verò talis reperiatur, me latet: mihi certè nunquam videre contigit.

APOCYNVM. CAP. LXXXIX.

Apocyni varia genera.

Apocynum I. latifolium.

Apocynon I. latifolium.

Apocynon II. angustifoliũ.



STIRPIVM quæ ad Apocyni hiſtoriam à Veteribus traditam plurimùm accedere videntur, tria obſervabam genera: quibus & quartum addi poterit.

PRIMI ſtipes pollicari eſt craſſitudine, brevis, cineraceo cortice tectus, in plures alas ſive ramos diviſus, qui licet lẽti ſint & viminei, rarò tamen vicinis fruticibus ſeſe advolvunt aut implicant, ſed nullo adminiculo egentes, per ſe ſubſiſtunt: folia perpetuò gemina inter ſe oppoſita, ad ſingulos ramorum nodos adnaſcuntur hederaceâ formâ, molliora, quamvis ſatis carnoſa, quibus vulſis aut fractis, ex albo palleſcens ſuccus emanat: flos puſillus, albus, Aſclepiadi non diſſimilis, ex alarum ſinu quaſi umbellatim prodit. Fructum non obſervabã, ſed Aſclepiadis fructui pænè ſimilem intelligebã: ſemen certè quod hoc nomine aliquando ad me miſſum fuit, Aclepiadeo par erat, planum, in medio aliquantulũ intumeſcens, nigrũ, albâ interiore pulpâ, quod terræ cõmiſſum, non eſt natum. Plantam autem ipſam ſatis craſsâ radice, pingui, ſucco turgidâ, & fragili accipiebã à C. V. Alphonſo Pancio Sereniſs. Ferrariæ Ducis Medico, & Academiæ Profeſſore. Videbam deinde Caſſellis apud Illuſtriſs. Principem Haſſię & Cattorum Wilhelmum, & Clariſs. viros Camerarium & Aicholtzium, ſed & ego Viennæ Auſtriæ alebam, hieme quidẽ folia abijcientẽ, illius autem inclementiã facilè ferentem.

ALTERVM amplexicaule eſt, vicinis pedamentis ſeſe convolvens multis longiſſimis ſarmentis, quibus etiam prælatarum arborũ (ſi vicinas nanciſcatur) cacumina ſuperat: ſunt verò ea ſarmẽta dura, lignoſa, lenta, fractu invicta, rutilantis ex fuſco coloris, multis nodis, ſive geniculis diſtincta: è quibus bina ſemper folia ex adverſo naſcentia prodeunt, dura, ſuperioris folijs nigriora, multò longiora, mucronata, plurimiſq́; venis trãſverſim ex medio nervo orientibus inſignita, quemadmodũ Nerij folia, non tamen

adeò

Apocynum folio oblongo C. Bauh: 303.

Apocynum II. anguſtifolium.



adeò anguſta, neq; dura, lacteo ſucco plena. Flores extremis ramulis lateralibus inſidẽt quaterni, quini, aut plures, Aſclepiadis nigræ floribus formâ ſimiles, multò tamẽ majores, coloris nigri ad purpureũ tendentis, cui nõnihil viriditatis admixtum ſit, qualis ferè color in Ariſtolochię rotundæ prioris & Polyrrhizi flore nigro, conſpicitur. His deinde ſuccedunt oblongæ & toroſæ ſiliquæ Rhododendri ſiliquis pænè ſimiles, geminæ ut plurimùm, & extrorſum aliquantulum inflexæ, ſive divaricatæ, deinde mucrone rurſum coaleſcẽtes (quod Plinius his vocibus diviſo acuto intelligere videtur) quibus dehiſcentibus, ſemen apparet priori majus, & plenius, multâ lanugine, ut Aſclepiadis ſemẽ, involutum: radix longa, ſarmentoſa, latè ſe ſpargens, & ſubinde germinans.

Ejus alia ſpecies per omnia ferè ſimilis invenitur: ſed tenuioribus ramis, multoque anguſtioribus folijs, nõ minùs tamen viridibus & nervoſis. *Apoc. II. anguſtifol. ſpecies altera.*

Vtraque Secũdi generis ſpecies, ſemine ex Italiâ accepto mihi nata eſt, cùm in Belgio, tũ Viennę Auſtriæ, perenniſq; eſt, deciduis tamen hieme folijs, ſeriùs flores producens, quàm ut fructus ad maturitatem (quemadmodum & Rhododendri) pervenire poſſet.

TERTIVM, longis, tenuibus & frequẽtibus ſarmentis proxima quæque ſcandit, multiplici circumvolutione & arcto nexu illa amplectẽs, viridibus, geniculatis, folijs hederæ mollibus, ſubcineracei coloris, lacteo ſucco, ut etiam ſarmenta, adeò turgidis, vt vel leviſſimo vulnere, nõ minùs copioſè, quàm ex quovis Tithymali genere proſiliat. Flores ex alarum ſinu multi umbellæ ferè in morẽ prodeunt, candidi, parvi, quinq; folijs perinde ac Aſclepiadis flores conſtantes: ſiliquæ pręterea ſimiles, multo tomento & lanugine plenæ, qua ſemen occultatum, planum, ex cineraceo fuſcum, Aſclepiadeo ſemini par. Moleſtiſſimæ ſunt hujus radices, quæ ſarmentoſæ & fibroſæ admodum, eadẽ ferè craſſitudine longiſſimè hac illac ſerpunt, & latè vicina circũ loca occupant, candidæ alioqui & fragiles, adeò tamẽ vivaces, ut, ſi vel minima fibra ſub terrâ latens oculos illâ eruentis effugerit, proximo vere germinare, & vicina loca occupare conſpiciatur. Itaque, non minùs exoſa hæc planta rei herbariæ ſtudioſis, quàm Ariſtolochiæ clematidis illud genus, cui vulgus Sarracenicę cognomen impoſuit. Hujus cauliculi & ſarmenta hieme exareſcunt & pereunt, ſed novo vere alia & frequentiora germinant. *Apocynon III. latifol.*

Scammonea Monspeliaca affinis foliis acutioribus. 294. C. Bauh.

Apocynum III. latifolium.



Iſtius ſiliquas ſemine plenas, paucos annos poſt meum ex Hiſpanijs in Belgicam reditũ, cum aliquot alijs ſeminibus & plantis, Pinciâ vſque mihi mittebat optimus vir Ioannes de Ioigny Fabricarum iſtic Præfectus, hiſpanica inſcriptione additâ, *que trepa por los arboles*, hoc eſt, per arbores repit: poſtea radicibꝰ adeò multiplicata eſt, ut nemo eſſet in univerſo Belgio rei herbariæ ſtudioſus, qui eã ex ſuo horto penitus erutã nõ cuperet.

CETERVM in regni Valentini & Narbonenſis Galliæ maritimis, præſertim littore illo quod inter Volcarum ſtagnum & mare mediterraneũ eſt, Convolvoli genus herbidis locis obſervabã, proximè deſcripto Apocyno non multùm diſſimile, cum ſarmentoſis ramulis, tum folijs quæ magis quidẽ orbiculata, in mucronẽ tamen deſinentia, cineracei coloris. Tota etiã planta lacteo ſucco prægnans, & vicinarum ſtirpium cauliculis ſeſe implicans, cujus ſemen mihi non conſpectum. Ejus autem iconem, qualis iſtic *Apocynon IIII. latifol.*

Scammonium Monspeliacum foliis rotundioribus C. Bauh: 294.

 florens

Apocyn.IIII.latif.Scammonea Valent.

Scammonea monspeliaca foliis rotundioribus B: Pin: 294.



Æſclepias nigro flore.

ἀπόκυνον. Κυνοκράμβη.

περιπλοκὰς.

Scammonea Valentina & Mõpelliana.

Apocyni facultates.

florens & ſine radice à me lecta, ſtudioſorum oculis ſubijcere libuit.

SED etiam ad Apocyni claſſem referendam cenſet Fabius Colũna V. C. & acerrimi, in examinandis ſtirpium notis, judicij, plantam illam, quam quotquot de re herbaria commentarios hactenus ſcripſerunt, pro Aſclepiade, nigro flore, exhibuerunt. Conſulat Lector ejus librum cui titulus ΦΥΤΟΒΑΣΑΝΟC, cap. de Apocyno.

AD veterum porrò Apocynũ, ἀπόκυνον, quod Dioſcorides etiam à nõnullis κυνοκράμβην appellari ait (differentem tamen à Cynocrambe, de qua peculiari capite poſtea agit) referendæ hæ plantæ videntur: ſed prima omnium maximè. Sunt qui περιπλοκάδας nomine omnibus Amplexicaulium generibus communi, appellent. Quartum genus Valentinis & Mompellianis Scammonea dicebatur, plurimùm tamen à legitima Scammonea diſtans.

PLINIVS Apocyni ſemine ex aqua dato, pleureticos & omnes lateris dolores ſanari tradit lib. XXIIII. Nat. Hiſt. cap. XI. pernicioſum autem eſſe hunc fruticem canibus, & omnibus quadrupedibus, in cibo datum, & ipſe, & Dioſcorides ſcriptum reliquêre.

PRIORIS ſanè, quod hoc cap. deſcripſi, Apocyni periculum fecit in canibus Ill^mus^ Cattorum Princeps Wilhelmus, fecit & arſenici, aconiti Lycoctoni, quod vulgo Napellum vocant, & Nerij: ſed nullum magis præſentaneã perniciem adferre deprehenſum eſt, hoc Apocyno. Id autẽ factum eſt ab ipſo Principe anno M.D.XXC. præſentibus ejus Medicis Mauritio Thaurer & Laurentio Hyperio, cùm experiri vellet, an Sileſiaca terra, quæ apud Stregam eruta, eas facultates adverſus venena obtineret, quales, qui venalẽ proponebat, habere affirmabat. Quotquot autẽ canibus, propinato veneno, tantundẽ terræ in potu datũ eſt, poſt aliquot ſymptomata reſtituti ſunt: quibus verò terra non eſt exhibita, perierunt, at qui Apocynum hauſerat, omnium citiſſimè.

Lupulus.

Lupulus mas B: Pin: 298.



Lupuli facultates.

AD hujus libri porrò calcem adjicienda putavi, quæ, dum Salmanticæ viverem, de Lupuli ſive Lupi ſalictarij (ſtirpis etiam amplexi caulis) facultatibus intelligebam, non adſcriptâ tamen ejus hiſtoriâ, quæ à pleriſque tradita eſt.

Vulgus ergo & vetulæ Salmanticenſes, ſæpenumerò medicinam empiricã factitare ſolitæ, ad curandam alopeciam à venereâ lue natam, hac ratione lupulo utebantur. Ejus radices pondere libræ unius probè lotas & à ſordibus repurgatas, per noctem in aquæ libris octo macerabant: poſtridie in illâ ipſa aquâ, lento igne & fumi experte, ad tertiæ partis conſumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, ſi vehemens eſſet alopecia. Decoctionem ſervabant in uſum: ejus uncias octo manè ægris jejunis propinabant, deinde ſtragulis injectis ſudorem provocabãt. Addebant interdum apij ſive ſelini hortenſis, duas aut tres, & graminis aliquot radices, nonnunquam etiam paſſas uvas à gigartis mundatas.

FINIS LIBRI PRIMI.

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER SECVNDVS.

ARBORVM, *Fruticum, & Suffruticum abſolutâ hiſtoriâ, quam priore libro complexi ſumus: hoc ſecundo, de ſtirpibus, quæ bulbaceâ aut tuberoſâ conſtant radice, agemus, quarum magna pars florum elegantiâ & varietate omnium oculos ad ſe allicit, & mirum in modum recreat, nec poſtremum locum inter coronarias obtinere debet. A liliacei verò generis plantis, ob earum magnitudinem & florum pulchritudinem, initium faciemus.*

Lilium sive Corona imperialis C.B.Pin. 79.

TVSAI, ſive LILIVM PERSICVM. CAP. I.



BICVBITALI aut etiam ampliore aſſurgit *Tuſai* interdum caule, firmo, craſſo intus fungoſo, viridi, rotundo quidem, ſed ad cubiti altitudinem ſtriato, multiſque liliaceis ferè folijs nunc æquali, modò confuſo ordine eum ambientibus, exornato, elegantis viridis ſplendentiſque coloris, ſed fœtidi odoris, & quaſi hircini, nares etiam procul ferientis: idem ille deinde caulis pedali, nonnunquam etiam cubitali, ſupra folia emicat longitudine, nudus & ſine folijs, neque ſtriatus & viridis, ſed lævis & purpuraſcentis coloris, qui tamen in ſummo totidem pænè in angulos deſinit, quot flores ſuſtinebit, nempe binos, ternos, quaternos, quinos, ſenos, aut plures, omnes verò quaſi æqualiter, ſed contrario ſitu naſcentes, ſingulosque inter bina folia, inferioribus longè minora & anguſtiora, æquali fermè longitudine propendētes elegantiſſimo ſpectaculo: ſuprà flores caulis denuo attollitur dodrantali plerumque, aut majore amplitudine, folijs exilibus & anguſtis onuſtus: nonnunquā ſupra flores nullus cauliculus eminet, ſed confetta duntaxat anguſtorū foliorum coma: interdum etiam mihi nati ſunt ſupra flores non unicus cauliculus ſive ramulus, ſed bini, terni, aut plures ſuis etiam folijs ſinguli ornati. *Tuſai hiſtoria.*

Crevit porrò Viennæ Auſtriæ in meo hortulo anno M.D.XXC. atque etiam alijs, planta undenis, pluribúsve aut paucioris floribus prædita, cujus caulis ſupra ſeptenos æqualiter propēdentes denuo nudus, quaſi dodrantali longitudine aſſurgens, reliquos flores ſingulos inter folia naſcentes protulit, longâ, denſâ, & multifidâ aliâ foliorum comâ ſupra eos fusâ. Sed & intelligebam ab his qui aliquot annis Conſtantinopoli hæſerant, caulem nonnunquam, ſupra priorem illam florum æqualiter propendentium ſeriem, dodrantali longitudine attolli, aliamque florum ſeriē geſtare, aliquando etiam tertiam, ac tum demum foliorum comam ſupereminētem: eas verò ſtirpes unicum florum ordinem ſubſequentibus annis plerumque ferre obſervavi, ut peculiare genus non ſit cenſendum, ſed Naturæ luxuriantis quidam duntaxat luſus, licet mihi altero etiam anno duplicem florum ſeriem geſtare ſimilem plantam meminerim. *Tuſai pluribus florum ordinibus.*

Habuit

~~Lilium persicum~~

Tuſaí ſive Liilium Perſicum. II.



Tuſaí cum ſemine.



Tuſaí δίκλωνος. Habuit autem Viennenſis quædam patricia, cujus caulis ſupra terram planus pedali longitudine extabat, deinde in binos ramos findebatur æquali longitudine excreſcentes, ſingulos undenis floribus onuſtos, magnâ etiam fusâ ſupra eos foliorum comâ: habuerunt & alij, & ego anno nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, ſimiles plantas in binos caules cubitali pæne ſuprà terram altitudine diviſas, quorum alter octo aut plures, alter quinos aut ſenos flores tulit: mea verò planta hoc etiam peculiare habuit, quod eminens coma multifida fuerit.

Tuſaí πολυανθής. At quæ Viennæ in meo hortulo obſervata eſt *Tuſaí* planta dum anno M.D.XXCI. in Anglia peregrinarer, reliquas quas poſtea obſervaverim florum numero ſuperavit: nam quinquagenis aut pluribus floribus onuſta fuit Et Illuſtriſſimo Cattorum Principi Wilhelmo, eum annum proximè præcedente floruit planta quadragenis floribus prædita. Iacobus etiam Garetus civis Londinenſis & Aromatarius anno M.D.XXCII. me monebat plantam habuiſſe quæ binos & ſeptuagenos flores protulerit. Habuerunt & alij ſimiles interdum, in quibus plures flores nati, viceni nempe, triceni, aut quadrageni: quotquot autem tam numeroſos flores tulerunt, planos, latoſque, & valde ſtriatos habuiſſe caules animadverti, atque proximo inſequente anno ad ingenium redijſſe, hoc eſt, caulem rotundum, ternis, quinis, ſeptenis, aut octonis floribus præditum habuiſſe. Vt porrò ad hujus ſtirpis hiſtoriam revertamur: cùm flores primùm erumpunt, inter folia latent, candicanteſque ſunt, deinde paulatim incrementum ſumunt, unà etiam ſuccreſcente eâ caulis, quæ illos ſuſtinet, nudâ parte: florum verò pediculi in augmento deorſum inflectuntur, & ipſi flores palleſcere incipiunt, venis tamen purpureis ſecundum foliorum (quæ ſena ſunt, lata & per extremum mucronata) longitudinem & latera excurrentibus, ungue autem ſingulorum foliorum nonnihil foris eminente & ex nigro purpuraſcente. Flos iam abſolutus & maturus expanditur, tintinnabuli modo propendens, aurei mali ſive citrij colore, ſed pallidiore, venis illis purpureis ſummam venuſtatem adferentibus: ſingula floris folia internâ parte in ipſis unguibus. ſingularibus tuberculis candidis prædita ſunt, quæ meridiano etiam ſole limpidiſſimam dulcemque aquam exſtillant lachrimarum in morem, ut uniones propendentes videantur, ſed abundantiùs pluvio tempore: ea deinde tubercula marceſcentibus floribus in albas lacunas abeunt: ex medio flore ſex candida ſtamina cum palleſcentibus apicibus prominent, breviore trifido ſtilo inter ea latitante. Flori ſuccedunt magna trigona, interdum etiam tetragona, capita, ut in Lilio puniceo, à nonnullis Martagon appellato, quorum ſinguli anguli utrinque pinnati ſunt & alati: excuſſo autem flore, ſtatim ſurſum eriguntur quæ fœcunda futura ſunt capita, magnâ Dei omnium rerum conditoris providentiâ, ne, dehiſcentibus illis, ſemina ante maturitatem

turitatem

turitatem excidant: ſunt verò ea plana, liliacea, paullo oblongiora, cartilaginoſa, ſubrufa, duplici ſerie in ſingulis angulis digeſta, quemadmodum in Lilij generibus, Tulipis, congeneribuſque plantis. Radix bulboſa eſt, craſſa, ex magnis, craſſis, & ſucculentis ſquamis compacta (memini binas & ampliùs libras pendentes eruere) colore interdum albo, nonnunquam etiam purpuraſcente, plerumque autem pallido, fœtido admodum odore, hircumque, uti folia, olente.

Tuſai varietas II.

Ceterùm Aliud genus eſt, nec caule, nec folijs, nec florum formâ à ſuperiore differens: nam & illos in extremâ lævis & nudi caulis parte æqualiter ferè in ambitu naſcentes, ſinguloſque inter bina anguſta folia ſuſtinet, uti ſuperius, ſed color variat, nec ut in præcedente flavus, vel verius palleſcens, ſed rubet, aut ſandaracæ ſandiciſq; colorem refert, inſtar aſtaci elixi chelarum ferè: ſex etiam latis & mucronatis foliis conſtat, unguibuſq; ex purpurâ nigricantibus, cum ſuis interiore parte candidis tuberculis limpidum rorem ſtillantibus, & ſex ſtaminibus, ſtiloque æquali longitudine propendentibus. Hoc genus ſuperiore magis venuſtum mihi videtur.

Tuſai varietas III.

Variat item in nonnullis plantis florum color: eſt enim vel medius inter utrumque genus, vel ad prioris, ſecundíve colorem quam proximè accedit.

Tuſai varietas IIII.

Sed & Quartam quandam differentiam obſervabam, licet ejus florum color proximè ad Secundum genus accederet: anguſtiora enim folia habebat, illaque & radicem nullo tètro odore, quantum quidem naribus manifeſtè percipi poſſet, prædita.

Tempus.

Floret porrò hæc planta Aprili, interdum etiam Martio, ſi aëris temperies paullo calidior fuerit, unà cum præcocibus Tulipis, atque etiam maturius: ſemen Iunio maturum.

Nuſquam verò ſponte naſcentem hanc plantam conſpexi: ſed Conſtantinopoli delatam, eò, quo ad Maximilianum Cæſarem hujus nominis II. Viẽnam evocatus ſum, anno, primus Belgicæ hortis communicavi: & in Viennenſibus repoſita feliciter provenit. Ante meum tamen ex Belgio diſceſſum, ejus iconem (qualem C. V. Rembertus Dodonæus in Purgantium hiſtoriæ Appendice exhibuit) Ill. V. Ioanni de Brancion miſerat C. V. Alphonſus Pancius Sermi Ducis Ferrariæ Medicus, utrique noſtrum amiciſſimus.

Hemerocallis Dioſc.
Hemerocallis Cratini.

HACTENVS nullam plantam obſervare memini, quæ Hemerocallidem Dioſcoridi deſcriptam exactiùs (meo quidem judicio) referat, quàm hæc. Alij conferant, & judicent. Alia verò eſt Hemerocallis, cujus Athenæus lib. xv. Deipnoſoph. meminit his verbis. Floris Hemerocallis qui noctu flacceſcit, ad exortum ſolis mox reviviſcens, Cratinus in *Effeminatis* ſic meminit.

Anemonarum vernis calicibus, ſerpillo, croco, hyacintho,
Elichryſi ramis, œnanthe, caroq; mihi hemerocalle.

Nomina.

Pancius verò illius, de qua nobis ſermo, iconem mittebat *Coronæ Imperialis* nomine inſignitam, quam appellationem apud Herbariorum vulgus adhuc retinet: bulbi verò à Cæſareis Oratoribus Conſtantinopoli miſſi, aut delati, nunc *Tuyſchiachi*, modò *Tuſai*, ſive *Touſai*: ſic enim u. pronuntiandum Germanico more, & elevatione vocis in ultima í, nomine: *Tuſchaí* autem (ut ab ijs intelligebam qui Conſtantinopoli vixerant) Lilium regium ſignificat. Interdum etiam bulbi miſſi *Turfani* & *Turfanda* appellatione: ſed poſtremæ hæ voces à Turcis duntaxat nominibus adijci ſolent, ad rei, cui adnexæ ſunt, magnitudinem exprimendam: exempli gratiâ, *Cavala lale turfanda*, id eſt, Cavala flos (Tulipam intellige) magnus & amplus; qualem ſerotinæ plerumque Tulipæ habere ſolent: ſi verò *Turfani* aut *Turfanda*, nullo adjecto alio vocabulo ſcribunt, de magnis & amplis intelligendum.

Turfani quid?

Natales.

Ex Perſiâ verò Conſtantinopolim delatos illius bulbos omnino mihi perſuadeo, quoniam cùm eos primùm accipiebam, inter reliquas hæc fuit inſcriptio, *Tuſaí, fior Perſiano roſſo ò diſcolorito, con la teſta abaſſo*, hoc eſt, Tuſaí, flos Perſicus ruber aut decolor, nutante capite.

Turcæ florum amatores.

CETERVM, an apud eos medicum aliquem uſum obtineat, non intellexi: arbitror tamen venuſtatis & ornatus potiùs causâ hanc plantam in ſuis hortis illos alere, quàm ob ullas ejus facultates. Nam Turcæ omnium elegantium florum, etiam nullo odore præditorum, ſunt ſtudioſiſſimi: nec ullis ſumtibus parcunt, ut eos undiquaque conquirant.

Facultates.

DIOSCORIDES autem ſuæ Hemerocallidi has facultates tribuit: radix pota, aut cum melle & lanâ in peſſo appoſita, aquam educit & ſanguinem: folia trita mammarum inflammationes à partu contractas, oculorumque collectiones mitigant: radix & folia igni ambuſtis utiliſſimè illinuntur.

LILIVM SVSIANVM. CAP. II.

Lilij Suſiani hiſtoria.

EODEM cum ſuperiore nomine, imò inter ipſius bulbos Conſtantinopoli miſſa fuit hujus plantæ bulboſa radix, altero poſt meum in Viennam adventum anno: cùm tamen ceteris eſſet candidior, & nullo virulento odore prædita, ſeorſim terræ committebam, diverſam à Tuſaí eſſe ratus: nec meâ opinione falſus ſum. Nam novo ſubſequente vere maturè admodum germinare cœpit, tandemque caulem protulit cubitalem, rotundum, multis circumſeptum folijs digitalis longitudinis & latitudinis, longè quàm Tuſaí modo deſcripti folia anguſtioribus, illis ferè ſimilibus quæ in ſummo ipſius capite naſcuntur, vireſcentis ex cineraceo coloris, ſive quodammodo æruginoſi, qualis in Tulipæ folijs conſpicitur: contor-

quentur

Lilij Suſiani flos.



Lilij Suſiani ſcapus cum radice.



quentur verò illa, buxeique ſunt odoris. Florem mihi non protulit, ſed paulatim planta contabuit: at quæ Generoſo viro Vlricho de Khunigſperg anno M. D. XXCIII. floruit, præcedente anno cum pleriſque alijs elegantibus ſtirpibus Conſtantinopoli allata, flores habuit ſex folijs conſtantes, magis patulos quàm in picturâ expreſſi, foris purpurę valde obſoletæ colore præditos, internè paullo dilutiores, inodoros, quorum ungues ſubvireſcebant: ex umbilico ſex inæqualia ſtaminula prodierunt purpureis apicibus primum conſpicua, qui obverſi, flavo polline conſperſi apparebant: tria deinde longiora ſtaminula coïbant, ſtilumque medium florem occupantem æmulabantur: ſubſequuta deinde ſexangula capita, ſive triangula, quorum ſinguli anguli binis alis erant præditi, Tuſaí capitibus ferè ſimilia, ſed minora & breviora, ſemine Tuſaí etiam ſimili, paullulum tamen breviore, plena. radix magna eſt, Tuſaí radici pænè æqualis, è paucis ſed magnis ſquamis contexta, candidioribus tamen & aliquantulum longioribus, nulloque (ut iam dixi) tetro aut gravi odore nares feriente prædita.

Tempus. Floret Aprili, ſemen illius maturum cum Tuſaí ſemine aut paullo pòſt. Nullum autem ſemen tulit, quam mihi idem Dn. de Khunigſperg ex ſua natá dedit planta: terni tamen caules anno M.D.XXCV. ex illa prognati, ſinguli floribus, hic vicenis, ille tricenis, tertius pluribus onuſti. Bulbos cum ſelectiſſimis quibuſque alijs, ſequentis anni rigida & aſpera hiems corrupit, Anno verò M.D.XCIIII. quos poſtea adquiſiveram bulbos, non modò flores, ſed abundè ſemen maturum protulerunt Lugduni Batavorum.

Nomina. MISSI aliquoties hujus ſtirpis pauci bulbi Tuſaí bulbis permixti, cum inſcriptione *Tuſaí fior Perſiano, ſi domanda Penachio Perſiano*; tãdem poſtremò acceptus ejus bulbus *Suſam-giule*
Natales. appellatione, quòd è Suſis primùm Conſtantinopolim allatus ſit: hacque adeò de cauſa Lilium Suſianum nuncupavi.

Paullo autem ante meum è Belgica diſceſſum, munere Mag^ci^ Viri Iacobi Contareni patricij Veneti, miſerat conſanguineo ſuo Ill. Ioanni de Brancion, Generoſus Iacobus de Coudenhove ex Italia ſimilem bulbum *Penachio Perſiano* nomine, qui, eo defuncto, ad Gen. Ioannem vander Dilft, pari cognationis vinculo ipſi junctum, ex legato, cum multis alijs rariſſimis plantis pervenit. Is anno M.D.LXXVI. bicubitalem aut ampliorem tulit caulem, quinquagenis floribus onuſtum, nullum autem ſemen: imò ne germinavit quidem ſubſequente anno, ut ipſemet Vander Dilft ad me Viennam perſcribebat. Illius iconem, dum florebat, ſuis coloribus exprimebat Raphaël de Coxia Regius pictor, & exemplar mihi mittebat, ex quo hæc icon imitata.

Illius etiam iconem habeo, ſed non magno artificio depictam, eamque ſine bulbo, cum Lilij rubri ſive miniati Byzantini (de quo proximo capite) munere doctiſſimi viri ſummique omnium Naturæ miraculorum ſcrutatoris & admiratoris, Nicolai Raſſij Regis Galliæ cheirurgi,

cheirurgi, qui Hyacinthi majoris nomine appellabat cùm apud illum anno M. D. LXXI. Lutetiæ eſſem.

De hac etiam planta ad nos in Belgicam ſcribebat Alphonſus Pancius, quando Tuſaí iconem mittebat, his verbis *Penachio Perſiano è pianta belliſsima, & è ſpecie di Giglio ò Martagon, diverſo della Corona Imperiale:* hoc eſt Penachio Perſiano elegantiſſima eſt planta è Lilij aut Martagonis generibus, differens à Corona Imperiali.

LILIVM RVBRVM ſive MINIATVM Byzantinum. CAP. III.

Lilium Bisantinum miniatum



VENVSTA admodum eſt, &, dum ejus hiſtoriam deſcribebam, ſatis rara hæc planta, cujus folia Lilij albi folijs ſimilia, breviora tamen latioraque, & in lateribus ſubhirſuta, confuſo ordine caulem amplectuntur, qui cubitalis aut major eſt, ex viridi purpuraſcens, digitalis craſſitudinis: flores ſummo faſtigio profert languido collo deorſum propendẽtes, ſex folijs convolutis & reflexis, ut in Lilio montano, ſive Martagone Matthioli, conſtantes, elegantiſſimo minij, aut ceræ rubræ recentis colore: è medio flore exeunt ſex candicantia ſtamina, croceis apicibus inſignita, ſtilo inter illa prominente. Floribus ſuccedunt capita ijs quę in Lilio ſilveſtri ſive montano naſcuntur plurimùm reſpondentia, atque ſimile paleaceum fuſcumque ſemen continentia. Radix interdum valde magna non eſt, nec Lilij ſilveſtris radicem multum ſuperat, illique (recens eruta) colore valde ſimilis eſt, diutiùs autem extra terram adſervata, aliquando exalbeſcit, nonnumquam ſquamæ vel totæ purpuraſcunt, vel quibuſdam notis ſaturatè rubẽtibus aſperguntur: augeſcit verò lætiore ſolo conſita, & ſubinde in plures bulbos dividitur: omnes autem hujus plantæ caules infimâ parte paullo ſuprà bulbum, fibris ut in Lilio ſilveſtri, ſunt donati. *Lilij Byzantini miniati hiſtoria.*

Floret Iunio cum Lilijs, aut paullo ſeriùs: ſemen etiam ſerò admodum, videlicet ſub Auguſti finẽ, aut demum Septembri maturũ eſt. *Tempus.*

Conſtantinopoli Viẽnam delata fuerat, ante meum in eam urbem adventum, hęc planta, & aliquot nobilibus Matronis communicata. Vnicum poſtea bulbum inter alios *Sultan Zambach* nomine miſſos à Generoſo & Mag.co Viro Davide Vngnad, cùm apud Turcarum Imperatorẽ Cæſareus Orator eſſet, accipiebam, qui primis annis unicum florem ſemper mihi protulit: ſed anno M. D LXXIX. quaternos, altero eum inſequente, ſenos, eoſque omnes ex ſummo extimoque caule ſimul prodeuntes, quemadmodum & ea planta quæ Generoſo Viro Wolfgango Chriſtophoro ab Entzeſtorf anno M.D.XXCIII. floruit, tredecim flores extimo caule, eoque unciam lato ſuſtinens ſaturatè rubentes, cùm præcedente anno quinque duntaxat extimo etiam ſed rotundo caule, ut meus, tuliſſet.

Sed & Patricia quædam Viennenſis aliquot plantas habuit, inter quas una extimo caule duas uncias lato tres & viginti flores tulit, in reliquis plantis quæ vel in ipſius, vel aliarum nobilium Matronarum, vel Entzeſtorfij, qui inſtructiſſimum habuit, vel meo horto alebantur, plerumque unicum, interdum alterum & tertium in ſingulis caulibus florem natum conſpiciebam. Gen. porrò Ioan. vander Dilft plantam habuit ſemine natam, quæ primo quo flores proferre cœpit anno, octonos, proximo autem inſequente, qui fuit ſeptuageſimus octavus ſupra milleſimum & quingenteſimum, quadragenos protulit: an verò planus fuiſſet caulis, & illius extimo faſtigio nati flores non ſignificabat. Sed pictura illa à Raſſio mihi donata, cujus ſuperiore capite memini, vicenos aut plures flores ab extimo caule plano propendentes habebat. *Zuſiniare πολυανθές.*

Anno præterea ſecundo & nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum binas habui ſaturatiores flores gerentis plantas, quarum prior quaternos, altera ſeptenos flores tulerunt, omnes ſummo caulis faſtigio æqualiter innaſcentes, non temerè per caulem ſparſos, quemadmodum Lilium album aut ſilveſtre ferre ſolent: ſingulæ autem hoc peculiare habuerunt, ut unus medius inter reliquos ſurrecto pediculo naſceretur, & in alterâ quidem ille duodenis folijs conſtans, & quodámodo gemellus, ut in ſecundâ ſubjectâ icone videre licet. *Zuſiniare gemello flore.*

CETERVM

Lil. Byzant. min. ſatur. flore πολυανθὲς.

Lilium Byzantinum miniatum, polyanthos B: Pin: 78.



Lil. Byzant. miniato dilutiore flore.



Zuſiniare varietas. CETERVM duorum generum eſſe videtur hæc planta; una videlicet dilutioribus floribus prædita, altera ſaturatioribus. Ego ſane longâ experientiâ didici, eas plantas quæ dilutiores ferunt flores, caulem & folia viridiora habere ijs quibus ſaturatiores ſunt flores: poſtremis enim caules & folia plerumque ex purpurâ nigricant. Deinde mihi conſpectæ ſunt radices Conſtantinopoli allatæ, quibus color purpuraſcens fuit, dilutiores protuliſſe flores: aliȩ contrà ſaturatiores. E florum verò numero, an certa aliqua differentia (ut initio exiſtimabam) conſtitui poſſit, plurimum ambigo, cùm eas ſtirpes quæ numeroſos tulerunt flores, ſubſequente interdum anno, paucos, aut unicum duntaxat habuiſſe obſervaverim: at læto & pingui ſolo depoſitos bulbos, plures ut plurimum proferre flores animadverſum.

Nomina. HANC plantam Clariſs. Matthiolus *Hemerocallidis* alterius nomine appellare videtur, & in Iapidiæ montibus eruiſſe ait: ſed illius deſcriptionem valde mutilam proponit. Eruti porrò annis ſeptuageſimo nono ſupra quingenteſimum & milleſimum atque eum ſubſequentibus bulbi, in hortis ſupra ſinum in Cornu Byzantino vulgariter Pera nuncupato ſitis, allati ſunt pleriſque nobilibus viris & matronis *Zuſiniare* appellatione, cum à Generoſo viro Vlricho de Khunigſperg, tũ ab alijs qui proximis ſubſequentibus annis Conſtantinopolim honorarij conducendi gratiâ miſſi, inde redierunt: tametſi in ſchedis interdum eſſet additum, à nonnullis *Corona di Re* appellari.

Memini & *Zuſiniare* nomine inſcriptum ſemen, quale ante deſcripſi, accipere, cùm primùm Viennam appuliſſem: ſed terræ commiſſum non prodijt, nimis vetuſtum fuiſſe puto. Quæ tamen poſtea ex meis plantis collegi ſemina, commodo tempore ſata, feliciter provenerunt, planaque foliola initio dederunt, qualia ferè Tuſaí prima folia, altero deinde anno latiora, tertio cauliculum aliquot folijs onuſtum, quinto demùm & ſexto florem.

CETERVM Lilium hoc miniatum novo vere cum Martagone primùm emergere ſolet: *Sultan* verò *Zambach*, de quo quinto ſequente capite, etiam ante hiemem cum Lilio albo.

Mihi autem relatum eſt, conſpectas eſſe Lilij hujus Byzãtini plantas, quæ florem non miniatum ferrent, ſed prorſus niveum, in ceteris alteri parem. In chartaceis ſanè illis Adonidis hortis, quorum in Roſa memini, nullæ *Zuſiniare* ſtirpes albo flore erant, ſed omnes vel ſaturo rubro, vel dilutius rubente, atque etiam flavo colore præditi, illique jam ſingulares, modò terni aut quaterni æqualiter naſcentes.

Zuſiniare niveo flore.

Zuſiniare flavo flore.

LILIVM RVBRVM præcox. CAP. IIII.

Lilium rubrum anguſtifolium C.B.Pin. 78.



HABEBAT porrò ampliſs. vir Ioannes Martorff Patricius Francofurtenſis & Senatorij ordinis, poſtremis annis quibus in ea urbe habitavi, aliud genus Lilij rubri, ex Stutgardenſi Ill^{mi} Ducis Wirtembergici horto acceptum, quod uno ferè menſe maturius Byzantino flores proferebat, nempe ſub finem Maij, aut initium Iunij, ut mihi referebant qui viderant, & ipſe anno tertio & nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimũ videre avebam, niſi infortunium luxati femoris dextri accepiſſem, quod non modò tunc lecto adfixum detinebat, ſed poſtea dextri cruris uſum prorſus ademit. Erat autem floris color (illorum teſtimonio) minus ſatur & longè dilutior eo, qui in floribus præcedẽte capite deſcriptis apparet: caulis ſanè, ut ex plãtâ, quam unicam alebat, quamque mihi Francofurto diſcedenti liberaliter donabat, deprehendere licuit, gracilior & brevior erat Byzantinis adultis, cubitalem videlicet altitudinẽ non multum excedens, folia quæ inhærebant anguſtiora & magis ſaturatâ viriditate prædita: bulbi ſquamæ (nam ſquamatam radicem habet perinde ac Byzantinum) longè etiam breviores erãt: tulerat verò illo anno tres flores ſummo caulis faſtigio æqualiter inſidentes, mihi autem Lugduni apud Batavos, ſequente proximo anno unicum (tam longâ enim in itinere morâ radix valde afflicta fuerat) ejus, quem ſupra dixi, coloris, proximè autem inſequente binos duntaxat: anno verò M.D.XCVI. bulbus mihi furto ſublatus cum ſelectiſſimis quibuſque quas in horto alebam bulbaceis & tuberoſis ſtirpibus. Licet autẽ maturius altero flores proferret, illo tamen ſeriùs germinare ſolebat. *Lil. R. præcox I.*

CETERVM ſub initium anni quarti & nonageſimi ſupra milleſimum & quingenteſimum, monebat me doctiſſimus vir Thobias Roelſius, Mittelburgenſis in Walachria πολίατρος, Ioannem Somer, Prætoris ejuſdem urbis filium, ex Italicâ peregrinatione varias & elegantes ſtirpes attuliſſe, inter quas bina eſſent Lilia miniato ſeu rubro flore, maturius Byzantino flores proferentia, quorum alterum anguſtiora folia haberet illo quod Conſtantinopoli allatum: alterius verò folia multo breviora eſſent, ac paullo latiora. Horum icones ſuis coloribus expreſſas, ſed radice mutilas, cum aliquot utriuſque plantæ folijs ſequente Iunio ad me mittebat.

Quod latiore eſt folio, non videtur abſimile illi, quod modò deſcripſi à Patricio Francofurtenſi acceptum. *Lil. R. præcox II.*

Valde autem diverſum eſt Anguſtifolium, non quidem floris formâ (nam ejus etiam folia circumvoluta & reflexa) ſed colore, qui Lilio cruento majori non bulbifero ſimilis eſt, tum ſitu, foliorumque per caulem ſparſorum diſſimilitudine: multa enim & conferta fert folia cubitalem & ampliorem caulem confuſè veſtientia admodum anguſta, & longa, inſtar penè foliorum Tragopogi: caulis item faſtigium flores profert non eodem ortu, ut in Byzantino, ſed in ſummi caulis alis, inter anguſtiſſima foliola παραλλήλως naſcentes: an utriuſque radix Byzantini radicem æmuletur, me fugit: nam neutrius plantam videre mihi contigit. Sed & triennio poſt iconem ſuis coloribus expreſſum ad me mittebat idem Ioannes Somer, qualem ille depingi curaverat ad normam ejus plantæ quæ ipſi eodem anno quinque & triginta flores protulerat. *Lil. R. præcox III. anguſtifolium.*

LILII porrò ſilveſtris, ſive Martagonis Matthioli (cujus proximo capite mentionem fecimus ob affinitatem, quam cum Lilio Byzantino rubro habet) differentias, quas quidem mihi obſervare licuit, non incommodè forſitan hîc ſubijciemus. *Lil. ſilveſtre, ſive montan.*

VNVM autem genus majore excreſcit altitudine, & ampliora nigrioraque habet folia: multo etiam plures flores ſaturatè purpuraſcentes, qui frequentibus interdum nigricantibus maculis, aliquando raris diſtincti ſunt, atque, priùs quàm expandantur, multâ lanugine pubeſcere conſpiciuntur. *I.*

Variat nonnunquam hoc genus: nam non procul Maurpach Auſtriæ, eruere memini, *Varietas.*

Lil.montan.ſive ſil.I.majus.



Lil.montan.ſive ſil.II.minus.



cujus caulis viridis,caput non inflexum , ſed ſurrectum, multâ nihilominus lanugine etiam hirſutum,flores dilutè purpuraſcentes,nec ullis maculis aſperſi.

II. ALTERVM humilius eſt,ejus folia dilutè virent,rariores flores producit,eoſque dilutiores,ac multis nigricantibus maculis notatos: pręcocior eſt reliquis,ejuſque flores, ante quàm explicentur glabri ſunt & purpuraſcentes: caulis etiam purpuraſcit.

Varietas. Iſtius generis alteram ſpeciem etiam humilem eruebam ultra Dravum flumen ad Grebén in Pannonia Interamni , quæ tamen ſerius reliquis florebat , etiam in hortulo Viennæ proximè reliquas hujus generis ſtirpes repoſita: illius flores valde obſoleti, nigriſque punctis internè diſtincti.

Tertia etiam humilis eſt ſpecies apud Maurpach cum majore promiſcuè naſcens , cujus caulis leviter purpuraſcit,coma inflexa eſt,flores glabri foris, explicati verò, dilutiſſimè purpuraſcentes,& quaſi carnei coloris, nec ullis maculis aſperſi.

Natales. Paſſim utrumque hoc genus provenit in ſilvis & umbroſis pratis Leytenberg, eorumque montium,qui à Calemberg Auſtriæ,ad Alpes uſque procurrunt : Naſcitur & in pleriſque Stiriæ ac Vngariæ ſilvis , atque montibus illis ſilvoſis , qui non procul Francofurto in ripâ Mœni ſito,ad Septentrionem abſunt. Minus autem olim obſervare memini in multis Germaniæ ſilvis,non modò editiore loco ſitis,ſed etiam in plano.

III. TERTIVM porrò quoddam genus ſilvoſis illis montibus modò memoratis ad Francofurti Septentrionem inventum, humile , Secundo generi proximum : florem tamen colore varium: nam ante quàm explicentur,foris carnei quodammodo coloris ſunt,explicati verò, intus albi, & notis quibuſdam purpureis inſigniti. Similem ſtirpem habui munere N. V. Ioannis Boiſot veteris amici, quæ tandem adoleverat perinde ac primi generis plantæ: ſed ejus radix ochræ colore minus tincta, quàm ſuperiorum . Sed Francofurtenſis quidam civis unam habebat,cujus flores interiore parte omnino nivei,nec ullis notis diſtincti.

Lil.ſil.niveo flore.

IIII. EST etiam Quartum quoddam genus, cujus flores Primo non diſſimiles, ſed ſeriùs ſeſe explicare ſoliti,illique non inſuavi odore præditi.

Omnium flores terram ſpectant,& per intervalla in ſummo caule naſcuntur ,foliaque ad pediculum reflexa habent : ſemen etiam in trigonis capitibus duplici ſerie in ſingulis angulis continetur,fuſcum,planum,cartilaginoſum: radix luteo ochræ colore infecta eſt, quam ob cauſam à Germanis Goldwurtz/ id eſt,aurea radix appellatur.

Nomina.

SVLTAN ZAMBACH. CAP. V.

Lilium album floribus dependentibus ſive peregrinum B.P.76.



QVONIAM Tertio hujus libri capite *Sultan Zambach* meminimus; non abs re erit, ſi quænam ſit planta, hîc declaraverimus.

Nã aliquoties hoc nomine allatæ ſunt Conſtantinopoli radices Lilio ſimiles, quarum extremæ ſquamæ cùm flaveſcerent, Martagonis alicujus, conſimilis Lilio tertio præcedente deſcripto, genus exiſtimabam: ideoq; quibuſdam amicis in Belgicã miſſæ pro Martagone Conſtantinopolitano. Sed poſt quàm terræ commiſſas, folia Lilio vulgari prorſus ſimilia producere animadverti: negligentius illas colui, vulgaris Lilij eſſe exiſtimans, preſertim cùm in Indice adſcriptum comperiſſem, *Sultan Zambach fa fiori grandi bianchi*, id eſt, Sultanæ Liliũ magnos albos flores habet; & in altero, *a odore di Giglio*, Lilij odorem habet. Inde factum, ut apud Belgas, modò Sultan Zambach appellatione, modò Martagonis Conſtantinopolitani flore albo donata ſit ea planta, cùm tamen unica eademque ſit, non duæ diverſæ. Atque fieri poſſe arbitror, ut qui Venetijs in hortis Iudecæ Martagon Conſtantinopolitan. albo flore vidiſſe aſſerunt, & illi qui eam ſtirpem habere gloriãtur, fallãtur, & hoc Zambach viderint aut habeant, non Lilium illud tertio capite deſcriptum albo flore: inficias tamen nõ eo, quin inveniri poſſit. quis enim in interiorem Naturæ ſinum penetravit, in quo plurima adhuc occulta latent? Conſtantinopoli tamen ignotum eſſe aſſero, alioqui Viennam fuiſſet perlatum, cùm Turcæ nihil ſingulare habeant, quod pecuniâ (cujus ſunt valde avidi) redimi non poſſit.

Sultan Zambach.

Martagon Conſtant. albo flore.

Biennio autem poſt quam ſuperius dictas radices terræ credidiſſem, cùm omnes quas ſervaveram, flores proferrent, certiſſimè comperi, nihil aliud eſſe quàm Lilij albi genus, vulgari proximum. Hujus tamen caules, licet vulgari non breviores, à diligentiùs obſervantibus graciliores, rarioribusque & minoribus folijs ſepti deprehenduntur, ipſiusque flores paullo minores, æquè tamen ac vulgaris flores odorati. Nonnullæ verò radices in tantam molem excreverant, ut vix utraque manu comprehendi poſſent: una etiam illarum plures quàm ſexagenos flores in plano treſque ferè uncias lato caule protulerit: ſubſequente autem anno, rurſus paucos in tereti, ut reliquæ, caule.

Lil. alb. Byzantin.

Lil alb. Byzant, πολυανθές.

Memini cùm anno M.D.LXIIII. Vlyſſipone eſſem, Liliaceam radicẽ in foro emere, quam Petro Coudebergo pharmacopœo doctiſſimo Antuerpiam cũ Draconis arboris ramo, Colocaſiâ, varijſque alijs rariſſimis iſtic obſervatis plantis miſi. Ea ipſa flores huic prorſus ſimiles (niſi memoria fallit) poſtea tulit: ſed quia plerumque in extimo caule confertim naſcebantur, & interdum informes erant, vitiumque contrahebant, ipſe Lilium fatuum cognominare ſolebat.

Lilium fatuum.

ZAMBACH porrò vocem, teſtis eſt Amatus Luſitanus, Commentarijs in Dioſcoridem capite de Iaſmino unguento, idem Arabibus ſignificare, quod nobis Iaſminum, topiarijs operibus nobile & accommodum, cujus florum odor ſuaviſſimus quidem eſt, ſed caput etiam ferit. Veriſimile autem eſt, Turcas hanc Arabicam vocem, omnibus plantis quarũ odor pænè Iaſmini florum (quos etiam in Aſiaticis hortis ultra Boſphorum rubri coloris inveniri intelligo) ſuaveolentiæ ſimilis eſt, tribuere: ſunt enim Turcæ valde negligentes & imperiti in rebus propriè nuncupandis. Sic illi, *con Zambach* appellant, Narciſſi marini bulbũ, qui Mompellianis Pancratium flore Lilij, Valentinis Hemerocallis dicitur, quòd ejus flos non modò Lilij quodammodo formam, ſed etiam odorem referat: ſic vocem *Gul*, quę illis Roſam ſignificat, omnibus floribus roſarum æmulis accommodant, addito *catamer* vocabulo, ſi pleni ſint, ut *Gul catamer*, illis eſt & Roſa plena, & Anemone flore multiplici foliorum texturâ conſtante, & Papaver, & Malva Hortenſis & ſimiles pleno flore præditæ, omnes enim hæ ſimili nomine nobis fuêre miſſæ.

Zambach quid.

Iaſminũ rubro flore.

con Zambach.

Gul catamer πολύφυλλον.

LILIACEÆ quædam aliæ ſtirpes. CAP. VI.

Lilij punicei differentiæ. LILII Punicei, ſive, ut appellant, cruenti, multa ſunt genera: nam Vnum nullos bulbos in ſummis alis fert: Alterum verò ijs eſt præditum.

non bulbiferum majus. *non bulbiferum minus.* NON Bulbiferi binæ ſunt differentiæ omnibus notæ. Vna enim longo & præalto aſſurgit caule, valde dilutos fert flores, ſerotinaque eſt, cum Lilio albo duntaxat florens: in qua ſexagenos aliquando flores uno cauli inhærentes, obſervare memini. Altera longè humilior præcociorque Priore, puniceos & quaſi rubentes profert flores, nonnunquam vicenos aut plures: memini & plenos videre, duodecim, viginti aut plurium foliorum texturâ conſtantes: ſingulare etiam habet hæc planta, quod ex majore bulbo obliquè & in latera propagines ſub terrâ graminis modo ſpargat.

Bulbiferum. BVLBIFERI autem tres differentiæ apud eos qui rem herbariam excolunt, obſervantur, ſed non ab omnibus, quas operæpretium duxi ſigillatim hîc exprimere.


Martagon bulbiferum I.

Lilium bulbiferum Latifolium Majus C.B. pin: 77.



Martagon bulbiferum II.

Lilium bulbiferum minus C.B. pin 77.



I. PRIMVM igitur bulbiferum Lilium, bicubitali interdum aſſurgit caule, firmo, craſſo, folijs ſepto liliaceis, ſubatris, in ſummis alis craſſiores bulbos geſtans, & amplos flores rubros, Lilio puniceo minori non bulbifero concolores. Teneriores hujus plantæ, ante quàm flores ferre incipiant, bulbis ſecundum caulem inter folia natis non minùs donatæ ſunt, quàm reliquæ duæ ſpecies: ſed quando vetuſtiores ſunt, floreſque aliquot annis protulerunt, vix, niſi in ſummo caule, ubi in alas dividitur, & ſecundùm flores, majores bulbi naſci ſolent.

II. ALTERVM, vix cubitalem excedit altitudinem, caule etiam eſt firmo, ſtriato, ex viridi nigricantibus folijs prædito, quæ tamen cum ſummo caule incanâ lanugine pubeſcunt: ejus flores igneo rubore non rutilant, ut in ſuperiore, ſed magis palleſcũt, & ad Lilij punicei non bulbiferi majoris colorem plurimum accedunt. Ejus adultioris caules, paucos etiam bulbos, eoſque ſuperiore minores, niſi in ſummis alis geſtare ſolent.

III. TERTIVM, inter duo ſuperiora mediæ plerumque eſt magnitudinis, licet nonnunquam prioris altitudinem attingat: caules habet graciliores & infirmiores, atque ipſi cum folijs dilutius virent: flores Secundo generi perſimiles. Hoc ſemper fœcundâ bulborum inter folia naſcentium ſobole onuſtum eſt: ejuſque radix, Prioris radice minor, è lateribus propagines plerumque ſpargere ſolet, quæ ad ſingula genicula in candidos bulbos excreſcentes, ſubinde novas in ambitu plantas producunt, Lilij punicei non bulbiferi minoris inſtar: ejus bulbi in alis nati, ſecundæ ſpeciei pares, priori magnitudine inferiores: omneſque, terræ commiſſi, ſui generis plantam procreant, & ſecundo anno in caulem bulbillis onuſtum excreſcunt.

Ferunt

Martagon bulbiferum III.

Lilium bulbiferum minus B. Pin: 77.



Liliaſphodelus luteo flore.



Ferunt tamen omnia hæc Lilia in triangulis capitibus latum, cartilaginoſum, ſubfuſcum ſemen, quemadmodum lilium vulgare quod ſterile nō eſt, ſed ſui generis plantas etiam profert: verùm quæ ex bulbillis in alis natis creſcunt plantæ, multo celeriùs adoleſcunt.

Florent omnes hæ plantæ Iunio, aliæ alijs paulo maturiùs, ſemenque perficiunt Auguſto: bulbuli in alis hærere ſolent, donec vento aut contactu excutiantur, imò interdum plantæ adhuc inhærentes, fibras deorſum ſpectantes agere ſolent, tamquam ad communem matrem terram aſpirantes, & illâ ſe condi cupientes. *Tempus.*

Prior nullibi ſponte naſcens à me obſervata eſt, ſed eam primùm Liræ conſpexi in cultiſſimo horto Generoſæ matronæ Mariæ de Brimeur Mag^ci viri Conradi Scheti uxoris, quæ deinde bulbis in terram depactis, reliquis Belgicis hortis brevi tempore communis facta eſt, atque etiam nunc Viennenſibus ac alijs vicinis, meâ operâ: nam ipſa ad me aliquot majores bulbos è Belgica mittebat. Reliquæ duæ in montanis Auſtriæ & Styriæ pratis ſponte creſcunt: ſecunda autem rarior inventu. *Natales.*

Solent verò cum hæ, tum aliȩ duæ non bulbiferæ, cùm primùm florum gemmas oſtendere incipiunt, à formicis admodum infeſtari, ſic ut eo tempore numquam immunes ab ipſis conſpicere liceat: non ſecus ac Pæoniæ flores ante quàm explicentur, qui mirum in modum etiam à formicis appetuntur, præſertim qui plenus eſt, & ille etiam explicatus atque apertus.

PORRÒ Liliaſphodelus ille puniceo flore, quem C. V. Dodonæus Hemerocallidem eſſe cenſet, valde luxuriat in omnibus Auſtriæ, plurimiſq; Germaniæ hortis: at qui luteum odoratumq; nec ita caducum habet florem, Auſtriæ incognitus erat ante meum iſtuc advētum: illum autem maximâ copiâ ſponte naſcentem in multis uliginoſis pratis, non procul ab oppido & munitiſſima Nemethwywar Ill. herois Balthaſaris de Batthyan p. m. arce, quà Occidentem ſpectat, annis M. D. LXXIX. & LXXX. deinde inveni ſed incolis neglectam, ubi florentem ſub finem menſis Maij, & Iunij initio eruebam. Batthyanus admiratus adeò elegantem & odoratum florem in ipſius fundo naſci, multas ilico illius plantas cum ſuis ceſpitibus erui juſſit, & corbibus in ſuum hortum inferri. Vngari *Zeöd liliom* appellant: Croatæ autem, apud quos etiam albo flore inveniri mihi aſſerebant, *Illyan zwet.* *Liliaſphodelus puniceus.* *Liliaſphod. luteus.* *Liliaſphod. albus.*


TVLIPA, ſive LILIONARCISSVS. CAP. VII.

LILIACEAS ſtirpes ſubſequi debet peregrina illa, & ob inſignem in flore colorum varietatem omnibus rei herbariæ ſtudioſis merito gratiſſima planta, quam vulgus Tulipam, Doctiores Lilionarciſſum appellant. *Lilio narciſſus.*

Illius autem duo hactenus primaria genera obſervabam, præcox vnum, ſerotinum alterum: tametſi inveniantur quædam veluti dubiæ, quæ medio inter utrumque genus tempore florere ſoleant, potius tamen inter ſerotinas habendæ, quàm inter præcoces. De utroque genere peculiari capite agemus, atque hoc VII. præcoci tribuemus.

Tulipa præcocis hiſtoria. PRÆCOCIOR Tulipa unicum fert caulem, pedalem maxima ex parte, interdum ampliorem, rotundum, virentem, & brevi quadam incanaq; lanugine aſperſum, non concavum, ſed firma medulla plenum: hunc plerumque terna ampleƈtuntur folia, nonnumquam quaterna & quina, inferiora lata admodum, ut etiam palmarem latitudinem explere viderim, & liliacea, longiora tamen & craſſiora, carinata, ſupra terram ſeſe pandentia & contorquentia, ſuperiora autē minora & anguſtiora, eaq; vel propēdentia & nutantia, aut interdum ſurrecta, omnia autem colore ex cæruleo virente aut ærugineo, & veluti farina aſperſo. Summo cauli inſidet magnus flos, unicus (geminos etiam aliquoties vidi, vel ſummo caule conjunctim naſcentes, vel bifido inhærentes) ſurſum ſpectans, ſex folijs ut plurimum conſtans (tametſi & ſeptenis & octonis conſpexerim) ejuſdem initio cum caule coloris, & interdum ad terram ſeſe inflectens, illiq; incumbens, ut colubri aut ſerpentis caput in terra decumbentis ementiatur, deinde paulatim ſeſe ſublevans, & colorem mutans, atque tandem ſeſe explicans, & calathi cyathi ve inſtar in fundo pandens, ex quo ſena, aut totidem quot folijs conſtat, ſtamina prodeunt, modò lutea, modò pallida, modò nigricātia, pediculis etiam quæ ſtamina ſuſtinent, mirum in modum variantibus. Excuſſo flore, ſuccedit mēbranaceum triangulare caput ſatis magnum, oblongiuſculum, vel brevius, ventreq; magis prominulo: quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines ſeminis plani, cartilaginoſi, liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis interdum, alterâ tamen parte, quæ capitis centrum & interiora pertingit, oblongiuſculi ut plurimum, pallidi, fulvi, aut rubeſcentis, & ſi imbres frequentiores ceciderint, etiam fuſci. Radix bulbacea interdum brevior eſt, nonnumquam oblongior, craſſa, inferiore ſede nonnihil prominente, uti Colchici radix ferè, fibris aliquot tenuibus donata, & foris vel fulveſcente, ſed magna ex parte nigricante membrana obducta, quæ interna parte lanuginoſa eſt, caſtanearum corticis inſtar, aliquando autem adeò denſo tomento plena, ut molliſſimè recubet bulbus, qui ſolidus eſt, firmus, & velut albumen ovi coctum candidus, guſtantique dulcis, ſaltem non ingratus.

Tulipa præcox flava.



T. Præcocis ſumma varietas. SVMMA autem in Præcoce eſt coloris varietas: nec majorem in ullo alio flore videre memini, niſi fortè in Papavere. Etenim aut omnino luteus eſt, aut ruber, aut albus, aut purpureus: interdum etiam bini vel plures ex his coloribus in eodem flore permixti conſpiciuntur. Non deſunt qui cærulei omnino coloris ſe vidiſſe aſſerant, mihi ſanè hactenus videre non contigit.

Tulipa præcox Lutea B Pin 57


I. T.p.lutea. Lutea Tulipa vel ad auri fulgorem accedit, aut pallet, foliorum autem ungues plerumque aurei ſunt, licet etiam habuerim veluti fuligine aſperſos: odor quaſi ceræ recentis, ſive etiam croci, interdum nullus, vel admodum imbecillus.

II. T.p.rubra. Rubræ color nunc ſaturatior eſt, modò dilutior & gratiſſimi aſpectus, interdum etiam inelegans, & obſoletus: foliorum ungues vel lutei omnino, aut tanquam levi quadam fuligine in luteo aſperſi, in quibuſdam nigra macula medium unguem luteum tantummodo inficit, in alijs totum ferè ita occupat, ut nihil niſi lutea quædam linea nigrum unguem ambiens conſpiciatur: interdum adeò magni ſunt iſti ungues, ut dimidiam folij partem occupent. Hujus verò odor aliâs gratus eſt inſtar mali aurei, magna verò ex parte valdè obſcurus, vel papaveris virus quodammodo referens.


III. T.p.alba. Albæ omnino candidus eſt, niſi tria exteriora folia dorſo cineracei vel interdum etiam cærulei quidpiam coloris admiſtum habere viderentur: ungues lutei, nonnumquam veluti fuligine aſperſi, apices & ſtamina pallent. Habui, quibus ungues prorſus albi eſſent, apices nigricantes.

IIII. T.p.purp. Purpurea aliâs ſaturatior eſt, & violaceum, ſive amæthyſtinum colorem habet, aliâs Pæoniæ flo-

Tulipa præcox rubra. & B: Pin: 57



Tulipa præcox alba. & B: Pin: 57.



Tulipa præcox purpurea. & B: Pin: 57



niæ floris æmula, nonnumquam dilutior, & Damaſcenam ſive Provincialem (quam eruditiores Præneſtinam vocant) roſam colore referens, interdum verò adeò diluta, ut albeſcere videatur, aliquando ex purpura nigricat & obſoletior eſt: omnium autem ungues cum apicibus aut pallent, aut lutei ſunt coloris, tametſi nigros etiam apices habeant nonnullæ, & pediculos ea ſuſtinentes quadam veluti fuligine infectos. Invenitur & odora, & inodora.

Facere verò non poſſum, quin hîc adijciam, quæ circa ſimplices has, & unius coloris Tulipas obſervavi. Habui enim anno. M.D.XXCV. & aliquot ſubſequentibus, cujus flos, cum pręcedentibus annis elegans ruber fuiſſet, poſtea variè commixtus ex rubro & flavo inter ſe confuſis coloribus, modò flavo medium quaſi folium occupante, modò rubro vel utroque radiatim per oras diſcurrente fuerit. Similiter flavam quæ flavum & rubrum: & purpuream quæ album & purpureũ colores variè inter ſe commixtos, & radiatim folia ſecantes habuerint. At illud etiam obſervabam, quotquot ſic nativum colorem mutarunt, ſubinde corrumpi ſolitas, voluiſſe tamen ante, hac colorum varietate heri ſui oculos oblectare, tamquam ipſi extremum vale dicturæ. *Tulipa in coloribus interdum ludunt.*

Varia adeò multiplex eſt, ut difficile ſit omnes ejus differentias verbis exprimere. Nam cùm cujuſcumque tandem præcocis Tulipę ſemina excuſſa, & tellure ſepulta germinẽt, non omnia retinent nativum matris colorẽ, ſed in varios colores tranſ- *T. p. varia.*

formant

formant flores: præſertim Albæ, cujus ſemine prognatas plantas inſignem colorum varietatem præ reliquis nanciſci, experientiâ & diligenti obſervatione didici. Semina enim in eodem capite nata, à memet ipſo collecta, eodemque ferè momento terræ, autumno, com miſſa (quo tempore, non verno, ſerenda ſunt omnium bulbacearum & tuberoſarum ſemina, ut feliciter proveniant, vel etiam maturius cùm ſponte defluūt) plantulas proximo ſubſequente vere produxerunt, quæ poſt quintum, ſextum, ſeptimum, imò etiam (ut aliæ alijs facilius adoleſcunt) octavum, nonum & decimum annum flores protulerunt, eoſque aut omnino albos & matrem referentes, atque albos varios, vel luteos & luteos varios, aut rubros atque rubros varios, vel purpureos ac purpureos varios, quorum videlicet purpurea folia albis oris ornata fuêre. Quantum ad Flavas aut Rubras attinet, pleræque proles matris colorem retinent; ſæpe etiam in alium commutant. Omnes porrò has colorum differentias, quàm aptiſſimè poterimus verbis exprimere conabimur.

Tulipa præcox F-V. C.B. Pin: 58




V. *T.p.L-V. differentia*

Luteæ-variæ igitur flos (ut eandem ſeriem ſequamur quā in primis coloribus deſcribendis tenuimus) explicatus, nonnumquam
1. primis diebus totus luteus apparet, quarto deinde, aut quinto demum die, illius folia rubris virgulis extrinſecus leviter per oras diſtinguuntur, interiore parte omnino lutea remanent, præſertim tria externa, & unguem nonnumquam habent veluti fuligine tinctum, apices interdum luteos, & pediculos eos ſuſtinētes fuſcos.
2. Interdum externa floris folia circa mediū raris rubris radijs inſignita ſunt, interiora autē frequentioribus, & ad extremum uſque folium
3. ferè excurrentibus, atque aureos ungues, pallida ſtamina habent. Nonnumquam exteriorum foliorum oræ foris planè rubent, interius à medio ad extremas oras rubris virgulis diſtinguūtur: interiora folia externè omnino rubēt, internè autem à medio ad ſummum, rubrum nervum protenſum habent, latera verò ruben-
4. tibus radijs exornata. Sunt etiam quorum exteriora folia dorſo omnino luteo ſunt, per oras verò, dilutioris cinnabaris colore virgatim diſtincta, interiore parte ad unguem uſque cinnabaris color tota occupat: interiora autem folia cinnabaris etiā colore omnino infecta conſpiciuntur, niſi duplex nervus luteus ſecūdùm longitudinem, & luteæ virgulæ in extremas oras excurrerent, illius apices nigricāt, pediculi eos ſuſtinentes lutei, nonnullâ tamen fuligine infecti, ungues aurei, magni, ſtamina quodam-
5. modo ſuperant. Aliorum exteriora tria folia mucronata & lutea ſunt, præter oras quæ purpurâ rubeſcente radiatim intercurſante inſigniuntur, deinde extremæ oræ luteæ ſunt, internâ parte circiter medium folium, frequentes rubri coloris radios habēt: interiora folia orbiculato mucrone prædita ab infimo ad ſummum oblongis rubris lineis diſtinguuntur, præter extremas oras quæ luteæ ſunt, interior pars minus radiata quàm exterior, ungues magni, lu-
6. tei, quemadmodum ſtamina cum ſuis apicibus: hi odorati. Eſt & cujus folia extremam cuſpidem orbiculatam habent, foris omnino aurea, luteis oris: intus autem omnino lutea, aurei ſive potiùs rubri coloris flavo permixti lineâ radiatim medium folium, tranſverſimque
7. ſecante: pediculi lutei ſunt, apices cineracei: aliquantulum odoratus eſt. Cujus item folia orbiculato prorſus ſunt mucrone, dorſo in exterioribus ad extremum uſque mucronem luteo, oris latis, ex aureo rubris, unguibus luteis dimidium folium occupantibus, ſtaminibus
8. & apicibus luteis: nonnihil etiam odorus. Alij ſimiliter huic pares, ſed dilutiore colore præ-
VI. diti, ſtaminibus & apicibus duntaxat variantibus: ſed nec hi odore carent.

T.p.R-V. differentia
1. Rubræ-variæ flos extereriora folia magna ex parte mucronata habet, interiora orbiculata. Aliquando autem utraque magnis oris auri fulgore ſplendentibus ſunt prædita, magnis unguibus luteis, apicibus vel nigris, vel obſoletâ purpurâ tinctis, & ſtaminibus ea ſuſtinenti-
2. bus plerumque velut fuligine infectis: hujus flos ſatis odoratus eſt. Interdum exteriora folia luteas oras foris habent, interius autem dilutiùs rubent, & quaſi radiatim in luteas oras ſatis latas rubedo deſinit: interiora verò ſimiliter rubent, ſed latiores oras habent, rubro colore radiatim ut in exterioribus deſinente, ungues luteos, ſtamina cineracei coloris: & iſtius flos
3. nonnihil odoratus. Nonnumquam dilutiore minij colore rubent utraque folia, mediocres oras

Tulipa præcox R-V.



Tulipa præcox A-V.



oras habentia, foris minij colore interiora folia ferè totâ occupante, virgatim tamen in oras
luteas deſinente, magnis unguibus flavis, apicibus cineraceis, pediculis ea ſuſtinentibus lu-
teis: flos etiam utcumque odoratus. Aliorum exteriora folia, medio dorſo luteo ſanguineis 4.
virgulis diſtincta ſunt, reliquâ parte rubrâ, oris tamen luteis: interiora omnino ferè rubra, ſed
rubro colore radiatim in aureas oras deſinente, interiore parte totâ propemodum luteâ, niſi
circa medium folium rubris radijs diſtinguerentur, ungues cum pediculis lutei, apices nigri.
Quorundam folia omnia mucronata, externè dorſo lutei coloris, reliquâ parte ſanguinei, 5.
præter oras quæ luteæ ſunt, internè ſanguineis radijs tota reſperſa, extremis tamē oris luteis:
interiora foris ſanguinis modo omnino rubent, luteæ ſeu flavæ oræ ſunt, coloribus tamen ſe-
ſe invicem commiſcentibus, internâ parte omnino flava ſunt, niſi circa medium crebriori-
bus ſanguineis radijs inſtar orbis quodammodo inſignita eſſent: ungues, ſtamina & apices
cum ſuperiore genere conveniunt. Sunt aliorum etiam omnia folia mucronata, oris aureis 6.
reliquâ parte rubris, præter exteriorum foliorum dorſa, quę aureis quibuſdam virgulis aſper-
ſa ſunt, omnium ungues lutei radiatim in rubro commixti, pediculi lutei, apices nigri. Non- 7.
nullorum externa folia mucronata, interna orbiculata, tota rubra, exceptis oris, quæ aurei
coloris ſunt radiatim in rubro deſinentis: exteriora verò folia ſaturatiora ſunt, omnia tamen
interiore parte magis aurea ſunt, ungues, ſtamina, pediculi, cum præcedēte conveniunt: om-
nium iſtorum flores ſatis odorati. Invenitur etiam cujus folia parvas oras aureas habent, ele- 8.
gantiſſimo rubro colore reliqua occupante, ungues flavos, ſtamina veluti fuligine tincta,
apices obſoletè purpureos.


Alba-varia aut omnia folia extremâ parte mucronata habet, aut tria duntaxat exteriora, VII.
ſed interiora orbiculata. In nonnullis externa folia ad extremum uſque mucronem omni- *T. p A-V.*
no ferè alba ſunt, exceptis oris quæ elegantis & dilutè admodum purpuraſcentis ſive carnei *differentia*
ut ita dicam coloris ſunt: interiora verò magis purpuraſcunt, ungues lutei, deinde exalbidi, 1.
ſtamina cum ſuis apicibus flava. In quibuſdam exteriora folia exalbido ſunt dorſo purpu- 2.
reis virgulis aſperſo, reliquâ parte purpuraſcente aut incarnatâ: interiora folia omnino pur-
purea ſunt, ungues ſtellatim flavi, deinde albi, apices lutei, pediculi eos ſuſtinētes veluti fuli-
gine aſperſi. Aliorum externa folia albo etiam ſunt dorſo, pluribus purpureis punctis diſtin- 3.
cto, interiore parte dilutiore purpurâ nitēt: tria interna folia ſaturatioris ſunt purpuræ quàm
in ſuperiore, ungues flavi radiati ſtellæ inſtar, apices nigri, fuſci pediculi. Interdum externa 4.
folia magnas oras carneo colore præditas habent, reliquâ parte alba: interiora verò quaſi car-
nei ſunt coloris. Nonnunquam externa folia palleſcente ſunt dorſo, aliâs omnino alba, præ- 5.
ter oras quæ foris brevibus & raris purpuraſcētibus radijs exornātur: interiora tota alba ſunt,

oras

oras tamen longioribus & frequentioribus purpureis lineis inſignitas foris habent, interiore
6. parte omnino ferè alba ſunt. Quorũdam exteriora folia dorſo & extremo mucrone pallẽt,
alioqui candida omnino, oræ interiore parte paucis purpuraſcentibus radijs diſtinguũtur: in-
teriora folia à medio ferè ad extremas oras purpuraſcentibus radijs foris aſperſa ſunt, intus
7. verò omnino alba, præter oras quæ rarioribus virgulis diſtinctæ ſunt. Aliquãdo externa tria
folia prorſus alba ſunt: interiora autem oras nunc paucis, modò multis purpuraſcentibus ſi-
ve carnei coloris virgulis diſtinctas habent: omnium ungues flavi ſunt, apices & pediculi pal-
8. lent. Invenitur etiam cujus omnia folia coloribus quidem albo & carneo permixtis prædi-
ta ſunt, ſed qui cineraceum carneo colori temerè perfuſum referant, vel ſimilis planè coloris
cum tenuiore illo ſericeo panno carnei coloris, cujus ſubtemen album eſt, Germani
Silberfarb/ hoc eſt, argenteum colorem vocant: hujus ungues exalbidi, apices obſoletè pur-
puraſcentes, pediculi albi ſunt.

Tulipa præcox P-V.

VIII. T. p. P-V. differentia.



Purpureæ-variæ flos magnâ ex parte omnia
folia mucronata habet, interdũm tamen exter-
na duntaxat mucronata ſunt, interiora autem
orbiculato & obtuſo mucrone prædita: eſt
etiam cujus omnia folia orbiculatum habent
mucronem, ut ex ſingulorum deſcriptione vi-
1. dere licebit. Nonnũquam igitur omnia folia
mucronata Pæoniæ polyphyllo & pleno flore
purpureum colorem imitantur, oraſq; habent
ex albo purpuraſcentes, ungues ex luteo viri-
dique coloribus ſimul quodammodo permi-
xtis ſubobſcuros, exalbido orbe radiatim eos
ambiente, pediculos flavos ſed veluti fuligine
infectos, apices nigros: illius flores magni ſunt
2. & admodũ patuli. Mucronata etiam ſingula
folia, foris ut plurimùm purpurea ſunt, interius
mediâ parte carnei coloris, oris ex albo palle-
ſcentibus, unguibus, ſtaminibus, & apicibus
3. flavis ſive luteis. Interdũ omnia folia mucro-
nata, foris & intus purpurea ſunt omnino, ex-
tremaſque oras albas habent, ungues luteos al-
bo orbe circundatos, apices obſoletè purpura-
ſcentes initio, deinde ubi obverſi ſunt (ſolent
enim omnes bulbacei generis florum apices
4. explicante ſeſe flore aperire & invertere) flavo
polline aſperſos, flavos pediculos. Aliorũ ſin-
gula folia etiam mucronata, & ſaturatiore pur-
pureo colore prædita, omnium oræ exalbidæ,
ungues albi, in imo tamen flavi, apices & ſtami-
5. na pallida. In quibuſdã omnia ſimiliter folia
mucronata, ſed color purpureus dilutior ma-
giſque floridus, oræ exalbidæ, ungues ex viridi
pallentes, pediculi nigricantes, apices pallidi: odoratus eſt plerumque iſtarum Tuliparũ flos,
6. reliquarum inodorus, ut etiam ſubſequentium. In ſexto etiam genere omnia folia mucro-
nata, obſcurioris purpuræ & quaſi amethiſtinæ colore prædita ſunt, magnis autem oris albis,
7. unguibus, ſtaminibus & apicibus flavis. Quorundam contra florũ ſingula folia orbiculatis
ſunt oris, ijſque magnis & albis, reliquâ parte ſaturatiore nitenteque purpureo colore prædi-
8. ta, flavos ungues ambit albus orbis, cineracei apices, flavi pediculi. Nonnullorum interiora
folia aliquantulum orbiculata, dilutiore purpureo colore ſplendent: interiore parte tota ferè
9. alba ſunt, omniũ oræ magnæ, albæ, ungues, ſtamina & apices flavi coloris. Reperitur etiam
cujus externa folia mucronata & reflexa, exteriore parte obſcurioris purpuræ colore prædi-
ta ſunt, interiora verò orbiculata & dilutius purpureſcentia, utraque autem in magnas albas
oras deſinentia, & interiore parte veluti purpureum orbem, totum florem per medium am-
bientem habentia, luteos vel flavos ungues albo orbe incluſos, apices obſoletè purpuraſcen-
10. tes, flavos pediculos. Eſt præterea cujus omnia folia mucronata, & tria externa foris purpu-
rea, omnia autem magnis oris albis prædita, interioreq; parte omnino alba, niſi mediam eo-
rum partem veluti purpureus orbis ſecaret & varium faceret, ejus ungues flavos ambit albus
circulus, ſtamina cum apicibus pallent.

SED ante quàm finem huic capiti imponam, adijcienda putaui, quæ circa Tulipas ſemine Conſtantinopoli miſſo natas obſervabam.

Magnum ſeminis illarum cumulum acceperat Illuſtris vir Augerius de Busbeque cum pleriſque bulbaceis ſtirpibus eo anno quo Viennam veni, hæc, cũm ſequẽte anno in Galliam proficiſce-


profici ſceretur, mihi reliquit: ea verò demùm annis ſeptuageſimo quinto & ſequente ſupra milleſimum, & quingenteſimum confertim (quòd vetuſta eſſent, & vieta, vixque naſcitura, *Tuliparum ſemen etiam vetuſtum germinat.* exiſtim arem) terræ mandavi. Ex his tamen ingens Tuliparum numerus prognatus eſt, quarum nonnullæ quinto, ſexto, atque etiam ſequentibus annis flores tulerunt inſigni colorum varietate commendabiles. Nam flavos omnino, rubros, albos, & purpureos, vel ex his coloribus inter ſe commixtis diſtinctos hoc eſt, F-V, R-V, A-V, P-V. nactus ſum præcoces: Sed inter illos etiam fuerunt, qui diligentius obſervanti, potiùs ad Dubiarum vel Serotinarum Tuliparum claſſem referendi videtur, quàm Præcocium: nam licet æquali cum Præcocibus magnitudine nonnullæ duntaxat aſſurgant, eodem tamen cum Dubijs ſive Serotinis tempore florere animadverti: de ijs autem proximis capitibus.

HÆC igitur ſunt quæ de Præcocium Tuliparum varietate nunc commentari libuit: non me fugit tamen, quin plures differentiæ tradi potuiſſent, ſed ejuſmodi, quas ad jam enumeratas, tamquam primarias, reduci atque ſub illis comprehendi poſſe exiſtimo. Nunc autem ad Serotinarum deſcriptionem tranſeamus.

TVLIPA SEROTINA. CAP. VIII.

SEROTINA Tulipa, majore eſt amplitudine, cubitalem enim & tripedalem interdum habet caulem, firmiorem, craſſiorem, rotundum, fungoſa materie plenũ, & brevi etiam incanaq; veluti lanugine, ſive effloreſcentiâ quadam aſperſum: hunc alternatim amplectuntur quaterna plerumque folia, nonnumquam quina & ſena, carinata, firmiora quàm in Præcoce, ut plurimum erecta, non nutantia aut ad terram inflexa, atq; oris interdum adeò reflexis, ut ſinuoſa videantur, aliquando omnia æqualia. Summo cauli, qui pedali vel majore plerumque, imò cubitali etiam nonnũquam longitudine nudus ſupra folia eminet, unicus inſidet flos magnus & oblongus, cyathi modo concavus, ſex folijs conſtans, extremo apice omnino mucronato vel orbiculato, aut tribus exterioribus duntaxat mucronatis, interioribus orbiculatis, ut in Præcoce, & è contra: caput ut in illa triangulare, membranaceum, craſſius ut plurimum, & prominulo ventre, quo à ſummo dehiſcente, ſex ordines ſeminis plani, cartilaginoſi, fulvi, aut rubeſcentis, majoriſq; quàm in Præcoce conſpiciuntur: radix præcoci ſimilis, longiore tamen majoreq; bulbo conſtat plerumque, in reliquis cum illa conveniens. *T. ſerotina hiſtoria.*

Tulipa ſerot. πολύκλωνος minor.



Tulipa ſerot. πολυκλαδὴς major.




Tametſi autem hæc Tulipa non ſecus ac præcox unico ut plurimum conſtet caule, eum tamen interdum πολύκλωνον & ramoſum habet: nam natæ mihi ſunt rubro flore atq; etiam flavo præditæ, quibus ex infimi folij ala alter nudus & pedalis ramus, gracilior tamen, & ad ſummi *T. ſerotina minor πολύκλωνος.*

ſummi folij exortum tertius, craſſitudine primarium caulem propemodum æquans eademque altitudine nudus e[illegible]ſcens adnaſceretur, ſinguli etiam ſuum florem ſuſtinentes: interdum quaterni, quini, & plures (nam anno XCI. habui ſex ramis totidem floribus conſtantem) flores ſinguli ſuo graciliori ramo ex alis naſcente inſidentes provenerunt, ſed alij alijs majores, nonnulli etiam vitiati. frequentiùs verò accidit ut unico ramo donetur, quàm binis aut pluribus.

T. ſerotina major πολυκλαδὴς.

IN hac porrò tam inſignem colorum varietatem non deprehendi, ſed flavas duntaxat, vel ad auri colorem inclinantes, & rubras unguibus plerumque nigris, orbe aureo cinctis, eaſque vel odorato vel inodoro flore.

Tulipa ſerotina flava.



T. ſ. flava.

FLAVA ejuſdem ferè coloris eſt cum præcoce, hoc eſt, dilutioris & quodammodo flavi, vel palleſcentis, vel intenſioris & quaſi auri modo rutilantis, vidi etiam cujus foliorum oræ ſanguineis guttis aſperſæ eſſent: foliorum ungues plerumque ceræ recentis colorem referunt, interdum nigricantibus quibuſdam venis diſtincti conſpiciuntur, vel nigra macula notati: apices cum pediculis vel flavi ſunt coloris, aut cineracei, vel fuligine quadam infecti, aut omnino nigri.

T. ſ. rubra.

RVBRAE color plerumque ſaturatior eſt, & quaſi nigricat, interdum dilutior & perelegans: foliorum ungues aut omnino flavi ſunt, quales in quibuſdam præcocibus, aut omnino nigri, qui Sole illuſtrati cæruleum quidpiam permixtum habere videntur, vel macula nigra nunc minore, modò majore (eaque tenui orbe aureo incluſa, ut oculum quodammodo exprimere videatur, qua de cauſa à nonnullis *Occhio di Sole*, hoc eſt, Solis oculus cognominatur) flavum inficiente, nonnumquam etiam totum ferè occupante: apices cum pediculis vel omnino flavi ſunt, vel nigri, interdum apices cinerei coloris, & pediculi flavi.

Ceterùm harum Serotinarum Tuliparum quæ vel flavi, vel rubri coloris flore præditæ ſunt, nullæ hactenus varietatē in ſatione mihi pepererunt, niſi quod interdum ex rubræ ſemine, flavæ, contrà ex flavæ ſemine, rubræ natæ ſunt, unguibus ſæpenumero variantibus.

TVLIPA DVBIA. CAP. IX.

Tulipa dubia hiſtoria.

TVLIPÆ medio inter præcocem & ſerotinam tempore florentes, videlicet quæ marceſcente præcocium flore ſuos explicant, & ſerotinis florere incipientibus, jam ſeneſcunt, imò interdum cum illis etiam florent, Dubiæ quodammodo appellari poſſunt, cùm utriuſque generis naturam referant. Sunt verò inter eas nonnullæ, quarum flores & ipſa planta ſerotinarum magnitudinem æquant: aliæ quæ præcoces non ſuperant, nec illis formâ ſunt abſimiles, & illæ quidem vel ampliſſimis floribus præditæ, vel præcoce non majoribus: ſunt etiam quædam præcocibus humiliores. Singularum autem differentias quàm dilucidè poterimus hîc explicabimus, earum videlicet quæ nobis ſunt conſpectæ: nam quis reliquarum infinitam varietatem verbis exprimere queat?


T. dubia major.

1\. DVBIAE igitur majores, florem non minùs amplum habent, ut diximus, quàm ſerotinæ. Illum autem vel pallidum admodum, vel flavum, omnibus folijs mucronatis, & unguibus flavis inſtar ceræ recentis.
2\. Invenitur etiam cujus omnia folia omnino flava, extremas oras orbiculatas habent ad præmaturi aurei mali colorem accedentes: ſtamina cum apicibus flava ſunt. illius flos odoratus.
3\. Alia item cujus color omnino aureus, externa deinde folia flavo dorſo prædita, oras dilutioris cinnabaris colore radiatim diſtinctas adquirunt: interiora verò folia cinnabaris etiam colorem, atque inſuper binos luteos nervos ſecundùm longitudinem, & flavos radiolos in latera excurrentes: ungues hujus magni, flavi, altitudinem ſuperant apicum, qui nigri ſunt, pediculi flavi, ſed fuligine infecti.
4\. Nonnumquam omnia folia orbiculato mucrone prædita flavi coloris ſunt, rubris venis ſecundùm eorum longitudinem excurrentibus, nunc tenuibus, modò craſſioribus, atque etiam totum dimidium folium interdum inficientibus.
5\. Sunt quibus flores dilutius rubent, & cinnabaris colorem

quodam-


Tulipa dubia I. major.

Tulipa dubia major B: Pin: 61.



Tulipa dubia I. major altera.

eadem major altera B. Pin. 61.



quodammodo referunt, omnium foliorum extremis oris mucronatis; vel ſaturatiores ſunt,
& quodammodo nigricant, exterioribus folijs mucronatis, interioribus orbiculatis: ungui-
bus flavis, magnis vel parvis nonnumquam veluti fuligine aſperſis, vel in omnibus folijs, vel
in exterioribus duntaxat: apices modò flavi & leviter nigricantes, modò omnino nigri, flavi
etiam pediculi media ex parte nigricantes. Aliarum flores ſunt coloris albi exoleti, qui 6.
ὠχρόλευκος dici queat: nam folia ex albo palleſcunt, eorumque dorſum flaveſcit: interiora
folia orbiculata, ungues & apices pallent. Nonnullarum flores omnia folia habent extre- 7.
mo mucrone orbiculata dilutiſſimi purpurei coloris, & quodammodo carnei, maximos un-
gues albos, qua capiti adhærent flaveſcentes cũ ſtaminibus & apicibus. Quarundam pau- 8.
lo ſaturatiùs purpuraſcunt, & aliquarum prædulcium præcociorumque rubeſcentium uva-
rum, quas Germani Terminer/ Auſtriaci Muſcateller appellant, colorem referunt, interiora fo-
lia orbiculata, ungues cum apicibus flaveſcunt. Reperiuntur item quarum flores ſaturæ ad- 9.
modum ſunt purpuræ & nigrorum acidorum ceraſiorum ſuccum pænè referunt, Auſtriaci
Weixelfarb vocant: harum ungues vel ſubcærulei ſunt, vel ex cæruleo nigricantes, ſtamina fu-
ſca ſunt.

DVBIAE mediæ quæ ampliſſimum florem habent, paucæ ſunt à me obſervatæ. Earum *II. Dubia media I.*
una valde pallidi coloris, coctum ſulphur ferè referentis, propterea Auſtriacæ nobiles ma-
tronæ Schuebelfarb/ id eſt, ſulphurei coloris cognomen illi indiderant: omnia ejus folia mu- 1.
cronata, ungues fuligine infecti. Ejus unicum bulbum Byzantio allatum habuit Generoſa
Dn. de Heyſenſtain, quæ illius prolem communicavit: floruit quidem illa anno M.D.XXCVI.
& bonum ſemen dedit, ſed ſubſequens rigida hiems cum matre corrupit: ſemen anno ſe-
quente terræ commiſſum, Viennæ in meo hortulo relictum. Altera flavi elegantis coloris 2.
florem habet, cujus omnia folia mucronata, nigri ungues, nigri apices, fuligine infecti pedi-
culi. Hæc anno M.D.XXCIX. florem mihi tulit ſedecim folijs conſtantem, ejus verò proles tre-
decim, at ſequente anno, mater duntaxat octo, proles ſex. Tertiæ flos F-V. eſt, hoc eſt, ex fla- 3.
vo & rubro coloribus permixtus, magnis ſex mucronatis flaviſque folijs conſtans, quæ ab
ungue omnino nigro, rubras venas per foliorum longitudinem radiatim excurrentes & in
latera ſparſas habet, nunc raras admodum, modò denſas & confertas.

Dubiarum mediarum, quarum flores Præcocibus ſunt æquales, & caules intra illarum *III. Dubia media II.*
magnitudinem nonnumquam conſiſtunt, ut plurimum autem Dubiarum majorum alti-
tudinem æquant, multiplex eſt genus, cujus differentiæ difficilius diſtingui poſſunt quàm
Præcocium, ob variam colorum mixtionem per totos flores interdum diffuſam, ut longâ &
diligenti obſervatione didici: aliquas tamen ex his quæ vel mihi floruerunt, vel apud alios

N creviſſe

Tulipa dubia II. media I.



Tulipa dubia III. media II.



Tulipa dubia III. media II. verſicolor.



creviſſe ſignificatum eſt, quâ potero per ſpicuitate, pro ingenij mei tenuitate deſcribam. Sunt igitur quædam Flavæ dilutiores vel palleſcentes, quarum externa folia quodammodo foris vireſcunt: aliæ quarum folia orbiculata ſunt, ungues autem ſubvireſcunt: quarum item folia flavi coloris elegantis, interiora tria ſupernè orbiculata, & quibuſdam ſanguineis guttis aſperſa: nõnullę omnia folia flava habent, ungues cerei coloris, quales alioqui ſerotinæ habent: aliæ quarum ungues nigrâ & ſplendente maculâ ſunt inſigniti, vel ex fuſco & viridi coloribus commixtis perfuſi. Nõnullæ F-V. ſunt, nam licet omnia folia initio flava ſint, tertio tamen vel quarto die poſt quàm explicati ſunt flores, ſingula folia tenui limbo rubro exornata conſpiciuntur, nonnumquam etiam in prolibus (nam ſatis fœtifica eſt) nullus apparet, vel alternis duntaxat annis conſpicitur: quædam flava folia habent, oras autem cinnabaris ferè colore infectas: aliarũ folia pallidiora ſunt, & rubris venis ornatas habent oras: quarum item folia etiam pallent, ſed perfuſus eſt mali aurei præmaturi color, præſertim circa oras: invenitur etiam verſicolor elegantiſſima, cujus colores flavus & ruber ita commixti ſunt, ut è ſericeo panno flavo, cujus ſubtemen rubrum eſt, conſtare flores videantur, illius ungues nigri ſunt: A-V, ſerotinæ ſemine mihi hæc nata, elegantiſſimum florem tulit anno M.D.XXCVIII. Aliarum flo-

rum flores albi quidem ſunt,ſed in flavum degenerantis coloris qui ὠχρόλευκος qualis in Du-
bia majore deſcriptus eſt, harum folia vel omnia mucronata, vel interiora orbiculato mu-
crone conſtant,ungues,ſtamina,apices pallent:nata etiã mihi eſt è F-V. ſerotinę ſemine quod
Ioan. Boiſot communicavit,ſulphurei quędam coloris,qualis illa Heyſenſteinia ferè,ſed mi-
nus ampli floris. Quarundam flores ὠχρολεύκα etiam ſunt coloris ſed alius color adjunctus: 4.
nam cujuſdam omnia folia mucronata, extremum illum mucronem rubro colore tinctum
habent: alia pallidiora ſunt & oras rubris venis diſtinctas habent: in nonnullis foliorum oræ
vel purpureis venis diſtinctæ,vel carnei coloris omnino ſunt,qui etiam media folia occupat. 5.
Vnam habui A-V. ſerotinæ ſemine natam quæ anno M.D XXCIX. florem prorſus album protu-
lit,licet initio vireſcens color perfuſus quodammodo conſpiceretur, ſtaminum apices fuſci 6.
fuerunt. Nonnullarum flores A-V. ſunt octavæ A-V. præcoci ferè ſimiles,ijque,vel dilutiores,
interioribus folijs quodammodo orbiculatis, unguibus nunc exalbidis circa ſummum pur-
puraſcente maculâ inſignitis,ſtaminibus exalbidis,eorum apicibus nigricantibus,modò un-
guibus & ſtaminibus candicãtibus,vel unguibus exalbidis ſubcęruleo orbe incluſis,albis ſta-
minibus,nigricantibus apicibus:aut ſaturatioribus folijs præſertim exteriore parte, exterio-
ribus mucronatis,omnium oris candicantibus, unguibus exalbidis ſubcæruleâ maculâ inſi-
gnitis,albis ſtaminibus,apicibus eorum nigricantibus: quarundam folia mucronata dilutio-
riſque ſunt coloris aut ſaturatioris: Inveniuntur etiam quarum flores plurimùm ad A-V. prę-
cocis ſecundæ & tertiæ colorem accedunt: & alia ſemine à Boiſot miſſo nata elegãs in cujus
flore purpureæ venæ per totũ folium diſperſæ ſunt,floruit hæc primùm anno M.D.XC. Pur- 7.
purearum flores coloris nunc ſunt dilutioris & magis floridi, foliaq; interiora orbiculata ha-
bent,exalbidos ungues,purpuraſcentia ſtamina,eorũ apices nigricantes: modò quaſi ſimiles
Purpureæ dilutiori dubiæ majori,candicãtibus oris,unguibus vel ex albo flaveſcentibus,vel
flavis omnino, aut veluti fuligine infectis,aut ex cæruleo, flavo, & ſubvireſcente coloribus
commixtis: modò ſaturatioris coloris, cui albicantes tamen quædam venæ permixtæ ſunt,
unguibus aut ex flavo nigricantibus,aut flavis omnino, aut ex viridi nigricantibus, aut ſub-
cæruleis, ſive ex cæruleo flaveſcentibus,aut cæruleis omnino, niſi flaveſcens orbis ambiret:
ſunt etiam quarum flores dilutè purpurei illum ferè colorem referunt qui in Caryophylleis
floribus remiſſè miniatis è Sileſia primùm delatis conſpicitur, Vienneſes & Sileſiacæ ma-
tronæ Pomerantzfarb/ quaſi aurei mali colorem illis tribuunt, quia dilutius rubenti colori fla-
vus quodammodo perfuſus videtur, horum color vel dilutior, præſertim interiore parte &
per oras,vel ſaturatior, interdum internè dilutiſſimus, foris ſaturatior, ungues vel flavi, vel
flavum colorem fuligino ſus ambit orbis, vel ex viridi nigricant, vel fuſci ſunt: vidi etiam
quarum flos ad poſtremam differentiam Secundi generis valde accederet, rubro tamen co-
lore alium ſuperante: quædam plurimum accedunt ad eam quę inter Dubias majores octa-
vo loco repoſita eſt,verùm humilior,folijs interioribus orbiculato mucrone prędítis,ungui-
bus vel omnino albis, vel candicantibus & ſuperiore parte ad cæruleum colorem tendenti-
bus,ſtaminibus exalbidis,apicibus ad fuſcum vergentibus, vel ungibus cæruleis, aut ex cæ-
ruleo vireſcentibus,vel nigricantibus: aliæ Dubiarum majorum nono generi ſimiles ferè,li-
cet minores,quarum ungues vel fuſci ſunt, vel ex cæruleo nigricant, vel flavi nigro orbe fla-
vum colorem ambiente. P-V. florum folia vel dilutiore colore purpureo ſunt prædita, vel 8.
ſaturatiore,omnium oræ mucronatæ, vel interiorum orbiculatæ exalbidæ ſunt, ungues aut
albi,aut ſubcærulei,aut albi quidem, ſed quos latus orbis carnei coloris ambit, ſtamina plo-
rumque nigricantia. Inter reliquas Rubræ mihi natæ quarum folia foris ad purpuraſcen-
tem colorem accedebant,interius autem coccinei ferè coloris erant,ungues,ſtamina,apices 9.
flavi: item quarum flores rubri, folijs tamen exterioribus ſecundùm longitudinem flavus
color aſperſus: & quarum color non ſplendens, ſed obſcurus & ad lateritium accedens, un-
gues flavi vel nigri: præterea,quarum flores R. ſerotinæ ſimiles,quæ ab unguibus nigris flavo
orbe cinctis Oculus Solis cognominata eſt. Alia item cujus flos nondum mihi conſpectus 10.
dum hæc ſcriberem, verum pictura à nobili viro Ioanne de Hogelande Lugduno Batavo-
rum miſſa anno M.D.XC. deinde illius unicę quam habebat,bulbus,ejuſdem anni autumno,
cujus flos omnia folia mucronata habet,eaque, ut ipſe Hoghelandius ad me ſcripſit, initio
quidem omnino viridia,deinde oris veluti palleſcentibus, quæ tandem in rubrum colorem
mutantur radiatim ſeſe alteri colori commiſcentem,color etiam ille viridis ſeneſcente flore
elangueſcit, præſertim interiore foliorum parte: & ſanè ſubſequentibus annis, bulbus ille
florem mihi dedit,qualem deſcripſerat,nullum tamen ſemen nanciſci potui. Sed & alia ſe-
mine mihi nata,ſimilem florem produxit Lugduni Batavorum anno quinto & nonageſimo
ſupra milleſimum & quingenteſimum. Sunt autem omnes hæ dubiæ mediæ ſecundæ claſ-
ſis (præter poſtremum genus) mihi natæ ſemine,vel Byzantio allato,vel à N. V. Ioanne Boi-
ſot communicato, vel eo quod mihi ſerotinæ meæ dederunt, vel (quod magis mirandum)
aliquot etiam præcoces. Nam anno M.D.XXCVI. ex purpureâ præcociùs florente habui P. ſe- *Ex præcocibus interdum ſerotinæ.*
rotinam elegantem dilutiorem,cujus folia interiore parte ad illum purpureum colorem ac-
cedebant, quem conſpici dixi in quibuſdam purpureis ſecundæ claſſis Dubiarum media-
rum,quæ à Matronis Auſtriacis Pomerantzfarb cognominatur,unguibus flavis, in tribus verò
exterioribus folijs,nigricantibus:item ὠχρόλευκον. è P-V. autem præcoce, P. ſerotinam ad ru-
brum quodammodo tendentem,& P-V. ſerotinam dilutiorem elegantem. Anno ſequente,

rurſus è P.præ. Rub.ſerot.elegantem ad carneum colorem accedentem, unguibus ex cæruleo nigricãtibus. M.D.XXCVIII. autem anno è P.præ. ὠχρόλευκον ſerotinã, R. ſerot. unguibus & ſtaminibus flavis, P.ſerot. nigricantibus.ung.& P-V.ſerotinam: ex A.præc. Flavam ſerot.& P-V. ſerotinam. Contrà ex A-V ſerotinâ, natæ ſunt præcoces Alba, Flava, Rubra ung. flavis, Rubra *Ochio di Sole*, & P.dilutior.

Ex ſerotinis aliquando præcoces.

Colorum in Tulipis ſumma varietas.

Cujuſdam porrò R-V. quæ anno M.D.LXXVII. primùm Bruxellæ florem protulit, ſemine, nactus eſt jam dictus Boiſot, & quædam nobiles Matronæ dubias etiam Tulipas mirâ colorum varietate ludentes, ut ad me perſcriptum eſt: etenim & flavas, & pallentes, ex albo item palleſcentes, ſive ὠχρολεύκους, purpuraſcentes, intenſius aut dilutius rubentes, lateritij coloris, atque alias alijs coloribus inſignitas habuerunt: quibus etiam ſimiles, & aliæ elegantiſſimis coloribus variè mixtis poſtea mihi ſemine natæ, & ſingulis annis adhuc naſcuntur, quibus pares nunquam ante conſpectæ: ita Deus in iſtis floribus admirabilem ſuam poteſtatem oſtendit.

T.ſerot. viridis duplici foliorum in flore ſerie.

CETERVM anno M.D.XCIII. mittebat Iacobus Plateau Tulipæ, quæ illi ſemine nata erat, monſtroſæ quidem, ſed non inelegantis, iconem, colore à reliquis differentem, ejus enim flos, ipſo referente, prorſus viridis, internè ſex parva craſſaque alia folia etiam viridia complectens, caput ambientia, ut initio parva braſſica florida ſive Cypria videretur. Primò quo florem tulit anno, neglexiſſe ſcribebat, vitium aut Naturæ ludum eſſe exiſtimans: ſed cùm ſubſequentibus quatuor annis florem non variare animadverteret, nullum autem probum ſemen præbêre, ejus rei pertæſus, bulbum alteri donavit.

T.ſerot. viridis oris pallidis, & albis.

SED & mihi biennio poſt, ex ſemine natis ſerotina mihi florem dedit ſex folijs, ut reliquę, conſtantem, prorſus virentibus, exceptis oris quæ pallidæ erant, & unguibus, qui ex viridi palleſcebant. Floruit etiã mihi anno M.D.XCVI. Alia viridis cujus oræ albæ fuerunt. Breviter, ſinguli anni nobis proferũt novum aliquod Tuliparum genus, nec ante cuipiã conſpectum.

Tulipa dubia pumilio.

Tulipa dubia pumilio.



Tulipa pumilio altera.

HVMILIOR porrò Tulipa pedalem altitudinem non ſuperat, imò ut plurimum infra eam conſiſtit, folijs & flore ad Præcocem proximè accedens: floris autem folia omnia mucronata, ſed exteriora multo longiora, foris obſcurè rubra, extremis tamen oris virentibus, interiora omnia folia intensè rubent & ſplendent: ungues flavi radiati, ſed quos nigerrima macula ſic inficit, ut orbis aureus & radiatus eam duntaxat ambire videatur, & oculum quodammodo ementiatur: ſtamina cum ſuis apicibus nigricant: hujus radix bulbacea interdum eriophora eſt, nam exterior illa membrana bulbi ſubſtantiam amplectens & tegens, plurimo denſo, candido, mollique tomento adeò ſuffulta eſt, ut molliſſimè bulbum recubare neceſſe ſit.

INVENITVR etiam alterum pumilionis Tulipæ genus, quod mihi quidem conſpectum non eſt: ſed iconem ſuis coloribus expreſſam accipiebam anno milleſimo quingenteſimo ſexto & nonageſimo, ab erudito viro Ioãne de Ionghe, Eccleſiaſte Middelburgenſi in Mattiacis, additâ hac deſcriptione:

Mitto ad te Tulipæ cujuſdam iconem, ad ipſius plantę ſimilitudinem expreſſam, hoc eſt, eadem quâ Tulipa magnitudine, paribus caule, flore, folijs (quę paullo longiora & anguſtiora habere debet) & bulbo quem erui, ut pictor commodius exprimeret. Tribus jam annis continuis in horto habui florem proferentem, ſed unicum, nec florem habuit quamdiu ſingulari folio prædita fuit, aliarum Tuliparum modo: nam ſuperiore anno habui flore ſuo onuſtam, & aliam unicum folium producentem, quæ nunc quaterna folia nacta, primum florem demùm tulit alteri prorſus ſimilem, ut certum ſit id genus majorem amplitudinem non adquiſiturum. Hactenus ille. Tota verò planta (quantum ex icone deprehendere potui) palmo major non eſt, quatuor promens folia anguſta, carinata, Tulipæ Mompellianæ folijs ſimilia, inter quæ cauliculus prodit uncialis aut paullo longior, nudus (præter aliarum Tuliparum morem) ex viridi purpuraſcens, ſummo faſtigio florem gerens ſex folijs conſtantem, foris nonnihil purpuraſcentibus, intus candidis, umbilicum occupante oblongo capitulo ſex

flavis

Tulipa pumilio altera.

Tulipa pumilio angustifolia B. Pin: 6 B.



flavis ſtaminulis ſepto, quod, an ſemen protulerit, ignoro: florem autem tuliſſe Aprili inde conijcio, quoniam ſub Maij initium picturam mittebat, cujus bulbus exiguus, bulbi tamen aliarum Tuliparum formam referens, ex ſpadiceo nigricante cortice tectus. Icone acceptâ, Croci verno tempore florentis genus initio exiſtimabam.

CETERVM non omnes flores diu in ſua coloris elegantiâ & venuſtate perdurant, verùm nonnullarum magis caduci, brevi marceſcunt, aliarum firmiores ſunt & coloris gratiam diutius retinent, præſertim ſerotinæ & dubiæ: omnes certè nubilo cælo ſeſe contrahunt, & pluvio facilè corrumpuntur, etiam ante quàm expandi poſſint interdum, ſi continui cadant imbres: contra, temperato ſole illuſtrati, explicantur & diutius conſervantur: at vehemente etiam ejus ardore nimium excocti, & ſuo humore exhauſti, facilè defluunt. Neque omnes verſicolores, tam præcoces, quàm ſerotinæ, ſingulis annis eandem coloris gratiam perpetuò retinent, ſed alternis variare ſæpiùs obſervavi; exempli gratia F-V. A-V. uno interdum anno nitidiſſimæ ſunt, ſequente vix alius color, quam flavus vel albus in eis conſpicitur, ſic R-V. & P-V. nonnumquam magnas habent oras flavas & albas, ſequente valde exiguas.

Tulipæ alternis plerumque annis elegantiores proferunt flores.

CETERVM tametſi ſeminibus terræ mandatis Autumno (inutilis enim bulbacearum & tuberoſarum maximâ ex parte verna eſt ſatio) hujus plantæ genus conſervari ſoleat: interdum tamen & nucleis majori bulbo adnatis propagatur, ſed nulla inter præcoces Tulipas fertilior rubra, & alba; omnium autem maximè ſerotina rubra, quæ adeò fœcunda eſt, ut etiam ſemine nata, & vix bima alias proles generet biennio aut triennio ante quàm florere incipiat, quod etiam faciunt pleræque dubiæ: Solent enim omnes Tulipæ nondum adultæ, & ante quam flores proferre incipiant, ut plurimum ſingulis annis recta & quaſi ad perpendiculum in dodrantalem & palmarem altitudinem profundius deſcendere (Apennineas excipio, & quaſdam alias, quæ non in altum, ſed in latus & obliquum, ante quàm floriferæ ſint, proles è longis venis dependentes ſpargunt, ut proximo capite declarabimus) ſerotinæ autem illæ & dubiæ jam dictæ: etiam in veteris bulbi exuvio aliquid ſubſtantiæ relinquere, quæ in alium bulbum efformata, ſimiliter in exuvio ſubſtantiæ quidpiam relinquit quæ in alium bulbum tranſit, ut ſi quis cum dexteritate quadam & induſtriâ trimos & quadrimos eruat, exuviorum veſtigia ſequendo, nonnumquam velut catenam aliquot bulborum cohærentium, & ex primo exuvio ortum ducentium inveniat: licet interdum accidat ut R. ſerotina jam grandior, nondum tamen planè adulta, inſtar Tulipæ Apenninæ ſive Bononienſis proles in latus ſpargat, ut in meo hortulo, in quo varij generis bulboſas ſtirpes florum elegantiâ & varietate commendabiles alebam & excolebam, dum Viennæ agerem, non ſemel obſervavi.

Tulipa varijs ſeritur modis.

Memini & bulbos in infimâ alâ, quaſi ſumma tellure natos, in ſerotinarum & dubiarum generibus præſertim (licet etiam in A-V, P-V, & quarundam aliarum præcocium alis bulbi mihi nati ſint) qui telluri commiſſi, ejuſdem coloris cum matre florem ſubſequente anno produxerint: eundem etiam colorem retinent bulbi matri adnati. Ex ſeminibus verò quæ fit propagatio, plane (ut dixi) incerta eſt, in præcocibus nimirum & dubijs: nam ſerotinæ magna ex parte ſuum genus conſervare videntur, quemadmodum ſuperiore capite dictum eſt: aut ſi aliquam mutationem adquirunt, exigua ea eſt, & plerumque in unguium & ſtaminum varietate, aut coloris intenſione vel remiſſione conſiſtit.


Tulipa bulbifera.

Solet caulis è medio bulbo erumpere: ſed ipſo cum folijs jam marcido, & ſiccato, ſi bulbum eruas, ad latus illius enatum conſpicies (quod etiam evenit in Iride bulboſa, Colchico, & congeneribus alijs) novo bulbo paulatim ſuccreſcente, & totius plantæ ſuccum ad ſe recipiente, quo tempore commodiſſimè erui poteſt, erutus bulbus diu extra terram adſervari, & in alia loca etiam procul diſſita ſine noxâ transferri.

Omnes autem cujuſcumque generis Tulipæ (ut etiam hoc breviter annotem) quemadmodum longâ experientiâ didici, quamdiu florem non ferunt, ἄκαυλοι planè ſunt, & unicum

Tulipa bulbosifera foliorum alis ferens B. Pin. 63

Tulipa bulbifera.



cum folium ſingulis annis proferre ſolent: at ſi, dum emerſit, ſeſe explicare incipiens, ſecundum etiam eo incluſum appareat, illo ipſo anno florem prolaturum ſpes eſt, niſi pruina, aut aliud ab inſectorum eroſione incommodum eam intercipiat.

σατύριον τρίφυλλον.

QVO nomine veteribus dicta ſit hæc planta, multi dubitant. Sunt tamē peritiores nonnulli, qui ad Satyrium Dioſcoridis, quibuſdam τρίφυλλον cognominatum, referendam cenſeant: ad cujus ſanè deſcriptionem multis notis accedit. An verò ijſdem facultatibus cum Satyrio prædita ſit, neminem periculum feciſſe intellexi.

Memini ante plures annos Viennenſi pharmacopæo ad rubri cancri ſymbolū plus quàm centenos Serotinę bulbos quadrimos dediſſe, ut ſaccharo condiret, radicum orchidis inſtar, & in aliquo, qui ad hujuſmodi remedia confugeret, periclitaretur: verùm illo negligentiâ quadam condire oblito, perierunt. At anno M.D.XCII. Ioannes Muler pharmacopæus multos condijt, radicum Orchidis inſtar, quibus certè longè ſuaviores & palato gratiores deprehendebam: an verò id præſtarent, quod ſatyrio tribuitur, nondum intellexi.

Potuiſſet autem ante triginta annos Antuerpianus quidam mercator certi quidpiam de ea re ſtatuere. Is enim cùm horum bulborum non exiguum numerum ab amico cum byſſinis pannis Conſtantinopoli ſibi miſſum accepiſſet, cepas eſſe exiſtimans, ex illis aliquot ſub prunis aſſari iuſſit, & vulgarium ceparum modo, ex oleo & aceto in cœnam ſibi parari: reliquos in horto, inter braſſicas & alia olera defodit, ubi neglecti, omnes brevi perierunt, præter paucos quos Georgius Rye mercator Machlinienſis, rei herbariæ perquam ſtudioſus, ad ſe recepit: cujus ſanè diligentiæ, & induſtriæ acceptum referre debēmus, quòd eorum poſtea flores, gratiſſimâ varietate delectationem & voluptatem oculis adferentes, videre nobis licuerit.

Natales.

Hactenus autem Tuliparum bulbi nobis Byzantio miſſi ſunt, præcocis quidem *Café lalé*, ſerotinæ verò *Caualá lalé*: à locis nimirum unde primùm Conſtantinopolim illati ſunt, appellatione inditâ: Caffa urbs eſt in peninſula *Gazaria* dicta, quæ inter Propontidem & Euxinum pontum ſita eſt: *Caualla* verò in Macedonia urbs maritima. Sunt qui Tulipam, præſertim purpureā, Coſmoſandalō eſſe velint à veteribus inter coronarias herbas numeratum.

TVLIPA BYZANTINA ALTERA. CAP. X.


QVIA novum Tulipæ genus hoc capite deſcribemus, operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi pauca quædam de Apenninea, Narbonica, & Hiſpanica, quibus noſtra hæc aliquot notas ſimiles habet, priùs diſſereremus.

Tulipa Apenninea.


APENNINEA igitur Tulipa pedalem vel etiam cubitalem fert caulem, in binos aut ternos ramos interdum diviſum, quibus ſingulares inſident flores ſenis ut plurimùm folijs nonnumquam & octonis conſtantes, foris ſubvireſcentibus, intus flavis, protuberante è medituIlio capite trigono oblongiuſculo, multis flavis ſtaminibus cincto: valde odoratus is flos, leucoij flavi ſuaveolentiam referens, ſuperioribus Tulipis plerumque magis expanditur, & ferè à meridie ſub veſperam duntaxat: folia alijs Tulipis anguſtiora, etiam carinata nonnihil, ſubcineracei cum caule coloris, terna, quaterna: ſemen paleaceum ut in reliquis Tulipis, ſed longè minus: radix bulboſa ſpadiceo cortice tecta, in binas aut plures ſoboles ſingulis annis dividitur, proximo anno flores daturas, quin & alias ſubinde obliquè & in latera ſpargit (præſertim quæ nondum florem tulit) non in altum recta mergit. Floret cum ſerotinis, aut paullo etiam ſerius. Naſcitur plurima in Apennino, unde erutam memini Bononiâ ad nos ante multos annos mittere C. V. Vlyſſem Aldrovandum, Bononienſem Profeſſorem, & omnium Naturæ miraculorum Scriptorem ſolertiſſimum: cujus lucubrationes avidè adhuc expectamus.

HVIC

Tulipa Apenninea.



Tulipa Narbonenſis.



Tulipæ Byzantinæ genus alterum.



HVIC ſimilis pænè eſt Narbonenſis è Cebennis montibus, à C. V. Matthia de Lobel primùm eruta, & amicis in Belgicam miſſa: minor tamen eſt in omnibus, flores foris magis virentes, intus flavi, delicatius quiddam ſpirant: radix etiam è tenuibus nervis in latera ſoboles & bubillos ſpargit. *Tulipa Narbonenſis.*

TERTIA in monte quodam Aranjoes vicino nata, in Belgicam à Franciſco de Hollebeque Regio hortulano miſſa, Narbonēſi paullo minor eſt: ejus florem non vidi, ſed Narbonenſi ſimilem eſſe intellexi, qui folia tamen habeat foris non omnino viridia, verùm purpuraſcente etiam colore perfuſa. Illius bulbos aliquando alui, qui unico duntaxat folio ſemper germinarunt, adeoq; inanes paulatim facti ſunt, ut tandem perierint. Miſerat præterea idem Franciſcus & alios aliquot bulbos (ut Hiſpania bulbacearum, & variarum aliarum elegantium ſtirpium maximè ferax eſt) quorum maximam partem in Hiſpanicâ meâ peregrinatione non obſervaram, qui tandem belgicum aërem reſpuentes, contabuerunt. *Tulipa Hiſpanica.*

BYZANTINA autem folio prodit liliaceo, unico, ſi florem non feret, reliquarum Tuliparum more, at florem prolatura pedalem promit caulem, viridem, rotũdum, quem amplectuntur bina plerumque folia liliacea, dilutiùs virentia, & Lilij Perſici foliorum modo ſplendentia, florem ſummâ parte ſuſtinentem Apenninææ Tulipę flori formâ & amplitudine parem, ſex mucronatis folijs cõſtantem; quorum exteriora paulo anguſtiora ſunt, interiora verò latiora, exalbido foris cum purpuraſcente & viridi mixto colore, internè autem tenuiter rubeſcente ſive diluto carneo, unguibus & ſtaminibus flavis nigricante apice inſignitis nonnihil odoratum: caput trigonum Apenninææ ſimile, *Tulipæ Byzantinæ genus alterum.*

ſimile,quod ad frugem non pervenit: radix bulbacea Apenninex planè ſimilis,aliquot fibris donata,quam etiam bulbos in latus ſpargere obſervavi.

Floruit mihi hæc anno M.D.XXCVIII. Aprili menſe & alterum in ſupremâ alâ (quemadmodum ex hac icone, quam ex illa florente ipſemet exprimebam, videre licet) habuit florem: Generoſæ autem Dominæ Vngnadin,quæ pręcedente Novembre Byzantio illam cum multis alijs bulbaceis ſtirpibus acceperat,binæ etiam floruerunt,una binos, veluti mea, geſtans flores,altera unicum. An poſtea aliquæ ipſi floruerint,ignoro;illo ipſo enim anno Vienna diſceſſi: earum duarum certè, quas illa donante ſolùm retinueram, quodammodo contemnens, quòd Apennineas (adeò ſimiles erant bulbi) exiſtimarem, nulla deinceps floruit, ſed prolem generantes,unicum folium produxerunt. Miſſa autem fuit cum hac inſcriptione *Lalé di duoi fiori*,ex qua conijcere licet,ut plurimum binos proferre flores.

SED quandoquidem in Apenninex Tulipæ mentionem incidimus, ſilentio premendum non duxi aliud Tulipæ genus quod habuit honeſtus vir Theodoricus Coornhard Amſterodamenſis civis.

T.R. Apenninea ſimilis. EST autem illa,caule,folijs (quæ tamen paullo viridiora) floris formâ, Apenninex non valde diſſimilis,nec etiam (ut mihi relatum) radice, quæ, ut inquiunt, illius inſtar, obliquè propagines ſpargit: floris autem color ruber eſt ſaturatior ſex folijs mucronatis conſtans, nonnihil odoratus,quorum ungues longi nigri,flavo colore eos ambiente,internis folijs interioribus in ternos radios mucronatos deſinentibus,in reliquis ternis,orbiculato mucrone, illis externâ parte omnino flaveſcentibus, his verò paululum flavi circa infimum unguem habentibus, trigono oblongo capitulo Apenninex inſtar medium florem occupante, rubeſcente: ſemen mihi non conſpectum. Floret Aprili.

FRITILLARIA. CAP. XI.



Fritillariæ hiſtoria. VENVSTISSIMA hæc planta pedali, interdum etiam majore, eſt caule, rotundo, tenui, foris ex viridi purpuraſcente, & obſoletioris coloris, intus verò, ut Tuliparum, fungoſo: quina plerumque habet folia, interdū etiam plura, incondito ordine,per caulem ſparſa, anguſta, carinata, digitalis longitudinis vel majoris, ſuperioribus exceptis, quæ breviora ſunt, caule viridiora, & Narbonenſis vel Hiſpanicæ Tulipæ folijs forma coloreque proxima: flos in ſummo caule ſæpiſſimè unicus (interdum bini, rarò terni,omnes autem eodem tempore ſe aperientes) nonnumquam gemellus,inodorus, deorſum ſpectans & propendens tintinnabuli modo,ſex folijs conſtans ut plurimū, (habui etiam octonis & duodenis) quæ areolis quibuſdā nunc quadratis nunc oblongiuſculis,partim candidi, partim purpurei, ſive ſaturatioris, ut ita dicam, carnei coloris, elegantiſſimo ordine, pulcherrimaque ſerie diſtincta ſunt,quadris tamen ad latera minoribus: folia interiore parte ſunt vegetiore & elegantiore colore prædita, candicanteſque, qua parte capiti inhærent, ut Roſarum folia,ungues habent, à quorum infimâ ſede vireſcens quædam,& herbidi coloris linea,ad medium uſque folium ducta videtur: ſex ſtamina medium florem occupant, quorum apices primùm pallidi, deinde, ubi obverſi ſunt, flavi, & quaſi pulvere quodam conſperſi (quali ſunt omnium ferè florum apices) quæ ſtilum triſulcum, ut in pleriſque alijs floribus,ambiunt: triangulare deinde ſuccedit caput, unciam plerumque longum,ſupernâ parte craſſius & ſine coronâ, alioqui Narbonenſis Tulipæ capiti ſimile, in quo ſemen planū,jam dictæ Tulipæ ſemē quaſi referens, membranaceo margine latiore, in quo nullum,contrà quàm in Tulipis,germen conſpicitur: radix bulboſa,cādida, ſolida,nullis tunicis ſepta, ſed veluti in binas eaſque ut plurimùm æquales partes ſecta, è cujus medio protuberat quaſi pulvinus quidam,unde caulis emergit,ſeſſili parte multis fibris donatā.

Varietas. Hujus flos interdum variat: nam ut plurimùm ſaturatiùs purpuraſcentes quadras habet, interdum dilutiores. Vnam habeo ſemine natam dilutiſſimam. Floret cum præcocioribus


Tempus. Tulipis,interdum etiam Martio,in hortis.

Sponte

Sponte quibuſdam pratis ad Ligerim flumen non procul Aureliâ urbe Galliæ celebri naſcitur, unde primum ad me miſſa fuit Machliniam, & Belgicę cõmunicata anno M.D.LXXII. (naſci etiam in Nortmanniâ & Britanniâ minore intelligo) Deinde Viennæ Auſtriæ, aliquot bulbos accepi triennio poſt munere Ill. V. Ioannis de Vulcop, Regis Galliæ apud Cæſarem Maximilianum II. tum Legati. Miſit etiam ad me aliquot poſt annos Ill. V. Augerius de Bousbeque Sereniſs Reginæ Elizabethæ Caroli IX. Galliarum Regis viduæ, ſummus Aulæ Præfectus & Cæſari à Conſilijs, Lutetiâ multos bulbos, ut nobilium Auſtriacarum Matronarum quæ illius floris erant ſtudioſiſſimæ, votis ſatisfacerem. Anno verò M.D.LXXIX. in quibuſdam pratis quatriduano itinere infra Budam Pannonię, ab ijs qui Conſtantinopoli redibant, menſe Martio, florens obſervata eſt. Sed & poſtea pleræque ſemine mihi natæ ſunt, quæ ſeptimo & octavo demum anno, vel etiam ſeriùs floruerunt: quarum aliæ binos, quædam ternos, nonnullæ vel geminos, vel duodecim folijs conſtantes flores tulerunt. *Natales.*

Fritillaria dilutior.

Fritillaria praecox purpurea variegata. B: Pin: 64.



Fritillaria Aquitanica.

Fritillaria serotina floribus ex flavo virentibus B: Pin: 64.



N. V. Ioannes Boiſot, vetere amicitiâ mihi conjunctus, aliud genus habebat magis ſerotinum, quod toto bimeſtri poſt primum floruiſſe ad me ſcribebat, binis ornatum floribus parte interiore ex flavo virentibus, ſine ullâ colorum diſtinctione: foris nervus extuberans & eminentior ex obſcuro virebat, foliorum oræ nonnihil reflexæ verſiculores erant, ex flavo, virente, & purpureo. Ex Aquitaniâ originem ducere aſſerebat. *Fritillaria Aquitanica.*

Is porrò bulbus quem mihi Autumno communicabat anno MDXXCIIII. Maij ſubſequẽtis initio florem aperuit ſex foliis, ut in præcociore conſtantem, quorum extremæ oræ nonnihil reflexæ erant, dorſi nervus paululum extuberabat, atque vireſcebat, interiora terna folia externis erant latiora, omnia autẽ exterius ab imo folio ad extremas oras, obſoletæ purpurę radijs, ſub quibus nonnihil flavi conſpiceretur, diſtinguebantur, interiùs verò colore ex viridi flaveſcente & ſplendente prædita erant, veluti ſericeus pannus viridis, cujus ſubtemen flavum ſit: ſex ſtamina ex umbilico prodibant pallidis apicibus obſita, alia alijs longiora. Nullum ſemen tulit, proximo anno imminutus bulbus florem non dedit, tandem ſubſequens rigida hiems omnino corrupit. *Ejus hiſtoria.*

CETERVM Fritillariæ Tertium quoddam genus habuit Ioãnes Somer, cujus paulo antè memini, vir qui exoticarum & elegantium ſtirpium culturâ valde delectatur, ijſque benè inſtructum habet, quod florem anno nonageſimo ſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum produxit, ſex quidem folijs conſtantem & nutantem, ut ſuperiora genera: ſed quorum folia ſunt flavi coloris rubris maculis diſtincti, illorum medio nervo prominulo & vireſcentis coloris. *Fritillaria flavo flore.*

QVI ad me primum genus mittebat pharmacopæus Aurelianenſis, Noël Capperon vocatus, *Nomina.*

catus,ac paullo pôſt in ſchytica illa communique laniena per univerſam Galliam graſſante ſublatus, *Fritillariæ* nomen indiderat, quòd ejus areolæ verſicolores, fritillum quodammodo æmulentur: vulgo Lilium variegatum ante dicebatur. Dodonæus Meleagridem appellare maluit,quoniam ejus folia varijs coloribus picta ſint,uti plumæ Meleagridis avis, quam vulgus Gallinam ſive Perdicem barbaricam aut Guineæ vocare ſolet, diverſis tamen. Secunda autem ſpecies commodè Meleagris aut Fritillaria appellari nequit, quandoquidem colorum in eâ varietas ſimili modo non eſt diſtincta,ut in priore: tametſi & caule, qui aliquantulum tenerior, & folijs, quæ in hac paullo anguſtiora magiſque herbacei coloris videntur,& radice,atque etiam floris formâ nonnihil illam æmuletur.

An apud Recentiores medicum in uſum veniat hæc planta,me fugit. Ob florum tamen elegantiam & venuſtatem expeti,& diligenter in hortis coli potiùs exiſtimo.

NARCISSVS PRÆCOX SIMPLICI FLORE. CAP. XII.

Narcissus medio Luteus copioso flore odore gravi B.Pin: 50.



SIMPLICEM Narciſſi florem appello, qui ſimplici ſex foliorum texturâ conſtat, licet medium calix occupet. Ejus autem ſtirps, aut latiora habet folia, aut anguſtiora & tenuia. Vtriuſque generis flores colore etiam inter ſe differunt, omnium porrò differentias quâ poterimus perſpicuitate hoc capite trademus.

Narciſs. latifol. ſimplex I. PRIOR ergò latifolius Narciſſus tria aut quaterna habet folia, virentia, oblonga, porri folijs ferè ſimilia, caulem cōcavum, ſtriatum, nudum & ſine folijs, pedem altum, interdum altiorem, in cujus ſummo, ſex aut octo pluréſve naſcuntur flores, triangulis pediculis inſidentes, & è tenui membranaceo involucro erumpentes, mediocriter amplos, cum gravitate quadam odoratos, ſex folijs conſtantes albis, interdū etiam ὠχρολεύκοις, quorum medium flavus omnino calix occupat, ſex brevia ſtamina cum ſuis apicibus pallidis continens: floribus ſuccedunt triangularia capita, in quibus ſemen nigrum, angulosūm. Radix illi ſatis ampla, bulboſa, nigricantibus aliquot tunicis ſepta, fibriſque multis capillata, intus omnino alba, &, ſi præcidatur, lentum quendam ſuccum, ut reliqui bulbi, exſtillans.

Natales. Naſcitur pleriſque Hiſpaniæ, quæ Mediterraneo mari objecta eſt, locis, & omnibus ferè circa Mompelium pratis. Memini non procul villâ novâ oppidulo Magalonæ vicino, bulbum eruere, cujus ſummus caulis decem & ſex flores ſuſtineret, ut meritò πολυανθὴς appellari potuerit. Illum in C.V. Gulielmi Rondeleti, apud quem vivebam, horto, terræ commiſi.

Narciſs. ſimplex I. πολυανθὴς.

Tempus. Floret in calidioribus regionibus menſe Februario, eruere memini etiam quaſdam plantas Ianuario in pratis Boutoneto ſuburbano vicinis (ut interdum inter ejuſdem generis ſtirpes alia alijs maturiùs germinat) Apud Belgas verò non niſi Martio aut Aprili.

Narciſs. latifol. Byzantinus medio luteus II. Invenitur alius huic ferè ſimilis, ſed paullo præcocior, latioribuſque folijs, & amplioribus floribus, cui plerumque niſi terni, quaterni, aut ad ſummum ſeni ſupremo cauli inſidēt. Affertur Conſtantinopoli cum pleriſque alijs, & in fictilibus ut plurimum colitur, ubi floret Aprili, interdum etiam Martio, ſi veris temperies paullo calidior fuerit: major odoris fragrantia in hoc nares ferire videtur, quàm in ſuperiore.

Narciſs. latifol. ſimpl. medio luteus III. Hujus generis aliquot bulbos, *Narciſſo doppio* nomine, mittebat ad me anno M.D.XC. Ill^tis^ Heros Ioannes Vincentius Pinellus, quos plenos flores prolaturos ſperabam: ſed ſubſequente vere, meâ ſpe fruſtratum deprehendi. Nam elegātes quidem flores habui, ſed ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantes, ſuperiore ampliores, omnino niveos, præter medium calicem flavum, odoris fragrantiſſimi, ſeptenos & plures ſummo caule ſimul naſcentes: folia carinata, nec minus lata habuit, quàm qui plenum fert florem, & radicem craſſiorem. Monitus autem, quos miſerat bulbos ſimplicem florem tuliſſe, alijs me impertijt minus craſſis, quorum flores, pleni fuerunt, paullo tamen minores Primo, ſequente capite deſcripto.

Narciſs. latifol. totus albus I. ALTER priori formâ non diſſimilis, folia habet terna aut quaterna viridiora paullo ſuperiore, longiora & anguſtiora; è quorum medio exilit caulis latiuſculus, anguloſus tamen & concavus, cui inſident ſeni, ſepteni, interdum deni flores prioribus ſimiles, ſed oblōgiores paullo,


Narciſs. latif. ſimplici flo. prorſus albo I.

Narciſſus totus albus major 49



Narciſs. latif. flo. prorſus albo II.

Narciſſus pallidus (medio croceus



paullo, & omnino nivei, quorum videlicet calix ille medius (qui in priore flavus) etiam albus eſt, odor priori ſimilis, ſimilis etiam radix. Illius nec capita neque ſemẽ obſervare potui: nam Ianuario extremo, naſcentem pingui ſolo nonnullis Luſitaniæ & Bæticæ locis, & uliginoſis multaq; adhuc aqua ſtagnantibus & florentem obſervabã anno M.D.LXV. tum etiam Februarij initio in ſumma Calpe eruebam duntaxat. Ejus aliquot bulbi in Belgicam miſſi nondum flores tulerant, dum octennio poſt à Cęſare Viennam accerſerer. Hæc porro planta, ex illarum eſt numero, quas magnæ illius & generalis Stirpium Hiſtoriæ, ante paucos annos Lugduni expreſſæ Auctor Dodonæo tribuit, & ab eo me ſumpſiſſe ſcribit. Ego verò non modò hanc, ſed plurimas alias quarum deſcriptionem in Hiſpanicis obſervationibus dedi, Dodonæum à me habuiſſe aſſero, & omnia quæ in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervaveram liberaliter communicaſſe dico, quemadmodum ante feceram quæ è Narbonenſi Galliâ decennio ante in ſportis attuleram. Sed quî quæſo ſcribere potuiſſet Dodonæus de ſtirpibus in Hiſpaniâ aut Galliâ naſcentibus, niſi alterius manu ducente, cùm ante annum MDLXXIIII. quo ad Cæſarem Maximilianum II. evocatus eſt, numquam Belgicâ exceſſerit? Hæc autem neminem exiſtimare velim à me dicta, tamquam cum laruis luctari, aut defuncti manibus inſultare ſit animus (cùm enim vivens mihi fuerit amicus, etiam defuncti memoriam colo) ſed ut mea, hoc eſt, meo labore diligentique obſervatione parta mihi vindicem. Mei numquam fuit pudoris, ut mutuum ab aliquo quidpiã ſumpſerim, quin ingenuè ſemper profeſſus ſim à quo habuerim: an alij ſimili gratitudine erga me uſi ſint, benevolis lectoribus æſtimandum relinquo. nec in Appendice ad Purgantium hiſtoriam Dodonæus negat, quin illius & aliquot aliarum icones à me acceperit, ut animadvertere potuerunt qui ipſius Dodonæi verba expendere maluerunt, quàm nudarũ picturarum intuitu paſcere oculos. Sed de his ſatis, ad Narciſſi hiſtoriam redeamus.

Narciſs. latifol. niveus alter.

Hujus generis alius eſt, ſuperiore minor, firmioribus magiſq; candicantibus folijs, qualia ferè ſunt in Narciſſo marino, qui à Narbonenſibus Scilla ſive Pancratium, dum Mompelij viverem, dicebatur, Valentini Hiſpani Hemerocallidem appellabant, ut in ejus hiſtoriâ dicemus, caule breviore, & binos, ternos aut quaternos duntaxat flores proferente.

Ex Hiſpania poſt meum reditum miſſus, reliquis Narciſſis ſeriùs, hoc eſt Maio, Bruxellæ in quibuſdam hortis floruit.

Narciſs. latifol. niveus tertius.

TERTIVS item Byzantio allatus M.D. XXCVII. qui ſequente anno folia dedit primo generi ſimilia, caulem inter folia emergentem, pedalem, qui ternos & quaternos flores dedit ejuſdem cum ſuperiore magnitudinis, nivei prorſus coloris, id eſt, calice etiã niveo, è quo emergebant ſena ſtamina, terna alijs longiora, flava. Alius præterea adeò illi in omnibus ſimilis, ut vix quiſ-

vix quiſpiam diſcernere potuiſſet, niſi differentiam feciſſent flores illo minores, & frequentiores in ſummo caule naſcentes, odorem & fragrantiam Iaſmini referentes: hujus ſemen in trigonis capitibus concluſum, nigrum inæquale: utriuſque radix minor paullo priore & nigris tunicis ſepta, *zerincada catamer bianco* nomine miſſa fuit, ut & quinquennio ante: Floruit Maio menſe.

Narciſs. latifol. flo. prorſus flavo.

N. latifol. flavo flore. ſive IIII.



QVARTVS latifolius etiam Byzantio allatus fuit, *zerincada-catamer ſari* nomine, folia illi proximè deſcripto ſimilia: flos in illo variat, nam vel totus flavus eſt, vel omnino pallet, præter calicem qui in hoc planè aureus eſt: ſemen in trigonis capitibus narciſſinum, inæquale, nigrum: radix tunicis ſpadicei coloris tecta.

Nar pallido flore medio aureus ſive V.

QVINTVM locum obtinebit is Narciſſus, quem cum alijs aliquot elegantibus ſtirpibus, Kal. Iunij anno M.D.XCVI. ad me Hiſpali mittebat eruditiſſimus vir Doctor Simon de Tovar Hiſpalenſis Medicus, ego verò extremo inſequente Septembri demum accipiebam, ab ipſius obitu: nam paullo pòſt intelligebam Auguſto extinctum fuiſſe, magno cum meo dolore, nec mediocri totius Botanici ſtudij detrimẽto: doctiſſimus enim & diligentiſſimus erat, egregieq; in hac palæſtrâ verſatus, qui ſi diutius vixiſſet, multarum exoticarum ſtirpium cognitionem poſteri adquirere haud dubiè potuiſſent.

Hujus autem Narciſſi bulbus ſatis craſſus erat, externo cortice ſpadicei coloris præditus, qui Ianuario ſequente, quaterna protulit folia, lata, & quodammodo carinata, ut præcedentium aliquot, viridia, cubitalis longitudinis, inter quæ caulis prodijt cubitalis aut altior, deinde duorum cubitorum altitudinem ſuperans (quam in reliquis Narciſſorum generibus obſervare non memini) viridis, ſtriatus, intus cavus, ſummo faſtigio ſuſtinens membranaceum quoddam involucrum, è quo exibant ſuis petiolis innitentes flores, quini, ſeni, ſepteni, aut plures, ſenis folijs, inſtar aliorum Narciſſorum ſimplici foliorum texturâ conſtantium præditi, coloris flavi, nonnihil quidem palleſcentis, floridi tamen, quorum medius calix aureus, ſuavis ualde odoris. An porrò prolificum ſemen daturus ſit, adhuc ignarus ſum, quandoquidem eo florente ejus hiſtoriam concinnabam Martij initio, ut is annus valde præcox fuit, nullâ aut perquam exiguâ præcedente hieme, quę demum extremo Martio valde aſpera fuit, & multas ſtirpes corrupit.

Non multum diſſimilis erat, qui anno M. D. XXCVI. mihi floruit, à Ioãne Boiſot præcedente Autumno acceptus, quem Ferrariâ allatum ſcribebat. Miſit & alium cujus florem ex pallido vireſcere aiebat, calicemque anguſtum flavum habere: ſed utrumque bulbum corrupit hiems illa rigida ſubſequens.

Narciſſ. latifol. claſſis altera.

NASCVNTVR & alij Narciſſi quibus latiora ſunt folia & flores ſimplici foliorum textura conſtantes, in Belgicis & pleriſque Germaniæ hortis: de quibus cõſulendæ Cl. virorum Dodonæi Pemptades & Lobelij Obſervationes. Illud autem dicendum putavi, Majorem illum amplis folijs, & in eodem caule binos ut plurimum, interdum ternos & quaternos flores magnos ſuſtinentem ſex folijs albis conſtantes, & pallidum calicem cingentes, odoratos (vidi etiam qui & duodenis folijs conſtarent) in Anglia ſponte naſci, à viris fide dignis intellexiſſe. Alterum verò ex his qui unicum florem ferunt (raró binos) album, cujus calix parvus, pallidus, oris fimbriatis purpuraſcentibus, naſcentem obſervabam in quibuſdam Narbonenſis Galliæ pratis, atque etiam ſemper Conſtantinopoli miſſum, cum alijs bulbaceis & tuberoſis ſtirpibus, *Deve bohini*, ſive *boini*, id eſt, colli vel capitis cameli, nomine, quia floris collum longiùs quàm ceteri Narciſſi, protenſum habet.

Narciſſ. latifol. VI.

ILLI non diſſimilem Sextum obſervabam, cui quaterna aut quina Martio menſe erumpunt folia, oblonga, anguſta, inter ea deinde caulis nudus, rotundus, intus fungoſus, in cujus ſummo, è tenui membranâ prodit, unicus, nonnumquam & alter, flos ſex niveis folijs ſtellæ modo decuſſatis conſtans, parvum calicem pallidum cingentibus, cujus oræ rubella fimbria exornatæ, ſex in eo inæqualibus ſtaminulis flaveſcentibus: flori ſuaviter odorato ſuccedunt

capitula

capitula triangula, craſſiuſcula, in quibus nigrum inæquale ſemen: radix ut ceteris bulbacea, multis candicantibus tunicis conſtans, extima, quæ reliquas ambit, fuſca, è cujus ſeſſili parte plurimæ ſubfuſcæ fibræ dependent.

Natales.

Provenit magno miliari ſupra Gamingam Chartuſianorum monaſterium, D. Virgini ad Thronum nuncupatæ, ſacrum, pratis quibuſdam altiſſimo lacui vicinis, ad prædium Seehof dictum, in quo, curantibus Carthuſæ moderatoribus, perhumaniter & luculenter excepti ſemper fuimus, dum in ſumma Herren-alben & Durrenſtain juga tenderemus, aut ex ijs jugis Gamingam rediremus. Quo iſtic tempore floreat, mihi non conſtat: nec ſciviſſem iſtic naſci, niſi ad lacum proficiſcens aliquot bulbos rotarum orbitis recens erutos offendiſſem: biduo enim aut triduo ante ruſtici fœnum evexerant. Sed illę Viennam perlatæ, Maio menſe in meo hortulo floruerunt: veriſimile autem eſt natali loco ſeriùs florere. Memini & illi ferè ſimiles in Euganeis montibus inventos, à ſtudioſis ex Italia reducibus Viennam ad me perlatos.

Narciſs. latif. fol. VII.

SEPTIMO generi latiora reliquis folia, æruginei ferè palleſcentis coloris, inter quæ ſatis latus prodit caulis, nudus ut reliquis Narciſſis, paullo infirmior, foris ſtriatus, intus concavus, ſumma parte ſuſtinens magnum, laxum, membranaceum folliculum, quo dehiſcente, exit unicus, ut plurimùm, flos magnus, odoratus, ſex albis folijs medium calicem pallidum cingentibus conſtans, cujus fimbria ex pallido purpuraſcit: flori ſuccedit ſatis craſſum triangulare caput, nigrum ſemen continens: radix craſſior ſuperiore, & cum majore illo, quem in Angliâ ſponte naſci dixi, comparanda, etiam ſoboles, reliquarum Narciſſinarum inſtar, ſatis feliciter procreans.

E Styriâ allatum, Generoſa Dn. de Heuſenſtain dicebat: ſeriùs etiam reliquis floret, nempe Maio menſe. Id genus deinde ſatis frequens obſervabam Francofortianis in hortis.

ELEGANTIS porrò Narciſſi (qui inter eos qui latiora habent folia VIII. erit) flos cum aliquot folijs mihi mittebatur à doctiſſimo viro Bernardo Paludano Medico celebri, qui Indicum cognominabat: ego ejus hiſtoriam pro meo modulo ita concinnabam.

Narciſs. latifol. Indicus rubro flore.



Narciſs. latifol. VIII. qui & Narciſs. Indicus.

SENA vel plura habet is Narciſſus folia, Narciſſi vulgaris foliorum inſtar lõga, ad quorum latus emergebat caulis lævis & enodis, intus concavus, ſummo faſtigio in nodum deſinens, membranaceum quoddam involucrum purpuraſcentis coloris ſuſtinentem, è quo unicus flos ſeſe exerebat ſex lõgis & anguſtis folijs conſtans, qualia ferè in Narciſſi Autumnalis minoris (de quo cap. XVI. hujus libri) flore conſpiciuntur, non flavi tamen, ut illa, verùm rubri ſaturi & ſplendentis coloris, inſtar floris Arundinis Indicæ vulgo appellatæ, cui non valde abſimilis eſt, è quorum medio prodibant ſex ſtamina ejuſdem pænè coloris, oblonga (quibus inſidebant apices fuſci coloris quia forſitã ex attritu corrupti) & medius ſtilus, ſub quo rudimentum triangularis capitis, quod haud dubiè ſemen dediſſet, fortè etiam maturum, niſi ipſe florem præcidiſſet, ut mihi conſpiciendum præberet: radicem, Paludano referente, habet bulbaceam, cæpis vulgaribus rubẽtibus prorſus ſimilem.

Tempus.

Vnicam autem ejus plantam habebat, ipſi miſſam ab eruditiſſimo viro D. Simone de Tovar Hiſpalenſi Medico, quæ florem dabat Iunio M.D.XCIIII. alterum autem expectabat ſequente menſe, quoniam præcedente anno, eadem planta bis illi florem protuliſſet, menſibus Iunio & Quintili.

AT anno inſequente, ex Indice horti Tovarici, & epiſtolis quas ipſe Tovar ad me deinde ſcribebat, cognoſcebam Narciſſum Indicum Iacobæum ab ipſo nuncupatum.

Narciſs. Indicus Iacobæus. Azcal-Xochitl. Natales.

NARSISSVS Indicus, Iacobæus mihi indigetatus, ut ſcribit in epiſtolâ Cal. Iunij M. D. XCVI. ad me datâ, ex Occidẽtali Indiâ (ubi *Azcal-Xochitl*, quod eſt, Bulbus flore rubro, vocatur) nobis delatus: nulli rei herbariæ ſcriptori hactenus, quod ſciam, notus, cujus radix bulboſa, cepæ rotundæ ſimilima, verùm ſupernâ tunicâ pullâ, folia primùm emittit craſſa, oblonga, Narciſſi marini, tibi Hemerocallis Valentina dicti, æmula: ſecũdum folia verò, atque

adeò ex latere, pedalis & longior etiam emicat caulis, plerumque unus, aliquando verò & alter, nonnunquam pariter (quanquam hoc rarò) interdum ſucceſſivè, dilutè rubens, rotundus, compreſſo tamen ſtilo, cavus, & interiùs ſubalbidus, qui in membraneam deſinit vaginulam ſaturatè rubentem, & ad extremum acuminatam fiſſamque, è quâ flos unicus erumpit, oblongus, pediculo nixus viridiore, qui deorſum inflexus & veluti procumbens (ut in Leucoïo bulboſo vel Lilio rubro, tametſi non æquè nutās deorſumq; procumbens) ſex munitur folijs eleganti minij colore rubentibus, tribus ſuperioribus, totidem inferioribus: quorum quod è ſuperioribus medium eſt, ſurrectius eminet: reliqua duo ad latera à medio reflectuntur: inferiora autem deorſum curvantur, cunctis ita cõcinnatis, ut enſis etiam rubri, qui ab ordinis Sancti Iacobi equitibus in veſte geſtatur, formam valde referat, unde Iacobæi cognomen ipſi à me inditum. Sunt porrò in hoc elegantiſſimo flore ſtamina ſeptem ſimiliter rubra: quorum medium aliquanto longiùs in triãgularem apicem deſinit, cetera ſex apices tranſverſi finiunt, interiùs fuſci, ſuperficie verò luteo pulviſculo obducti: cuncta autem, ad mediam ferè eorum longitudinem, medium ex inferioribus folium ambit: idem etiam à reliquis duobus inferioribus complexum: atque ubi hæc deorſum flectuntur, ſtamina ipſa ſurſum elevantur.

Illo ipſo porrò anno floris cum ſuo caule & foliorum iconem ad me mittebat Ill^mus^ Comes Arembergius, quam ad vivum depingi curaverat ex plantâ quæ illi florem protulerat, à D. Tovare eodem anno acceptâ: deinde ſequente Februario bulbi ſuis coloribus expreſſi iconem, qui craſſus eſt, tunicâ exteriore fuſcâ tectus, fibriſque infimâ ſede, nonnihil prominente, frequentibus, craſſis pleriſque & in alias tenuiores diviſis, & alijs minoribus, præditus.

HÆC ſunt quæ de Narciſſis latiore folio & floribus ſimplici foliorum texturâ præditis dicenda cenſui: nunc ad eos, qui ſimplici quidem flore etiam conſtant, ſed anguſta habent folia, pergamus, eorumque differentias percurramus.

Narciſſ. juncifol. I. amplo calice.



Narciſſ. IX. qui anguſtifol. I.

NONO igitur Narciſſo (qui primus inter eos qui anguſtioribus folijs ſunt præditi) bina, aut terna ſunt folia, pedalis aut majoris longitudinis, craſſa & ſucculenta, inſtar foliorum Narciſſi præcedentis tertij minoris, verùm anguſtiora, & quodammodo media inter illa, & ſequentis Iuncifolij majoris folia, carinata tamen & viridi colore prædita, proximè ad Iuncifolij Narciſſi foliorum viriditatem accedente: prodit inter folia caulis gracilis, inſtar ejus qui ſubſequitur, firmus, pedalis longitudinis, qui ſummo faſtigio ex membranaceo folliculo, binos aut ternos flores promit valde elegantes, majores & laxiores quàm reliquorum Narciſſorum junceo folio, ſex præditos folijs flavis, quorum medium occupat calix major quàm in ullo Narciſſorum genere, ſemunciam namque longus, & per oras veluti ſinuoſus, paullo ſaturatioris lutei coloris, continens brevia ſex ſtamina flava apicibus aureis prædita, & ſtilum flavum extimâ parte craſſiorem: odoratus eſt is flos, perinde atque Narciſſi juncifolij flores: radicem habet Narciſſi ſequentis bulbo æqualem.

Mihi demum conſpectus eſt hic Narciſſus anno nonageſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum, Aprili menſe ſuis floribus onuſtus apud Theodoricum Clutium, Academici horti Præfectum, Lugduni Batavorum, quo anno bulbi mihi communicati cùm ab illo, tum à Cornelio van Hille Eccleſiaſte Roterodamenſi.

Narciſſ. X. qui anguſtifol. II. & Juncifolius I.

DECIMO etiam Narciſſo, qui anguſtiore folio ſecundus, bina aut terna ſunt oblonga folia, anguloſa, carnoſa, & pænè rotunda, juncis viridioribus & medulloſis, lęvore coloreque quodammodo ſimilia, nec minus flexibilia, inter quæ medius exilit caulis, rotundus, cavus, nullus ornatus folijs, in cujus ſummo, ex tenui quodam membranaceo involucro, flores terni, quaterni, aut quini prodeunt oblongi (gemelli interdum) forma Narciſſinis ſimiles, odoratiores eo qui medio purpureus eſt, flavi omnino, hoc eſt tam interiore calice quam ambientibus


Narciſs. juncifolius II.

Narciſsus juncifolius oblongo calice luteus major C.B. Pin. 51



Narciſs. juncifolius minor.

Narciſsus juncifolius flore pallidiore, calice flavo C.B. Pin. 51



bientibus eum folijs, quæ vel mucronata, vel mucrone nonnihil orbiculato conſpiciuntur: his ſuccedunt triangula capita obtuſis angulis ut reliquorum Narciſſorum, nigro & anguloſo ſemine plena, minore tamen quàm aliorum Narciſſorum: radix etiam minor, candida, nigricantibus membranis tecta.

Iſtius genus invenitur minus, gracilioribus, rotundioribus, frequentioribusque folijs, cauliculis è medio prodeuntibus puſillis, unicum plerumque aut alterum florem duntaxat ſuſtinentibus, flavum & odoratum ut alterius, ſed folijs conſtantem firmioribus & magis orbiculatis. *Narciſs. juncifol. minor.*

Prior ſponte naſcitur in montanis pratis non procul Toleto, & circa Guadalupe. Poſteriorem uliginoſis inter Hiſpalim & Gades locis cum ipſo flore eruebam Ianuario menſe: at in Belgicis hortis neuter niſi Aprili floret, vel etiam Maio, licet interdum denuo paullo antè brumam, ſi mitior ſit aëris conſtitutio. *Natales.*

Intellexi ab Hiſpanis Narciſſi quoddam genus in Hiſpania inveniri quod omnino junceis etiam ſit folijs, ſed florem candidum producat, eamque ob cauſam *Iunquillos blancos* ab incolis appellari: ſed cùm illum numquam conſpexerim, plura hîc adferre non licet. Anno tamen M.D.XCVI. ab eruditiſſimo viro D. Simone de Tovar paucos bulbos eo nomine inſignitos accipiebam: ſed adeò exiles, ut poſt multos duntaxat annos illorum flores ſint ſperandi. *Narciſs. juncifol. albo flore.*

NARCISSVS PRÆCOX PLENO FLORE. CAP. XIII.


EXPLICATA præcocium Narciſſorum qui ſimplici ſunt flore hiſtoriâ, eos qui plenum, ſive πολύφυλλον illum habent & colore quidem variantem deſcribamus.

PRIOR latioribus eſt folijs quàm primus ſimplex, & quodammodo carinatis ternis aut quaternis, caulis ſtriatus, nudus, intus concavus, ut in ſuperioribus, pedali altitudine aſſurgit, qui è membranaceo folliculo ſummo cauli inſidēte, ternos, quaternos, aut plures (nam memini in hortulo meo Viennæ florere qui ſeptenos habuerit) flores promit, ſenis albis ampliſque folijs ut prioris ſimplicis tertium genus, conſtantes, quibus pro calice ſex alba alia folia ſunt, minora tamen, & flavi calicis fragmentis ſic interſecta & disjuncta, ut nulla calicis forma appareat, ſed veluti apophyſis flava ad ſingula interiora folia adnata videatur: odoratiſſimus eſt ille flos, & gravedine quadam caput tentans: nullum ſemen in hoc genere obſervavi: radix interdum craſſiſſima, multis ſpadiceis tunicis ſepta, & frequentibus fibris donata. *Narciſs. plenus I.*

ALTER folia, bulbum, caulem, priori adeò ſimilia habet, ut neuter ab altero diſcerni queat, ſoli flores diſcrimen faciunt, qui etiam è vaginulâ ſummo cauli inſidente, emergunt terni aut quaterni, priori magnitudine æquales, ſeniſque folijs albis conſtantes amplum *Narciſs. plenus II.*

Narciſſus pleno flore I.

Narciſſus Latifolius albus medio luteus B Pin: 53.



Narciſſus pleno flore II.

Narciſſus Latifolius albus medio ac viridis B:Pin 53.



Narciſſus pleno flore III.

Narciſſus albus corona multiplici lutea B Pin 53.



aurei coloris calicem cingentes, adeò multipliciter mirumque in modum implicatum, ut leucoij flavi polyphyllum florem ſaturatiorem quodammodo æmuletur: odor perinde ſuavis ac in priore.

Narciſſ. plen. III. TERTIVS folia & reliqua omnia ſuperioribus ferè ſimilia habet, ſed paullo minora: flores etiam in hoc minores, ſex albis folijs conſtantes, medium calicem flavum & plenum habet, emicantibus è medio oblongiuſculis anguſtis foliolis ſtellatim quaſi decuſſatis, albi quidem coloris, ſed cui & viridis foris, & pallidus interiore parte permixti ſint: odor ferè qualis in priore, ſed neſcio quid magis aromaticum ſpirans, medius inter narciſſi & muſcari odorem.

Omnes Byzantio allati: primus quidem ſæpiſſimè, nam ſingulis annis, cum alijs bulbaceis ſtirpibus Viennam mittebantur: alterum duntaxat conſpexi in horto Generoſæ Dn. Vngnadin, anno M.D.XXCVIII præcedente Autumno illi cum alijs & ſimplici niveo flore miſſum: tertium habui munere Philiberti de Bruxellis Cæſarei dapiferi cum pleriſque alijs bulbis ſub anni M.D.LXXV. initium. eodem quidem anno & ſequentibus folia produxit, at nullum florem. toto anno M.D.LXXIX. latuit, ut perijſſe exiſtimaverim, anno ſubſequente Martio denuo prodijt, & Aprili ternos flores, quales modò deſcripſi tulit: tulit & proximo ſubſequente anno plures dum in Anglia peregrinarer, referentibus domeſticis. Florent etiam ſuperiores Aprili. At huic ante hiemem folia emergere non ſolét, ſed novo vere duntaxat, eo videlicet anno quo florem dabit. Nam ſi ante hiemem illi pro-

illi prodeunt (rariſſimè id fit) proximo anno non florebit. Sæpe etiam in reliquis præcocibus Narciſſis qui Conſtantinopoli mittuntur vel pleno flore vel albo medio luteo, accidit, ut ſterilitatis indicium ſit, ſi folia ante hiemem emerſerint.

ANNI porrò M.D.XXCVIII. Auguſto menſe Byzantio miſſi ſunt magni muneris loco tres craſſi Narciſſi bulbi Ill. V. Davidi Vngnad Baroni in Zonneg & Pleiberg atque bellici conſilij Præſidi, qui *Feza* Aphricæ urbe recens allati, magnum florem multiplici foliorum numero conſtantem omnino flavum ferre dicebantur: ille Viennâ diſcedenti unum donavit, quem, cùm propter raritatem mihi carus eſſet, horto per hiemem committere nolui, ſed in fictili ſumma curâ alui: omnis tamen mea ſedulitas inutilis fuit, nam corruptus eſt. Eandem fortunam experti ſunt quos uxori reſervarat, ut ex ipſius litteris poſtea intellexi. *Narciſſ. pleno IIII. flavo flore.*

Narciſſus pleno flore V.

Narcissus multiplex ~~totus flavus~~ B. Pin. 54



Narciſſus pleno flore VI.

Narcissus totus niveus multiplex B. Pin. 54



QVINTVS è genere Narciſſi medio purpurei latifolij Sexti qui ex laxo membranaceo folliculo exit, proditque novo vere cum illo, folijs alijsque rebus omnino ſimilis, ſolum diſcrimen in flore eſt, qui ſex quidem majuſculis folijs latè expanſis conſtat, ut ille, ſed in calice illo rubra fimbria ornato, alia ſex folia paulo minora continet, ſingula peculiarem fimbriatum caliculum habentia, è quorum medio aliquot alia minuſcula folia ſtaminibus permixta prodeunt: ſuavis admodum eſt odoris, ad Muſcari quodammodo accedens. Singulares ut plurimum ſuſtinet caulis flores, interdum etiam binos, ut qui ſimplici foliorum textura conſtantem florem fert. *Narciſſ. pleno V.*

Floruit mihi Maio menſe anni MDXC. pręcedente autumno à Io. Boiſoto Bruxellis miſſus.

Eodem tempore pro pleno etiã Narciſſo accepi ab honeſto viro Ioanne Mermanno Coloniâ bulbum, qui quidem ſequente vere prodijt & in ſummo caule vaginulam tulit: ſed illa exareſcens floris ſpem præcidit. At annus XCI. planè ſimilem ſuperiori eſſe declaravit. Quo etiam anno mihi communicavit N. V. Philippus de Sivry, Præfectus urbi Montibus Hannoniæ, Narciſſi bulbum, qui ſequente anno florem tulit illis ſimilem, ſed viginti, & pluribus folijs conſtantem, intercurſante inter illa fimbriato calice ut in jam dicto. At qui Illmo Comiti de Arenberg floruit anno M.D.XXCIX. quatuor & ſexagena folia habuiſſe ſcribebat ad me idem Boiſot, & unici bulbi, quem ab eodem Comite impetraverat, prolẽ ſuperiore Auguſto cum alijs aliquot raris bulbaceis ſtirpibus ad me mittebat: verùm tabellario, cui pyxidula, quâ incluſi erant, tradita erat Coloniam ferenda, in prædones incidente, cum illis adjunctis perijt magno meo dolore.

SEXTVS paullo anguſtiora videtur habere folia, alioqui non diſſimilia: bis floris ſpecimen Viennę mihi dedit, ſed vitium fecit, Francoforti toto biennio folia duntaxat novo vere dedit: an id accidat propter fœcunditatem, proles enim ſingulis annis ſatis liberaliter ſub- *Narciſſ. pleno VI. albo flore.*

miniſtrat, ignoro: at qui bulbum cum hac icone mittebat honeſtus vir idemque rei herbariæ ſtudioſiſſimus & diligens obſervator, Iacobus Plateau, civis Tornacenſis, mihi ſignificabat unicum ſummo caule ferre florem ſub Maij menſis finem, totum niveum, & multiplici foliorum texturâ conſtantem: hujus radix minor eſt quarto genere.

Vnde primum in Belgicam illata ſint quartum & quintum genus ignoro: quod autem Mermannus communicabat, ex Regis Galliæ horto deſumptum fuiſſe intelligebam.

Nomina. CETERVM hi flores Ναρκίσσοι à Græcis, Narciſſi à Latinis appellantur, Galli peculiare nomen non habent, *Narciſſes* tamẽ nominare poſſent, Germanis Narciſſen roſlin dicuntur. Priori ſimplici flore *Lirio blanco* ab Hiſpanis nomen impoſitum: alteri *Lirio blanco* & *Cebollinas*, à quibuſdam etiam *Narciſſo de Seuilla*, id eſt, Narciſſus Hiſpalenſis, vel quòd circa Hiſpalim plurimus naſcatur, vel quòd à me primùm, deinde ab alijs ex eâ urbe ſit miſſus. Ejus altera ſpecies *Iunquillos blancos* appellata fuit, tametſi pręter floris formam nihil affine habeat cum Narciſſo juncifolio. Tertij & Quarti hiſtoriæ Turcicum nomen adſcriptum. Octavum & Nonum à ſimilitudine quam ejus folia cum juncis habent, Hiſpani *Iunquillos* vocant, nos Narciſſum juncifolium flore flavo vel tenuifolium diceremus, ad differentiam Quarti, cui flavus etiam flos, ſed latiora folia. Dodonæus Bulbum vomitorium eſſe contendit: quo autem argumento ipſe & reliqui qui ejus veſtigia ſequuntur, id probare poſſint, libenter intelligerem: certè Narciſſorum cujuſcumque generis radix vomitum præmanſa ciet, ut deinceps dicemus.

Omnem porrò Narciſſum, præter eum quem peculiari nomine *Devebohini* dictum dixi, Turcæ propriè appellant *Serin cade*, hoc eſt, Regium calicem, quòd flavum illud in medio flore, calicis formam quodammodo referat: qui verò mittũt ejus bulbos vario corruptoque nomine, ut plurimum inſcribũt, nunc *Zeremcada*, modò *Zerem cade*, interdũ etiam ineptiore *Zaremcatta* addita voce *bianco*, vel *giallo*, cùm colorem album vel flavum deſignare volũt. At qui pleno eſt flore, plerumque *Zerem cada catamer* appellarunt, additis ijſdem vocibus *bianco* & *giallo*, pro coloris florum quos mittere ſe putabant, varietate: tametſi ſæpiſſimè nobis impoſitum deprehenderimus: nam multos ſimplici flore hoc nomine accepimus, contrà nonnumquam pleno flore præditos, hac ſimplici *Zerin cada* inſcriptione. Interdum etiam tam plenus, quàm qui amplo ſimplici eſt flore, præſertim craſſo præditi bulbo, *Penachio* nomine miſſi, vel *Giul catamer lale* (qua appellatione & Anemonem pleno flore, & alias quaſdam ſtirpes accepimus) quæ voces Roſæ plenæ florem ſignificant. Sæpiſſimè etiam ejuſdem generis bulbis diverſa nomina adſcripta fuiſſe cõperimus: ut ſchedis additis minimè fidendum ſit, ſed cujus coloris florem ſint habituri Narciſſi bulbi, ipſa αὐτοψία nos docere & certos reddere debeat.

Facultates. NARCISSI cujuſcunque generis radicem præmanſam vomitũ ciere jam diximus, quemadmodum ſæpenumero expertus ſum: quâ facultate præditam eſſe, ipſe etiam Dioſcorides teſtis eſt, apud quem reliquas Narciſſi facultates requirere ſtudioſos ne pigeat.

albus Narcissus autumnalis minimus Bilm: 51.

NARCISSVS SEROTINVS.

Narciſ. ſerot. ſive autumnal. minimus.



CAP. XIIII.

VNICVM cauliculum, digitalis longitudinis, gracilem, vacuum habet hic Narciſſus, in cujus ſummo florẽ Narciſſinum odoratũ, ſex foliolis albis conſtantem, & in medio exiguum calicem flavum continentem: flori ſuccedit exile trigonum caput, exiguũ nigrum anguloſumq; ſemen continens: radix Narciſſo Iuncifolio valde ſimilis, minor tamen, multis candidis tunicis, lentoque ſucco prægnantibus conſtans, ſed nigrâ quadam membranâ tecta. Tota planta amara eſt, ut ſuperiores Narciſſi, vereq; dixit Plinius, odorato ſaporem rarò ulli non amarum.

Natales. Naſcitur plurimus ad Anam flumen in Turdulis, ubi florentem, & ſuis capitulis jam matureſcere incipiẽtibus eruebam ſub Octobris finem, nullis è bulbo natis folijs, nec ulla eorum veſtigia obſervans, quod ſanè mihi admirationi fuit.

Nomina. Incolæ *Toñada* appellabãt, nos ſerotinum nuncupavimus, poſſemus & Autumnalem minorem vel minimum dicere: nam Narciſſum vix minorem inveniri poſſe puto.

NARCISSVS PERSICVS. CAP. XV.

Narciſſi Perſici hiſtoria. AKATAOΣ planè eſt hæc planta, & floris duntaxat pediculo prædita, veluti Crocum, Colchicumque: exilit ergo è membranaceo cucullo,

Narciſſus Perſicus.

Colchicum, melino flore B: Pin: 69.



cullo, tamquam ex vaſculo aut theca flos oblõgus, Croci aut Colchici floris æmulus, ſex folijs cõſtans ex flavo palleſcentibus, quorum tria interiora paulo anguſtiora ſunt, externa latiora, & ſummo mucrone nõnihil incurva, ſive ἀπόφυσιν quandam habentia, qua interiorum mucronem amplectuntur & comprehẽdunt, ingrati odoris, & papaveris quaſi virus redolentis, ſtamina ſex medium florem occupant, in foliorum unguibus nata, ſed internorum foliorum reliquis longiora, exilit è medio oblongior ſtilus, gracilis, & ſine capite. Folia illi ſunt Hemerocallidi Valentinæ, de qua paullo pòſt, non multùm abſimilia, lata, plana, ejuſdemq; cũ illis coloris, hoc eſt, ad æruginеum tendẽtis, quæ ut plurimum convolvuntur, aut ſeſe circumagunt: radix craſſa, bulboſa, à baſi (quæ multis fibris donata eſt) ſtatim extuberans, intus candida, foris pallidior quidem, ſed aliquantum etiam nigricans.

Semel duntaxat Cõſtantinopoli allatum eſt hoc bulbi genus, mihiq; communicatum à Philiberto de Bruxellis, cujus ante memini, anni M. D. LXXV. initio, quem poſtea varijs amicis cùm in Belgicâ tùm in Germaniâ diſtribui. Initio Narciſſum Autumnalem majorem ſequente capite deſcribendum, ex bulbi forma eſſe conijciebam, in qua opinione valde me confirmavit flos ſub finẽ Septembris emergens. Sed poſtquam folia non ſubſequi animadverti, & ineunte demùm vere prodire obſervavi, eaque ab illius folijs colore differẽtia: tum exactiùs collatâ inter ſe utraque plantâ, diſpares eſſe manifeſtè deprehendi: æſtate breve inter folia caput, pollicem craſſum, brevi pediculo inhærens, & ſummâ tellure vix emergens, ferre aliquoties obſervavi, quod cùm inane eſſet, ſeminis conſpiciendi ſpes omnis ſublata.

Nomina. *Lirium alt. Theoph.*

NOMEN ſchedæ illi additæ inſcriptum erat *Zarem cada perſiano*, id eſt Narciſſus Perſicus. Multum verò convenire videtur cum Narciſſo vel Lirio altero Theophraſti, cujus meminit Hiſtoriæ plantarum lib. ſexto, cap. VI. florem amplum illi tribuens, coloremque (ut eruditiores volunt) melinum, non nigrum, figura oblongum, ſerotinumque admodum, poſt Arcturum & circa æquinoctium ſeſe oſtendentem, vel, ut ſequente capite ait, autumno primis imbribus, quemque libro VII. hiſtoriæ cap. XII. caulem tantùm floris habere dicit, ut crocum, cum omnibus alijs aſſurgat.

NARCISSVS AVTVMNALIS. CAP. XVI.

Narciſſ. autumnalis major.

PERSICO Narciſſo valde affinis eſt hic Narciſſus, tametſi neuter flore Narciſſum æmuletur, ſed ſolis folijs, & radice. Quina autem aut ſena habet folia, oblonga, pollicem lata, præ viriditate ferè nigricantia, ſplendentia, humi plerumque ſparſa, inter quæ brevis exit cauliculus viridis, rotundus, vix ſupra terram ſe attollens, cui inſidet flos ſuperiori formâ ſimilis, ſed brevior, flavi omnino coloris ex membranaceo folliculo emergens, cujus exteriora tria folia interioribus majora ſunt, eaque velut amplectuntur, omnia autem mucrone ſunt magis orbiculato, quàm Perſici folia: ſex ſtamina ſuis apicibus ornata, & ſtilus è floris umbilico emergunt: radix craſſa eſt, rotunda, intus candida, foris, ut Narciſſus, nigricans.

Hujus alia ſpecies invenitur anguſtioribus folijs, in reliquis cum illo conveniens.

Tempus. *Natales.*

Sub Auguſti finem, & Septembri germinare incipit, & plerumque floret. Gaudet montanis quibuſdam Hiſpaniæ pratis: etiam in Italia ſponte naſci audio. Ex Thracia ante paucos annos etiam adferri cepit, cujus bulbos quòd ſiccitate nonnihil palleſcerent initio Perſici Narciſſi eſſe putabam: ſed emergentia illico, poſt quàm telluri fuerunt commiſſi bulbi, folia, omnem dubitandi occaſionem ademerunt.


Narciſſ. autumnalis minor.

ALTER Octobri menſe, quemadmodum Perſicus, nudum è vaginula membranacea profert florem ſex oblongis & anguſtis folijs conſtantem, non æqualibus, nam exteriora paullo longiora & latiora ſunt, omnia autem mucronata foris flaveſcentia & ſplendentia, interius flava ad majoris colorem magis accedentia, flava ſtamina medium florem occupant. odoratus eſt hic flos, ſoloque pediculo innitens, ſupra terram non attollitur: flore jam marcido, emergere interdum incipiunt folia, ut plurimùm autem ineunte vere duntaxat, terna aut quaterna, plana, viridia, & ſplendentia inſtar foliorum majoris, ſed longè anguſtiora, &

Narciſſus autumnalis major.



Narciſſus autumnalis minor.



ra, & præter aliorum morem ſeſe contorquentia, & cincinnorum inſtar convolventia: ſemen primùm mihi tulit anno M.D.XCI. initio Iunij in capitulis uncialibus, ferè trigonis, rotundum, nigrum, cui inhærebat albicans quædam & ſpongioſa ab uno latere materia: radix puſilla, nigrâ tunicâ tecta, inferioreque ſede tenuibus fibris firmata.

Nomina. NONNVLLI vocant hanc ſtirpem Narciſſum autumnalem, alij Colchicum luteo flore, cùm tamen nihil cum colchico commune habeat, præter florem, reliqua ſunt Narciſſi. Quòd ſi à floris ſimilitudine colchicum dicendum, omnia croci genera etiam Colchicum appellare licebit, cùm florem colchico ſimilem habeant. Hiſpani *Açuçenas amarillas*, id eſt, Lilium flavum: è Thracia verò allatum *Ciden ſari* nomine. Poſſet etiam non incommodè forſitan ad Lirium alterum Theophraſti referri, vel νάρκισσος ὀπωρινὸς græcè dici: Secundus autem νάρκισσος ὀπωρινὸς ὁ μικρότερος, ſive Narciſſus autumnalis minor. Verum quidem eſt mihi miſſum à Generoſo Viro Carolo de Houchin Domino de Longatre Colchici lutei minoris nomine, à Iacobo Plateau verò, Colchici montani minimi lutei appellatione.

Sparganium Placa. SVPRA Valentiam ſalebroſis & petroſis locis naſcitur quædam planta bulbacea binis folijs prædita, humi ſtratis, longis, craſſiuſculis ex viridi nigricantibus, Narciſſi majoris autumnalis folijs ferè ſimilibus, ſed quibus interna parte ſecundùm nervi medij longitudinem alba quædam latiuſcula linea ducta eſt: radix bulboſa multis tunicis conſtans candicantibus, & lenti viſcidique ſucci plenis, ingrati amarique ſaporis, foris nigro cortice obductis.

Eam C.V. Ioannes Plaça Medicus Valentinus, pedalem caulem (nam radicem cum folijs duntaxat, eo demonſtrante, eruebam) lævem, aliquot in ſummo flores Lilij æmulos, candidos ferentem habere, deinde rotunda capitula, in quibus exiguum ſemen contineretur, aſſerebat, & Sparganium vocabat.

PSEVDO-NARCISSVS. CAP. XVII.


Pſeudonarciſſus vulgaris. PSEVDO-NARCISSVM illum vulgarem maturè admodum florem proferentem ſex pallidis, & ſtellatim decuſſatis folijs conſtantem, magno, longo flavoque & fimbriato calice è medio protuberante ornatum, tanta abundãtia in pratis, Londino ſatis vicinis, creſcere certũ eſt, ut in celebri illo vico vulgo *Ceapſide* nuncupato Martio mẽſe ruſticæ mulieres maximâ copiâ flores venales proponant, & omnes tabernæ eo flore exornatæ conſpiciantur. Creſcit & alijs Angliæ, & pleriſque Germaniæ locis: memini & olim, cùm Lovanij humanioribus litteris operam darem, ad ſilvulæ illius, cœnobio vulgo Perck dicto vicinæ, margines legere ſponte natum.

Reperitur etiam illius genus magis præcox, alioqui non valde diverſum à jam memorato, cujus flos non pallidus, ſed aureus inſtar majoris Hiſpanici.

Hunc

Pſeudo-narciſſus pleno flore.

Narcissus sylvestris multiplex calice carens C.B. Pin 54.




Pſeudo-narciſſus major Hiſpanicus.

Narcissus major totus luteus calice praelongo. C.B. Pin 52



Pſeudo-narciſſus minor Hiſpanicus.

Narcissus parvus totus luteus C.B. Pin 52.



Hunc verò, colorem interdum mutare obſervavi, hoc eſt, calicem illum medium non minus pallidum habere, quàm ſint ſex illa externa folia ipſum ambientia.

Nunc etiā apud Belgas in hortis alitur aliud genus prorſus illi ſimile, folijs, bulbo, ceteriſq; rebus, ſed diverſo flore, qui videlicet medio illo calice careat, & ejus loco, plurima folia externis illis omnino ſimilia & pallida habeat. *Pſeudonarciß. pleno flore.*

At aliud genus nonnullis veteris Caſtellæ pratis, & humidis mōtanis locis, Anglico quidem ſimile, ſed folijs longè majoribus, magiſque virentibus, longiore caule, paullo minore flore, eoq; prorſus flavo, & quaſi aureo, videlicet tam externis folijs quàm calice: radix hujus craſſior eſt quàm in ſuperioribus. *Pſeudonarciſſus major Hiſpanic.*

Est etiam alius, qui novo vere terna aut plura profert folia, majori forma coloreque ſimilia, ſed longè minora & anguſtiora, florem puſillum, majori tamen Hiſpanico & forma & flavo colore perſimilem, inſidētem digitali, tenui, viridi cauliculo inter folia emergenti: flori ſuccedit trigonum, obtuſis tamen angulis, & ferè rotundum capitellum, in quo ſemen inæquale nigrum, ſatis magnum pro plantæ proportione: radix bulboſa, exigua, foris nigricans. Miſſus mihi hic fuit primùm à Io. Moutono, Narciſſi minimi montani latifolij nomine; deinde à Generoſo Dn. de Longatre, pro Pſeudonarciſſo minimo Hiſpanico flavo. *Pſeudonarciß. minor Hiſpanicus latifolius.*

Nascitur verò quibuſdam Luſitaniæ Bæturiæque collibus, Pſeudo-Narciſſi genus aliud, cui folia non lata ut ſuperioribus, ſed valde anguſta, ſive potiùs juncea; caulis tenuis, nudus, *Pſeudonarciß. junceis folijs 1.*

nudus, palmum altus, cujus extremitati inſidet flos è vaginula emergens, qui ſex folijs ex herbido palleſcentibus & expanſis conſtat, quorum medium calix flavus, calathi inſtar oblongus, oris præditus non ſinuoſis & fimbriatis ut ſuperiorum, ſed æqualibus: radix exiguo Narciſſo ſimilis, intus candida, foris nigricans.


Florebat Ianuario, cùm Vlyſſipone Hiſpalim proficiſcerer: & Incolæ *Campanilla*, hoc eſt, Campanulam vocabant.

SED & expreſſâ meâ Stirpium quas in Hiſpania obſervabam Hiſtoriâ, miſit ad me Ioannes Moutonus Tornacenſis pharmacopæus diligentiſſimus & fideliſſimus, idemque rei herbariæ peritiſſimus, elegãtes Pſeudo narciſſi juncifolij icones, quas è plantis, ipſi medio Martio anni M.D.LXXVI. florentibus delineari juſſerat: eas porrò aliquot ante annis à quodam è Gallicia redeunte in Cantabrorum jugis erutas accepiſſe, ſcribebat.

Harum prior, illi perſimilis eſt, quem proximè deſcripſi: imò illam ipſam eſſe certus ſum. Nam anno M. D. LXXXIIII. trium harum ſtirpium ſingulares bulbos ad me miſit, qui omnes ſequente anno non modò egregiè creverunt, ſed etiam flores protulerunt ipſo Februario, quia fortè in fictili repoſitos diligentiùs adſervaveram.

Pſeudo-narciſſus juncifol. II. flavo flor.

Narcissus montanus alter flore fimbriato B: Pin: 53.



Pſeudo-narciſſ. juncifol. III. albo flor.

Narcissus montanus albus minimus B: Pin 53



Pſeudonarciſſ junceis folijs II. Alter tenuiora paullo, licet ſurrecta, habuit folia, florem flavum, hoc eſt, calicem per oras leviter & tenuiter fimbriatum, & ſex illa foliola calicem ambientia, ex herbido palleſcentia, in capitulo flori ſuccedente nigrum rotundiuſculum ſemen etiam tulit: radix puſilla foris nigricans, bulbacea, tenuibus fibris è ſede prodeuntibus firmata.

Pſeudonarciſſ junceis folijs III. Tertius quaterna aut quina folia habuit tenuiſſima, & capillaria, viridia, humi procumbentia & ſparſa, inter quæ cauliculus emerſit infirmus, palmaris, tenuis, nudus, unicum in ſummo florem è membranaceo folliculo prodeuntem ſuſtinens, tenellum, candidum omnino & calicis oris fimbriatis: hujus ſemen non obſervavi: radix ſuperiori ſimilis. Omnes verò has elegantes plantulas mihi abſtulit aſperrima illa anni XXCVI. hiems.

Nomina. VVLGAREM porrò Dodonæus appellat Narciſſum ſilveſtrem: ſunt qui putent Theophr. lib. VI. Hiſt. cap. VII. βολβοῦ κώδιον eſſe, cujus ſolũ inter coronarios flores, & qui maturè erumpunt, meminit, ſive Plinij lib. XXI. Hiſt. Nat. cap. XI. Codiaminon, quod bis florere ait, vere & autumno. Germani gelb Hornungs blumen/ Auſtriacæ matronæ gelb beckerl/ id eſt, flavum caliculum, & gelb Mertzblumen/ hoc eſt, flavam violam martiam, Belgæ geel tydeloſen/ Galli nonnulli *Coquelourdes*, alij *Porrion*, à porraceis videlicet folijs appellant.

HEMERO-

HEMEROCALLIS VALENTINA. CAP. XVIII.

Narcissus Maritimus B: Pin 54.



Hemerocallidis valentinæ hiſtoria.

HVIC plantæ, quę inter Narciſſi genera referenda, quina aut ſena ſunt folia, oblonga, lata, Narciſſinis ſimilia, ſed planiora, firmioraque, ſubcineracei quodammodo coloris: caulis inter ea aſſurgit cubitali interdum altitudine, & Leucoij bulboſi quarti (de quo paullo infra) craſſitudine firmior, nudus & ſine folijs, qui cacumine promit membranaceũ involucrum, & eo dehiſcente quinos aut ſenos, interdũ plures flores, Pſeudo-narciſſo vulgari ſimiles, lilij odorem ſpirantes, albos omnino: præter externorum ſex foliorum nervum, & extremos mucrones, qui viridi colore nonnihil aſperſi conſpiciuntur: è medio oblongo protuberante calice per oras laciniato exeunt candida ſex oblonga ſtamina ſuis apicibus flavis ornata & medio longiore ſtilo, ut lilio albo ferè: marcidis & defluentibus floribus ſubſunt triangularia capita, in craſſitudinem ſucceſſu temporis extuberantia, quibus ſemen continetur nigrum, magnum, compreſſum, fungoſum: radix bulbacea, magna, alba, oblongior, lento humore plena, nigricante cortice obducta, quæ interdum adnatis Narciſſorum modo ſe propagat. Caulis etiam & folia conciſa aut confracta lentum humorem exſtillant.

Natales.

In maritimis circa Valentiam Hiſpaniæ frequens, & toto illo maritimo tractu infra Mompelium, ubi Maio menſe florentem, Julioque & Auguſto ſemen maturum ferentem magna difficultate ante multos annos eruebam, tam altè arenâ maris fluctibus aggeſtâ, merſa erat. Allata etiam eſt Viennam aliquoties, dum iſtic vivebam, Conſtantinopoli, Narciſſis varij generis permixta, *Con zambach* nomine, addita inſcriptione, albos ac odoratos flores proferre medio inter Auguſtum & Septembrem tempore: & certè bis autumno florem dederunt recens allati bulbi Generoſo viro Wolfgango Chriſtophoro ab Entzeſtorf Auſtriaco: ſed illæ ipſæ plantæ nullum poſtea florem amplius tulerunt; quemadmodum nec eæ omnes quas è Gallia, Hiſpania & Italia ſæpiùs in Belgium delatas, vel ſemine natas aliquot annis aluimus. Itaque hanc plantam, ut & alias quaſdam, in illarum claſſem reijcio, quæ mutato natali ſolo, nunquam, aut rariſſimè florere ſolent, cùm videlicet concepto jam in ipſo bulbo flore eruuntur, & transferuntur. Aliquot etiã bulbos ad me Neapoli mittebat Ferdinandus Imperatus, quos cum alijs pleriſque (curante Ill[ri] Viro Ioanne Vincentio Pinello) Francofurti accipiebam ex ea urbe diſceſſurus ſub finem Septembr. M.D.XCIII. quos ſubſequentis anni hiems, omnibus hortis valde noxia, ſuſtulit.

Scilla. *Pancratium.*

EO porrò tempore quo Mompelij apud C. V. Gulielmum Rondeletium vivebam, Scilla vocabatur, atque ex ea trochiſcos qui Theriacam ingrediuntur pharmacopæi parabant: poſtea Pancratium flore Lilij vocari cæpit. Quæ in Valentino littore naſcitur, D. Ioanni Placæ Medico & Profeſſori illius urbis celeberrimo Hemerocallis nuncupabatur, qui eã liliaceos quidem flores ferre affirmabat, ſed flaveſcentis aut pallidi coloris. Hiſpanorum vulgus *Amores mios* vocat. Itali quidam *Giglio marino*, apud quos rubro aut purpureo flore inveniri, præſertim Oſtienſi portu, mihi aliquando relatum eſt.

LILIONARCISSVS HEMEROCALLIDIS Valentinæ facie. CAP. XIX.

QVANQVAM cum Hemerocallide Valentina magnam affinitatem habeat, eodem tamen capite non complectendam, ſed peculiare caput illi tribuendum operæpretium duximus: notas enim quaſdam habet ab Hemerocallide alienas.

Semine autem ex Italia miſſo nata eſt hæc planta Ioanni Bidaut Canonico Inſulano, rei herbariæ (ut intelligo) ſtudioſiſſimo, qui floris iconem N. V. Ioanni Boiſot mittebat, is verò ad me, anno M.D.XCII.

Iacobus etiam Plateau, cujus frequens in meis Obſervationibus mẽtio, eodem anno ſcribebat ſimilem plantam ipſi natam ſemine Florentiâ miſſo Martagonis rariſſimi appellatione, quod tamẽ ipſe, propter diſſimilitudinem aliter appellare maluiſſet. Sequente anno, meo

rogatu

Lilio-narciſſus Hemerocallidis facie.

Lilionarciſſi hiſtoria.



rogatu ejus imaginem miſit, & litteris ad me exaratis deſcriptionem addidit, quas, quoniam gallicè loquebâtur, latinas ſic faciebam: Mitto, uti petieras, iconē ejus Narciſſi, quem ſatione adquiſivi, & eorum, quæ circa eam plantam obſervavi, deſcriptionem.

EIVS bulbus Muſcari craſſitudinē æquat, vel etiam ſuperat, pauloq; longior eſt, multis tunicis involutus, quarum extima fuſca eſt, ſequens ſubrufa, tertia candidior: ejus radices ſeu fibræ, graciliores & frequentiores, quàm in Muſcari: ſub Aprilis demùm finem (nullos bulbos memini adeò tardè emergentes) ſena aut plura producit folia, duplò ferè latiora quàm Muſcari, ſed illis breviora, & ſub extremum Auguſtum marceſcentia, diſſimili planè ratione quàm tua Hemerocallis Valentina, cujus folia Auguſto emergunt, deinde tota hieme viridia permanent. Ex eodem bulbo bini interdum prodeunt caules, ferentes ſinguli, circiter Iunium menſem, folliculo incluſos ſex aut octo flores parvo lilio non diſſimiles, medium occupante parvo calice albo, in multas lacinias per oras ſecto, odorato, in quo ſex alba ſtamina flavis apicibus prædita, & medius ſtilus albus: ſemē in thecis nigrum, minus & magis rotundum Hemerocallidis ſemine. Ego Lilio-narciſſum Orientalem appellarem: ſed tuo judicio permitto.

Illius porrò eiconem, ex ea, quam ipſe Plateau mittebat, expreſſam hîc ſubjecimus.

LEVCOIVM BVLBOSVM.

Leucoium bulboſ. præcox majus.



CAP. XX.


TRIA Leucoij bulboſa radice apud Pannones obſervabam genera: quorum duo præcocia ſunt, tertium ſerotinum. Præcocibus addo aliud peregrè Viennam allatum, deinde minimum genus in Hiſpanicâ peregrinatione erutum.

PRIMVM, Narciſſi autumnalis majoris folijs ſimilima habet folia, admodum viridia & nitida, nō tamen adeò atra viriditate ſplendentia: caulem è medio illorum exeuntem, ſeſquipalmarem, nudum, ſtriatum, infirmum, concavum, membranaceum folliculum, ſive vaginulam in ſummo ferentem, è qua unus, interdum alter, rarò tertius erumpit flos, ſex folijs æqualibus conſtans, candidis, ſed extimâ & anguſtiore parte veluti maculâ è viridi flaveſcente infectis, nutans & deorſum ſpectans, exigui cymbali modo, medium occupantibus ſex flavis ſtaminibus cum candicante ſtilo, floriſq; Spinæ appendicis, ſive Oxyacanthæ vulgo creditæ odorem referens, nec ingratus: flori ſuccedunt membranacea capitula, pyri modo turbinata, ſemen ex candido flaveſcens continentia, oblongiuſculum, durum: radix bulboſa eſt, multis candidis tunicis (extimâ tamen fuſcâ) conſtans, & denſâ candicantium fibrarum comâ firmata.

Leucoium bulboſ. præcox minus. ALTERIVS folia non multùm à ſuperioris folijs forma diſcrepant, verùm anguſtiora ſunt & firmiora, ad Pſeudo-Narciſſi vulgaris flavo flore foliorum colorem æruginoſum & quodammodo cineraceum magis accedentia: cauliculi graciliores, palmares, nudi & concavi

Leucoium bulboſ. præcox minus.

Leucoium bulboſum trifolium minus C.B. Pin: 56.



Leucoium bulboſ præcox Byzant.

Leucoium bulboſum trifolium majus C.B. Pin: 56.



cavi è vaginulâ illi inſidente, unicum ſemper florem (plures obſervare nõ memini) promunt ſuperiore minorem, nutantem etiam & pendulum, atque ſex folijs præditum, quorum tria externa omnino nivea, alijs duplo longiora latioraque ſunt, radijsque ſolaribus illuſtrata, aut ſudo cælo alarum modo ſe explicant, tria interna breviora ſunt, & cordis, ut vulgo ab imperitis pingitur, formam, ſive ſagittæ crenam referunt, binis viridibus maculis circa crenam foris notata, internè ſex viridibus radijs ab umbilico ad extremas oras inſignita: medium florem ſex etiam ſtaminula crocea, ſtiluſque exilis, candidus, occupant, odor nullus, aut perquàm exiguus: ſimilia ſuperioribus ferè capita ſuccedunt, minora tamen, & olivæ virentis formam penè exprimentia, in quibus ſemen altero candidiùs: radix ſuperiore minor, multis etiam tunicis albis conſtans, externâ nonnihil nigricante, & ſeſſili parte multis tenuibus fibris prædita.

Prodit utrumque maturè admodum, ſtatimque inter bina folia florem oſtendit vix liquefactis nivibus, quas ſecundum genus nonnumquam etiam penetrat: Maio menſe ſemen matureſcit, & folia marceſcunt.

TERTIVM genus ſecundo ferè ſimile eſt, ineunteque Martio bina folia promit illi ſimilia, ſed latiora, æruginei etiam coloris, floris gemmam ut in illo complectentia: craſſiuſculus caulis tandem ſuccreſcens, unicum florem vaginulâ incluſum ſuſtinet, formâ ſuperiori ſimilem, duplo ferè majorem, tribus externis folijs alarum modo expanſis, prorſus niveis, interioribus verò brevibus, biſulcis ut in ſuperiore, ſimul coëuntibus, & veluti tubulũ quempiam efformantibus, foris plerumque circa ungues vireſcentibus, reliquâ parte albis, oras tamen ſecundùm crenas virides maculæ inficiunt, interius verò aut magna ex parte viridia ſunt, aut octo radijs ab imis unguibus ſecundùm longitudinem ductis prædita: prioris fragrantiam utcumque æmulatur hic flos, & ſuavius quidpiam ſpirare mihi videtur: radix ſecundo major. *Leucoium bulboſ præcox Byzant.*

Primum, in ſilvâ quadam non procul Zolonock Ill. Dn. de Batthyan oppido udis locis ſolummodo obſervabam: creſcit etiam pleriſque Germaniæ locis: Alterum nõ modò in Viennenſi & Leytano ſaltubus, ſed etiam pleriſque Pannoniæ pratis: umbra tamen magis delectari videtur. Tertium Byzantio Viennam inferri cæpit, Narciſci bulbis permixtum, poſt annum M. D. XXCII. Sed & ſimile pænè mittebat Doctiſs. Imperatus, cum multis alijs bulbis, Neapoli, ſub Autumnum anni XCII. è monte Virgineo erutum. *Natales.*

QVARTO quinque aut ſex ſunt folia Narciſſinis ſimilia & virentia: è quorum medio caulis pedalis aut amplior aſſurgit, nudus, concavus, aliquantulum planus, & binis acutioribus angulis præditus, viridis, è mẽbranaceâ vaginulâ quinos aut ſenos flores ſummo faſtigio *Leucoiũ bulboſ. ſerotin. majus I.*

 proferens,

Leucoium bulboſ. ſerotin. majus. I.



Leucoium bulboſ. autumnale tenuif.



proferens, tintinnabuli modo pendulos, ſex æqualibus & niveis folijs cõſtantes, quorum extimam partem virides maculæ inficiunt, ſenis intus ſtaminibus flavis, medioque lacteo ſtilo, apice viridi inſignito: floribus ſuccedunt magna & trigona angulis obtuſis capita, pyri in modum ferè turbinata, nigrum ſemen orobaceum, Liliaſphodeli flavo flore ſemini non abſimile continentia: radix craſſa & bulbacea multis ſucculentis tunicis conſtat, & plurimis fibris donata eſt.

Seriùs ſuperioribus plerumque germinare ſolet, atque Maio demũ menſe flores proferre.

Natales. Vno duntaxat interamnis Pannoniæ loco hoc genus obſervabam uliginoſis pratis ſupra Waraſdinum anno M.D.LXXIX. Memini & illi ſimile planè, duodetriginta priùs annis eruere in Pratis Lateræ vicinis cùm Mompelij viverem.

Sed & ejus genus quibuſdam pratis ad Danubium ſitis infra Viennam Auſtriæ naſcitur, cujus folia quidem ſimilia, ſed pallidiora, nõ adeò mucronata, & veluti bifido mucrone prædita: flores item maculis ex viridi magis pallentibus infecti. Alitur hoc etiam in Germanicis & Belgicis hortis.

Leucoiũ bulboſ autumnale tenuifol. QVINTVM cauliculo eſt palmum alto, gracili, unicum, interdum alterum & tertium ferens florem omnino lacteum, pendulum, ſex folijs conſtantem, & tintinnabuli modo formatum, inodorum, ingratique guſtus, in quo pallida ſtamina: flore jam aperto, demum prodeunt quaterna aut quina capillaria viridiaque folia: radix bulboſa, ſatis craſſa pro plantæ exilitate, è multis glutinoſis tunicis compacta & amara, quæ candicante mẽbranâ integitur.

Extremâ Bæticâ, quâ Luſitaniæ contermina eſt, non procul Badajoz, quam nonnulli Pacem Auguſtam eſſe exiſtimant, ad flumen Anam ſitam, naſcitur, ubi ſub finem Octobris & Novembris initio, cum ſuo flore eruebam Vlyſſiponem proficiſcens, unde in Belgicam cum parvo illo ſerotino Narciſſo amicis mittebam: qui diu in penſilibus ſuis hortis utrũque aluerunt, nullum tamen, quod ſciam, florem videre potuerunt, & an hactenus bulbos conſervarint, ignoro.

Nomina. PRIMVM genus à rhizotomis mulierculis Moſzveil/ quaſi dicas paluſtrem violam, nominatur: in Germania verò ubi pleriſque locis naſcitur, weiſs Hornungs blumen/ id eſt, candidus Februarij flos, ad differentiam Pſeudonarciſſi vulgaris, quem gelb Hornungs blumen appellari dixi. Alterum ab ijſdem mulierculis weiſſe veyl/ & Snetropfen/ hoc eſt, alba viola & niveæ guttæ, ab inſigni videlicet candore appellatur. Serotini majoris nullum vulgare nomen intellexi, quemadmodum neque Quinti, quod Leucoium autumnale dici poterit, cùm autumno duntaxat, ut puto, floreat.

SCILLA

SCILLA HISPANICA. CAP. XXI.



Scilla radice alba B. Pin: 73.

Scillæ hiſpanicæ flos & ſemen.



SCILLÆ hiſtoriam plerique dederunt: ſed quia nemo hactenus legitimam ejus iconem exhibuit, facere non potui quin meis obſervationibus infererem, cùm eam & primùm emergentem, & florentem, ſemineq; onuſtã, pleriſque Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis eruerim.

EST verò Scillæ caulis plerumque cubitalis aut major, rectus, nudus, abſque folijs, pluri-mis candidis & ſtellatis floribus ornatus, Aſphodeli minoribus, ornithogalo majori (quod quidam Scillam Epimenidiam putant) valde ſimilibus, qui ab imis (uti veriſſimè Theophraſtus Hiſt. lib. VII. cap. XII. ſcribit) explicari incipiunt, quemadmodum Aſphodeli & quarundam aliarum bulbacearum ſtirpium flores: his ſuccedunt triangula capitula compreſſis angulis & velut inania, in quibus tamen nigrum, planum, paleaceum ſemen: quinque, ſex aut plura demum emergũt folia liliacea, lata, viridia admodum, denſa ſive carnoſa, humi expanſa, nonnihil carinata: radix craſſa eſt, multis tunicis albis lento quodam humore plenis prædita, multiſque craſſiuſculis fibris capillata. *Scilla hiſpa-nia.*

Copioſè naſcitur ſupra Olyſipponem, & pleriſque alijs Luſitaniæ & Hiſpaniæ locis. Floret Auguſto & Septembri, ſemen Octobri & Novembri matureſcit: folia maturo jam ſemine, & exarido caule, emergunt Novembri & Decembri. *Natales.*

GRÆCIS σκίλλα, Latinis etiam Scilla dicitur, cujus Plinius tria genera facit, maſculum folijs albis, feminam nigris, & tertium cibis gratum Epimenidium, quod anguſtiore eſt folio, & minus aſpero, vel, ut Theophraſtus habet, læviore. Hiſpani *Cebolla albarrana* appellant. *Nomina.*


Cùm porrò Epimenidia ſcilla, teſte Plinio, edulis ſit, Hemerocallidem valentinam, illam eſſe non poſſe, certiſſimo argumento eſt exemplum de duobus piſcatoribus, quod interdum C. V. Rondeletus referre ſolebat: id autem eſt ejuſmodi. Iſtorum piſcatorum alter cultrum, Hemerocallidis, eo conciſæ, ſucco intinctum, ſodali, quem oderat, cibum ſumpturo adpoſuit: ille bonæ fidei, nec inſidias metuens, carnes propoſitas ſecat, ijſque veſcitur, abſtinente alio, qui ſe fame premi negabat: poſt paucos deinde dies miſer ille, qui carnes ederat, ſublatus. *Scilla epime-nidia.*

PANCRATIVM. CAP. XXII.

PANCRATIO amplitudo major eſt, extimæ tunicæ rubent, foliaque ampliora, longiora, magis carinata & quodammodo ſurrecta. *Pancratium.*

Abundè creſcit in Hiſpaniæ mediterraneis, adeò ruſticis exoſum, ut me ejus bulbos eruentem admonerent ne deguſtarem, præſentaneum enim eſſe venenum. Germinat cum Scilla: florentem autem, aut ſemen ferentem numquam hanc plantam conſpexi. *Natales.*

Pancratium.



Fabiano autem Ilges, ut ad me ſcribebat anno M.D.XCII. in penſilibus hortis non modò caulem protulit, ſed etiam plurimos flores ſpicæ inſtar in eo naſcentes, ſex folijs conſtantes, ſcillæ (quantum ex pictura, quam epiſtolæ conjunxerat, colligere licebat) florum æmulos.

Nomina.


Παγκράτιον ἢ σκίλλα Græcis, Pancratium Latinis dicitur, Hiſpani eodem quo ſuperiorem nomine donant, *Cebolla albarrana*.

DIOSCORIDE teſte Scillæ vires & præparationem habet, eodemque pondere in morbis efficaciter aſſumitur: cui tamen mitior, quàm Scillæ, facultas ineſt. Plinius eaſdem facultates, atque etiam plures illi tribuit. Hiſpanis ruſticis, licet exoſa, aliquo tamen in uſu eſt: nam aqua, dum illa aſſatur, exſtillante ſcabiem utiliter illini, & curari mihi aſſerebant.

BVLBVS ERIOPHORVS.
CAP. XXIII.

HIc eſt ille bulbus, cujus florem tanto tempore Belgica videre deſideravit. Nam cum primum nacti munere ampliſſimi viri Iacobi Antonij Cortuſi patricij Patavini, plurimis annis ſumma diligentia iſtic excoluimus, atque adhibitâ omni curâ, ut ad florum generationem perduceremus, ſubinde etiam mutatis terræ generibus, ſed operam luſimus: in maximā tamen amplitudinem excrevit, & ſe mirum in modū adnatâ ſobole propagavit. Et poſtquam acceſſit Illuſtrium quorundam Venetorum qui ad nos ſcripſerunt teſtimonium, ejus florē (tametſi plus decennio bulbum in ſuis hortis aluiſſent) numquam conſpexiſſe: factum eſt, ut ſterilem eſſe mutato natali ſolo, neque florem proferre arbitraremur, præſertim cùm id vitium numeroſâ nucleorum prole abundè compenſaret. Verùm aliter rem ſe habere, anno M. D. LXXV. menſe Maio deprehendi.

Bulbus Eriophorus.



Nam cùm præcedente eum annum brumâ aliquot illius bulbos *Muſcari* majoris nomine cum pleriſque alijs rariſſimis plantis, Conſtantinopoli rediens attuliſſet Philibertus de Bruxella, cujus ante memini, & ex illis nonnullos pro noſtrâ amicitiâ mihi dediſſet, partem ipſe terrę concredidi, partē in penſili horto C. V. Ioannes Aicholtzius Medicus & Profeſſor Viennēſis: mihi omnes periērūt, ille verò duos conſervavit, quorum alter etiam floruit non ſine ingenti meâ lætitiâ, quam omnibus rei herbariæ ſtudioſis, iſtius bulbi ſuis floribus onuſti delineatione ad vivum expreſsâ à peritiſſimo artifice Martino Rota S.C. Mtis ſculptore, atque deſcriptione in Appendice ad Hiſpanicas obſervationes, illo ipſo anno teſtatam eſſe volui. Eam cùm denuò in Pannonicis obſervationibus evulgaſſem, ſignificavit mihi Generoſus Dn. de Longâtre ipſi etiam Iunio anni M.D.XXCIII. flores dediſſe. Mihi verò, ab eo tempore quo iconem delineari curabam, illius florem numquam videre contigit, licet multis annis poſtea bulbum aluerim mirâ fœcunditate plurimas ſoboles procreantem.

Bulbi eriophori hiſt.

SVNT ergò Bulbo eriophoro multa oblonga folia, Hyacinthinis ferè ſimilia, non Nar-

ciſſinis,

ciſſinis, minus carnoſa & ſucculenta, duriora etiam, viridia, mucronata, ingrati ſaporis, quibus minutiſſimè etiam confractis, tenuia quædã ſtamina inſtar telæ aranearum diduci poſſunt. Ex horũ medio caulis exit cubitalis, aut amplior, rectus, Scinlini caulis æmulus, lævis, nudus, vireſcens, ſupremâ parte ad cæruleum colorẽ tendens, oblongamq́; ac denſam veluti ſpicam, in denos vel plures verſus, ante quam explicetur, diſtinctam, primum viridem, ſed paulatim (dum ſeſe explicat in flores) cæruleum colorem contrahentem: flores ſenis foliolis ſtellatim expanſis conſtant, triangulo umbone in medio protuberãte, Hyacinthi autumnalis floribus valde ſimiles, inodori, cærulei cum ſuis, quibus inſident, pediculis, & internis ſtaminibus, quorum apices initio purpurei, ubi ſeſe expanderunt, palleſcente quadam veluti farinâ aſperſi ſunt. Incipit florere ab imo, ut Scilla, & reliquæ magnâ ex parte bulbaceæ ſtirpes, flores racemi aut ſpicæ inſtar confertos habentes, ſolẽt. Semen obſervare voluimus, ſed flores admodum caduci, ſtatim marceſſere cœperunt, & relictis tantùm in caule pediculis deciderunt. Radix craſſa & bulboſa eſt, è plurimis tunicis albis contexta, tomentoſa, & veluti aranearum telis obſita, multos ut plurimum bulbos ad latera adnatos habens, & craſſis oblongiſque fibris nitens.

Bulbus Eriophorus Peruänus. B: Pin: 49



ALIVD porrò elegantiſſimum Eriophori genus ab eruditiſſimo viro Doctore Simone de Tovar Medico Hiſpalenſe celeberrimo, anno M.D.XCVI. accipiebam, nunquam ante mihi conſpectum, quod jam deſcripto adjungendum putavi. *Eriophorus Peruänus.*

MVLTA id ex radice promit folia, ſurrecta initio, deinde in terrã ſeſe inclinantia, dẽſa, carinata, inſtar foliorum Hyacinthi, viridia, ſplẽdentiáq́;, quę minutim cõfracta, tenuiſſima ſtamina prębẽt, haud ſecus ac Primum genus: inter hæc folia ſeſquipedalis naſcitur caulis, teres interdũ & gracilis, firmus tamẽ, nudus, vireſcens, qui ſummo faſtigio plurimos fundit flores, initio quaſi in ſpicã congeſtos, deinde ab infimo ſeſe explicare incipientes & in latitudinẽ expandentes, ſex foliolis ſtellatim decuſſatis cõſtare deprehenduntur, coloris purpurei, circa umbilicũ autẽ cærulei, ut & prominens umbo, atq; ſena quæ illũ ambiunt ſtaminula lata, flavis ſeu pallidis apicibus prædita, ſingula florũ folia per longitudinẽ ſecante venâ ex atro purpureâ; odor valde tenuis & exilis: oblongis verò gracilibúſq; innitũtur flores pediculis ex viridi purpuraſcẽtibus, quorũ ſinguli ex appendicularũ candidarum & membranacearum ſinu prodeũt: floribus ſucceſſerunt trigona mucronatáq; capitula, ſemen continentia rotũdum, nigrum ſemini Hyacinthi Anglici ſeu Belgici par: bulbus ejus craſſus, longiuſculus & quodammodo pyramidalis, ex albo flaveſcens (cujus ſquamæ, perinde ac in priore, molli lanugine plenæ) infimâ ſede multis craſſiuſculis fibris prædita: floruit extremo Maio inſequente.

Ceterùm, cùm diligenter hanc ſtirpem conſidero, & cum Hyacinthi ſtellati Peruäni icone confero, plurimis notis convenire comperio, & illâ ipſa icone hanc ſtirpem, aut illi parem, expreſſam eſſe, pænè mihi perſuadeo: illud ſolùm intereſt, quod iconi folia non carinata, ſed medio nervo protuberante & ſublevato adpicta ſint, tum radix nimis obtuſo mucrone. Hanc ob cauſſam Lectori optionem relinquo, ut quo loco volet, iconem adaptet.

Εριοφόρυ, Laniferi nomen huic bulbo inditum, ob tomenti copiam, quod lanæ modo in ſtamina diduci poteſt. *Nomen.*

Theophraſtus inter veteres, lib. VII. Plant. Hiſt. cap. XIII. eriophori meminit bulbi, illum in littoribus naſci, lanámq; ſub primis tunicis habere, ex qua togę & aliæ veſtes cõficiantur: deinde, quod internum eſt in eo bulbo, mandi: cujus in hoc nullum periculum fecimus.

Ejus etiam meminit Plinius lib. XIX. Natural. Hiſt. cap. II. Theophraſti teſtimonium adferens: & Athenæus lib. Deipnoſoph. II.

Sed ſatis mirari nequeo, quoſdam ſcribere non eſſe veritos, Dodonæum vidiſſe in Ill. V. Ioannis Brancionis horto eriophorum illum bulbum, cujus iconem exhibet in appendice ad Purgantium hiſtoriam; cùm tamen diſertè ſcribat, eriophorum quidem vidiſſe (primum

videlicet quem hoc capite nos deſcribimus) at florem numquam. Iconem autẽ quam iſtic addidit, acceptam fert illi, qui, me urgente, eam miſerat. Et certè Dodonæum aliquoties admonuiſſe memini, ne evulgaret, quod mihi admodum ſuſpecta eſſet illa icon.

HYACINTHVS ORIENTALIS. CAP. XXIIII.

DE Hyacintho orientali quidquam ſcribere non erat animus, quia à pleriſque prodita eſt ejus hiſtoria: cùm verò de iſto flore quædam obſervaverim ab illis vel non animadverſa, vel neglecta, præter inſtitutum facturus non videor, ſi ea hîc protulero.

Hyacinthus orientalis.

Hyacinthus orient: caule maculato 44



Hyacinthus or. πολυανθὲς.

Hyacinthus Orient: maximus C.B. Pin: 49



Hyacinth. orientalis. PRÆTER illum ergo qui omnibus jam ſatis notus eſt, cujuſque florem coloris intenſione vel remiſſione admodum variare deprehendi (nam totus quaſi cæruleus, vel ſubcineraceus, vel dilutius purpuraſcens & hilaris, aut ſaturatè purpureus & ad violæ nigræ ferè colorem accedens invenitur) in meo hortulo alebam, cujus bulbus reliquorum magnitudinem non admodum ſuperabat: ſed folia firmiora erant, caulis etiã inter illa prodiens major, craſ- *Hyacinth. or. πολυανθὲς.* ſior, vicenos aut plures flores proferens, alijs quidem ſimiles, ſed ex cineraceo quodammodo purpuraſcentes, omnéſque in unum latus propendentes, reliquis non minùs odoratos: ſemen in triangulis capitibus minus altero.

Hyacinth. or. πολυκλαδὴς. Hujus ſemine nata mihi eſt planta πολύκλωνος, cujus caulis cubitalis, craſſus, firmus anno M.D.XXCV. decem & ſeptem flores habuit, non ejuſdem cum matre coloris, ſed purpureos floridiores, & ſub illis binos ramulos, quorum ſinguli quinis floribus erant onuſti: ſequente tamen anno nudum tulit caulem paucioréſq; flores, cùm longè plures expectaſſem, quandoquidem primo fœtu tam fuiſſet fertilis.

VERVM diligentiſſimus & eruditionis non contẽnendæ Iacobus Plateau mihi ſcripſit, Hyacinthum alere ſe valde amplis folijs, magno, craſſo, firmóq; caule, multis floribus præ- *Hyacinth. or. πολυανθὲς Iac. Plateau.* dito, colorem non addidit, ſed iconem miſit Hyacinthi polyanthi majoris nomine inſignitam, qualem hîc exprimi curavimus.

Habeo quidem unam ſtirpem valde lato folio & ſaturatius vireſcente præditam, cujus caulis etiam craſſus, firmúſque, ſed in ferendis floribus parcior, utpote qui plures denis non det, eóſq; non ad latus unum ſpectãtes & cõverſos, ſed omni latere æqualiter quaſi ſparſos, ſaturatiùs purpuraſcentes: capita etiam ſaturatiùs virentia, quaſi purpuræ inſperſo colore.

Hyacinth. or. albus purpurei ſem. nat. CETERVM, quod ſilentio minimè premendum duxi, Generoſo Wolfgango Chriſtophoro ab Entzeſtorf, ſemine à me communicato natus eſt Hyacinthi bulbus, qui Aprili menſe anni

Hyacinthus orient. πολυανθὲς alter.



Hyacinthus orient. niveus.



anni M.D.XXCI. florere cœpit, & ſequentibus annis ſimiles primis flores proferre nõ deſijt. Ejus folia alijs ſimilia ſunt, paulò tamen dilutiùs virentia, inter quæ caulis emergit ſatis firmus, ſenos, ſeptenos aut plures (habui enim duodenos & quatuordecim) interdum flores proferens craſſiuſculos, interiore parte omnino niveos, foris etiam albos, ſed quorum externa tria folia ad ὠχρόλευκον colorem quodammodo accedunt, non minùs tamen odoratos quàm ſuperiores Hyacinthos: ijs ſuccedunt trigona capita dilutius virentia, ſemen etiam nigrum continentia: radix ſatis craſſa, candicans, multis fibris donata.

Hyac. orient. niveus.

ANNO porrò M.D.XXCVII. Byzantio accepit Generoſa Dn. Vngnadin magni muneris loco, & pro Hyacinthis niveo flore, quatuor exiguos bulbos à reliquis diſcretos, quorum duo candicantes erant, alij dilutè purpurei & coloris admodum floridi: utriuſque generis unum mihi dedit: purpureum utrique ſubſequens hiems corrupit, tametſi mei magnam curam habuerim, alter paucos dedit flores eóſque omnino niveos, altero minores, ut etiam tota planta multò tenerior & infirmior eſt.

Hyac. or. exalbidus.

Diverſis autem ab utroque, qui pro albo Hyacintho hactenus eſt habitus, cujuſque unicam ſtirpem à C. V. Alphonſo Pantio miſſam alebat in penſilibus hortis Ill. Ioan. de Brancion, cùm Viennam evocatus ſum ex Belgicâ: hujus poſtea plures bulbos Viennâ illi miſi, nam iſtic ſatis frequens erat, cùm valde ſit liberalis in ſobole generãda. Sunt verò illius flores ante quam explicentur, albi, ſed aperti oras tantùm albas habẽt, reliquâ parte quaſi carnei coloris, cùm tamen ſeneſcere incipiunt, ferè toti nivei fiunt.

Nomina.

TVRCÆ omnes Hyacinthos hactenus acceptos *Zumbul* appellatione miſerunt, additâ voce *Indi*, cùm Indicum, vel aliâ quapiam, cùm locum unde acceperint, indicare volunt. Florent omnes Aprili.

Hyacint. è Indici hiſtoria.

CETERVM huic capiti annectendam cenſui raram quandam plantam, nec ante annum M.D.XCIIII. mihi conſpectam, cujus ſanè primam cognitionem acceptam fero Bernardo Paludano, Medico, viro doctiſſimo, mihiq; amiciſſimo, & (ſi quis alius) naturalium rerum peritiſſimo, atque earum opulentiſſimum atque inſtructiſſimum penũ habente. Ipſis enim Cal. Decembris, hujus ſtirpis caulem ab illo accipiebam bipedalẽ aut ampliorem, firmum, non concavum, enodem, quem tamen per intervalla ambiebant octo, aut novem folia incondito ordine diſpoſita, & ipſum mediâ ex parte amplectẽtia, ut nodorum quandam ſpeciem præberent, circa imum longiora, & latiora, ſupernâ parte breviora, omnia tamẽ carinata, dilutius virentia, ſatis dura, & ſi quis vel in minimas partes confringeret, veluti tenuiſſima ſtamina, inſtar foliorum Eriophori vulgaris divulſorum oſtendẽtia: ſummus caulis deſinebat

ſinebat in duodenos aut plures flores (quorum unicus dũtaxat apertus, reliqui adhuc clauſi) confertim & in ſpicæ quodammodo formam naſcentes, unciam longos, ſummâ parte in ſex lacinias aliquantulum reflexas diviſos, florum Hyacinthi Aſiatici inſtar, ſed longè craſſiores & magis ſucculentos, non minus forſan, quàm mali citrij flores, ſex ſtaminibus è medio prodeuntibus (quorum apices pallidi) & illis breviore ſtilo: odoratúsne ſit, an odoris expers, me latet, quia ſatis afflictum vecturâ & mediâ ex parte confractum accipiebam: qualem autem radicem haberet, non erat adſcriptum.

Nomen. MISSA porrò fuerat Paludano hæc planta, cum inſcriptione, *Bulbus Indicus florem album proferens floris Hyacinthi orientalis æmulum*: ego, propter tenuiſſima illa, ut dixi, inſtar telæ aranearum ſtamina, quę cauli inhærentia folia, vel minutim confracta reddebant, Eriophori genus aliquod arbitrabar, tametſi & caulis folijs ornatus, & florum forma refragarentur, nec radix mihi conſpecta eſſet.

Ex epiſtolâ tamen, quam biennio poſt ab eruditiſſimo viro D. Simone de Tovar (qui Paludano plantam communicaverat) accipiebam, cum aliquot ejus plantæ, tuberibus verius, quàm bulbis, ſcrupulus mihi injectus eſt, an ad Eriophori genus commodè referri poſſet: etenim in hunc modum ſcribebat.

Hyacinthus Indicus tuberoſa radice.

Hyacinth orient indicus tuberosus ~~radice~~ B: Pin 47
flore Hyacinthi orient albi

Hyac. Orientalis Indicus.



PLANTÆ Indicæ, mihi Hyacinthi Orientalis Indici indigetatæ bulbus, pluribus adnatis tuberibus ſe propagat, è quibus multa prodeunt folia humi ſparſa, oblonga, anguſta, mucronata, allij foliorum æmula, atque in eorum medio cõplures caules aſſurgunt rotundi, lõgi, bicubitales, & non rarò altiores, ac ferè tricubitales, duriuſculi, lęves, minimi digiti craſſitudinem nunquã ſuperantes, unde, ob nimiam illam longitudinem ac tenuitatem infirmi, obliquè quo tẽpore flores ferunt, ſe contorquent, & humi plerumque procumbũt, niſi bacillis aut adminiculis ſuſtineantur: hos autem caules, per intervalla, ſingularia folia alternatim latâ baſi ambiũt, breviora multò, ſed magis acuminata, quàm circa radicẽ: atque in eorum ſummo permulti ſpicatim cohęrentes inſident flores, candidi, Hyacinthi oriẽtalis floribus ſimiles: hanc verò plantam Eriophori bulbi genus eſſe, non facilè aſſentiar. Hæc Tovar; ad ipſum enim ſcripſerã, ex ijs, quas in folijs cauli inhærẽtibus deprehenderam, notis Eriophori genus mihi videri.

Et certè quæ mittebat, quæque ab Ill[me] Comite Arembergio poſt accipiebam tubera, inſequente Sextili folia produxerunt longa, humi ſparſa, carinata inſtar foliorum Eriophori, ſed anguſtiora & lõgiora, in mucronem longum deſinentia, ſeſeq; invicem amplectentia, quemadmodum Iridis latifoliæ, caulis expertis, folia, quæ vulſa & confracta, non ſecus in ſtamina diducebantur quàm breviora illa cauli annexa: radix tuberoſa eſt, Ari Ægyptij, ſive Colocaſiæ inſtar, ſed longè minor, adnatis ſe propagans, nonnulliſque fibris prædita, ut ex ſubjectâ icone videre licet.

Hyac. Indicus tuberoſa radice. Itaque ſi Hyacinthus nuncupanda erit hæc planta, Hyacinthum Indicum tuberoſa radice, appellare licebit.

HYACINTHVS HISPANICVS. CAP. XXV.


Hyac. Hiſpanicus. DODONÆI Hyacintho non ſcripto valde abſimilis non eſt hic Hyacinthus: folia tamen profert non adeò ſplendentia, nec humi ſtrata, ſed potiùs ſurrecta, breviorem caulem, flores dilutius purpuraſcentes, & ad cæruleum colorem quodammodo tendentes, quorum odor etiam magis obſcurus: ſemen, radix, ferè conveniunt.

Floret eodem tempore cum Dodonæi non ſcripto, nempe ſub Aprilis finem & Maio.

Hunc in Hiſpanicâ meâ peregrinatione non obſervavi, ſed paucos ante annos è Belgicâ miſſum accepi à Generoſo Dn. de Longatre, Hyacinthi Hiſpanici inodori nomine. Vnde porrò ille habuerit, mihi incompertum.

CETERVM

Hyacinthus Hiſpanicus. *Hyacinthus oblongo flore cæruleus major B: Pin 43*



CETERVM non ſcriptum Dodonæi, non modò circa Machliniam & Bruxellas non poſtremas Belgicæ urbes in pratis quibuſdam & ſilvulis naſcentem conſpexi: ſed in Galliæ parte, Belgicæ vicinæ, vulgo Picardia dictæ, in ſilvulis erui dum Lutetiam proficiſſerer: nuſquam tamen abundantius, quàm in pratis herbidiſque locis Londino vicinis, & etiam longius ab eâ urbe diſſitis, ubi eruere memini qui cubitali conſtarent caule, & tricenos haberent flores, modò intenſius purpuraſcentes, modò dilutius, aliquando etiam omnino niveos (quales etiam apud Bruxellas naſci ſolebant) vel mediâ ex parte purpureos, alterâ candicantes: ſed carnei coloris etiam inveniri, non modò ad me perſcripſit honeſtus vir, & diligens pharmacopæus Iacobus Garetus iunior Belga, verùm etiam binos ejus bulbos poſtea miſit, quorum alter corruptus, alter elegantem carnei coloris florem tulit, M.D.XCI. deinde mirum in modum prolibus auctus eſt. *Hyac. non ſcript. Dodonæi.*

Hyacint. obſoleti coloris Hiſp. ſerot.
Hyacinthus obsoleto flore B: Pin: 44.



HYACINTHVS OBSOLETIOR HISP.
CAP. XXVI.

QVINA aut ſena habet hic Hyacinthus folia, oblonga, carinata, ſucci plena, coloris ex cineraceo vireſcentis, Muſcari foliorum æmula ferè, anguſtiora tamen, flexibilia, orbiculato fermè mucrone, candidâ venâ interiore parte per longitudinem excurrente, ingrati ſaporis: prodit caulis è medio foliorum, pedalis longitudinis, vel etiam amplior, gracilis, firmus tamen, nudus, denos, duodenos, interdum etiam vicenos flores per intervalla ferens deorſum ſpectantes, Hyacintho Anglico non multùm abſimiles, ſenis folijs conſtantes, quorum terna exteriora valde reflexa ſunt, interiora non adeò, ſed veluti tubulum quemdam imitantia: color in his valde obſoletus, ut qui ex purpureo, pallido & vireſcente permixtus videatur, odor nullus: ſemen fert in triangulis capitulis, planum, nigrũ, cartilaginoſum, circinatæ ferè rotunditatis, ſcillæ ſemini pænè par: radix globoſa & rotunda, multis candicantibus tunicis conſtat, & numeroſis fibris ſeſſili parte prædita eſt. *Hyac. obſol. Hiſp. ſerotini hiſtoria.*

Sponte naſcitur quibuſdam Hiſpaniæ locis, unde primùm in Belgicam delatus, nonnullis amicis floruit, à quibus ſemine communicato, natæ mihi ſunt plantæ Viennæ, quæ aliquot annis nullum ſemen tulerunt: anno verò M. D. XXCII. & ſequentibus abundè, quinimo ſemina M. D. XXCIII. nata, atque ſimul ac maturuiſſent circa matrem ſata, illo ipſo anno germinarunt Septembri, & quædam ex illis plantæ biennio poſt flores dederunt, deinde capitula ſuum ſemen continentia.

Serò germinat, & folia in Autumnum ſervat: Iunio autem cũ Lilijs floret; flores etiam, ſemine ex eodem capite excepto natarum ſtirpium variare ſolere obſervabam, ut alij alijs obſoletiores conſpiciantur. *Varietas.*

CVM

Hyacinthi obſolet.Hiſpan.ſerot.ſemen.

Nomina.



X. varij bulbi à Hollebequo miſsi.

CVM in Belgicam amicis primùm mitteret hunc bulbum Franciſcus Hollebeque, Regis Hiſpaniæ Simpliciſta & hortulanus in Aranjoez, nomen adſcriptum erat Hyacinthi flore coloris cineracei & terrei. Et ſine dubio inter Hyacinthi genera recenſendus eſt.

Addiderat præterea ſequentes bulbos, vnum quatuor aut quinque flores geſtantem albæ campanulæ modo efformatos: Alium campanulæ etiam flore ſatis magno ad terram inclinato, flavi intus coloris, foris purpurei: tertium flavo flore ſuperiore parte aperto: alium flavo humili flore, cui ſemen ſimile *Amores mios*: Narciſſum juncifolium albo flore: Narciſſum cæruleo flore: Pſeudo-narciſſi genus admodum exile: alium montanum ignotum Croco ſilveſtri ſimilem: Hyacinthum orientalem Hiſpanicum: & Tulipam Hiſpanicam, cujus ante memini. E quibus nullum ſupereſſe puto, præter Pſeudonarciſſum & Hyacinthum Hiſpanicum, quorum deſcriptionem ſuis jam locis inſerui.

MVSCARI. CAP. XXVII.

Muſcari hiſtoria.

Muſcari obſoletiore flore.



Coloris floris varietas.


E VICINIS Conſtantinopoli hortis, ultra Boſphorum in Aſia ſitis, primum noſtræ Europæ communicata eſt hæc planta, quę ob ſuaviſſimum odorem ſilentio præmenda minimè fuit.

HABET autem quina aut ſena oblonga folia, humi diffuſa, & obliquè inflexa, caniculata, ſatis craſſa & ſucculenta, Hyacinthi comoſi majoris, ſive primi Matthioli, folijs perquam ſimilia, & tenuia ſtamina, ſi rumpantur, etiam oſtendentia, non adeò tamen abundè, ut Eriophori folia. quæ cùm primum germinant, vel purpuraſcũt, aut albeſcunt, interdum pulcherrimo rubro colore nitent. Ex horum medio caulis verno tempore erumpit ſatis craſſus, rotũdus & nudus, admodum infirmus pro ſua craſſitudine: hunc à medio ad ſummum ferè racematim cohærentes ambiunt flores, urceolis propemodum ſimiles, initio interdum purpuraſcentes, aut virides, deinde ex purpurâ virentes, aut cũ viriditate albicantes, nonnumquam ſubcærulei, aliquando nigricantes initio ſive ſaturatè purpuraſcentes, deinde pallidi vel flaveſcentes, vel ab initio pallidi, poſtea flavi, poſtremo ubi tabeſcere incipiunt, nigricantes aut pulli, ijque mucrone quàm in alijs craſſiore & obtuſiore interdum, qui marceſcere incipientes, gratiſſimum moſchi ferè, aut aromatum odorem referunt, licet qui flavo colore eſt, gravius quidpiam & narciſſinum quodammodo ſpiret: intelligo & niveo omnino flore, atque etiam egregiè rubente inveniri, quos ſanè mihi videre nondum contigit. Omnibus ſuccedunt prægrandia trigona & veluti pinnata capita, in quibus ſemen continetur nigrum, rotundum, magnitudine orobi, aut ſeminis Hyacinthi primi Matthioli, ſed majore. radix ſubeſt magna, albicans, multis tunicis ceparum modo contexta, & frequentibus craſſis fibris ex imâ ſede prodeuntibus firmata, perennibus, nec ſingulis annis marceſcentibus & pereuntibus, ut Hyacinthorum, Narciſſorum, Tuliparum, Liliorum, & multarum aliarum bulbacearum ſtirpium fibræ. Ab imo flores explicare incipit ut cæte-

Muſcari flavo flore.



Muſcari caulis ſuis ſiliquis onuſtus.



ut cæteræ bulbaceæ ſpicatum vel botryodem florem ferentes. Obſervavi interdum hanc ſtirpem, caulem in binos ramos dividere, quorum ſinguli multis floribus onuſti fuerint. *Nomina.*


AD Hyacinthi genera hanc plantam ſine controverſiâ referri debere, nemo eſt in *βοτανικῷ* ſtudio mediocriter verſatus, qui non agnoſcat. Ejus verò primam notitiam ampliſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo acceptam referimus, qui illam Ill. Ioan. de Brancion ſummo meo amico, & tamquam fratri chariſſimo, ante multos annos in Belgicam uſque mittebat *Tibcadi* nomine. C. V. Matthiolus ejus iconem omnium opinione exhibet Comment. in Dioſc.cap. De Bulbo vomitorio, nullâ tamen additâ deſcriptione. Conſtantinopoli verò (unde primùm eò perlata fuerit adhuc ignoramus) ſemper miſſa fuit vel *Muſcari*, vel *Muſchoromi* aut *Muſcurimi* appellatione, ob inſignem odoris ſuavitatem, qui ad eorum paſtillorum fragrantiam, quos ex benjuin alijſque odoratis parare ſolent, quodammodo accedere videtur: eandem ob cauſſam nonnulli etiam *Muſchio greco* vocant.

HYACINTHVS COMOSVS BYZANTINVS. CAP. XXVIII.

QVATERNA, quina, aut ſena interdum habet folia, humi ut plurimum fuſa & expanſa, nonnumquam procumbentia duntaxat, oblonga, Hyacinthi primi Matthioli folijs valde ſimilia, latiore tamen mucrone prædita, & in lateribus veluti tenui lanugine obſita, præſertim infimâ parte, circa eorum exortum, ingrati guſtus & nauſeam facile excitaturi: ex horum medio, pedalis, nonnumquam major, naſcitur caulis, teres & rotundus, nudus, intus fungoſus, foris viridis læviſque, quem à medio ad ſummum ſexageni plerumque aut plures ambiunt flores oblongiuſculi, oris in ſex laciniolas diviſis, ſex ſtaminulis purpureis intus præditi, inodori, initio candicantes, deinde cùm marceſcere incipiunt, fuſci & inelegantis coloris: pediculi quibus flores nituntur, initio breviſſimi ſunt, deinde paulatim marceſcentibus floribus excreſcentes, quatuor unciarum aut ampliorem longitudinem adquirunt, ſic ut totus caulis ſuis floribus ita expanſis onuſtus, aſpergillum non minùs referre videatur, quàm Hippuris quoddam genus: caulis ſuprema pars cum florum pediculis purpuraſcit: incipit florere ab imis: trigona deinde capitula fert, exigua, pro plantæ amplitudine, in quibus paucum ſemen, interdum in ſingulis capitulis unicum duntaxat, rotundum, nigrum, Hyacinthi comoſi majoris ſemine minus continetur, interdum nullum, nam ut plurimum capitula inania ſunt, nec arbitror unquam plura collegiſſe ex unicâ, quam habebam plantâ, ternis ſeminibus, aut (quando plurima) quinis aut ſenis: radix rotunda, bulboſa, multis candicantibus tunicis conſtat, exteriore ſubfuſca, & baſi multis fibris albis fultâ. *Hyac. comoſi byzantini hiſtoria.*

Circiter

Hyacinthus comoſus Byzant. albus B: Pin: 42. Hyacinthus camoſus albo flore.





Natales. Circiter annum M.D.LXXVIII. primùm allatus eſt Conſtantinopoli cum alijs varij generis bulbis, Mag^co^ V. Paulo à Trautzon Cæſareæ aulæ Mariſcalco & à ſecretiore Conſilio, in cu-

Tempus. jus ſuburbano paucos bulbos videbam Maij initio florentes anno M.D.XXC. Ex eodem tempore nullos miſſos memini præter unum aut alterum, duntaxat ſemel atque iterum: quia forſitan non expetitur, cùm nulla floris elegantia ſit præditus.

Nomina. QVO nomine à Turcis inſigniatur, me latet: nam Muſcari bulbis ſemper permixtus fuit: ego propter comæ & florum quandam cum comoſo majore Hyacintho ſimilitudinem, comoſum Byzantinum cognominavi.

Hyac. comoſus albo flore. CETERVM huic non admodum diſſimilem & in Belgicâ, & Viennæ aluimus, nullâ aut perpuſillâ comâ præditum, cujus flores obſoletioris coloris albicantis, Byzantini floribus ſatis accedunt, pediculi tamen flores ſuſtinentes in longitudinem non excreſcunt, ſemen & radix ſatis conveniunt. Vulgare ejus nomen, Hyacinthus comoſus albo flore.

Hyac. comoſ. major. Hyacinthi porrò illius primi Matthioli, ſive comoſi majoris à quibuſdam cognominati, qui in multis orbis Chriſtiani provincijs ſponte naſcitur, duo in Pannonijs genera obſervabam.

I. Alterum præcox, latiore folio, craſſiore coma, ineleganti tamen, majoreque bulbo.

II. Alterum magis ſerotinum anguſtiore folio, tenuiore comâ, laxiore verò & elegantiore; hujus flores comæ proximi, ex cæruleo purpuraſcunt, ejuſdemque cum comâ ſunt coloris, quæ nota in priore deſideratur: bulbus etiam minor. Præcox, Maio: hoc Iunio floret.

SEMINE autem ex Hiſpanijs anno M.D.LXXV. Hyacinthi orientalis hiſpanici nomine miſſo (cujus tamen duo eſſe genera ſtatim deprehendi, nam magnitudo diſpar erat) Viennæ Auſtriæ bulbaceæ plantę mihi natæ ſunt, quę tandem duo Hyacinthi comoſi majoris genera pepererunt, à vulgaribus nec florum comâ, nec folijs differentia, niſi quod alterius folia latiora & Muſcari folijs proxima, ineunte vere duntaxat emergere ſolebāt; alterius anguſtiora longioraque, etiam ante hiemem: minutius ſemen Hyacinthi comoſi majoris æmulum erat, alterum craſſius Muſcari ſemini perquam ſimile, quæ adeò cauſa fuit, ut ſeparatim ſererem.

Illud autem peculiare in nonnullis, ut præmaturi flores excuſſi, nigrum ſive fuliginoſum pollinem ſpargant uſtilagini ferè ſimilem.

Nomina. VVLGAREM utrumque Vngari appellant *Kygio hägma*, id eſt, Serpentinam cepam. Belgæ Brabanti, Quiſpel/hoc eſt, Aſpergillum, propter comam aſpergilli inſtar expanſam, Hiſpani

Bulbus pericarpus Plinij. *ajo de cigueñas*, h. e. allium ciconiarum. Non deſunt qui Pericarpum bulbum Plinij eſſe cenſent, cujus duas ſpecies eſſe dicit libro Nat. Hiſt. xxv. cap. x. cortice rubro alteram, alteram nigro papaveri ſimilem: ſed ex tam mutilâ deſcriptione, quis ſententiam cōmodè ferre queat?

ILLVD


ILLVD autem verè dicere poſſum, nullum unquam bulbum guſtaſſe (nam quotquot ſtirpes invenio mihi parum cognitas, vel ante non conſpectas, guſtare ſoleo, ut de illarum ſapore commodiùs judicium ferre poſſim) qui majorem vomendi appetentiam mihi fecerit iſto Hyacintho majore comoſo: ea de cauſa, illorum ſententiam probare nequeo, qui in Eſculentorum bulborum claſſe ponunt. *Hyac. comoſ. major valde nauſeam excitat.*

HYACINTHVS BOTRYΩDES. CAP. XXIX.

SPONTE pleriſque Pannoniæ locis & copioſè naſcitur Hyacinthus ille Hiſpanijs & Galliæ Narbonenſi vulgaris & paſſim obvius in agrorum marginibus & ſecundùm vias, quem ego à floribus racemi in modum extremo caule cõgeſtis βοτρυώδην cognomino, nonnulli comoſum minorem appellare malunt: nec deſunt qui Bulbinem Plinij eſſe putent: Germani Hunds knoblauch/ id eſt, caninum allium, Belgæ à racemi inſtar congeſta florum ſpicâ Druyckens appellant. *Nomina.*

Hyacinthus botryodes I.

Hyacinthus racemosus caeruleus minor juncifolius Bauhin: 43.



Hyacinthus botryodes purp. III.

Hyacinthus racemosus latifolius speciosior Bauhin 42.



EIVS duo inveniuntur genera: unum craſſioribus, longioribuſque folijs, florum etiam racemo longiore, denſiore, & odoratiore: alterum minora omnia habet, & magis vulgare eſt. *Hyacint. botryod. purp. flore.* Iſtorum duorum generum flores ſaturum admodum colorem habent, & quaſi nigrum. I. II.

EST verò & tertium genus brevioribus, latioribus, firmioribuſque folijs, quæ humi diffundi non ſolent, nec flexuoſa ſunt ut ſuperiorum, ſed ſurrecta: hujus flores licet ſuperioribus formâ ſimiles, longè tamen aſpectu hilariores, dilutioris purpuræ, atque etiam in cæruleum tendentis colore præditi ſunt. Id genus Viennæ, aut vicinis locis ſponte non naſcitur, ſed ex Tyrolenſi comitatu delatum eſſe fertur. III.

Similes porrò omnino plantę non modò Viennæ, ſed etiam ante in Belgicâ è ſemine Hyacinthi botryodis lacteo atque è niveo purpuraſcente flore (binę enim ejus inveniuntur differentiæ) natæ ſunt: & inter illas etiam quæ ramoſam tulerunt florum uvam, hoc eſt, quæ uvæ in modum plures congeſtos habuerunt racemulos, alios alijs minores & graciliores: quibus ſimiles plantas ſemine albi à me communicati natas habuit plures quàm quadragenas Ill. Balthaſar de Batthyan in Zolonock ſub Martij finem florentes anno M.D XXCV. *Hyacint. botryod. III. uva ramoſa.*

VERVM Hyacinthus βοτρυώδης lacteo flore, à ſuperioribus florum formâ non differt, ſunt enim concavi & tumentes, nulla tamen, vel perquam exiguâ odoris gratiâ commendabiles. Is etiam in duas ſpecies diſtingui poteſt. *Hyacint. botryod albo flore.*

Vna enim lacteum omnino florem habet, caulem exalbidum, foliaq; dilutius virentia, & quaſi palleſcentia: tota etiam planta tenerior, nec niſi primo vere, folia protrudit. I.

Hyacinthus botryodes albo flore.

II.



Alterius flos niveo quidem colore præditus eſt, ſed cui perfuſa videatur tenuis quædam & dilutiſſima purpura, qualis in roſis albis nondum planè expanſis, præſertim circa ungues: hæc vetuſtate & marceſcente flore intenſior redditur: caulis è viridi purpuraſcit, folia viridiora ſunt, & infimâ parte quodammodo purpuraſcentia.

Omnium ſemina in triangulis quibuſdam vaſculis continentur, rotunda, nigra, exigua: omnium etiam radix plurimos exiguos nucleos in ambitu generare ſolet, nulla tamen abundantiùs quàm duorum priorum. Florent ut plurimùm Aprili, interdum etiam Maio, ſi vernum tempus ob præcedentis hiemis aſperitatem ſeriùs incipiat.

Nat. loc.

Lactei prior ſpecies olim nobis communicata à C. V. Alphonſo Pantio, memini & in Baldo monte erutam à ſtudioſis quibuſdam ex Italia reducibus Viennam adferri: Altera ab ampliſſimo V. Cortuſo *Dipcadi* albi nomine in Belgicam miſſa.

HYACINTHVS STELLATO FLORE. CAP. XXX.

Hyac. ſtellat. varia genera.

MVLTA ſunt Hyacinthi ſtellato flore genera, quorum hiſtoriam hoc capite deſcribendam duxi: ad cujus calcem nonnulla etiam de Hyacintho vulgari ſtellato flore dicemus.

Hyacinthus ſtellatus Peruanus.



Hyac. ſtellatus Peruanus.

PRIMVM autem locum merito ſibi vindicabit elegans & rariſſimus ille, quem, ex Peruano orbe delatum, in ſuo horto alebat Everardus Munichoven (cui hæc ſtudia cordi) & florentem ſuis coloribus exprimi curabat: ejus deinde exemplar ex archetypo Everardi imitatū, pro noſtrâ amicitiâ, ad me mittebat Nobilis vir Carolus de Taſſis, Regius Antuerpiæ Curſorum Præfectus, menſe Auguſto anni XCII. ſupra milleſimum & quingenteſimum.

LATA, craſſa, multaque (ut ex icone animadvertere licuit) habuit folia, Hyacinthi orientalis, ſeu potiùs Eriophori bulbi folijs ſimilia, humi, magnâ ex parte, ſparſa, & viridia, inter quæ prodijt nudus caulis, vireſcens, ſummo faſtigio multis floribus, ſpicæ in modum ſimul congeſtis, onuſtus, qui ab imo ſe primùm explicare incipiunt, inſtar Scillæ, Ornithogali & ſimilium: pediculi oblongi, ex atro vireſcentes, ex gracilium & exiguorum foliorum alis orti flores ſuſtinent, ſex folijs ſtellæ inſtar expanſis conſtantes, purpurei foris coloris, intus ex purpurâ cærulei, umbone, quemadmodum in vulgari, floris umbilicum cum ſex ſtaminibus illum ambientibus, occupante. Fuerit-ne odore aliquo præditus is flos, aut in ſemen abierit, nondum intellexi: radix bulboſa, craſſaque inſtar radicis Hyacinthi orientalis, fuſco colore prædita foris, & multis craſſiuſculis fibris ab ima ſede prodeuntibus firmata.


Hyac ſtellat. διχρωφορος.

ALTER etiam elegans, nec mihi cum ſuo flore, dum hæc ſcribebam, conſpectus: cujus iconem

Hyacinth.ſtellatus Lilij fol.cum flore.



Hyacinth.ſtellatus Lilij fol.cum ſem.



iconem cum ſequente deſcriptione Viennam ad me mittebat Tornaco, Ioannes Moutonus, meâ Pannonicarum ſtirpium hiſtoriâ jam evulgatâ.

ATTVLIT, inquit, qui Pſeudo-narciſſos juncifolios communicabat, ex ijſdem jugis erutum bulbum, Liliaceo ſatis ſimilem, ſed oblongiorem, flaveſcentis coloris, ut Martagonis quorundam, ſive Lilij ſilveſtris & montani purpurei radix: ſena autem vel plura fert folia, Lilij albi (ante quam in caulem abeat) folijs ſimilia, è quorum medio caulis exilit pede brevior, multos flores in ſummo ſuſtinens, Hyacinthi ſtellati vulgo nuncupati floribus, omninò pares, ſex folijs conſtantes intensè cæruleis, ſive violaceis, eminente ex umbilico quodam veluti umbone, cujus causâ Hyacinthum ſtellatum λιριωφυλλὸν appellavi: flori ſuccedunt triangula capitula, in quibus ſemen. Mittebat etiam ille anno M.D.XXCVI. ejus bulbum ex aliquot palleſcentibus ſquamis imbricatim diſpoſitis conſtantem. Sed cum toto bimeſtri in itinere hæſiſſet, atque omnino flaccidus ad me perveniſſet, terrę commiſſum ſubſequens hiems corrupit. Alterum deinde bulbum ab eo accipiebam, & aliquot poſt annos unum etiam à Iacobo Plateau: ſed omnes mihi corrupti. Ejus porrò iconem à Moutono etiam acceptam, in appendice ad ſuam Stirpium hiſtoriam, exhibet Lobelius noſter. Sed anno M. D. XCV. ejus bulbum à N.V. Ioanne Boiſot accipiebam, qui inſequente anno mihi flores dedit.

TERTIO quaterna aut quina ſunt folia humi fuſa, longa, carinata, dilutè virentia, Hyacinthinis adeò ſimilia, ut ante quàm florem conſpicerem, Hyacinthum eſſe crederem: inter hęc emerſit digitalis ferè longitudinis, gracilis & infirmus cauliculus, priore anno ternos ſuſtinens flores, altero quaternos aut quinos, ſex folijs conſtantes, diluti cęrulei coloris, inodoros, qui Solis radijs illuſtrati, inſtar florum Hyacinthi ſtellati vulgaris ſeſe explicarunt, & exalbida ſex ſtaminula oſtenderunt, quorum apices purpurei, ſtilo in medio eorum aſſurgēte: ſucceſſerunt triangula capitula, qualia in vulgari, ſed inania, ut ſemen obſervare nequiverim: radix bulboſa eſt, non magna, nigro cortice tecta, & fibris ſubtus prædita. *Hyac. ſtellat. Byzantinus.*

Hunc bulbum Byzantio acceptum cum alijs ſtirpibus Francofurtum ad me mittebat anno MDXC. Generoſa Domina Vngnadin, nomine adſcripto *Suſam giule*, quâ appellatione initio Lilium Suſianum inſignitum, deinde, Iris illa bulboſa præcox, quam Matthiolus pro Hermodactylo Conſtantinopolitano exhibuit, Dodonæus pro Iride tuberosâ. Flores mihi protulit Aprili cum alijs Hyacinthis.


QVARTVM Mittelburgi, in Walachriâ Zelandiæ inſulâ, alebat honeſtiſſimus ac diligentiſſimus vir Wilhelmus Iaſparduyn, ejuſdem urbis Pharmacopęus, & prolē anno M.D.XCIIII. communicabat: iconem verò cum ejus parvo bulbo (qui perijt) mittebat Doctiſs. vir Thobias Roelſius illíus urbis Medicus. *Hyac. ſtellat. ſubcineraceus.*

Hyacinth.ſtellatus Byzantinus.

Hyacinth.ſtellat. cineracei coloris.

Hyacinthus stellaris obsoletus ceruleus vel major C.B.Pin: 46.

Hyacinthus stellaris spicatus cinereus B.Pin: 46.





Hyacinth.ſtellatusalbo flore.



Hyat.ſtellat. vulgaris & ejus varietas.

Is autem multa habet folia humi jacẽtia, inſtar foliorum Hyacinthi Anglici vel Belgici ferè: inter quę prodit cauliculus palmaris, vicenos, tricenos, aut plures interdum flores, ſpicæ vel uvæ inſtar congeſtos, ferens, ſex folijs conſtantes, medium occupante umbone ſive capitello, & ſex ſtaminibus, non ſecus ac in Hyacintho, qui ſtellati cognomen vulgo obtinuit, ſed longè dilutioris coloris, & veluti ex cęruleo cineracei: floribus ſuccedunt capitula trigona ſemen continentia: radix bulboſa eſt, candida, inſtar radicis Hyacinthi Belgici.

Floret cum vulgari, hoc eſt, ſub extremum Martium, vel etiam Aprili.

CETERVM in proximis Viennæ ſilvis, atque in Pannonia ſupra Nemethwywar, quâ iter ad Grätzium eſt, Principum Stiriæ Regiam, ad villam Kerth Welyes, vulgaris eſt is Hyacinthus, qui à floribus radiatim expanſis, & in ſtellæ formam decuſſatis, ſtellati cognomen apud rei herbariæ ſtudioſos invenit, is videlicet qui cæruleo eſt flore: in quo varietatem etiam obſervabã, alijs floribus magis ſaturis & ad violaceum quaſi tendentibus, alijs ad carneum colorem proximè accedentibus. Habet autem ipſa planta vel terna folia, vel, ut plurimùm, bina, ut etiã illi bulbi quos Neapoli Francofurtũ ad me mittebat Ferdinandus Imperatus. Qui albo eſt flore, ſponte naſcentem nuſquã videre mihi contigit: ſed binos aut ternos ejus bulbos Francofurti accipiebã munere doctiſſimi & ornatiſſimi viri Philippi Stephani Sprangeri Pharmacopæi Palatinalis Heidelbergæ: alium deinde exalbido & veluti cineraceo ſubcæruleóve flore præditum, Lugduno Batavorũ miſſum à N.V. Ioanne ab Hogelãde. Omnes autẽ in itinere corrupti, dũ Francofurto Leydam meã ſupellectilẽ transfero.

Superioribus

Superioribus autem generibus maturiùs floret, & in triangulis vaſculis ſemen fert, non atrum ut cetera genera, ſed fuſcum & tamquam fuligine infectum: cui non valde diſſimile etiam eſt illius ſemen, qui albos profert flores. *Tempus.*

Viennenſes porrò Matronę eum qui cęruleum habet florem, Blaw baldrian appellant, quaſi cæruleum lilium convallium: nam œnanthen, vulgo Lilium convallium dictam, ipſæ Baldrian nuncupant: Belgæ, à ſtellato flore, Sterreken vocant. *Nomen.* *Oenanthe.*

SED & Hyacinthum ſtellatum vulgari alioqui formâ ſimilem reperiri audio, quorum alter flores proferat ſuaviter rubentes & quaſi carneos, alter flavos: illos autem videre nondum mihi contigit. *Hyac. ſtellat. ſuave rubens, flavus.*

HYACINTHVS AVTVMNALIS. CAP. XXXI.

HYACINTHI autumnalis duo obſervabam genera, non forma quidem differentia, ſed amplitudine: diſtinctionis ergô cauſa, in majorem & minorem dividemus.

Hyacinth. autumnalis major.



Hyacinth. autumnalis minor.



MAIOR quina aut ſena habet latiuſcula & flexuoſa folia, viridia, aliquantulum carinata colchici montani hiſpanici, paulo poſt deſcribendi, inſtar, inter quæ prodit unus nonnunquam bini, terni, aut plures cauliculi palmo majores, ſatis firmi, multis floſculis, ſex folijs ſtellæ inſtar expanſis conſtantibus & dilutè purpuraſcentibus ſtipati, in quibus quædam ſtaminula nigricantibus apicibus prædita: marceſcentibus floſculis illico ſuccedunt tenuia admodum & trigona capitula, quæ brevi matureſcentia & hiantia, puſillum nigrum ſemen oſtendunt, quod terræ gremio ſtatim exceptum ſui generis plãtulas generat, quæ mihi interdum tertio anno flores dederunt: radix craſſiuſcula, candicans, infima ſede multis fibris donata. Hoc genus mihi interdum cauliculos dedit ramoſos, quorum ſinguli ramuli ſuis floſculis onuſti. *Hyac. autũnalis major.*

MINORI plura & exiliora ſunt folia, humi ſparſa, inter quæ exit unus aut alter cauliculus dodrantalis, nudus, gracilis, circa cujus ſummum naſcuntur radiati floſculi priore minores, & foliolis minus mucronatis conſtantes, ejuſdem cum priore coloris: ſemen in trigonis vaſculis ſimile, radix candicans, minor. *Hyac. autũnalis minor.*

Primum in hortulo duntaxat alui, ſponte natum non vidi, maturius minore florentem, interdum vel ſub Iulij finem, vel Auguſti initio. Alterum ante quadraginta annos in vicinis Mompelio colliculis florentem ſub initium Septembris eruebam; deinde Madritianâ Pariſiorum ſilvâ, eâ parte quâ ad Bononienſe cœnobium vergit, arenoſo ſolo & ſalebroſo: poſtremo Salmanticæ proximis colliculis ad flumen Thormim ſitis, lapidoſo admodum ſolo. *Natales.*

AVTVMNALEM hunc Hyacinthum appellabamus, quia non niſi autumno florebat. *Nomina.*

bat. Quidam Bulbinem Plinij eſſe exiſtimabant: ſed Bulbines apud ipſum lib. xx. Nat. hiſt. cap. ix. deſcriptio planè refragatur, cui porracea folia & rubicundum bulbum tribuit. Alij Theophraſti τίφυον eſſe æſtimant, quod lib vii. hiſt. cap. xii. inter eas quæ ante foliorum & caulis exortum florere incipiunt, reponit. Verum quidem eſt, hanc plantam florere incipere ante quàm folia emergant: ſed alio loco Tiphyi inter æſtivos flores meminit: quæ nota huic non convenit.

Ornithogalvm arabicvm. Cap. xxxii.

Ornithogalum umbellatum maximum B: Pin: 69



Ornithogali arabici hiſt.

Oblonga habet folia, viridia, carinata, Hyacinthi orientalis folijs adeò ſimilia, ut ab ijs vix diſcernat quiſpiam, niſi in hoc ſtudio benè exercitatus, pręſertim in plantâ ſuo caule & floribus viduatâ, minimè autem Narciſſi foliorum æmula: inter quę cubitalis emergit caulis, lævis, nudus, gracilis, vireſcens, quam aliquot in ſummo naſcentes cõfuſo ordine ambiunt ramuli ſive longi pedicelli flores magnos ſuſtinentes, Narciſſinis magnitudine pares, ſed Ornithogali forma pręditos, illorumque modo ſub veſperam ſe claudentes, ſex folijs prorſus albis conſtantes, medicati odoris & præmanſum coriandrum ferè referentis, triangulari capitulo nigro, ſplendente, medium florem occupante, quod ambiunt ſex alba ſtamina flavo apice coronata: ſemina numquam adhuc obſervare mihi licuit, licet ſingulis annis Byzantio cum alijs ſtirpibus ejus bulbi Viennam miſſi fuerint, quorum nonnulli flores dederint: capitula tamen incrementum capientia ſeneſcente flore, & ex nigro viridem colorem contrahentia, ut ſemen datura viderentur, paulatim contabeſcere cœperũt: radix bulboſa, Hyacinthi æmula, candicans plerumque, è multis tunicis conflata, latâ admodum ſede, & in ambitu fibras ſpargente. Floret Maio.

Belgis primùm cõmunicata hæc planta fuit, miſſis ex Italia ejus radicibus Ill. Ioãni de Brancion, à C. V. Alphonſo Pantio, & ampliſſimo Iac. Ant. Cortuſo, deinde etiam Conſtantinopoli cum alijs raris ſtirpibus accepta. Semel iſtic florentem vidi: Viennæ autem perſæpe.

Ornith. arabici mira natura. Mira autem eſt hujus bulbi natura: nam plerumque experti ſumus vix ulla folia promere, niſi ſingulis annis exemptus aliquanto tempore adſervetur, deinde autumno terræ denuò concredatur, tum enim demum germinare ſolet etiam ante brumam: nullus autem florere mihi conſpectus eſt, niſi recens Conſtantinopoli allatus. Nam ex illorum eſt numero, qui, niſi iſtic eruti jam conceptum in utero florem habeant, in frigidiores provincias tranſlati, nullum dent. Præterea cùm frigoris valde impatiens ſit, neque in Belgica, neque Viennæ hiemem in horto ferre potuit; ſed in fictilibus reponendus, ubi bulbis circa matrem adnatis feliciter ſe propagare ſolet.

Nomina. Ex Italia porrò miſſus fuit Lilij Alexandrini nomine: Conſtantinopoli verò ſemper *Zunbul arabi*, quod Hyacinthum arabicum ſignificat. Viennenſes matronæ weiſs Jacinthe/ hoc eſt, candidum Hyacinthum appellarunt, donec legitimus albus Hyacinthus illis innoteſcere cœpit, tunc enim, Turcicum nomen imitatæ, Arabiſche Jacinthe vocarunt. Sed quia ad Ornithogali genera potiùs referendus videtur, quàm ad Hyacinthos, Ornithogali Arabici nomen indidi, à natali ubi nimirum ſponte creſcit loco: licet Matthiolus Narciſſis, cum quibus nullam affinitatem habet, adnumeret.

Ornithogalvm alivd. Cap. xxxiii.

Varia alia ſunt Ornithogali genera, quorum nonnulla ab alijs tradita ſunt, pleraque verò à me primùm obſervata: de omnibus igitur ordine diſſeremus, initium à majoribus facientes.

Ornithogalũ majus i. Omnium autem maximum, porracea habet folia ſena aut plura, caulem inter ea emergentem cubitalem aut ampliorem, rectum, nudum, firmum, magnam florum ſpicam gerentem, qui explicati ſenis folijs conſtare conſpiciuntur ex albo vireſcentibus, & foris herbaceis omnino:


Ornithogalum majus I.



Ornithogalum majus Byzant.



Ornithogalum Pannon, albo flore.



omnino: ijs ſuccedunt trigona capita nigrum magnumq́; ſemen cõtinentia: radix ſatis craſſa, bulboſa, multis tunicis candicantibus cõſtans.

ALTERVM, non minore altitudine aſſurgentem habet caulem, ſuperiori ſimilem, ſed viridiorem, quem à medio ferè ad ſummum faſtigium multo plures exornant flores, priore majores, foris præter oras, quæ albæ ſunt, omnino virides, interius verò dum explicati ſunt, lactei omnino candoris: ſemen in triãgulis capitibus alteri ſimile, ſed paullo majus & oblongius: radix candidior, & longior interdum in amplam magnitudinẽ extuberat: folia illi longiora, magis viridia, & extremo mucrone acuminato. *Ornithogalũ majus II.*

Huic ferè ſimile Tertium, ſed paullo humilius, dilutiore etiam caule & folijs, quod cœpit Byzantio deferri alijs bulbis permixtũm, nullo addito nomine. *Ornithogalũ majus Byzant.*

QVARTO quinque aut ſex, ante hiemem, ut Arabico, ſed præter reliquorũ conſuetudinem, germinant folia, humi expanſa, anguſta, digitalis longitudinis, ex viridi incana, & Caryophylleorum florum altilium folijs forma & colore valde reſpondẽtia, aliquantulum hirſuta, herbacei guſtus & inſipidi: ſubſequente Aprili, folijs flacceſcere incipientibus, inter illa exilit dodrantalis cauliculus ſenos aut plures ſpicatim cohærentes ſuſtinens flores, qui è ſenis foliolis compoſiti, Maio menſe aperiuntur, interiore parte non minùs lactei candoris quàm in ſecundo genere, foris nervo viridi illorum dorſa occupante, ut in ſecũdo & vulgari: triangula deinde capita, nigrum rotundum ſemen continentia: radix ſubeſt bulboſa, longa, candida, *Ornith Panno. albo flore.*

lento


lento humore plena, guſtus primum inſipidi, deinde acris, foris cineraceâ tenui membranâ obducta,& ſeſſili parte multis candicantibus fibris capillata. Illud peculiare habet hæc planta,ut natali loco,ubi ſponte naſcitur,magna ex parte,cum floribus onuſta eſt, ſine folijs conſpiciatur,aut ſaltem jam ferè evanidis & flaccidis. At in hortis culta diutius plerumque folia retinere ſolet,& in majorem amplitudinem excreſcit, ſpicam vicenûm aut plurium florum nonnumquam proferens.

Ornith. vulgare. QVINTVM eſt vulgare illud, omnibus certè quas peragraverim regionibus obvium in agris,Ornithogalum,à C.V.Dodonæo Bulbi leucanthemi nomine deſcriptum.

Ornith. aliud vulgare. Aliud hujus genus alebat Viennæ in cultiſſimo ſuo horto,Generoſa D.de Heuſenſtain latioribus folijs,craſſiore caule,amplioribus floribus, paullo majore bulbo ex Tyroléſi Comitatu allatum: alioqui cum Quinto genere conveniens: quale etiam Neapoli ad me mittebat doctiſſimus vir Ferdinandus Imperatus.

Ornithogalum Hiſpanic. minus.

Ornithogalum Umbellatum floribus ex albo subcaeruleis. B: Pin: 70.



Ornithogal. pallido flore.

Ornithogalum Luteum sive pallidum majus B: Pin: 71.



Ornith. Hiſpan minus. EX parvo orbiculari albicante bulbo ſena aut ſeptena novo vere profert Sextum folia, Ornithogalo vulgari ferè ſimilia,ſed paulo anguſtiora, nulla vena candicante per longitudinem ſecta,è quorum medio prodit ſingularis cauliculus,interdum & alter,palmaris,teres,ſuſtinens ſenos,ſeptenos, aut plures floſculos, alternatim quidem naſcentes, ſed quaſi umbellam quandam efformantes,adeò æquali ſunt altitudine, non ſecus atque in vulgari & arabico, ſenis foliolis ex albo ſubcæruleis conſtantes, totidemque candidis ſtaminulis & medio capitulo ſubcæruleo umbilicum occupantibus: nulla adhuc capitula vel ſemen obſervare potui,totâ comâ brevi à floribus marceſcente. Floret Aprili.

Ornithog. Pallido flore. SEPTIMVM non valde abſimile eſt Bulbo ſilveſtri Fuchſij & Tragi: majore tamen folio conſtat, cauleque craſſiore, licet infirmo: binique aut terni quos ſuſtinet flores majores, minus flavi,ſed ex herbaceo quodammodo pallidi.

Bulbus ſil. Fuchſij. OCTAVVM locum dabimus Bulbo ſilveſtri Fuchſij,cujus cùm ab alijs ſit prodita hiſtoria,eam hîc repetere non eſt neceſſe.

Ornithog. Fla. Alcmarianum. ALIVD præterea eſt Ornithogalum, mihi non conſpectum,ſed N.V. Ioan. ab Hoghelande de eo me monuit. Binis duntaxat id præditum eſt folijs anguſtis,longis,Hyacinthi botryωdis vulgaris cæruleo flore folijs valde ſimilibus: cauliculo inter illa prodeunti inſident flores flavi,duplo majores,ſtaminibus in medio rubentibus:ejus bulboſa radix adeò vulgari jam dicto ſimilis,ut ſi miſceantur utriuſque bulbi dignoſci non poſſint. Pro Nono haberi poterit.

Ornithog. Pann. luteo flore. VNICO Decimum prodit etiam foliolo,duas aut tres uncias longo,anguſto,exalbidi coloris & acidi guſtus:juxta quod tenuis uncialis cauliculus, unum aut alterum foliolum ſuſtinens, è quorum medio bini aut terni exiliũt floſculi ſtellati,intus flavi, foris ex viridi purpuraſcentes,ſex radiolis & totidem ſtaminibus intus præditi: ijs ſuccedunt puſilla,triangula capitula,

Ornithogalum Pannon. luteo flore.



pitula, ſemine ruffo, exili, & inæquali plena: radix alba, rotunda, cineraceo putamine obducta, exigui piſi magnitudine. Sed & hoc culturâ aliquantulum majus evadit.

Primum ſatis frequens obſervabam inter ſegetes agris Nemethwywar Ill. Bathiani vicinis. Alterum etiam inter ſegetes Mompeliano agro & per Hiſpanias: Viennæ etiam mihi natum ſemine à Raſſio Lutetia miſſo, Moly appellatione. Vtrumque Maio floret. Quartum largiſſimè provenit aperto illo & latè patente campo ſecũdùm ſilvulam pago Lachn imminentem, & in ſiccioribus pratis ſecundùm Danubium, in monte Badenſibus thermis imminente, totaq; illa montium ſerie, inde uſque ad Calenberg excurrente, & Hamburgenſe monte apertis & gramineis locis. Quintum jam dixi nuſquam non eſſe mihi cõſpectum. Sextum mihi communicabat Generoſus Dn. de Longatre, Hyacinthi ſtellaris ſerotini albo flore inſcriptione, & ex Hiſpania miſſum dicebat. Septimum obſervabam in Stiriacarũ & Auſtriacarum alpium pratis ubi ſilvæ deſinere ſolent. Octavum non modò ubique ad agrorũ & ſilvarum cæduarum margines in Germania frequens, ſed etiam apud Vngaros circa ſepes & agrorum margines natum vidi. Nonum circa Alcmariam Hollandiæ urbẽ repertum eſt. Decimum eodẽ quo Quartũ naſcitur loco apud ſilvulam illam pago Lachn vicinam: ſed aprico magis delectari videtur, abundantiùs enim creſcit in aperti illius agri margine Meridiei oppoſito. Obſervabã etiam in ſiccioribus agris inter Nemethwywar & Zolonoch oppida ſæpiùs memorata. Hoc cum quarto genere in Belgicam à me miſſum Brancioni & alijs amicis altero poſt quam Viennnam appuliſſem (nam Ratisbona ſecundo Danubio navi vectus ſum) anno. *Natales.*

PRIMVM porrò appellat Dodonæus Aſphodelum bulboſum Galeni, cùm nihil Aſphodeli præter florũ formam habeat. Octavum Vngaris *Tik tara*, quidam περδίκιον Perdicium Theophraſti eſſe cẽſent, quia forſitan lib. Hiſt. I. cap. IIII. ſcribit plures illi radices eſſe quàm folia: adijcit tamen craſſas habere radices, quæ ſanè nota huic non convenit. *Nomina.*

Victorialis longa.



VICTORIALIS LONGA. CAP. XXXIIII.

NVNC ad bulbaceas illas ſtirpes progrediamur, quæ ſtellatis quidem ut præcedentes ſunt floribus, verùm minoribus, & in unum caput, ut plurimùm, congeſtis: atque, gravi odore nares ferientes, inter Allij genera potiùs ſunt referendæ.

EIVS autem quam hoc capite deſcribemus, caulis, digitalis eſt craſſitudinis, fungoſus, infimâ parte purpuraſcens, ſupernè viridis & ſtriatus, multos in ſummo ferens floſculos, oblongis pediculis inhærentes, ſenis candidis foliolis ſtellatis conſtantes, ceparum floribus ſimiles, ſenis intus ſtaminulis, ſtiloq; præditos: deinde trigona capitula, in quibus ſemen rotundum, nigrum: caulem circa medium amplectuntur & quaſi veſtiunt, bina aut terna folia, nervoſa, oblonga & lata, Gentianæ majoris folijs penè ſimilia: radix oblonga, extremâ parte bulboſa, multisque *Victorialis longa.*

multiſque validis & perennibus fibris donata, multiplici cortice varijs fibris tranſverſim coëuntibus conſtante, & quodammodo reticulato, involuta, quæ ſingulis annis feliciter alijs bulbis circa ipſam adnatis ſe propagat, fibris adeò implicatis, ut difficile ſit, bulbos conjunctim natos & cohærentes, ſejungere.

Natales & Nomina. Copioſè naſcitur in Durrenſtein, duobus ſupra Gamingam milliaribus, & mõtanis paſtoribus Lanlauch dicitur, quibus magno eſt in uſu adverſus corrupti aëris & nebularum exhalationes. Invenitur & in montibus qui Bohemiam à Sileſia diſterminant, ubi à Germanis Siegwurtz appellatur, quia qui effodiendis metallis operam dant, magnas certaſque illius vires ſe experiri prędicant, ad ſeſe muniendum adverſus impurorũ ſpirituum inſultus, à quibus frequentiſſimè impetuntur: unde etiam Victorialis nomen ab effectu inditum contendunt. Matthiolus Allium anguinum vocavit. Ioſias Simlerus Allium alpinum nuncupat, Sigwurtz & Sibenhamkorn/ ab involucrorum, quibus tamquam reticulo radix involvitur, multitudine. Vulgus Herbariorum Victorialis longæ aut majoris cognomen dedit, ut à Gladiolo diſcernant, cujus radicem, ob corticis quo integitur, cum ſuperiore ſimilitudinem, Victorialem rotundam & parvam appellant.


Allium urſinum Lilium convallium, ſive Oenanthe. CVM Victorialis porrò longæ folijs magnam ſimilitudinem habent Allij urſini folia, licet molliora & teneriora. Frequentiſſimum autem id eſt in omnibus Pannonię & Auſtrię ſilvis, conjunctim plerumque naſcens cum Lilio convallium, ſive Oenanthe, Auſtriacis, ut ante dixi, weiſſe Baldzian/ Vngaris *Zent györgy veraga*, hoc eſt, S. Georgij flos, dicta, & *Gyewngy Wyrag* à nonnullis, quod ſignificat unionis florem.

Xyphium minus. XYPHIVM autem ſive Gladiolus minor, cujus etiam meminimus, multis Pannoniæ & Auſtriæ pratis, & nonnumquam ad ſilvarum declivi loco ſitarum margines frequens eſt, illi ſimile quod in Hiſpanijs & Narbonenſi Gallia inter ſegetes naſcitur rubro eleganti flore. Sed & vicinis Pragæ, Bohemiæ Metropolis, locis creſcit.

SCORODOPRASVM. CAP. XXXV.

SCORODOPRASI duo genera evidentibus notis inter ſe diſcreta, cùm Viennæ viverem, obſervabam.

Scorodopraſum I. Allium ſphærico capite, folio latiore, ſive Scorodopraſum alterum Clus. 174.



Scorodopraſum I. PRIMVM oblonga & lata profert folia, porraceis majora, carinata, caulem ſeſquicubitalem, nonnumquam bicubitalem, digitalis craſſitudinis, ſuperiore parte nudum, ferentem in ſummo caput membranaceo involucro tectum, ut cepa, quod explicatum, multos floſculos ſimul congeſtos cepaceis ſimiles, ſex exalbidis foliolis conſtantes oſtendit: quibus ſuccedunt trigona capitula, in quibus nigrum ſemen, cepæ ſemini par: radix ſubeſt craſſa, parvæ cepæ æqualis, multis albis tunicis conſtans, quæ ſeſſili parte plurimis candidis fibris prædita eſt, & vetuſtate in alios majores bulbos ſeſe dividit, atque alios minores ad latera adjunctos habet, gravis, medijq; inter allium & porrum odoris. Iunio & Iulio floret.


Scorodopraſum II. BICVBITALEM habet Alterum caulem, multis ab infima parte ad medium uſque porraceis folijs, priore anguſtioribus, circumdatum, medio inter porrum & allium odore: reliquam partem nudam, viridem, lævem, ſummo faſtigio ſuſtinentem caput è multis bulbis, ut in Moly Indico congeſtum, & candicante membranaceo involucro cuſpide longa, viridi, prædito tectum, quod deinde bulbis excreſcentibus rumpitur, nudoſque bulbos initio purpuraſcentes, poſtea exalbidos detegit, inter quos floſculi quidam naſcuntur: ea caulis extima pars, cui caput innititur, initio ſeſe cum ſuo capite convolvere ſolet, ut ſerpentis obtorto collo ſimilitudinem quodammodo referat, deinde ſenſim paulatimque ſeſe explicare incipit, donec tandem caput erigat: radix è multis nucleis ſimplici aut duplici tenui membranâ tectis conſtat, & numeroſis exalbidis fibris ſeſſili parte donata eſt.

Iunij initio ſuum caput contorquet, Iulio verò erigit, eodemque menſe bulbos ad maturitatem perducit, qui terræ crediti, ſui generis plantas procreant.

Primi

Scorodopraſum II.

Allium Sativum alterum: ſive Allioprassum caulis summo circumvoluto B: Pin: 73.



Natales.

Primi generis pauci bulbi ornithogali Arabici bulbis permixti Byzantio demum allati ſunt paullo poſt quàm Viennam veniſſem, quorum unum aut alterum Ill. Ioan. de Brancion mittebam, cum alterius generis aliquot bulbulis. Vnicus quem ſervaveram mirum in modum ſe propagavit, ut ſucceſſu temporis multis elargiri potuerim. Eum autem apud Turcas eſſe in delicijs, mihi aliquando referebat Ill. Augerius de Bousbeque.

ὀφιοσκόροδον.

SVNT qui ſecundum genus ὀφιοσκόροδον appellent, quia caput cum ſuprema caulis parte ſerpentis inſtar ſe contorqueat.

MOLY. CAP. XXXVI.

VARIA ſunt Moly genera, quorum bina à Veteribus deſcripta habemus: Homericum, cujus Theophr. Plant. Hiſtor lib. IX. cap. XV. & poſt eum Plin. Nat Hiſtor. lib. XXV. cap. IIII. meminêre: & Dioſcoridæum. De his iſto capite agemus, atque etiam tertium quoddam genus addemus, nuper admodum Europæ (ut aiunt) familiare factum.

Moly Theophraſti.

PRIMVM, folijs eſt Scillæ tribus aut quatuor, longioribus, invicem amplexantibus, cubitali aut ampliore caule, craſſo, concavo, rotundo, foliorum experte, multos flores ſtellatos, candidos, ſummo faſtigio ſuſtinens longis pedicellis inhærentes, nigro in triangulis capitulis ſemine, ceparum ſemini ferè ſimili: radix craſſa, alba, rotunda, nigro cortice tecta, quam negat Theophraſtus difficulter effodi, ut Homerus tradidit. Iuxta caulem inter folia, alius plerumque exit cauliculus planus & foliaceus, ſeu veriùs folium, in ſummo veluti allij nucleum gerens, initio candicantem, deinde pallescentem, qui, terrâ exceptus, germinat, & ejuſdem generis plantam profert.

Moly Italicū.


Quod verò in Italia naſci ſcribit capite ſuprà memorato, cujus videlicet radicem triginta pedes longam, ac ne ſic quidem ſolidam, ſed abruptam, & aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, Campaniâ ſibi allatam, mihi prorſus eſt incognitum, nec quemquam audire, vel ſcribere memini, qui ſe vidiſſe diceret.

Moly Indicū.

MOLY alterum genus, Indicum cognominatum (quod nonnullis *Caucaſon* barbaro nomine dicitur) quia ex India primùm in Hiſpanias perlatū eſſe ferunt, & inde ad Italos tranſiviſſe (ab illis certè Belgæ acceperunt) ſuperiori folijs & reliquâ formâ ſimile, nunquam flores apud me, neque apud multos alios protulit: ſed eorum loco, caulis pedalis, ferè planus, adeò infirmus, ut, niſi aliquo fulciatur adminiculo, attolli non poſſit, ſummo faſtigio conglomeratum caput fert, multis veluti allij ſpicis meſpili vulgaris magnitudine conſtans, initio viridibus, deinde palleſcentibus quę etiam in terrâ non repoſitæ, germinant: telluri tamen commiſſæ, in majores bulbos adoleſcunt, foliaque & caules (non tamen ſingulis annis, quemadmodum nec ipſa etiam pares) producunt:

Moly Theophraſti.


Moly Latifolium Liliflorum B: Pin: 75.




Moly Indicum.



Moly Dioſcoridis.



Moly minus.



cunt: radix, ut alterius, cepacea, rotunda, alba, multis tunicis amicta, quarum externa fuſca, vetuſtate ſeſe ſeparans, & in alios bulbos pangens.

Cœpit hoc etiam Conſtantinopoli Viennam adferri, dum iſtic vivebam, *Zumbul arabi* bulbis permixtum: & inde forſitan, etiam in Italiam; à doctiſſimo tamen viro Ferdinando Imperato intelligebam, Neapolitano regno ſponte naſci.

Moly Dioſcoridis. BINA aut terna graminaceorum pænè inſtar folia habet Tertium, mollia, ad terram inflexa, exteriore parte aliquantulum lanuginoſa, inter quæ caulis exilit dodrantalis, lævus, rotundus, cavus, ſummâ parte membranaceum quoddam involucrum ſuſtinens, è quo multi emergunt floſculi candidi, ſex foliolis conſtantes: radix bulboſa, avellanę nucis magnitudine, intus alba, ſucculenta, aliquantulum acris, ſubingrati odoris, foris nigricantibus membranis involuta.

Natales. Naſcens hoc Moly, & initio Februarij flores proferens, Gadibus, ea veteris urbis parte quæ in mare protenditur, eruebam, non procul à ſacello locum occupante, in quo Herculis templum fuiſſe ferunt.

PLVRIMVM ad Μῶλυ Dioſcoridis accedere mihi videtur, præſertim ſi pro πηχείων τεσσάρων, legatur δακτύλων τεσσάρων.

Moly minus II. HVIC valde ſimile eſt Moly illud, quod Moerkercæ Flandrorum in cultiſſimo ſuo horto alebat Ill[ris] Heros Carolus à Divo Audomaro, Dominus de Dranoutre, Moerkerken, &c. Caulis ejus palmaris, viridis, denos aut plures ſuſtinens flores, ſex niveis foliolis, non mucronatis, ut ſuperioris,

rioris, ſed orbiculatis & majoribus conſtantes, ſenis in medio ſtaminulis, inter bina porracea quodammodo, ſed anguſtiora folia aſſurgebat: radix erat rotunda, candicans nucis ponticæ magnitudine, albicantibus fibris prædita. Vnde habuiſſet ignorabat, ſed ſemine peregrè accepto ſibi natam eam plantam augurabatur.

ALLIVM ſive MOLY MONTANVM. CAP. XXXVII.

MVLTA etiam in Vngariæ, Auſtriæ, Stiriæ, Moraviæque montibus Moly ſive Allij ſunt genera, folijs, floribus, vel capitibus inter ſe diſcrepantia: quorum maximam partem ab alijs hactenus minimè obſervatam fuiſſe exiſtimo.


Allium ſeu Moly montan. latifol. I.

Allium montanum bicorne latifolium flore dilute purpurascente. C.B. Pin: 74



Allium ſive Moly montanum II.

Allium montanum bicorne angustifolium flore purpurascente. C.B. Pin: 74




PRIMVM, caulem habet duorum cubitorum altitudine excreſcentem, quem, ad medium uſque, ambiunt folia, multò quàm in Allij generibus latiora, longa, porraceis proxima: ſummo cauli, qui lævis & junceus eſt, inſidet caput è multis bulbis ex atro purpureis ſimul congeſtis, ſatiſque craſſis conflatum, inter quos in oblongis petiolis naſcuntur flores dilutè purpuraſcentes, quibus ſuccedunt trigona vaſcula, in quibus ſemen: radix bulboſa, craſſa, ex multis nucleis conſtans, numeroſis albis fibris prædita eſt: ſed & bulbi rotundi radici inhærent ijs ferè pares qui in capite naſcuntur, quique, terrâ excepti, plantas ſui generis producunt. Toti ſtirpi Allij gravis odor ineſt. Iunio & Iulio flores & bulbos fert. *Moly montanum I.*

CVBITALI aſſurgit Alterum caule, lævi, rotundo, viridi, in quo terna plerumque folia, ſuperioris folio anguſtiora, & veluti graminea: ſummus caulis caput ſuſtinet duabus laxis membranaceis tunicis longiore mucrone præditis obvolutum, quibus ſeſe aperiẽtibus, multi exigui bulbi ſimul congeſti apparent, inter quos flores, ſex purpuraſcentibus foliolis conſtantes, & oblongis pediculis inhærentes, dependent: rotundam, albam, longis, candicantibuſque fibris capillatam radicem habet. *Moly montan. II.*

EADEM excreſcit Tertium altitudine, totidemque illi ſunt juncea folia, viridia, caulis ſupra folia lævis, rotundus, viridis, inter binas membranaceas etiam tunicas longâ caudâ inſignitas, caput ſuſtinet, è multis exiguis bulbis, punicantis è viridi coloris, & in longiuſculam herbaceam cuſpidem plerumque deſinentibus, confertimque naſcentibus, conflatum, inter quæ dependent in oblongis gracilibuſq; pediculis flores ſuperioris floribus formâ & magnitudine ſimiles, coloris exalbidi, quorum media foliola, ſecundùm longitudinem, & utraſque oras, vena obſoletè purpuraſcens inficit: radix etiam rotunda eſt, candicans, longis albicantibuſque fibris prædita. *Moly montan. III.*

Allium ſive Moly montan. III.

Allium montanum bicorne flore pallido. C.B.Pin:75



Allij montani IIII, ſpecies I.


All: montan: bicorne flore pallido odorato C.B.Pin:75.



Allij montani IIII. ſpecies II.

All: mont: bicorne flore obſoletiore C.B.Pin:75.

Moly mon-tan. IIII.



Moly mont. IIII. ſpecies altera.

HABET & Quartum terna juncea folia, caulem cubitalem, rotundum, cui inſidet caput duabus membranaceis tunicis caudatis concluſum, quo utrinque dehiſcente, magna explicatur florum ex lõgis pediculis dependentium, coma, qui ſex pallidis foliolis conſtant, totidem etiam ſtaminula cum ſtilo in medio obtinent, qui cum ſuo caule reſecti, & in cubiculum illati, ſuaviſſimi odoris (qualis in præcocioris Cyclamini floribus percipitur) ſed fugacis admodum, eſſe deprehenduntur: ijs ſuccedunt trigona capitula, in quibus ſemen nigrum, planum, Caryophylleorum florum ſemini non multum abſimile: radix globoſa eſt, ſuperiori ſimilis, & eodem modo capillata, nucleos interdum in lateribus deponens.


Alia invenitur ejus ſpecies, pari ferè altitudine excreſcens, ſimilibuſque propè folijs prędita, cujus coma inter laxas, membranaceaſque, & longum mucronem habentes tunicas, latè ſeſe explicat, floribus coloris valde obſoleti plena: radix ſuperiori ſimilis, nucleos etiam in lateribus profert.

Trium iſtorum poſtremò deſcriptorum radix allium ſubolet, folia autem herbaceũ quendam odorem potius referunt.

Natales.

Alterum & tertiũ genus, in longè porrecta illa montium ſerie, qui à Stiriacis Auſtriaciſque Alpibus ad Danubium ſupra Viennam excurrunt, ſponte naſcuntur. Quarti verò prior ſpecies circa Poſonium, Vngariæ nunc Metropolim ad

Allium ſeu Moly montanum v.



Allium ſive Moly Narciſſinis fol. I.



ſim ad ſiniſtram Danubij ſitam, in quo Vngarica comitia fieri ſolent, & locis Niclaſpurg in Moravia vicinis, omnium autem abundantiſſimè ſupra Badenſes thermas, creſcit.

PARI altitudine aſſurgit Quintum, caule nudo, viridi, paucis folijs viridibus obſito, cujus faſtigio inſidet caput orbiculare initio, è multis floribus brevi petiolo præditis congeſtum, qui ſex foliola, nunquam ſeſe prorſus explicantia, habent, ſex in medio ſtaminibus & ſtilo, elegantis purpurei coloris: radix bulboſa, alba, nucleos interdum tenui membrana tectos, & proximè caulem lateribus adnatos, habens, & ſeſſili parte multas albicantes fibras. Ejus odor, Allij inſtar caput ferit. *Moly montan. v.*

In Vngaria circa Poſonium duntaxat obſervaveram, quum Pannonicarum ſtirpium hiſtoriam publici juris faciebam, ad vinetorum in collibus Danubio imminentibus ſitorum margines, Maio & Iunio floribus onuſtū. Poſt quàm verò Vienna diſceſſi, & Francofurtum ad Mœnum perveni, aliquot ſtirpes inter ſegetes agris illi urbi vicinis invētas, in meum hortulum tranſtuli propter florum elegantiam, anno M.D.XXCIX. Tertio autem poſt anno, binos ejus bulbos Neapoli accipiebam à Ferdinando Imperato, qui flores duntaxat protulerūt Lugduni apud Batavos, ubi demum quale genus Moly montani eſſet agnovi: paullo tamen præcocius florere mihi viſum eſt illo, quod in Vngariâ, quod Francofurti obſervabam: nam & illud Lugdunum adferebam. *Natales.*

MOLY NARCISSI FOLIIS.
CAP. XXXVIII.

ALLII odor facit, ut binæ hæ tuberoſæ ſtirpes, ad Moly claſſem, non ineptè, meo judicio (nam & aliæ accedunt notæ) referri poſſint.

PRIOR, quina aut ſena ex radice promit oblonga folia, plana, ſucculēta, Narciſſi Quinti ſimplici flore, h. e. Narciſſi alterius niveo flore folijs ſimilia, viridia admodum & ſplendentia, inter quæ cubitalis plerumque exit caulis, nudus, firmus, viridis, ſtriatus, ferens in ſummo multos flores, ſex purpuraſcentibus foliolis, totidemque interius ſtaminulis præditos, ſimul congeſtos, & veluti globoſum caput cōſtituentes, quemadmodum in cepa, quibus ſuccedūt trigona capitula, quæ, maturitate dehiſcentia, rotundum nigrum ſemē continere deprehenduntur: radix nodoſa eſt, anterius progrediens polygonati modo, extimâ parte globoſa, candida, multis tunicis circumvoluta, plurimis albis fibris prædita, & adnatis feliciter ſe propagans. *Moly Narciſ. folio. I.*


Aliud ejus genus eſt nō valde abſimile, mollioribus & magis cineraceis folijs, dilutioribus etiam floribus. Floret utrumque ſub extremum Iunium & Iulio. *Moly Narciſ. fol. I. altera ſpecies.*

HABET & Secunda quina aut ſena folia, ſuperioris folijs non minùs lata, ſed breviora, aliquantulum ſe torquentia, viridia, & ſplendentia, caulem pedalē, ſuperiore graciliorem, *Moly Narciſ. folio II.*

 ſed

Allium ſive Moly Narciſſinis fol. II.

Allium montan: fol: narciſſi minus C.B: Pin: 75.



Moly Narciſ. fol. II. altera ſpecies.

Natales.

Bulb. vomitor.

Alum Plinij.

ſed non minùs firmum, ſtriatum, qui ſummo faſtigio è membranaceâ tunicâ multos floſculos promit, in orbiculare caput ſimul cōgeſtos, prioris floribus ſimiles: ſed elegantiore purpurâ nitētes: capitulis & ſemine cum Priore reſpondet: ſimiliter & radice, quæ nodoſa eſt, & adnatis in ambitu, non infelicius illâ, ſeſe propagat.

Illius etiam genus invenitur longioribus & anguſtioribus folijs, neque adeò cōvolutis, cauliculis paullo infirmioribus, floribuſque multo dilutioribus: in reliquis ſatis conveniunt.

Vtraque hæc ſpecies ſerius priore genere floret, nempe Iulio & Auguſto. In omnium radicibus illud peculiare, ut ramoſæ tandē & obliquæ fiant, veſtigia caulis, præcedentibus annis nati, impreſſa habentes, Polygonati radicum inſtar, non adeò tamen laxæ.

Naſcūtur omnes in Leytenberg ſupra Manderſtorff (ubi tepidæ ſunt aquæ, quarū uſu multi valetudinem curant, pręſertim calculo obnoxij) & alijs montibus urbi Viennæ vicinis.

SECVNDO generi ſimiles plantę mihi natæ ſunt Viennæ Auſtriæ, ſemine Lutetiâ miſſo à doctiſſimo viro, rerumq; naturalium peritiſſimo Nicolao Raſſio, Cheirurgo Regio, Bulbi vomitorij nomine, quia facilè vomitū ciet ejus radix præmanſa. Eodem etiam nomine aluit in ampliſſimo, eodemq; cultiſſimo ſuo horto Caſſellis Illuſtriſſimus Cattorum Princeps Wilhelmus. Non deſunt tamen, qui Alum, quod Plin. Natur. Hiſt. lib. XXIX. cap. VI. in arvis ſponte naſci ſcribit, eſſe velint: ſed cùm ille formam non deſcribat, & Allij genus eſſe, dūtaxat dicat, certi quidpiam ſtatuere difficile eſt: niſi ab eo, qui fortè periculum fecerit, an aves, eo dovorato tanquam ſopitæ, manu capi poſſint.

Aſphodelus I.

Aſphodelus albus ramoſus mas C.B. Pin: 28



Aſphodel. I.

ASPHODELVS. CAP. XXXIX.

ASPHODELVM cùm plerique deſcripſerint, hîc ſubijcere nō erat operæpretium. Quia autem aliquot ejus genera nemini adhuc delineata, cùm Hiſpanicarum ſtirpium obſervationes evulgabam, à me obſervata erāt, lectoribus tum gratificaturum putabam, ſi eorū qualemcumque hiſtoriam proponerem: quam denuo hîc repeto, quòd quędam poſtea obſervaverim ad eam ſtirpem pertinentia.

PRIMVS multa habet oblōga folia, anguſta, triangula, & veluti carinata, fungoſa & lenta, mucronata: caulem rotundum, lævem, bicubitalem interdū, in ramulos ſupernè fiſſum, quem à medio ferè ſurſum vergendo exornant multi ſtellati ſex foliorum flores, coloris intus albi, foris verò nervo purpuraſcente ſingula folia ſecundùm longitudinem quaſi diſtinguente (ut Ornithogali flos vireſcente linea diſtinctus eſt) totidem quot foliola ſtaminibus medium occupantibus: ſemen durum, lignoſum, rugoſum, atrum, & figura triquetra, capitulo orbiculati ferè, ſed tribus eminentioribus coſtis prædito, & ex viridi purpuraſcente continetur, quod illo per maturitatem dehiſcente, cadit: floret per partes ut verè dicit Theophraſtus, & incipit ab

imis.

ſmis. Radices ab uno capite numeroſæ exeunt, oblongæ, exiguis napis ſimiles, ſed inferiore ſede craſſiores, atque in fibras deſinentes, ſucci plenæ, candicantes, ingrati & acris guſtus.

Iſtius radices videre memini, dum Olyſippone Hiſpalim proficiſcerer, aratro erutas, quæ *Aſphodeli* ducentos aut plures ab eodem capite pendentes, eoſq; craſſos admodum napos haberent, ut *ingens radix.* quinquaginta aut amplius libras totam plantam pendiſſe putem. Itaque nihil mirum, ſi Plinius octoginta ſimul acervatis ſæpe bulbis referat.

Aſphodelus II. | Aſphodelus minor.





ALTER huic omnino ſimilis, exceptis caule, qui unicus eſt neque ſurculoſus, & flore, *Aſphodelus* qui omnino albus: illius etiam radix non adeò numeroſa. *II.*

Sponte ſua naſcitur uterque editioribus ſaxoſiſque Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ quoque *Natales.* Aquitanicæ & Narbonenſis locis. Apud Belgas non niſi ſatus provenit, ut neque in Germania. Floret uterque illic Martio & Aprili: in hortis Maio, & etiam Iunio.

TERTIVS, ut folijs, caule, & floribus ſatis ſimilis eſt ſuperioribus, ita radicibus omnino *Aſphodelus* differt, quæ non glanduloſæ, ſed fibroſæ craſſæque & numeroſæ ex uno capite naſcuntur: fo- *minor.* lia Aſphodeli, minora, multò anguſtiora, lentiora, dilutioriſque ſunt coloris, è quorum medio ſex aut plures ex eadem radice aſſurgũt caules cubitales, ramoſi, quos ſine ordine naſcentes ſtipant flores, ſuperioribus ſimiles, ſed minores, medium folium purpuraſcente vena per longitudinem ſecante: floribus ſuccedunt triangula capitula, initio viridia, deinde exalbida, in quibus ſemen rugoſum, anguloſum, altero minus.

Toto Valentino regno nullus ferè eſt alius Aſphodelus: naſcitur & Gadibus ad ipſum pon- *Natales.* tem de Suaço cognominatum, quo inſula continenti conjungitur, & pleriſque Granatenſis regni locis: olim etiam campo illo lapidoſo ſupra Arelatem, Maſſiliam proficiſcens ſecus ſemitas colligere memini. Semine, ex Hiſpanijs à me delato, amicis natus eſt in Belgica, ſed cùm frigoris ſit impatiens, peribat hieme, eam ob cauſam annuum cenſebãt, donec me monitore (qui magnas illius plantas hieme virentes in Hiſpanijs videram) Ill. Ioannes de Brancion unam ex ijs quæ poſtea ſemine natæ, fictili inditam cõſervaret, quæ aliquot deinde ſubſequentibus annis florens, maturum ſemen præbuit, quod etiam terræ creditum provenit.

GRÆCIS ἀσφόδελος, Latinis Haſtula regia. Plinius caulem cum floribus Albucum nomi- *Nomina.* nat, quem Græcis ἀνθέρικον vocari ſcribit. Idem Aſphodelum aliquibus Heroïon appellari tradit, & Dionyſio marem & feminam eſſe. Hiſpani priorem *Gamones* vocant; alterum radice fibroſa Valentini *Gamonçillos*, id eſt, parvum Aſphodelum, Granatenſes *Cebolla de culebra*, hoc eſt, cepam colubrinam appellant. Patavina ſchola Aſphodelum fiſtuloſum, quòd concava folia habeat, forſitan. Nihil cum Phalangio commune habet.

Aſphodeli facultates ex Dioſcoride, Plinio, Galeno petendæ: an verò tertius alicujus in re medica ſit uſus, à nemine hactenus intellexi.

R 3 ASPHO-

Pſeudo-aſphodelus I.

Pseudo-Asphodelus palustris anglicus B. Pin: 29



Pſeudo-aſphodelus II.

Pseudo-Asphodelus Alpinus B: Pin: 29.



Pſeudo-aſphodelus. I.

ASPHODELVM porrò illum flavo flore paluſtrem, cujus Dodonæus & Lobelius in ſuis ſcriptis meminerũt, vel potiùs Pſeudo-aſphodelum (nam nihil Aſphodelo ſimile habet præter flores, licet Dodonæus caulem etiam ſimilem faciat, qui tamen non eſt nudus, ſed multis foliolis ſive vaginulis illum amplectentibus donatus) Xyphij folijs aut tenuifoliæ Iridis, aliquando eruebam in paluſtribus illis ericetis Maldeghemo vicinis ſecundo à Brugarum urbe Flandriæ celeberrimâ, miliari, Maio menſe cum Ill. Viro Carolo à Divo Audomaro, Dn. de Dranoutre, Moerkercke, &c. curru vectus relaxandi animi gratiâ, altero à meo ex Hiſpanijs reditu anno.

Natales.

Natales.

ALTERVM autem Pſeudo-Aſphodeli genus, folijs illi valde ſimile, ſed per omnia minus, in Snealben, Neuberg, Etſcheri, atque alijs pratis montanis, & gramineis collibus, Iunio florens & Iulio ſemen proferens obſervabam, quod ſuperiori conjungendum putavi.

Pſeudo aſphodel. II.

NVMEROSA ſunt illi folia, ſeſe mutuo amplectentia ut in ſuperiore, & Iride, anguſta, brevia, viridia, dura, amariuſculi, & calidi ſaporis: è quorum medio cauliculus gracilis egreditur pedalis interdum, aut major, aliquot nonnumquam foliolis inhærentibus, ſpicam floſculorum ferens ſex foliolis conſtantium, alterius inſtar, ſed minorum, palleſcentis ex herbaceo coloris, & odoris expertium: quibus ſuccedunt trigona capitella, interdum tetragona & pentagona, minutiſſimum ruffum ſemen continentia: radix vix corpus habet, ſed tenuibus aliquot fibris duntaxat conſtat.

PSEVDO-ASPHODELI minoris ſive pumilionis folio Iridis nomen indidi, ad prioris differentiam qui Pſeudo-aſphodelus major appellari poſſet.

COLCHICVM. CAP. XL.

PLVRA etiam (præter vulgare illud, quod omnibus Germaniæ & Vngariæ pratis obuium eſt) à me obſervata ſunt Colchici genera, foliorum, florum, & radicis amplitudine, vel etiam florum colore, inter ſe differentia.


Colchic. Pannon. alb. flor. πολυανθὴς.

MVLTORVM florum eſt Primum genus, quod in quibuſdam pratis Viennæ Auſtriæ vicinis, nec procul à Danubio ſitis, inter vulgaris plantas naſcens, ante multos annos obſervabam & eruebam, ut in hortulum transferrem, deinde in pratis arci Starenberg Mag^ci Dn. de Heuſenſtain vicinis, magnâ copiâ inventum eſt. Septenos enim, denos, aut duodenos, vel etiam plures interdum promit flores lactei candoris, eleganti ſpectaculo: hujus etiam folia, vulgaris colchici folijs æqualia, ſed dilutius virentia, ineunte duntaxat vere exeunt: copioſum fert ſemẽ ſubruſum in laxis triangulis capitibus: radix, vulgaris bulbo, major, ad Secundi tamen


di tamen

Colchicum Pannon. πολυανϑ. alb. flore.

Colchicum candidum multiflorum. B. Pin: 68.



Colchic. Pannonic. alb. flor. ſemen.



Colch. Byzant. latif. flores.

Colchicum polyanthes lato Ellebori albi folio. B. Pin: 68.



Colch. verſic. flor.

Colchicum purpureum Lacteum variegatum. B. Pin. 68.



di tamen ſive inſequentis amplitudinem non accedens. Iſtic & pauci bulbi reperti, quorum flores eleganter rubebant. *Colchic. rub. flo.*

Huic affine eſt quod C. V. Lobelius prope Briſtolium & agro Somerſeti in Angliâ naſci obſervabat, cujuſque aliquot bulbos, ipſe & Morganus, quum anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo apud eos eſſem, mihi donarunt: hi à meo reditu terræ credidi Machliniæ, florem protulerunt, inſequente vere, folia (quæ, vulgaris folijs anguſtiora mihi viſa ſunt) deinde ſemen: radix vulgari par. *Colchic. Anglic. alb. flo.*

NOVO vere germinat Alterum genus, ternaque, aut quaterna producit folia ampliſſima, Ellebori albi folijs nec formâ, nec magnitudine valde abſimilia, nec illis minus nervoſa, magis tamen viridia, & ſeſe mutuo amplectentia: Autumno, cum vulgari numeroſos fert flores, ut vicenos aliquando obſervare meminerim ex eodem bulbo prodeuntes, vulgaris quidem floribus forma & colore propè ſimiles, ſed ampliores, craſſioreque pediculo ſubnixos, foris dilutius, internè ſaturatius purpuraſcentes, & tanquam venis quibuſdā per folia ſparſis, notatos, in quibus ſtamina ut in vulgari: ſatis copioſum ſemen fert interdum in triangulis laxis brevibuſq; capitulis ſive folliculis, triplo craſſius vulgari: ejus radix craſſiſſima, pugnum æquans, vel etiam amplior. *Colchic. latif. Byzant. πολυανϑ.*


Conſtantinopoli ſingulares ejus bulbi bis *Natales.*

ſunt

Colchic. Byzant. πλατίφυλλον cum fructu.



Colchici montan. Hiſpan. flos



ſunt allati dum Viennæ vivebam: Generoſæ Dn. de Heuſenſtain, à qua prolem accipiebam: & Generoſæ Dn. Vngnadin anno M.D.XXCVIII. quum iſtinc Francofurtum diſcederem.


Colchic. Luſitanic. Cvm illius flore quandam affinitatem habere videtur flos ejus Colchici, quod Theodoricus Clutius è Luſitania acceperat: nam ſex etiam folijs conſtat purpurei cum albo mixti coloris, & veluti teſſellatim (ut in Fritillariæ flore) diſpoſiti, floridioris tamen: umbilicum etiam occupant ſex alba ſtamina, flavis apicibus prædita, & medius ſtilus in ſtaminula diviſus, purpuraſcentis ſupremâ parte coloris: odor aut nullus, aut valde obſcurus. Floret cum reliquis Colchicis.

Colchic. ποικιλανθὲς. Tertivm genus habeo munere Gen. Dn. de Heuſenſtain, quæ in cultiſſimo ſuo horto ſuburbano ad Viennam urbem, binos aut ternos alebat, quos, unde adquiſiviſſet, ignorare ſe affirmabat. Non minus craſſo eſt id bulbo, quàm Primum, vel etiam craſſiore: Octobri, paullo ſeriùs quàm ſuperiora, binos, ternos, aut quaternos producit flores, vulgari breviores, & brevi pediculo innixos, ut vix ſupra tellurem attollantur, quorum interiora tria folia ex purpurâ quodammodo rubent, aut Hiſpanici montani floribus concoloria ſunt, ut plurimum, exteriora autem tria vel omnino lactei candoris ſunt, vel internè mediâ ex parte purpurea, aut craſſioribus purpureis venis radiatim diſtincta, vel purpureis maculis aſperſa, omnia verò mucrone magis orbiculato & obtuſo quàm in vulgari: hujus folia ineunte vere germinantia, ex viridi purpuraſcunt, deinde explicata ſaturatius virent vulgaris folijs. Semel duntaxat ejus ſemen legere memini, prioris ſemine minus.

Colchic. latifol. Boiſoti. Qvartvm genus à Boiſoto accipiebam anno M. D. XXC. craſſo etiam bulbo, quod terræ commiſſum non modò non floruit, ſed prorſus perijt. Scribebat autem ejus florem purpurei coloris eſſe, qui procul aſpicientibus vulgari par appareret, at diligentiùs obſervantibus, colores ex albo & purpureo diſtincti videbantur, ſatis ad Fritillariæ colorem accedentes: folia item habere ampla, ad terram inclinata. Poſtea tamen, conſpecto Colchici Byzantini, cujus bulbum ad ipſum mittebam, flore, diverſum à meo latifolio, ſuum Colchicum eſſe monebat. Forſitan verò idem genus erit, cum Luſitanico Clutij.


Colchic. montan. Hiſpan. Qvinto terna aut quaterna ſunt folia digitalis longitudinis, carinata, firma, humi tamen ſparſa, ſaturatius virentia & ſplendentia, vix ſemunciam lata, acidi guſtus, ruſeſcentem colorem contrahentia dum tabeſcere incipiunt: flos ſine folijs primùm exilit Septembri, aliquando etiam Auguſto, ſex longis, anguſtis, & ex purpura rubentibus folijs, totidem in medio ſtaminibus conſtans: hunc ſtatim (præter aliorum Colchici generum morem) folia ſubſequuntur,

Colchici montani Hiſpan. ſemen.



Colchicum mont. min. verſicolore flor.

Colchicum … foliis anguſtis & variegatis. B. Pin. 68.



ſequuntur, & totam deinde hiemem perdurant, uſque in menſem Maium, vel etiam Iunium: radix bulboſa, non magna, multis ex rufo nigricantibus tunicis amicta, intus alba, ſolida, & cum quadam adſtrictione dulcis, longiuſculâ ſede, quali in ceteris generibus, & adnatis in lateribus ſe propagans.

Collibus Salmáticæ vicinis, ſolo valde lapidoſo primùm eruebam cum ſuo caule dodrantali, firmo & triangulari capite, in quo ſemen ex rubro nigreſcens ſive fuſcũ, læve, exiguum, ſubrotundum Maio menſe, anno M.D.LXIIII. Apud Belgas, apud quos, ſemine quod natali loco collegeram, natum eſt, nullum adhuc ſemen dediſſe intelligo. Viennæ autem Auſtriæ, aliquoties ex meis ſtirpibus ſemen collegi, capite incluſum vix terrâ interdum emergente, & inter folia jam languida latente, aliquando digitali & palmari cauliculo innitente, uti etiam Francofurti ad Mœnum, & Lugduni Batavorum. *Natales.*

HVIC non multum abſimile eſt, quod Iacobus Plateau in ſuo horto Tornaci alere ad me ſcribebat, tum folijs, tum bulbo: flores autem differre, quorum omnia quidem folia longa & anguſta etiam eſſent, interiora verò tota alba, exteriora media ex parte viridia, alterâ carnei quodammodo coloris. *Colchic. minus verſicolore flore.*

PAVCOS porrò Colchici bulbos, vulgaris bulbis valde ſimiles Neapoli Francofurtum ad me mittebat Ferdinandus Imperatus, qui mihi Lugduni Batavorum demum flores dederunt, vulgaris floribus non diſſimiles, hoc eſt vel dilutè, vel ſaturè purpureos. *Colchic. Neapolit.*

Sed aliud Colchici genus vulgari minus, Salmanticenſi agro obſervabam in altioribus pratis, dilutiore flore, atque in nonnullis plantis, lactei omnino candoris, ineunte vere folia duntaxat proferens. *Colchic. praten. Salman.*

SYRIACVM autem illud, vel Alexandrinum, à nonnullis exhibitum, nihil aliud eſſe videtur, quàm Tulipæ genus quale Apennineum forte, cui pictor nimis orbiculata folia tribuerit, ipſi verò plantæ nimis lata & brevia. *Colchic. Syriac.*

FRANCOFVRTI etiam ex Italia accipiebam ſemen, vulgaris colchici ſemini par, cum ſuo laxo capitulo, Hermodactyli Syriaci appellatione, quod terræ creditum, necdum germinaverat, quum inde diſcederem. Sed & Illyricum illud Anguillaræ, nunquam mihi cõſpectum. *Hermodact. Syriac.*

CETERVM hæc planta Dioſcoridi κολχικὸν dicitur, nonnullis, ipſo teſte, ἐφήμερον ἢ βολβὸς ἄγριος. Qui Theophraſti locum Hiſt. Plant. lib. VI. cap. VI. integrum eſſe cenſent, ejus Narciſſum, ſive Lirium nigro flore eſſe arbitrantur. Hiſpani *Quitameriendas*, & *Villorita* appellant: Germani Wildſaffran & Zeytloſe/ Galli nonnulli *Mort au chien.* Primum autem genus, κολχικὸν λευκάνθεμον πολυανθὲς, Græcis: Alterum κολχικὸν βυζάντινον πλατύφυλλον πολυανθὲς, Colchicum byzantinum latifolium multiflorum, non incommodè dici poſſe videtur. *Nomina.*

Tertium,

Colchicum pleno flore. B: Clu: 69

Colchicũ πολυφυλλανθὲς.




Natalis.

Colchicum biflorum.

Colchicum vern & autumno florens. B: Clu: 68.

Colchic. biflorum.



Tertium, κολχικὸν ποικιλανθὲς, verſicolor. Quintum verò, λεπτόφυλλον, tenuifolium, & montanum Hiſpanicum. Salmanticẽſes hoc genus *merenderas* vocabant.

ALIVD porrò elegans Colchici genus apud Belgas invenitur, cujus quidem cognitionem acceptam fero Illmo Comiti Arẽbergio, Ordinis Velleris equiti digniſſimo, qui præter exoticarum ſtirpium culturam, cui maximè indulget, magnis etiam ſumptibus quaſcunq; adipiſci poteſt, vivis coloribus depingi curat. Is Autumno M.D.XCV. bulbum ad me mittebat, ut florẽ conſpicere poſſem: ſed cùm nullum protuliſſe intelligeret, inſequente Novembri iconẽ egregiè expreſſam addidit. Flos vulgari colore perſimilis eſt, ſed pluribus folijs conſtans, nempe vicenis aut pluribus, valde cõfertis, quorum ſex externa reliquis majora, vulgaris tamẽ folijs anguſtiora, inter quæ ſtamina ut in vulgari, flavis apicibus prædita. Ex alimenti copia plenum florem tuliſſe exiſtimabam initio, quemadmodum natura interdum ludere ſolet in alijs floribus, qui deinde ad ingenium redeũt: ſed ipſe Comes affirmabat, tum etiam N.V. Ioannes Boiſot, ſingulis annis plenos flores id Colchici genus proferre, eoſq; plures, majores, & majore foliorum numero cõſtantes, quo bulbus major & vetuſtior eſt. Originẽ ex Germania ducere aiunt, & primum in Belgium allatũ à Rhizotomo, cujus nomen Nicolaus, qui frequenter è Belgio in Germaniã à Nobilibus quibuſdam matronis ablegaretur. Sed bulbus anno inſequente cum ſelectiſſimis alijs ſtirpibus furto ſublatus.

COLCHICVM BIFLORVM.

CAP. XLI.

NOVVM & rarum hoc Colchici genus, mihi ſanè, ante annum nonageſimũ tertium ſupra milleſimum & quingenteſimum, nunquam conſpectum, cujus cognitionẽ acceptam fero doctiſſimo viro Moyſi Quadrato, qui Autumno præcedente me monebat, verno tempore florẽs ſibi obſervatũ in montano quodam prato, non procul Heydelbergâ, ubi tum domicilium habebat: edoctum tamen ante, ſimilem inveniri plãtam, ex Epitome de Plantis C. V. Ioachimi Camerarij inclytæ Reip. Noribergẽ. primarij medici. Ioannes Müllerus pharmacopæus Francofurtenſis etiã aſſerebat, ſibi adoleſcenti conſpectum in pratis Halæ Suevorum vicinis novo vere florens.

PERINDE autem craſſo id conſtat bulbo, ac vulgare Colchicum, ex cujus infimâ parte colis emergit quatuor uncias lõgus, ex membranaceo involucro florem promens oblongo pediculo nitentem, vulgaris flori formâ æqualem, ſex folijs cõſtantem, ſed minorem, quorum terna externa majuſcula, interna autẽ tria anguſtiora & breviora, ſaturatius paulo purpuraſcentia eſſe videbantur: nec folia,

nec

nec ſemen (ſi quod tulit) obſervare mihi licuit per morbum; xxv. enim Aprilis ejuſdem anni, ex caſu luxatum mihi eſt femur dextrum cum ſummâ contuſione, cujus rei cauſa toto trimeſtri decumbendum mihi fuit, malè adminiſtratâ curâ à cheirurgis, qui luxatione neglectâ, quam non agnoſcentes (quum tamen ſubinde eos monerem, me luxationem ſentire) vel malignè diſſimulantes, ad ſolius contuſionis curam animum intenderunt. Veram autem fuiſſe luxationem, etiam nunc cum magno meo dolore & damno experior: nam & mihi dextrum crus contractum, nec pedem promovere poſſum, niſi gemino ſcipione ſub axillis fultus, atque quidem non ſine cruciatu. Ceterùm ad Colchici hiſtoriam redeamus, à qua juſtus animi dolor me avertit. Bini igitur majores bulbi ex ijs qui quaterni Heydelberga ad me mittebantur, florem dederũt ſub finem Auguſti, paullo ante meum Francofurto diſceſſum: neſcio an error commiſſus à legentibus, quum bulbos è terrâ eruerunt. Majorem porrò bulbum à Moyſe accipiebam, cui recens flos adhuc inhærebat, ſub extremum Martium, reliquos inſequente Aprili. Atque iſta ratione, Colchicum biflorum potiùs nuncupandum eſſet, quàm Vernum.

ILLO ipſo autem anno ſcribebat Iacobus Plateau, Colchicum ſe habuiſſe, quod verno tempore flavum florem protuliſſet: ſed bulbum cùm eruiſſet, vt ejus prolem ad me mitteret, utrumque corruptum reperiſſe. *Colchic. vern. flavo flore.*

CROCVM VERNVM. CAP. XLII.

MVLTIPLEX etiam eſt Crocum verno tempore flores proferens, folijsque & floris colore valde variat. Nos autem duo ejus primaria genera conſtituemus: Vnum, latiore folio & legitimi croci autumno florentis foliorum æmulo, licet breviore: Alterum, tenuiore & prorſus junceo: ſingula deinde in ſuas ſpecies diſtribuemus. *Croci verni duo genera.*

Crocum vern.latifol.alb.flo.

Crocus Vernus Latifolius albus variegatus. C.B. Pin: 65.



Croc.vern. latifol.purpureo flo.

Crocus Vernus Latifolius flore ... purpureo majore C.B. Pin 66



LATIFOLII ergo Prima ſpecies, terna & quaterna interdum habet folia latiuſcula & brevia, duabus albis venis per eorum longitudinem ſubtus excurrẽtibus prædita, inter quæ prodit è membrana flos brevi pediculo nitens, ſex folijs conſtans albis, imâ parte cum pediculo purpuraſcentibus, & in meditullio ſtamina, cum brevi trifido ſtilo continens: radix bulboſa, candida, tenui cortice amicta, fibrisque candicantibus infimâ ſede prædita. Nulla inter reliquas Croci verni ſpecies, hâc magis fœcunda in edenda ſobole. Ejus verò flos interdum variat: nam terna illa exteriora folia, nonnunquam purpuraſcentibus venis ſunt aſperſa, interdum ſoli foliorum mucrones purpuraſcunt, aliquando etiam purpureus radius omnia folia ſecundùm longitudinem media ſecat. *Croc. vern. latifol. albo flore.* *Varietas.*

Altera ſimilibus eſt folijs, paullo tamen anguſtioribus, inter folia promens è membranaceo involucro, ejuſdem magnitudinis florem brevi pediculo innitentem, ſex folijs conſtantem vio- *Croc. vern. latifol. pur. flo minore.*

tem vio-

tem violaceæ ad cæruleum tendentis purpuræ colore, unguibus & ſummo pediculo ſaturatiore purpurâ nitentibus: radix alteri ſimilis, & in edenda ſobole ſatis fœcunda interdum. Nonnunquam, ſed valde rarò, fert utraque hæc, rotundum exalbidum ſemen in triangulo capitulo.

Croc. vern. latifol. purp. flo. majore. Perelegans etiam eſt Croci verno tempore florentis Tertia ſpecies, quam ad me Neapoli mittebat doctiſſimus vir Ferdinandus Imperatus, cum alijs aliquot ſtirpibus Francofurtum anno M. D. XCII. Ejus verò jam marcidi & dudum terrâ eruti bulbum unicũ accipiebam, qui ſequente vere folia quidem protulit, ſed nullum florem. Lugduni porrò Batavorum, cum alijs Croci verni latifolij ſpeciebus florem dedit, illis formâ ſimilem, hoc eſt, ſex folijs conſtantem, quorum externa tria paullo longiora, interna tria breviora ampleƈtuntur, multo tamen ampliora quàm in ſecunda ſpecie, licet illis colore nec valde diſparia, nec injucũdi odoris, tria ſtamina continentem alba, magnis flavis apicibus prædita, & inter illa ſtilum paullo longiorem, extimâ parte in tres quaſi tubulos laxiores diviſum, aurei coloris: cum flore, è membranaceo, inſtar reliquorum, involucro prodeunte, exeunt terna, aut quaterna folia, proximè deſcripti folijs non diſſimilia, paullo tamen longiora: radix bulboſa, ſuperiore major, & ad Quintæ ſpeciei radicis amplitudinem accedens. Ea deinde mihi furto ſublata.

Croc. vern. latif. albo verſicol. flo. I.



Croc. vern. latif. albo verſicol flo. II.



Croc. vern. latifol. alb. verſicolore flore I. Quartæ folia, Croci ſativi & legitimi folia ſatis referunt, niſi breviora eſſent: inter quæ, bini aut terni prodeunt flores, Primæ & Secundæ ſpeciei floribus majores, ſex folijs mucronatis conſtantes, quorum terna exteriora (quæ pallidula ſunt foris) tribus radijs ex atro purpuraſcentibus, ab infima baſi ad extremum folium ductis ſtriata, internè alba ſunt, ut & tota interna tria folia, ſtaminaque in meditullio habent Croco montano ſimilia, ſed magis pallentem ſtilum: liberalius hæc ſemen præbet in triangulis capitibus, rotundum, ex rufo candicans: radix ſuperioribus ſimilis, foris membranâ fuſcâ obducta, fibris infimâ ſede donata, & intus alba.


Croc vern. latifol alb. verſicolore flore II. Illi ſimilem, ſed per omnia minorem, ante multos annos in Belgicam nobis mittebat C. V. Alphonſus Pantius Ducis Ferrariæ Medicus, cujus florem interdum octonis & denis folijs præditum habui, Iacobus Plateau etiam duodenis, illiuſque iconem ad me mittebat, peculiare genus eſſe exiſtimans, ſed inſequente anno, ſimplicem ſex foliorum florem tulit.

Natales & Nomina. Primæ, Secundæ, & Quartæ ſpecierum meminit Ioſias Simlerus in Helvetiæ deſcriptione, aitque iſtîc in mõtanis inveniri, colore purpureo, candido, & utroque mixto: Hutrieff vulgo vocari, & à Iuræ montis incolis (apud quos in ſupremo jugo etiam naſcuntur) Leiſrat: addit radicem ſuibus eſſe gratam. Audio & in Baldo monte agri Veronenſis provenire. Naſcuntur & alijs locis: nam anno M. D. XC. Ferrariâ ad me ſcribebat doctiſſimus & diligentiſſimus ſtirpium indagator Ioachimus Iungermannus C. V. Ioachimi Camerarij ex ſorore nepos, mihique ob morum probitatem, doctrinam, ingenij elegãtiam, & alias animi dotes valde charus, quem etiam non dubito futurum fuiſſe præclarum lumen Germaniæ, ſi diutius vivere licuiſſet: is inquam ſcribebat, in eâ herbatione, quam, comite Ioſepho de Caſa buona, Ser^mi^ Ducis Florentini Simpliciſtâ, vt vocant, ad Tirrheni maris littora inſtituerat, tres Croci verni differentias inveniſſe. *Croci verni varietas.* Ex ijs elegantiorem, vel albicantes, vel purpuraſcentes flores proferre, quorum exteriora terna folia craſſiores quaſdam venas purpurâ ſaturâ infectas haberent, quæ mirum flori decorem adderent. Reliquas duas majores eſſe, Croco ſativo non inferiores, & utrique florem purpureum: ſed in una Colchici floris inſtar dilutum, in altera à

Croci

Croc.vern.latifol.duplici flore.

Crocus vernus flore pleno B.Pin. 66



Croc.vern.latif.purp.verſicol.flor. variegatus [illegible] B.Pin. 65



Croc.vern.latifol. flavo flore.



Croci legitimi flore parum diverſum. Addebat, Ioſephum admonuiſſe, aliud elegantiſſimum genus naſci in ijſdẽ pratis circa Liburni portum, quod florem proferret ſaturatiſſimâ purpurâ nitentem, quem, utpote magis ſerotinum, conſpicere illi non licuiſſet.

Quinta eſt, quam Alphonſus Pantius paulo ante mortem mittebat, florem jam marcidum adhuc retinentem, & ſemen in triangulo capite maturum, ex quo mihi natæ plantæ, quæ tertio anno flores proferre cœperũt: ſunt verò ij ſuperioribus ampliores, ad Tertiæ ſpeciei florum magnitudinẽ proximè accedentes, ſex etiam folijs præditi, quorũ externa tria foris ex candido quodammodo purpuraſcũt, & ſaturatiſſimæ, quaſique atrę purpuræ tribus vel etiam quinque lineis ab infima parte ſurſum aſcendẽtibus inſignita ſunt, internè purpuraſcunt, interiora verò tria, vel dilutioris, vel ſaturatioris purpurei ſunt coloris, circa ungues tamen, ſimilibus, ut exteriora, radijs inſignita: ſemẽ in triãgulis capitibus ſubfuſcum: folia ſuperioribus ſpeciebus longiora & latiora, Tertiæ folijs non valde abſimilia, duabus etiam albis lineis ſubtus diſtincta: radix paulo amplior: hujus florem etiam octonis folijs interdum luxuriantem habui, quatuor videlicet internis, totidem externis. *Ccoc vern. latifol pur. verſic.flo.*

Sextæ, quaterna aut plura folia ſunt, ad Quintæ ſpeciei folia valde accedentia, longiora tamen, & circa exortum latiora, binis candidis venis ſecundùm medium nervum per longitudinem excurrentibus, ut in reliquis Croci ſpeciebus, quæ emergere incipientia, florem ſimul oſtendunt, ſex folijs, dum explicatus eſt, conſtantem, exterioribus mucronatis, internis paululum orbiculatis, flavi coloris, utcunque odoratum, tria lõgiuſcula latiuſculaq; ſtamina *Croc. vern. latifol. flavo flore.*

dilutius flaveſcentia intus continentem,& longiorem ſtilum ſummo faſtigio in tria ſtamina diviſum,ſativi croci ſtaminibus pænè concolorem:cui ſuccedit, ut in ſuperiore Croci verni ſpecie,membranaceum triangulare capitulum, rotundo rufoq; ſemine plenum: radix cum ſuperioris radice convenit,vel etiam major eſt,ſolida,aliquot candicantibus fibris,ſeſſili parte donata, & aliquot tunicis obvoluta: binos plerumque, ternos,aut quaternos,vel etiã plures profert flores:nulla enim Croci verni ſpecies hâc liberalior in producendis floribus.

Croc. vern. latifol. aureo flore.

Ejus alia eſt ſpecies,cujus folia paullo breviora, inferiore tamen parte latiora, illius qui niveum fert florem folijs pænè æqualia, flos magis apertus, ſex etiam folijs conſtat altero brevioribus, ferè orbiculato mucrone, coloris prorſus aurei, tria ſtamina umbilicum occupantia breviora latioraque, ſtilus alteri ſimilis, ſummâ parte interdũ in quatuor ſtaminula diviſus,alterius ſtilo concolor: florebat mihi anno M. D. XXCIIII. & ſequentibus duobus, paullo maturius flavo,& multos etiam dabat flores.

Croc. vern. latifol. pallido flore.

Sed & tertia ejus ſpecies folia non minùs lata habet, floresque ſex folijs magis mucronatis conſtantes, coloris omnino pallidi, viridibus venulis exteriorum foliorum ungues foris diſtinguentibus: ceteræ notæ conveniunt.

Omnes has flavi differentias mihi corrumpebat rigida illa hiems anni octogeſimi ſexti, ſupra milleſimum & quingenteſimum,& plures quàm ſexagenos bulbos juniores earum ſemine natos,præter tres aut quatuor qui flavi genus conſervarunt.



Croc.vern.latifol.F-V.flore.



Croc.vern.latifol.F-V.flore duplici.

Croc. vern. latifol. flavo vario flo. I.

Septima,quinque aut ſex habet folia,tenuia inſtar ferè legitimi croci,infima parte ex purpura nigricantia,è quorũ medio unum aut alterum florem promit aurei ferè coloris,legitimi croci odorem nonnihil referentem, ſex etiam folijs cõſtantem ut reliqua croci genera,quorum exteriora tria paullo anguſtiora, & magis mucronata, tribus craſſiuſculis radijs ex atro purpuraſcentibus ab imo ad ſummũ, ſecundùm folij longitudinẽ excurrentibus, & multas interdum venas in latera ſpargẽtibus,inſignita,terna interiora latiora ſunt,& ungues habent foris etiam ex atro purpuraſcentes, pediculum qui florem ſuſtinet,totidem purpurei coloris ſaturi radijs notatum, quot ſunt in flore folia: umbilicum occupant tria flava ſtamina, inter quæ ſtilus eminet extremâ parte trifidus,aurei coloris: floribus ſuccedunt craſſiuſcula trigona capita,adeò ſaturo purpureo colore infecta,ut atra videantur & ſplendentia, quæ maturitate hiſcentia,ſemen continere conſpiciuntur ſuperiori æquale,&magis rufum:radix bulbacea ut in ſuperioribus, ſed præter illorum morem multiplici reticulatoque cortice obducta, & multis tenuibus fibris ſeſſili parte, per reticulati corticis maculas ſe exerentibus, prædita, rarò adnatos bulbos proferens.

Croc. vern. latifol. flavo vario flo. II.

Iſtius alia eſt ſpecies,quæ,nec radice,nec folijs,neque flore differt,exceptis radijs,qui adeò

latè

latè ſeſe ſpargunt, ut præter oras, totum externorum trium foliorum dorſum inficiant, pediculus etiam florem ſuſtinens, totus ex purpura nigricante ſplendeat. Vtraque ſpecies aliquoties mihi florem dedit duodecim folijs conſtantem, ſex internis aurei coloris, ſex externis, purpureis radijs inſignitis, deinde Sexagona capitula: interdum etiam gemellos uni pediculo inhærentes, quibus etiam gemella capita, utraque ſemine plena.


Florent omnes hæ differentiæ ineunte Vere, aliæ alijs maturiùs, Martio, & Aprilis initio: *Tempus.* nulla autem diutiùs (ob numerum florum ſubinde naſcentium) eâ quæ flavum fert florem, quæ omnium etiam liberaliſſimè ſemen præbet.

Quatuor priorum locum natalem jam dixi, & omnes in hortos tranſlatæ, domeſticę factæ *Natales.* ſunt, ut & Quinta quam ſemine natam dixi, & binæ alię ſequentes. Quarum Sexta primùm Germaniæ innotuit poſt annum M. D. LXXIX. Stephani van Hauſen Noribergenſis diligentia, qui ejus anni initio Conſtantinopoli rediens in comitatu Generoſi V. Vlrichi à Kunigſperg (qui præcedente anno honorarium eò tulerat) in Servia, ſive Mœſia ſuperiore, ſub Belgrado florentem eruit Martio menſe, & paullo pòſt, ſub Buda, Fritillariam, cujus ſupra memini, florẽtem obſervavit. Crocum poſtea & alij, ante à me admoniti, viderunt, iſtinc Viennam redeuntes, in Thraciâ, non modò flavo flore, ſed etiam albo, & ſubcæruleo: adeò autem negligentes fuerunt, ut non eruerint, cauſam prætexentes quòd illis non licuiſſet, quia properantibus, & iter ad arbitrium Turcarum (qui duces itineris adhibiti) inſtituentibus Legatis, non ſit tutum ex rhedâ, ſive ciſio deſcendere illis in locis, ob Plagiariorum & latronũ metum. Flavæ autem variæ pauci bulbi allati anno M.D.XXCVII. Octobri menſe, ijq; adeò marcidi & exſucci, vt verno tempore erutos appareret: nam & flores & folia adhuc retinebant, emptiq; fuerant in foro Conſtantinopoli. Vnus aut alter eorum quos redemeram, & terræ commiſeram, prodierunt ſequente Vere, unicum duntaxat folium proferentes: & anno demum M.D.XC. & ſequentibus, flores quos deſcripſi mihi tulerunt Francofurti ad Mœnum, & Lugduni apud Batavos.

Croc.vern.anguſtifol.I.



Croc.vern.anguſtifol.II.



ANGVSTIFOLII porrò ſpecies Prior, terna, quaterna, aut plura habet folia, longa, viridia, *Croc.vernum anguſtifol. I.* Crocinis longè anguſtiora gracilioraque, rotunda & capillaria ferè, inter quæ prodeunt bini aut terni cauliculi, unciales ut plurimum, anguloſi, ſuſtinentes flores ſex folijs conſtantes, ut reliquæ ſpecies, imâ parte flaveſcentibus, intus nonnihil candicantibus, reliquâ ad cęruleum tendentibus, ſive violaceis (inveniuntur & toti candidi) odoratos, quibus inſunt ſtaminula: his ſuccedunt folliculi, ſive capitella trigona, exile ſemen fulueſcens continentia: radix exiguæ avellanæ magnitudine, duro ſpadiceoque cortice ſive putamine tecta, intus alba, firma, ſubadſtringente guſtu.

Alteram, folijs & radicis externo cortice illi omnino ſimilem in Beturiæ collibus Luſita- *Croc.vernum anguſtifol. II* niæ finitimis obſervabam, paullo minore flore, ex albo purpuraſcente, vixque è terrâ prominente, atque unum bulbum eruebam florem habẽtem è foliolis octo compoſitum, quatuor externis paullo majoribus: radix erat gemina, candida, una ſuper alteram inſidens, quarum ſuperior firma, dulcis & edulis erat, inferior flaccida.

S 2 Vberiori-

Croc.vern.anguſtifol.violaceo flor.

Croc.vernum anguſtif III.



Vberioribus & craſſioribus eſt Tertia folijs, ijsq; interdum ſurrectis: flos duarum præcedentiũ flore longè minor, totusq; cæruleus, tribus exterioribus folijs exceptis, quæ foris vireſcẽte colore nonnihil aſperſa ſunt; hujus radix priori formâ ſimilis, paullo tamẽ major eſt, ſemen etiam craſſiuſculum.

Natales.

Frequẽs invenitur Gadib⁹ Prior, atque inter Aſindum (vulgo *Medina ſidonia*) & Calpen, locis ſalebroſis & apricis. Tertiam duntaxat Gadibus juxta priorem inveniebam Februarij initio: Secundam Ianuario.

Croc vernum anguſtifol. IIII.

Ceterùm anno M.D.XC. Autumno ad me mittebat diligẽtiſſimus vir Ioſephus de caſa bona Ser^mi^ Etruriæ Ducis Simpliciſta, aliquot Croci verni anguſtifolij bulbulos, quorum nonnulli ſequentibus annis verno tempore florem tulerunt. Erant verò illis terna aut quaterna juncea folia, Priori anguſtifolio Hiſpanico modò deſcripto ſimilia, inter quæ uncialis tenuis cauliculus prodibat, membranaceum folliculum ſuſtinens, ex quo floſculus emerſit ſex foliolis conſtans purpurei ſaturi coloris, quibus ungues albis venis diſtincti, & ſtilus ex umbilico prodiens: fugax admodum fuit hic flos, utpote qui unico duntaxat die apertus manſerit: radix Hiſpanici anguſtifolij radici par, multis tunicis, ſive corticibus duris tecta.

Nomina.

NONNVLLI Primum genus, Crocum vernum, ob foliorum & floris cum legitimo Croco ſimilitudinem, vocant: Græcè ὁ κρόκος ἐαρινὸς dici poſſet: alij Crocum montanum appellare malunt (aliud tamen montanum Crocum proximo capite dabimus) Turcæ *Zafran* vocant Crocum, & voces addunt *ak*, *mor*, *ſari*, quum album, violaceum, flavum colorem exprimere volunt. Alterum etiam genus, Croci verni nomen obtinuit, à floris cum alio formâ, tametſi Croci folia non habeat, ſed tenuia, & planè capillacea. Nomen vulgare Luſitanis Galeciæ vicinis, apud quos etiam naſci quidam illius regionis incolæ aſſerebant, *Nozellas pequeñas*, id eſt, Avellanæ parvæ. Secunda ſpecies incolis *Cebollina*, hoc eſt, parva cepa dicitur, quo ferè nomine Hiſpani minores omnes bulbos nuncupare ſolent. Prior ſpecies Anguillaræ obſervata fuiſſe videtur, & Crocum ſilveſtre anguſtifolium ab eo vocari.

Bolbina. Opitio. Cyix.

Theophraſtus Hiſt. Plant. lib. VI. cap. VII. Leucoïum inter eas ſtirpes quæ verno tempore florent, reponit: ſequente verò libro, bulboſa radice conſtare ait, illique adjungit Bolbinam, Opitionem, & Cyicem: quid ſi poſtremarum harum duarum alterum nomen, Croco verno tenuifolio tribuatur?

Facultates.

PORRÒ latifolij generis radice quidam foris utendum cenſent, illitamque pubi, urinas crebras atque craſſas elicere, tumores hydropicorum diſcutere, & ſpicula evellere. Anguſtifolij nullas facultates cuiquam exploratas intellexi.

CETERVM ſæpiùs miratus ſum, nec in Auſtriacis, nec in Stiriacis, neque etiam in Pannonicis montibus, ullum Croci verno tempore florentis genus inveniſſe, tametſi diligenter perluſtrarim: quum Helveticæ Alpes, illis etiam frigidiores, aliquot ejus genera ſponte alant.

CROCVM MONTANVM. CAP. XLIII.

TRIA Croci montani genera mihi ſunt cognita: unum, in Luſitaniâ obſervatum: alterum, Bruxellis acceptum: tertium, in Thraciâ natum, & Conſtantinopoli allatum.

Croc. mont. I.

PRIMVM, flore eſt ſativi Croci, ſed dilutiore & minore, tribus intus croceis ſtaminibus, & ſtilo luteo ſummâ parte in aliquot ſtaminula diviſo: folia illi quaterna Crocinis ſimilia, breviora tamen, interiore parte, lineam quandam candicantem ſecundùm longitudinem, exteriore verò, binas tanquam canaliculos ſeu ſulcos utrinque ſecundùm nervum excurrentes habentia: radix minor quàm in ſativo, candida, plena, & veluti internodijs diſtincta, quia (quod omnibus alijs Croci generibus, gladiolis, & ſiſyrinchio etiam accidit) planta florente, ſuperior radicis pars augeſcit, inferior autem flacceſcit & minuitur, utraque tamen denſo quodam cortice è multis villis contexto involuta & tecta, tenuibuſque fibris per corticem ſe exerentibus, ſeſſili parte donata: ſubdulcis porrò illa eſt initio, deinde ingrati ſaporis.

Croc. montan. II.

ALTERVM, illi ferè ſimile, florem ſine folijs promit Septembri, unciali aut longiore pediculo innitentem, ſatis odoratum, ſex æqualibus folijs orbiculato mucrone præditis, & ſaturatioris purpurei coloris pæneque violacei, conſtantem, tribus ex umbilico prodeuntibus flavis ſtaminibus, & ſtilo extremum mucronem multifidum, craſſiuſculumque habente:

nullum

Crocum montanum I.



Crocum montanum III.



nullum adhuc ſemen mihi obſervare licuit: nec qui bulbum mittebat, ullam ejus mentionem in epiſtolâ faciebat. radix Prioris radici valde ſimilis, cortice è multis villis contexto involuta, oblongos interdum nucleos ſatis procul à matre ſpargens.

TERTII flos inodorus etiam eſt, vel tenuis admodum & evanidi odoris, ſenis, ut reliqua croci genera, folijs, quorum interiora terna paullo breviora ſunt, omnia autem orbiculato mucrone, albicantis initio coloris, ſed in quo deinde, temporis ſucceſſu, dilutius quidpiam cæruleum perfuſum videatur: ſtamina ex umbilico prodeunt terna, flava, & in medio ſtilus, ſive penicillus in tria vel plura ſtaminula diviſus, flavi etiam coloris: flacceſcente vel jam marcido flore, quina, ſena, rarò plura emergunt in ambitu folia ex tenui membranâ quæ florem initio obvolverat, Croci verni latifolij folijs pænè ſimilia, hoc eſt, paullo latiora quàm ſativi, albâ lineâ ſingula folia per longitudinem ſupinâ parte diſtinguente, & pronâ binis: ſemen hactenus nullum obſervavi, licet multis annis aluerim: radix digitalis, vel etiam pollicaris eſt craſſitudinis, orbiculata ferè, alba, ſolida, tunica ſpadicei coloris obducta, multis albis fibris ſub eâ naſcentibus prædita, quæ florum ſatis ferax eſt: nam & ternos, & quaternos, interdum etiam quinos profert flores. *Croc. montan. III.*

Naſcitur Primum in nonnullis Luſitaniæ rupibus, præſertim ijs quæ non procul à mari abſunt, ubi Novembri obſervabam, & cum ſuo flore eruebam, anno ſexageſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum, & amicis in Belgium mittebam. Iſtic etiam Septembri floruit, Viennæ Auſtriæ & Francofurti ad Mœnum, Octobri, interdum maturiùs: Maio tulit craſſa, anguloſa capita, ſemine plena, quale Croci verni latifolij Quartæ ſpeciei ſemen eſt. *Natales.*

Theophraſtus lib. VI. Hiſt. Plant. cap. VII. *κρόκον ὀρεινὸν* appellat, Latini Crocum montanum & ſilveſtre. Luſitani *Pie de borro*, id eſt, pedem aſininum (quâ de cauſa neſcio) vocabant. *Nomina.*

Alterum Croci ſilveſtris appellatione ad me mittebat Nobilis, idemque doctiſſimus vir Ioannes Boiſot, vetere amicitia mihi conjunctus, Francofurtum anno M.D.XCI.

Miſſum eſt Tertiū Byzantio anno Milleſimo Quingenteſimo octogeſimoſeptimo, Octobri menſe, *Zafran maby*, hoc eſt, Croci cærulei, nomine, quod tamen, ut ante dixi, prorſus cæruleo non eſſe flore, idem menſis declaravit: nam octiduo poſt quàm terræ commiſiſſem, flores proferre cepit.

IRIS BVLBOSA. CAP. XLIIII.

ALIQVOT Plantas in Hiſpanica mea peregrinatione obſervabam, quæ licet flore Iridis & Xyridis eſſent, erutas tamen, bulbacea radice eſſe deprehendebam, quæ ratio me movit, ut priores Iridis bulboſæ nomine donarem. De illis igitur, & alijs earum ſemine

poſtea natis, in quarum flore magna colorum varietas conſpicitur, hoc capite agemus: altero autem proximè ſequente, de ijs quæ florem Xyridi magis ſimilem habent.

Iris bulboſa latifol. ſive I.

Iris bulbosa Latifolia acaulos odorata B:Pin:38.



Iris bulboſa violac. flo. ſive II.

Iris bulbosa foliis cepaceis maculatis flore purpureo inodoro. B:Pin:38.



Iris bulboſa latifolia. PRIOR, ſena, ut plurimum, habet folia lõgiuſcula & latiuſcula, Hemerocallidis Dodonæi, ſive Lili-aſphodeli folijs ferè ſimilia, breviora tamen, alternatim invicem amplectẽtia, mollia, in terram prona, ſupernè ex viridi pallentia, infernè verò incana: è quorum medio flos exilit, è membranaceo involucro, unicus, odoratus, cæruleus (interdum lactei candoris) novem foliolis conſtans, Iridis figura, quo marceſcente, utrinque alij ſingulares ſuccedũt. Nullus eſt illi caulis, ſed flos longo duntaxat pediculo inſidet, ut in Croco: radix bulboſa, candida, avellanæ inſtar dulcis (nam deguſtabam) multiplici cortice nigricante involuta, cui (præſertim dum floret) aliquot, præter fibras, craſſæ, longæ radiculæ ſubnaſcuntur, ut in Hyacinthi radicibus interdum fieri ſolet.

Natales. Invenitur in Luſitaniæ Bæticæque collium radicibus, non procul ab Anâ flumine ſitis, & copioſè circa Antequeram & Cordubam. In Luſitania porrò Ianuario, in Bætica autem Februario florentem obſervabam & eruebam: apud Belgas delata (Corduba enim ad amicos Belgas aliquot bulbos mittebam) nondum flores dederat, quum octennio poſt inde diſceſſi, ad Cæſarem Maximilianum II. profecturus, ideoque nullum ſemen obſervare potui: in illis tamen, quas in Hiſpaniâ eruebam. ſtirpibus, infimam partem pediculi, qui primum florem ſuſtinuerat, & inter folia reconditam, in rudimentum longi triangularis capituli deſinere conſpiciebam, multa candida granula continentis: quo argumento adducor, ſemen Aprili aut Maio maturum iſtic eſſe poſſe.

Iris bulboſa II. ſive violacea. CRASSIORE eſt Altera folio, ac veluti cepaceo, viridiore, parte interiore carinato ſive ſtriato, multiſque quaſi bulbis argenteis reſperſo: craſſo firmoque caule, quem quaterna aut quina folia amplectuntur: binos ex vaginulis, ut plurimum, promit flores invicem ſuccedentes, interdum unicum duntaxat, novem folijs conſtantem, violacei prorſus & elegantiſſimi coloris, interdum dilutioris, inodorum tamen, quorum tria majora ſunt, ad terram inclinata & prona ut in vulgari Iride, & labrorum inſtar propendentia, tria alia anguſta & extima parte bifida alataque ijs incumbunt, uſque ad luteam maculam (quę majoribus pro fimbria eſt) pertingentia, tria alia ſurrecta, ſupremaque parte latiuſcula, infima verò valde anguſta: floribus ſuccedunt trigona laxaque capita, quibus ſemen rugoſum, fulveſcens, ervi magnitudine, quod maturum, in capitibus crepitat, ſi moveantur: radix magna, plurimis membranis tenacibus, nigricantibus circumvoluta, intus alba, & ſeſſili parte fibris prædita, quæ ſingulis annis nucleos circa latera deponit. Hujus folia novo Vere demùm germinant.

Quia

Quia C. V. Matthias de Lobel medicus, de re herbaria optimè meritus, hanc Iridem primus Belgis communicaverat, miſſis ex Anglia aliquot ad amicos bulbis, ſponte iſtic naſci exiſtimabā, & in Angliam profectus anno Septuageſimo primo ſupra Milleſimum & quingenteſimum, fruſtra in agris & collibus requirebam, donec Briſtolium quum veniſſem, ubi Lobelium conveniebam, ab eo intelligerem, iſtic primùm illi innotuiſſe, ex hortis, in quibus colebatur, erutam, unde Londinū amicis miſiſſet. Veriſimile eſt, Hiſpanicis navibus quæ plerumque Briſtolium commeabant, primùm iſtuc ex Hiſpaniâ aut Luſitaniâ delatam. *Natales.*

Iris bulboſa III. ſive verſicolor. Iris bulbosa angustifolia tricolor odore coriandri. C. Bau: 38.



Tertiæ, quinque aut ſex ſunt folia anguſta & tenuia, cubitalis longitudinis, internâ parte ſtriata & candicantia, externa autem rugoſa, viridis cum cineraceo commixti coloris, caulem amplexantia cubitalem, interdum etiam majorem, nodoſum, unicum plerumque florem, raro binos, è membranaceis vaginulis proferentem, Iridis anguſtifoliæ floribus forma ſimilem, cujus tria latiora & ad terram inflexa folia, extima parte ampliora ſunt, & candicantia, luteaque macula inſignita, ea videlicet parte, qua folia his incumbentia, & ligulam occulentia, bifidaque, & in parvas alas reflexa, deſinunt, illaque ſubcærulei ex candido coloris: reliqua tria erecta ſunt, oblonga, & dilutius ex cæruleo purpuraſcentia: totus flos jucundo ſpirat odore, præmanſi coriandri obducti ſaccharo, ſive præparati inſtar. Flori ſuccedit longum triāgulum caput, altero gracilius, neque laxum, ſemen anguloſum, ſubrufum, continens. Radix bulboſa, candida, ſubdulcis, ſpadiceis aliquot membranis involuta, minor ſuperioris radice, & illâ liberalius nucleos producens, quibus facilimè ſeri poteſt. *Iris bulboſa III. ſive verſicolor.*

Eſt verò hæc vel breviore latioreque flore, & illo dilutiore, aut ſaturatiore, maculâ etiam illâ in propendentibus labrorum inſtar folijs breviore, vel anguſtiore & longiore: ac labris illis ſimiliter dilutioribus aut ſaturatioribus, illiſque interdum adeò ſaturis ut violacei appareāt, nihilque in illis albi conſpiciatur, ſed cæruleus duntaxat color ambiens flavam illam maculam, quæ in hoc genere longior ut plurimum eſſe ſolet. Rurſus quæ latiore eſt flore, plerumque liberalior eſt anguſtiflorâ in binis floribus producendis, brevioremque ſiliquam, ſive trigonum caput, & æqualis ubique craſſitudinis habet: anguſtifloræ autem longior eſt, & infimâ parte gracilior ſiliqua. Item latifloræ radix, brevior & craſſior eſt: alterius, longior & gracilior. Iſtam autem varietatem, ſatione conciliatam eſſe, non dubium eſt. *Varietas.*

Pinciæ, quę vulgo *Valladolid* nuncupatur, Hiſpaniæ urbe, primum data mihi fuit hęc planta à Ioanne loigny viro optimo & humaniſſimo, natione Gallo & iſtic Architecto, qui hortulum peregrinis ſtirpibus ſatis inſtructum ponè ædes habebat, à quo, nonnullis Caſtellę collibus ſponte naſci intelligebam. Floret in hortis Iunio cum Gladiolo, aut paulò maturius: ſemen ſub extremum Iulium & Auguſto maturum eſt. *Natales.*

Qvid porrò in hoc flore & quibuſdam alijs mihi contigerit anno Nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum & quingenteſimum, hoc loco adſcribendū exiſtimavi. Is enim, ut propter magnam humiditatem à frequentibus imbribus, ferax fuit proferendis amplioribus ſolito floribus, eorumque nonnullis geminato foliorum numero: ita multas ſtirpes, quæ ſingulari caule, eoque non ramoſo ut plurimum eſſe ſolent, πολυκλώνους reddidit. Nam habui Tuliparum plantas, quæ vel unico, vel binis, ternis, quaternis, etiam quinis ramis (ſingulis ſuum florem ſuſtinentibus, ut capite de Tulipa diximus) caulem pręditum tulerunt: multas Xyphij ſtirpes, quæ unico, aliquot quæ binis quatuor vel quinque floribus ornatis: plurimas Iridis bulboſæ quæ binis vel ternis, binas quæ quaternis floribus fuerunt onuſtæ. Summo enim caulis faſtigio innati bini ex ijſdem vaginis emergentes, quemadmodum in Secundo genere ſolent, alter alteri ſuccedentes, in nonnullis etiam tertius: Aliæ, præſertim verſicolores latifloræ ſaturatiores, præter geminos illos flores in ſummo caule natos, ex ſingulari vaginâ infra illos ſitâ, & altera ſequente, ſingulares produxerunt ramulos, teretes, geniculatos, ſuſtinentes binas vaginas, è quibus emerſerunt ſingulares flores (ut in ſubjecta icone videre licet) primarijs non minùs elegantes, & perinde odorati. Habui etiam anno XCVII, multas Iridis bulboſæ plantas, quæ quaternos flores tulerunt. *Annus M D XCII. multiflorus.* *Iris bulb. verſicolor πολύκλωνος.*

Multos

Iris bulboſ. verſicolor πολύχλωνος.



Iris bulboſa flavo flo. ſive V.



Tulipa bulbifera. Multos etiam dedit is annus Tuliparum bulbos in infima ala (quod ſucci & humoris abundantiæ tribuo) naſcentes.

Iris bulboſa IIII. ſive lutea. QVARTA, jam dictæ Tertiæ per omnia ferè ſimilis, breviore tamen eſt caule, gracilioribuſque & ex viridi palleſcentibus folijs: flos unicus, interdum bini, contractiores, latiores tamen, ex vaginulis ſummo cauli inhærentibus prodeunt, lutei coloris, inodori, mediæ inter ſecundum & tertium genus magnitudinis, quemadmodum & ſiliqua, ſeu caput trigonum, in quo ſemen ſuperiori ſimile continetur: radix tertij generis radici ſimilis, quæ nucleis, non ſecus ac illa, propagatur.

Varietas. Sed hæc in flore quandam etiam differentiam habet, licet exiguam: nam invenitur latiore aliquantulum, ſaturatioreque & magis rutilante aureo colore, radice item breviore & craſſiore, membranacea præterea illa vagina, unde primùm folia emergunt, ſanguineo colore, à ſummis vaginæ oris in inferiorem illius partem radiatim deſinente, magis infecta eſt, quàm illius, quæ dilutiore eſt flavo colore; nam illa interdum ſanguineo hoc colore caret. Vtriuſque autem, quemadmodum & Tertiæ, folia ante hiemem germinare ſolent.

Natales. Naſcitur pingui ſolo, & petroſis collibus ad Tagum ſitis ſupra Olyſipponem, ubi eã eruebam Decembri anno M.D.LXIIII. cum aliquot alijs rariſſimis ſtirpibus, & inde ad amicos in Belgium mittebam. Floret paullo maturiùs Tertio genere, eodem ferè quo ſecundũ tempore: brevi tamen ſe mutuo conſequuntur, & interdum ſimul florere conſpiciuntur.

Iris bulboſa V. ſive cærulea. QVINTA mihi primùm conſpecta eſt Lugduni Batavorum anno ſupra milleſimum & quingenteſimum, nonageſimo quarto. Nihil verò ea differt caule, folijs, & forma floris, ab Iride bulboſa, cujus flores verſicolores, ſolius floris color diverſus eſt. Nam novem, ut ille, folijs conſtat, quorum terna inflexa & terram ſpectantia, cæruleum habent colorem, venis ſaturatioribus à medio folio in latera excurrentibus diſtinctum, & ab illo ad unguem uſque, maculam flavam ſatis latam, medium folium per longitudinem ſecantem: terna illis incumbentia & gibboſa ejuſdem etiam ſunt coloris, paullo tamen dilutioris: tria ſurrecta folia magis ſatura, odor pænè florum Tiliæ: binos autem, ternóſve in eodem caule fert flores, qui reliquarum Iridum bulboſarum floribus magis ſunt ſerotini, ijſque marcidis demùm aperiuntur ſub initium Iulij. Floribus ſuccedunt triangula oblonga capita, ut in verſicolore Iride bulboſa.

Natal. E Luſitania porrò hoc Iridis bulboſæ genus, paucos ante annos, primùm in Belgicam delatum fertur.

Sequente autem anno, è tribus bulbis ab amico acceptis, unus florem longè elegantiorem jam deſcripto tulit, amplioribus labris nempe conſtantem, tribuſq; folijs ſurrectis latioribus,

gibbis

Irid. bulboſæ v. ſemen.



gibbis etiam amplioribus, totumque adeò florem multo ſaturatiore purpurâ nitetem, & magis expanſum, idem tamen qui in altero odor: caulis præterea circum nodos quibus folia inhærebant, ex purpurâ nigricabat.

PRIORI, latifoliȩ cognomen dedi, à foliorum, præ reliquis, amplitudine, & cæruleæ ſive purpureæ, à floris colore: Hiſpani, vel *Lirio* ſimpliciter, vel *Lirio eſpadañal*, Cordubenſes, *Lirios azules*, appellant, hoc eſt, Lirium, Lirium enſiformem, & Lirium cæruleum. Alteram, violaceam cognominavi, Lobelius cum Pena Hyacinthum Poëtarum eſſe cenſet, vulgare hujus nomen nullum ſcio. Tertiam anguſtifoliã verſicolorem ſive variam nominavi; Hiſpani *Lirio illyrico* appellabant. Quartæ à floris colore, Flavæ, ſive Luteæ cognomen indidi: Luſitani, *Reyllabuey*, vocabãt. Quintæ, quum mihi ſponte naſcẽs non ſit obſervata, nullum nomen vulgare intellexi: ſed qui hortorum culturâ delectantur Batavi, Luſitanicæ cognomen dederant. Nomina.

De illarum autem viribus & facultatibus, nihil compertum habeo, aut ab alijs traditum accepi.

Omnium porrò iſtarum floribus, illius præſertim quæ vario eſt flore (quia, ut opinor roſcidum quendam ſuccum in lateribus exſudant) formicæ mirum in modum ſunt infeſtæ. Præterea omnium iſtarum, tam illarum quarum mentionem fecimus, quàm ſubſequentium flores marceſcere jam incipientes, hanc peculiarem notam habent, quòd milvinorum unguium inſtar contrahantur: quod etiam aliorum Iridis generum floribus evenit.

CÆTERVM ſunt & aliæ Iridis bulboſæ ſpecies, non eæ quidem aliunde invectæ, ſed ſemine apud Belgas natæ, quarum hiſtoria prætermittenda non videtur, eam ob cauſam, ſuperioribus adijciendas eſſe exiſtimavi. *Iridis bulboſa verſicolor. claſſis II.*

PRIMA igitur Verſicoloris quoddam genus eſt, à ſuperioribus diverſum, non folijs, caule, aut radice, his enim cum Tertio aut Quarto genere convenit, ſed floris colore: quia tria ejus folia ad terram inclinata, ſive labra, flava ſunt, & Quarti generis folijs propendentibus labiorum inſtar ferè ſimilia, magnâ tamen aureâ maculâ in prominente & reflexo labro inſignita, ad quam ab infimo folij ungue intrinſecus excurrunt aliquot venæ quodammodo purpuraſcentes; tria autem gibba & illis incumbentia, dorſo & alis pallent, lateribus candicant; tria verò ſurſum erecta, ex albo ſubcærulea ſunt, hoc eſt, albicantis ſunt coloris, quem ſubcæruleæ ſaturatiores vel dilutiores venæ diſtinguunt. I.

ALTERIVS terna inflexa folia pallent, & labrum habent flava maculâ inſignitum, à qua ad unguem uſque anguſtiora ſunt, ut in ceteris generibus, & internè quibuſdam venulis purpuraſcentibus diſtincta ſunt; tria gibba folia ligulam tegentia ὠχρολεύκου ſunt coloris, vel albicant, ſummo tamen gibbo palleſcente; terna ſurrecta exalbida ſunt, nervus tamen per longitudinem excurrẽs flaveſcit. Vtriuſque flores odorati, Tertij generis ſupra deſcripti florum inſtar: radix etiam non minus quàm in illo fœcunda producendis nucleis. II.

Illas habui munere Ioannis Boiſot anno M. D. XXCVI. quadriennio verò poſt, tres alias communicabat, quæ inſequente anno hos flores protulerunt.

PRIOR, quæ erit illius Tertium genus ab ipſo acceptum, latiore, brevioreque fuit flore, cujus terna inflexa folia, lato & propendente ſunt labro, mediâ aureâ maculâ (quam albus orbis ambit) inſignito, per oras criſpo, cærulei coloris, à maculâ autem uſque ad unguem folij, extenditur nervus extrinſecus vireſcens, intrinſecus pallidus, multis purpureis venis in latera excurrentibus, tria gibba alataque folia purpuraſcentis ſunt coloris, gibbus albicans, alȩ cæruleæ; tria ſurſum erecta folia, ex cæruleo purpuraſcunt. III.

ALTERA, ſive ejus Quarta, florem habuit, cujus terna folia terram ſpectantia, flavi ſunt coloris, aureâ maculâ labrum occupante, à qua ad infimos ungues, interiore parte ſparſȩ ſunt quædam venæ dilutius purpuraſcentes; folia ijs incumbentia exalbida ſunt, præter medium nervum ad extremum folium excurrentem & gibbum, qui pallidi ſunt coloris; ſurrecta terna folia, infimâ parte ex cæruleo purpuraſcentibus venis ſunt diſtincta, ſupernâ candicant. IIII.

TERTIÆ,

V. TERTIÆ, ſive Boiſoti Quintæ flori, terna incurva ſive inflexa folia, prorſus lactei candoris fuerunt, præter maculam illam medio labro impreſſam, quæ aurei coloris erat: gibba præterea folia illis incumbentia, alba fuerunt, ut & terna erecta, exceptâ illâ infimâ parte circa ungues, quæ tenue quidpiam ſubcæruleum habere viſa eſt. Odorati etiam hi flores erant.

Ex cujus generis ſemine natæ ſint hæ varietates, nihil ad me perſcriptum, nec forſitan quiſpiam tam exactè obſervavit: odor tamen qualis in Verſicolore illâ, in Tertio genere ſupra deſcriptâ, me in ſuſpicionem adducit, ex illo originem ſumpſiſſe.

Iris bulboſa F-V h.e. I. claſſis tertiæ.

Irid bulboſ. verſic claſſis III.



QVAS verò Primæ illius Flavæ-Variæ à Boiſoto primùm mihi miſſæ, ſemine ego nactus ſum, & anno demum M D XC. duobusque illum ſequentibus, flores protulerunt, ſubijciam.

I. VNA, quam F-V, hoc eſt Flavam-Variam majorem, & omnium elegantiſſimam meritò appellare poſſum, caulem non minus altum habet, quàm Tertium illud genus verſicolore flore à me tertio loco deſcriptum, videlicet cubitalem aut ampliorem, folia latiora & breviora, media ferè inter illius & Secundi generis folia, florem majuſculum, cujus terna folia inflexa & terram ſpectantia lutei ſunt coloris, & aureâ maculâ in medio labro inſigniuntur, oris quodammodo purpuraſcentibus, anguſtiore foliorum parte quæ gibbo integitur, intrinſec⁹ multis ſubpurpureis venis in latera excurrentibus notata: gibba & incumbentia folia, diluto purpureo colore ſunt prædita: tria erecta valde ſaturâ purpurâ nitent, & quaſi violacea ſunt, præſertim medius per longitudinem extenſus nervus.

II. ALTERA etiam F-V, & latiflora, ſed paulo humilior, terna ad terram inflexa folia flavi coloris habet aureâ maculâ inſignita, à qua, ad infimum folij unguem, multis purpuraſcentibus venis interiore parte ſunt diſtincta: gibba folia quodammodo purpuraſcunt, nervum tamen ſubflavum habent; tria folia erecta, purpurei ſunt coloris.

III. TERTIÆ F-V. floris forma eadem, & terna illa folia inflexa flavi coloris, aureâ maculâ inſigniuntur, quâ verò parte bifidis & gibboſis illis folijs integuntur, radijs obſoletè purpuraſcentibus diſtincta ſunt: ſurrecta terna folia ex cæruleo purpuraſcunt, medius autem per longitudinem excurrens nervus, flaveſcentis eſt coloris: & tria alijs incumbentia, obſoleti, cui flavi quidpiam permiſtum eſt.

IIII. F-V. Quarta, etiam latiflora, terna inflexa folia pallida habet, aureâ maculâ inſignita, quâ autem parte camerato folio integuntur, purpuraſcentibus venis ſunt diſtincta: gibba folia, etiam purpuraſcunt: tria verò erectiora folia, cæruleum habent colorem.

V. QVINTÆ F-V, quæ anguſtiflora eſt, tria ad terram ſpectantia folia, flava ſunt, aureâ etiam maculâ medio labro inſignita; & incumbentia illis folia candicant, nervus tamen eminentior, quodammodo ὠχρόλευκος: ſurſum aſſurgentia folia exalbida ſunt, imâ parte ſubcæruleis quibuſdam venis leviter diſtincta.

VI. SEXTA F-V, etiam anguſtiflora, & humilior, non valde abſimilem matri, hoc eſt, Primæ à Boiſot miſſæ, habuit florem: ſed quibuſdam notis ſecundæ ab ipſo acceptæ reſpondentem, ut media quædam ſpecies inter utramque cenſeri poſſit.

VII. LATIFLORA eſt, & elatior Septima F-V, cujus inflexa folia habent latiora labra, flavi coloris, aureâ maculâ inſignita, quâ verò parte gibbis folijs integuntur, ad unguem uſque interius ex cęruleo purpuraſcunt: gibba & alata folia etiam purpuraſcentis ſunt coloris, gibbo tamen dilutiore: ſurrecta folia latiuſcula ſunt, & illis magis purpuraſcunt, cæruleique quidpiam admixtum habere videntur.

VIII. HVMILIOR, latiflora tamen, eſt Octava F-V, cui terna terram ſpectantia folia flava ſunt, aureâ maculâ majuſculâ notata, internâ parte quæ cameratis bifidisque folijs tegitur, purpuraſcentibus radijs in latera excurrentibus diſtincta: gibba criſtataque folia, purpurei cæruleo commixti ſunt coloris, ipſo gibbo ex purpura flaveſcente: erectiora folia, cærulei purpuræ permixti ſunt coloris.

ANGVSTI-

IX. ANGVSTIFLORA, ſed humilior etiam, eſt Nona F-V. cujus trium foliorum terram ſpectantium labra longiora ſunt & pallida, oriſque aliquantulum purpuraſcentibus, maculâ aureâ longiore inſignita, reliquâ parte bifidis folijs tectâ, internè purpuraſcente, præter mediū nervum qui aurei eſt coloris, foris ex viridi palleſcentis: gibba cum ſuis alis criſtatis folia, purpurea, gibbus paullo dilutior: ſurrecta terna folia, purpurâ ſaturatiore nitent.

X. DECIMA, ejuſdem ferè altitudinis eſt cum ſuperiore, ejuſque terna folia ad terram prona, palleſcente ſunt labro, brevi flavâ maculâ in longos radios deſinente infecto, anguſtior folij pars foris vireſcēs, internè viridibus venis prædita: alata & bifida folia, exalbida ſunt, ad ὠχρόλευκον colorem tendentia, gibbus palleſcens: terna folia quæ ſurſum attolluntur, alba ſunt, medio nervo circa unguem palleſcente.

XI. VNDECIMÆ, eadem quidem forma, ſed diſſimilis prorſus color: nam terna inflexa folia alba ſunt, flavâ tamen maculâ inſignita: gibba his incumbentia, purpuraſcunt: tria ſurſum erecta purpurei, ſeu violacei ſunt coloris: breviter non multum abſimilis eſt Anguſtifoliæ verſicolori ſaturæ, in Prima claſſe.

XII. MEDIA quodammodo inter Latifloram & Anguſtifloram eſt Duodecima, eaq; elatior, labris trium foliorum terram ſpectantium ex albo purpuraſcentibus, aureâ maculâ notatis, quæ medium etiam folium per longitudinem ſecans, ad infimum uſque unguem anguſtior protenditur, ejus latera interius ſaturatioribus venis purpureis diſtincta: folia criſtata & bifida illis incumbentia, diluti purpurei, & quaſi ad rubedinem tendentis ſunt coloris, gibbo paullo magis ſaturo: ſimilis pænè coloris ſunt ſurrecta folia, eorum tamen ungues aliquantulum ſaturatiores.

Iſtarum porrò omnium flores odorati ſunt, & Tertij generis floribus verſicoloribus, odoris gratia reſpondent.

Summa varietas in Irid. bulboſis ſemine natis.

ET hæ quidem ſummæ ſunt differentiæ Iridum bulboſa radice præditarum, quæ mihi ſemine F-V. primæ Boiſoti natæ: aliæ tamen etiam natæ, ſed quarum colores proximè ad iſtarum colorem accederent: propterea, minimè huc inferendas putavi. Nam in tantâ varietate, quis ſingularum diſcrimina commodè verbis exprimere queat? In flavæ autem & Purpureæ violaceæ ſemine natis plantis, nullam hactenus varietatem obſervavi, ſed omnes maternum colorem retinuerunt, & illum quidem intenſiorem vel remiſſiorem.

Illud præterea in iſtarum Iridum plantis ſemine natis obſervabam, plurimarum vaginam illam initio emergentem, è qua, ut in primo deſcriptis exeunt folia, rubri ſive ſanginei coloris radijs eſſe infecta, non ſecus, ac Quarti generis primæ ſpeciei in prima Claſſe vaginulam.

XIII. SED & Decimum tertium genus ſemine mihi natum, quod florem demùm tulit anno ſupra milleſimum & quingenteſimum nonageſimo quarto, quadriennio videlicet poſt quam ſemen telluri creditum. Cubitali verò aſſurgit caule, nodoſo & geniculato inſtar aliarum Iridum hujus generis, quem ambiunt lōga & anguſta folia, carinata ut in ſuperioribus reliquis: ſummus caulis ſuſtinet florem reliquis formâ ſimilem & novem folijs conſtantem, ſed colore diverſum: nam terna majora labro propendente prorſus cærulea ſunt, tumente maculâ aurei coloris à medio labro ad infimum folij unguem diſcreta, his incumbentia, fornicataq; & alata folia, ſaturæ purpuræ colore ſunt, ligulamque tegunt, terna ſurrecta, oblonga, anguſta, ſaturâ purpurâ (cui rubedo levis admixta) nitent: odor tenuis, nec ad eas quę verſicolore ſunt flore ſuavitatem accedēs: capitula trigona longaq; inſtar capitum verſicoloris, quæ tamen nullum ſemen tulerunt: radix bulboſa ut reliquarum Iridum bulboſarum, plureſque nucleos ad latera generans.

Floruit primo anno circiter quindecim dies ante illas quæ cæruleo & flavo ſunt flore: altero cum ijſdem, Iunio videlicet.

Huic prorſus ſimilem Hiſpali accipiebam anno M.D.XCVI. ab eruditiſſimo viro D. Simone de Tovar Hiſpalenſi Medico, ut ex ejus flore quem inſequentis anni Maio dedit, obſervare potui: an verò ſemine ipſi nata eſſet, aut aliunde miſſa, nihil adſcribebat.

Quotidie nova varietas in Iridibus bulboſis ſemine natis obſervatur.

SVPERIORIBVS annis, ut ante dictum eſt, in Flavæ Iridis bulboſæ ſemine natis plantis nullam varietatem obſervaveram: at anno M.D.XCVII. cùm in hac, tum alijs inſignē varietatem habui. Nam anno nonageſimo tertio ſupra milleſimum & quingenteſimum ſeorſim in diverſis puluinis Flavæ, Albæ, F-verſicoloris ſemina terræ commiſi ſub finem Novembris, natæ ex ijs plantæ nec loco motæ, quarto poſt anno flores protulerunt; ex Flava quidē, aut flavos prorſus, aut flavos quorū ſurrecta folia aut pallebant aut exalbida erant, vel cęrulea erant, vel fuligine infecta cum fornicatis folijs; ex F verſicolore autem, flavos, flavos item quorum ſurrecta folia alba erant, vel initio labra habentes flava aureâ maculâ inſignita, deinde flavus ille color maculam ambiens cæruleum colorem prorſus contraxit, folia fornicata & ſurrecta ſaturâ purpurâ nituerunt, vel etiam alios illis perſimiles, quorum tamen flava labra oras auream maculam ambientes habuerunt vireſcentis ex cæruleo coloris, & alios matri ſimiles: ex Alba verò pallidos, ſurrecta folia alba aut exalbida habentes, aut ex cæruleo purpurea, aut matri propemodum ſimiles. Quam varietatem producent reliquæ plantæ illis ſeminibus natæ, indicabit dies.

SISYRINCHIVM. CAP. XLV.

IRIDES bulboſas proximè,ſine controverſia, ſubſequi debet planta quædam flore Xyridis,minore tamen,& radice orbiculata,ut Xyphium,cujus duo genera in Hiſpanica peregrinatione à me obſervata.

Siſyrinchium majus flore luteo macula notabile. C.Bauh.Pin: 40

Siſyrinchium majus.



Siſyrinchium minus.

Siſyrinchium medium. C.Bauh.Pin 41.



Siſyrinchium majus. VNVM oblongis anguſtiſq; folijs, mollioribus quàm Iridis bulboſæ folia, & ad Allij aut Hyacinthi botryodis folia proximè accedentibus,ſtriatis, viridibus, & humi plerumque fuſis,rotundo,dodrantali,ſtriato firmoq; caule, qui ex multis involucris tanquã è vaginulis flores promit quatuor aut quinque,alternatim prodeuntes, hoc eſt,ut primo marceſcente alter ſuccedat,deinde tertius,& ſic deinceps, Xyridis potiùs florem referentes,quàm Iridis, ex novem foliolis compoſitos,quorum tria,ut in jam deſcriptis Iridibus bulboſis, deorſum inflexa,pro fimbriâ, luteam maculam etiam habent; alia tria ſurſum aliquantulum attolluntur: tria verò reliqua,quæ in alijs ligulam tegere ſolent,ſurrecta,ſummâ parte diviſa & bifida. Eſt verò totus flos pulcher aſpectu,coloris cærulei,præter maculas illas, & odore quidem præditus,ſed valde fugaci: floribus ſuccedunt folliculi,vaginis quibuſdam cutaceis incluſi,adeò tenui membranâ conſtantes,ut ſemen rotundum,parvum ſubrufum, quod in illis continetur conſpici poſſit:radix bulboſa,gemina,plantâ ipſâ florente,&altera alteri inſidens Xiphij modo,ſuperior plena,candida,dulcis,edulis,& pueris expetita,inferior flaccida (totam nimirum ſubſtantiam ad ſe trahente ſuperiore,ut in Croco,Xiphio)& tandem evaneſcens cum inhærentibus fibris:multiplici verò cortice reticulato,craſſo,nigro integitur Xiphij radicis inſtar, & adnatis ſeſe propagat:

Natales. nam quinas interdum,etiam ſenas, aut plures plantas, quarum ſinguli bulbi ſuo retiformi tegmine involuti erant, alio villoſo capacioreque tegumento ſimul comprehenſas eruere memini, in collium ſupra urbem Olyſipponem acclivitatibus, apud ſuburbanum Magnifici & Generoſi viri Ferdinandi Cotinho,equitis Luſitani, multis peregrinationibus in exteras regiones factis,clari:atque etiam Gadibus, non procul à ponte, qui eam inſulam continenti nunc conjungit:unde ejus bulbos in Belgium ad amicos mittebam N.& C.V.Caroli Tiſnac,concilij Belgici tunc in Hiſpania Præſidis,operâ : qui ſucceſſorem deinde habuit C.V.Ioachimum Hopperum.

Siſyrinchium minus. ALTERVM genus ſuperiori ſimile eſt,minus tamen,gracilioribuſq; folijs : flores è vaginulis prodeuntes,colore ſuperioris floribus ſimiles,ſed magis odorati ; tenuiores etiam folliculi minore & exiliore ſemine pleni: radix item minor, non minus tamen,quàm ſuperioris, reticulato cortice tecta,& gemina.

Natales. Creſcit Valentino Hiſpaniæ regno, ſed Murciano frequentiſſimum obſervabam, atque erueбам.

eruebam, præſertim tribus leucis ſupra ejus regni metropolim, *Murcia* vulgo appellatam, quæ Veteribus *Murgis* dicebatur, itinere Granatenſi.

Tempus. Florebat utrumque genus Martio, natali ſolo: ſed apud Belgas, Maio duntaxat, interdum etiam Iunij initio, idque valde rarò, utpote quod alternis ut plurimùm, annis duntaxat prodire ſoleat, imò paulatim plerumque contabeſcens, prorſus tandem ſæpenumero pereat.

Nomina. PRIMVM genus Luſitani *Nozelhas* (quaſi nuculas aut parvas nuces diceres) appellant, quia pueri iſtic ejus bulbo perinde atque avellanis, veſcuntur, eumque in delitijs habent. Alterum incolis, *Lirio*, nonnullis *Maçucas* dicitur. Porrò hæc planta ad eum bulbum plurimùm accedere videtur, quem Theophraſt. lib. VII. Hiſtor. Plantar. cap. XIII. *σισυρίγχιον* appellat. Scribit enim peculiare Siſyrinchio eſſe, ut una radix primo augeatur hieme, tum ineunte Vere, quod in imo excreverit, contrahatur, ſupremumq́; creſcat, quod manditur. Plinius verò eum ſequutus, lib. Natural. Hiſtorię cap. V. Genera, inquit, Græci hæc fecere, Bulbinem Setanion, Pythion, Acrocorion, Ægilopa, Siſyrinchium: in hoc mirum, imas ejus radices creſcere hieme: verno autem cùm apparuerit viola, minui & contrahi, tum deinde bulbum pingueſcere. *σισυρίγχιον.*

Facultates. SECVNDVM genus, ad ventris tormina utile eſſe referebant incolæ: ſed devoratâ radice, illico corpus ſaltatione eſſe exercendum.

QVO potiſſimum referrem hunc elegantem florem, diu fui dubius, ſed & adhuc hæreo: nam ex mutilâ icone, concinnanda mihi fuit illius hiſtoria, nec certi quidpiam ſtatuere licuit. Ne tamen locum non haberet, propter cognationem, quam cum Siſyrinchio habere, mea opinione, videtur, Siſyrinchij capiti addendum putavi. Si quis verò aliò pertinere cenſebit, per me quidem ſemper licebit: pertinaciter enim meam opinionē tueri, non eſt animus.

Flos Perſicus Siſyrinchio congener. EST ergo hujus ſtirpis flos (cujus ſupremam caulis partem cum flore ſuis coloribus duntaxat expreſſam, anno nonageſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum, Pragâ accipiebam ab Eſaia le Gillon, meæ ſororis filio) pulcherrimus, ſummo cauli ſatis gracili & vireſcenti innitens, & ex membranaceo involucro, inſtar folliculorum, qui Iridum flores ambiunt, emergens, tribus tantùm folijs (ſi picturę fides eſt adhibenda) conſtans mucronatis, binas uncias longis, minimum digitum latis, dorſo elatiore, cærulei coloris adeò elegātis, ut cum Gentianellæ cæruleis floribus contendere poſſit: internâ parte ramoſa quædam ſtamina in multas tenues fibras ſecta continere videtur rufi coloris, apicibus verò albis: infra illum addita erat alterius floris gemma ſuo membranaceo folliculo etiam involuta.

Expreſſa autem fuerat hæc icon Conſtantinopoli à pictore induſtrio, de alterâ, quam pictor quidā Perſicus è Perſia attulerat, ubi naſci, & *lalé* vocari aſſerebat. Conſtantinopoli verò eſſe ignotam hunc plantam. *Lalé* porrò, Turcis florem ſignificare, ante dicere memini.

IRIS LATIFOLIA MAIOR. CAP. XLVI.



IRIS ex earum ſtirpium eſt numero, in quibus ſummam varietatem obſervabam. In nullam enim provinciam peregrinationem inſtitui, quin ejus aliquod genus antea mihi non conſpectum invenerim, ut ex meis Hiſpanicarum & Pannonicarum ſtirpium hiſtorijs quę ſeorſim ſunt editę, videre licuit, & etiam ex hac apparebit. Omnes autem in Latifolias, & Anguſtifolias dividemus: à Latifolijs initium facturi, quas in duo capita diſtribuemus, priore quidem majores, altero minores & pumilas comprehēſuri: Anguſtifolijs deinde ſuum peculiare caput dabimus. *Iridum tres claſſes.*

Iris major latifol. I. ſive Suſiana. PRIMVM verò locum inter majores Latifolias ob floris amplitudinem & venuſtatem meritò ſibi vendicare videtur, quæ ſena aut octona habet folia Iridis Luſitanicę biflorę folijs non abſimilia, mutuo ſeſe ut in alijs Iridum generibus amplectentia: è quorum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rotundus, geniculatus, digitalis craſſitudinis, florem ſuſtinens omnium quos unquam in Iridibus conſpexerim maximum, novem, ut reliquorum, folijs conſtantem, colore tamen ab illis differentem: nam tria ad terram inclinata folia, craſſa ſunt, interiore parte omnino nigra, niſi quędam venæ ex purpura candicantes intercurſarent, ab infima baſi ad medium uſque nigris villis latè obſita, maculâ nigrâ, ſericei villoſi nigri panni inſtar, medium folium occupante, foris multò dilutiora ſunt: terna illa minora eis incumbentia quæ

T ligulas

ligulas tegunt, fornicata & bifida ſunt, & ejuſdem ferè coloris, paullo tamen dilutioris, licet ad obſcuram purpuram accedentis: tria ſurrecta, palmaris ſunt amplitudinis, & membranaceæ pænè tenuitatis, plurimis lineis ab infima baſi ad extremum uſque folium excurrētibus, partim nigricantibus, partim ex cineraceo candicantibus, ut Americani pavonis expanſam caudam ferè imitentur, internè circa unguem nonnihil hirſuta. Nullum odorem in hoc flore deprehendi, ſed ſolâ coloris varietate, & raritate commendabilis eſt. Illi ſuccedunt, ſed rarò admodum, capita trigona craſſa, uncias tres, quatuor, & quinque interdum longa, numeroſum ſemen rugoſum, fuſcum, piſi ferè inſtar magnum, continentia.

Natales. Conſtantinopoli primùm Viennā delata fuit hæc Iris ipſa brumâ Ill. V. Augerio de Bouſbecque p.m. Cæſaris olim, ad Turcarum Imperatorem, Legati munere ſeptenni functo, poſtea autem Ser^mæ Elizabethæ Auſtrialis Galliæ Reginæ viduæ felicis. m. ſummo Aulæ Præfecto, & Cæſari à Conſilijs, anno M.D.LXXIII. cùm recens eò adveniſſem, qui una radice me donabat, alias in Belgicam amicis mittebat. Subſequēte anno ſimilem attulit Mag^cus V. Carolus Rym Dn. de Eeckbecke Cæſareus etiam Legatus ad Turc. Imp. Conſtantinopoli rediens cum affine Philiberto de Bruxella. Deinde quotquot aut Legati, vel Honorarij ferendi gratiâ Conſtantinopolim miſſi, Viennam redeuntes, cum alijs exoticis ſtirpibus etiam attulerunt. Hiemis injurias difficilius fert in horto repoſita, reliquis Iridis generibus, ut ego & plerique alij noſtro damno experti ſumus. Rarius etiam ceteris floret, & unicum, ut plurimum, florem profert, Maio: ſemen maturum Iulij initio.

Iris Aſiatica cærulea ſive latifol. m. II.

Iris major latifol. II ſive Aſiatica cærul.



SENA, ſeptena, octonaque habet Altera folia, omnium Iridum ampliſſima & in latum expanſa, viridis cui ærugo permixta videatur, coloris, mutuo ſe amplectentia, è quorum medio caulem promit ſeſquicubitalem, interdum etiam bicubitalem vel ampliorem, firmum, craſſiorem ſuperiore, lævem, geniculatum, multiſq; alis concavum, è quibus copioſi (nullam enim feraciorem conſpexi) vaginuliſque incluſi prodeunt flores, magni, novem folijs conſtantes, quorum terna inflexa dilutè purpuraſcentis atque ad cæruleum tendentis ſunt coloris, multis purpuraſcentibus venis ab infima parte & ſtamineâ fimbriâ flava in longitudinem & latera excurrentibus: bifida folia exalbeſcunt, gibbo tamen illorum dilutè purpuraſcente: tria quæ ſeſe attollunt folia, anguſtiore & ima parte quibuſdā purpureis brevibus venis diſtincta ſunt, ubi verò ſe in latum expandunt ſubcæruleum habent colorem, dilutiorem adhuc quàm inflexa; & florum Sambuci odorem, graviorem tamen, quodammodo æmulantur: ijs ſuccedunt rariores ſiliquæ, ſive capita, craſſa, magna, triāgularia, & obtuſo mucrone prędita, quæ maturitate dehiſcentia, ſemen continere deprehēduntur craſſum, anguloſum, durum, flaveſcens, ſuperiori ferè par: radix craſſa eſt, magna, nodoſa, multis longis craſſiſque fibris donata, lateribus, ut reliquæ, ſe propagans, &, ſi repurgata exſiccetur, odorata.

Conſtantinopoli mihi miſſa fuit ab Ill. V Davide Vngnad, Cæſareo tum apud Turc. Imp. Legato, nunc bellici Conſilij Præſide. Floret etiam Maio.

Iris major latifol. III. ſive Dalmat. major. HVIC non valde abſimilis eſt, quam ante multos annos, in Belgicam uſque ad nos miſit Doctiſs. Alph. Pantius, niſi quòd flores, illi concolores, ſummo caulis faſtigio magis confertos habere videtur, jucundiſſimo ſpectaculo: ſemen etiam in breviore capite minus, pallidum, anguloſum, rugoſum.

Iris major latifol IIII. ſive Damaſc. NEC illi diſpar eſt folijs & radice, quam N. V. Ioannes ab Hoghelande Lugduno Batavorum ad me miſit anno M.D.XC. Damaſcenæ nomine, ipſi ſemine natam. Cubitalē autem biennio poſt aut paullo majorem protulit illa caulem, in quo multi ut in Aſiaticâ cærulea flores, totidem quot ea folijs nec minus amplis conſtantes, ejuſdemq; pænè coloris: terna tamen inflexa paullo dilutius purpuraſcere & ad cæruleum colorem tendere videntur, atque magis complicari: terna bifida & gibba villoſæ fimbriæ incumbentia, anguſtiora & cinerei quodammodo coloris: terna verò ſurrecta dilutioris cærulei ſunt coloris, & latis interdum candican-

candicantibus venis externa parte conſperſa ſunt: odor Aſiaticæ ſimilis. Hoc autem in ejus aliquot floribus obſervabam, unum ex illis folijs quæ ſurſum attolli ſolent, ſubtus, perinde atque inflexa albeſcere, etiam aliquantulum inflecti, ſimilis coloris eſſe, & fimbriam illam multis villis conſtantem habere. An porrò ſingulis annis ſimiles proferat flores, tempus nos docebit.

Iris latifol. major v. *Iris Aſiatica purpurea*



QVINTA habet folia Secundæ ſimilia, paulò tamen breviora, & anguſtiora: inter quę exit caulis cubitalis, rotundus, digitalis craſſitudinis, in aliquot ramos diviſus, qui promunt è mēbranaceis thecis flores ſuperiore minores, nonnihil odoratos, quorum labra, ſive folia ad terram inflexa, ſaturatioris ſunt purpuræ, & infra circa unguem, quâ videlicet hirſuta illa & palleſcens fimbria excurrit, varijs venis diſtincta: his incumbunt tria alia latiuſcula bifida folia, quæ candicantes ligulas tegũt: deinde è lateribus ſurgunt terna etiam folia, eleganti purpureo colore prædita, flori Luſitanicæ biflorę ferè ſimilia, latiora tamen: ſuccedunt triangulares ſiliquę obtuſo mucrone, in quibus ſemen inæquale: radix tuberoſa, Secundæ ſimilis. *Iris major latifol. v. ſive Aſiatica pur.*

Miſſa etiam hęc Conſtantinopoli ab Ill. V. Davide Vngnad. Floretque Maio. *Natales.*

ILLI congener fuit, quã ad me Viennam miſit Io. Boiſot anno M. D. XXCIII. Similia enim folia habuit, caulem paullo majorem, flores ſimiles, aliquantulum majores, inodoros, quorum terna ſurrecta folia aliquid rubedinis habere videbantur; radicis amplitudine conveniebant. *Iris major latifol. VI.*

IRIDIS majoris duo alia genera in Francofurtenſibus hortis obſervabam. Vnum, cui Illyricæ cognomen dederunt, longa lataq; folia habentem, Dalmaticæ majori pænè paria, caulem non minùs grandem, nec rariores minoréſve flores proferentem, novem, ut reliqui, folijs conſtantes, quorum terna inflexa & terram ſpectãtia, planè purpurei ſive violacei, dilutioris tamen ſunt coloris, nullis, niſi circa infimam partem, venis diſtincta, fimbriâ medium folij nervum occupante, albis ſtaminibus flavo apice præditis donatâ, tria ſurrecta folia ejuſdem ferè, ſed magis diluti coloris, ut & terna bifida ligulam tegentia, & fimbriæ incumbentia: odor ſatis ſuavis. *Iris major latif. VII.*

VVLGATIOR Altera, ſimilia habet folia, ab exortu autem circa radicem purpuraſcentia, caulem cubitalem aut ampliorem, multos è vaginulis, purpuraſcentibus radijs inſignitis proferentem flores, novem folijs conſtantes, quorum terna incurva multis craſſis venis purpureis ſunt notata, fimbriâ ad labrum inflexũ protenſâ, capillaribus ſtaminulis flavo apice præditis donatâ; terna erectiora plerumque bifida ſunt, coloremque habent obſoletum, in quo purpureum quidpiam magis vel minus ſaturum elucet, alata anguſta folia fimbriæ incumbentia ejuſdem cum ſurrectis ſunt coloris, præter medium nervum in longitudinem excurrentem, qui ex cæruleo purpuraſcit: odor florum Sambuci. Breviter Iridi obſoletæ belgicæ valde ſimilis eſt. *Iris major latifol. VIII.*

NONAGESIMO porrò ſupra milleſimum & quingenteſimum anno, mihi miſſa ſunt Bruxellis à N. V. Ioanne Boiſot aliquot alia Iridis majoris genera, quorum nonnulla Maio ſequente flores dederunt.

VNVM breviora quàm ſuperior habet folia, alioqui non diſſimilia, nec minus circa radicem, qua invicem amplectuntur, purpuraſcentia: caulem cubitalem & ampliorem, in alas diviſum, in quibus multi flores, totidem quot præcedentes folijs prędití, quorum terna deorſum inflexa per oras ſubcærulea, circa ungues ex flavo candicant, deinde multis craſſiuſculis ſaturæ purpuræ venis ab imo in longitudinem excurrentibus ſunt prædita, ſtaminum fimbria ſuperiori ſimilis eſt: terna erecta folia candicantis ex cæruleo ſunt coloris, eorum oræ quodammodo flaveſcunt, ungues tenuioribus venis diſtinguuntur, bifida & alata folia fimbriam tegentia ferè ex flavo candicant: odor præcedenti ſimilis. *Iris major latifol. IX.*

PAVLO humilius Aliud eſt, nec ejus folia circa radicem purpuraſcunt: caulis gracilior in alas finditur, flores geſtantes ſuperiori forma quidem ſimiles, diverſi tamen coloris: nam *Iris major latifol. X.*

Iris latifol. major IX.



Iris latifol. major X.



terna inflexa folia, licet illius folijs non ſint diſparia, oras ad flavum obſoletum accedentes habent, venasq; paullo dilutiores, terna ſurſum erecta obſoleti ſunt coloris ex flaveſcente & purpuraſcente mixti, Verſicoloris, quam à Camerario accipiebam, folijs non abſimilia, paullo tamen dilutiora, circa ungues etiam magis flaveſcentia, & tenuioribus purpureis venis notata, anguſta alataque folia ſimili colore prædita, præter medium nervum qui magis purpuraſcit: odor etiam florum Sambuci æmulus.

Iris latifol. major XI. ILLI paria Tertium habet folia, inter quę cubitalis ferè & ſuperiori æqualis aſſurgit caulis, ternos aut quaternos è vaginis viridibus, oras purpuraſcentes habentibus, ferens flores, quorum tria inflexa folia Decimæ quartæ non valde abſimilia, longius tamen protéſam habent fimbriam illam villis conſtantem, quàm ut à bifidis & gibboſis folijs tota tegi poſſit, quorum color obſcurior & ſaturatior, quemadmodum & ſeſe attollentium, quibus non unquam inſperſæ luridæ maculæ: Odor idem cum ſuperiore. Paulo tamen ſerius hæc floret.

Iris major latifol. XII. QVARTVM (quod mihi perijt) huic colori ſatis reſpondere ſcribebat, & peculiare id habere, ut inflexa folia duobus diverſis coloribus ſecundùm longitudinem ſunt diſcreta, altera videlicet parte reliquorum foliorum colori reſpondente, altera diverſo: eamq; à Bruxellenſi cive accepiſſe, qui ſemine natum ſibi aſſereret, cum alijs Iridibus, quarum nonnullæ unicum duntaxat folium variegatum habebant, quædam verſicolorem tantùm nervum medium folium ſecantem, eumq; vel ampliorem & latiorem, vel anguſtiorem, ut mirum dictu ſit quo modo Natura in his floribus ludat.

Iris major latif. XIII. ALIVD præterea genus eidem civi ſemine natum ſcribebat, inſtar prædicti varietate colorum conſpicuum, non adeò tamen elegans, ſed coloris ex cineraceo palleſcentis, ut verſicolor cærulea dilutior dici queat ea Iris.

Iris major latifol. XIIII AMPLA ſunt XIIII. folia, & latiora longioraq; quàm in præcedentibus, viridia admodum, rugoſa, aliquantulum criſpa, mucrone nutante, è quorum medio emergit cubitalis aut major caulis, lævis rotundus, viridis, in aliquot ramulos diviſus, qui è virentibus vaginulis ſatis amplos promunt flores, nonnihil odoratos, & ad vulgaris Oxyacanthæ floris odorem accedentes, quorum tria reflexa folia pallida multis craſſis purpureis venis à folij infima ſede & à fimbria, ad extremas oras ſparſis prædita ſunt, labris etiam ſatura purpurea nitentibus: tria illis incumbentia, ſub quibus occultantur ligulæ, coloris pallidi tamquam fuligine perfuſi, ut etiam ſunt tria erecta, ſed magis luridi: nullum mihi hactenus ſemen tulit, tametſi multos annos illam jam aluerim. Maturius paullo floret ſecunda, & color floris aliquando ſaturatior, interdum dilutior.

Hanc nactus ſum à C. V. Ioachimo, Ioach. F. Camerario Reip. Norib. Medico primario, & amico cariſs. unde verò ille habuerit, ignoro. *Natales.*

Iris latifol. major XV.



Iris major latifol. XV.

RVGOSA ſunt etiam iſti folia, minus tamen lata, longa, & viridia quàm in XIIII. ſecundùm radicem omnino interdum purpuraſcentia, è quorum medio caulem promit cubitalem, lævem, viridem, aliquot ramulis donatum, quibus inſident flores è vaginulis emergentes, magni, vel prorſus inodori, vel Oxyacanthæ vulg. florum inſtar odorati, coloris varietate cõmendabiles: nam tria folia quæ ſurſum ſpectãt & attolluntur, raró ſe mutuo amplectuntur, aut cacumine nutãt, ſed plerumque (niſi marceſcere incipiant) recta ſunt ut in Iride bùlboſa, nonnihil tamen convexa, anguſtiora, lutei coloris, quemadmodum & illa quę ligulas fimbriamq; contegunt: tria ad terram inflexa, circa baſim & exortum pallent, reliqua parte candicant, multis tamẽ purpureis radijs ab ipſa ſede ad extremas uſque folij (quod plerumque ſaturatius purpuraſcit in earum ſtirpium floribus, quę circa radicem nulla purpura ſunt ſuffuſæ) pallidas oras, eleganti pictura decurrẽtibus: villoſa fimbria, qua parte integitur, lutea eſt, extrema verò exalbida, pallentes ligulæ, magna triangula & obtuſo aliquãtulum mucrone capita, ſemen orobi magnitudine, fuſcum, rugoſum cõtinentia: radix nodoſa, vulgaris Iridis inſtar, foris flaveſcens, multis utrinque naſcentibus fibris firmata, quæ repurgata & exſiccata, odoratiſſima eſt, & cum Illyrica, quæ in officinis habetur, odoris gratia contendere poſſe exiſtimo.

Natales.

In montanis ſupra arcem Divi Georgij herbido ſolo, & collibus Stamphen imminentibus in Vngaria tranſdanubiana, aliquot miliaribus ſupra Poſonium, primùm obſeruabam genus illud cujus folia purpuraſcente colore circa radicem non ſunt perfuſa: deinde frequentius utrumque genus in Leytenberg mõte ſupra Manderſtorf, & ſiccioribus pratis Sopronio vicinis. Creſcit etiam in collibus non procul ab Entzeſtorf im-lange-thal, Magnif. Dn. de Entzeſtorf. Floret Maio, ſub Iunij finem ſemen maturum.

Iris major latifol. XVI.

HVIC valde ſimilis, & illius quidem ſemine natam puto, quæ mihi etiam conſervata eſt, ex ſuperiorum quas Boiſot miſit numero: folia tamen illi breviora, & (quod rarum) magna ex parte duobus coloribus diſtincta albo & viridi, ſic quidem, ut albus per longitudinem excurrat, nonnumquam dimidiatum folium occupans, interdum ferè totum, aliquando ejus duntaxat partem: ijſdem etiam coloribus interdum diſtinctæ vaginæ flores includentes: qui terna ad terram inflexa folia ſuperiori ſimilia habent ferè, ſtaminea tamen fimbria tota flava eſt, bifida folia illam tegentia flava, cujus etiam coloris ſunt terna illa ſeſe attollentia, & tota ferè ſurrecta ut in præcedente, infimâ autem & anguſtiore parte, purpureis velut maculis internè aſperſa ſunt: odor qualis in præcedente, nonnumquam adeò imbecillis ut vix deprehendatur. Floret Maio cum ſuperiore.

Iris major latifol. XVII.

EIVSDEM Boiſot alia pedalem habuit caulem, rotundum, geniculatum, binos aut ternos ex membranaceis vaginis promens flores, quorum terna terram ſpectantia palleſcẽtis ex albo ſunt coloris, multis purpureis venis ab infimâ foliorum baſi, quæ anguſtior eſt, in latera, tùm à fimbriâ, quæ flava eſt, ad extimas foliorum oras procurrentibus, quibus ſingulares, interdum binæ purpureæ maculæ ſunt aſperſæ: bifida folia fimbriam tegentia ὠχρυλεύχȣ ſunt coloris, cujus etiam terna ſurrecta (excepta eorum anguſtâ baſi, quæ flaveſcens) multis purpureis venis in latera procurrentibus eſt ornata.

Iris major latifol. XVIII.

BYZANTIO etiam miſſum aliud Iridis genus folijs Quinto generi non diſſimilibus, ſed breviore aliquantulum caule, in aliquot ramos diviſo, qui ſuſtinent flores è vaginulis emergentes jam dictis paullo minores, quorum color medius inter ſecundi & quinti generis flores: radix quinto generi ſimilis.

Plurimum convenire videbatur cum Dalmatica illa minore, quam à Pantio miſſam Belgici horti alebant ante meũ in Auſtriã diſceſſum, floribus purpuræ dilutioris colore præditis.

Iris major latifol. XIX.

ILLI magnitudine par, anguſtioribus tamen folijs, quam à Boiſot accipiebam, caule gracili, pedem & ſemiſſem interdum etiam cubitum alto, in ramulos diviſo, quibus inſident flo-

 res om-

Iris latifol. major XVIII.



Iris latifol. major XXII.



res omnibus prædictis minores, tribus folijs ad terram inclinatis, dilutè purpureis, tribus verò erectis obſoleti purpurei coloris, qualis in vulgaris quodam genere conſpicitur: radix nõ magna, nodoſa. Ejus flos mihi primùm conſpectus anno M.D.XC. ceteris florentibus.

Iris major latifol. XX.

ALIA ex earum numero quæ anno XC. ab eodem Boiſot miſſæ, biennio poſt duntaxat florem tulit. A proximè autem deſcriptâ nec gracilitate caulis, qui in ramos etiam diviſus, nec anguſtiâ foliorum, nec radice differt, flores ſimiliter magnitudine pares habet, ſed diverſi coloris: nam terna ad terram inflexa, diluti, & quidem obſoleti purpurei ſunt coloris, multis ſaturatioris purpuræ venis à fimbria ad oras ſe ſpargẽtibus: fimbria flavis ſtaminibus conſtat: bifida folia illam tegentia obſoletè flaveſcũt: terna ſurrecta infernè auguſta flava etiam, ſed purpureis venis diſtincta, latiore autem parte palleſcentis coloris, quodammodo tamen ſuffuſi leviſſimâ, & quæ vix apparet, purpurâ: Sambucinũ odorẽ refert, ſed paulo graviorem.

Iris major latifol. XXI.

NON minus ampla habet folia hæc Iris, quàm ſuperior, inter quæ caulis aſſurgit pedalis, teres, geniculatus, viridis, ſuſtinens membranaceas thecas virides, per oras leviter purpuraſcentes, è quibus emergunt bini aut terni flores, jam deſcriptæ paullo minores, novem folijs conſtantes, quorum terna terram ſpectantia ab imo anguſtiora, candicantia interius, ſaturæ purpuræ venis elegãter diſtincta ſunt, latiore verò parte omnino purpureâ: villoſa fimbria infernâ parte flaveſcit, ſupernâ purpuraſcit: bifida foliola ſub quibus latet, floridi purpurei ſunt coloris, ut terna folia ſurrecta: flos tenuiter odoratus.

Hæc mihi nata eſt Francofurti ad Mœnum, ſemine ſponte deciduo, & florem dedit anno M. D. XCII. Maij initio.

Iris major latif. XXII.

BIFLORÆ Luſitanicæ folia vulgari breviora & anguſtiora, alioqui non valde diſſimilia: in ſummo pedali caule flos è purpuraſcentibus vaginulis prominet novem ut aliarum Iridum flores folijs conſtans, violacei omnino, ſive ſaturatioris purpurę coloris, qui in inflexis & propendentibus folijs intenſius nitet, villoſa illa fimbria quâ donata ſunt, prorſus candida. Vnicum autem ſingulares caules plerumque florem ferunt, interdum, ſed rarò, alterũ, rariſſimè tertium, ſingulari quemque vaginula incluſum, jucundiſſimi odoris, & œnanthem lilium convallium cognominatam æmulantis: conſpectus aliquando mihi ejus flos duodenis folijs conſtans, hoc eſt, quaternis ad terram inflexis, totidem minoribus ligulas tegentibus, & quaternis etiam erectis, ut interdum Natura in floribus luxuriat. Semen anguloſum, rugoſum in triangulari capite ſatis craſſo, ſed rarius, fert: radix illi ſubeſt, nodoſa, geniculata, ſolida, pollicaris craſſitudinis, gibba, intus cãdida, ingrati ſaporis initio, & paullo pòſt, fervidiſſimi guſtus, multis fibris ſummâ tellure hærẽs, & ſubinde in plures propagines è lateribus naſcẽtes diviſa.

Natales.

Naſcitur multis Luſitaniæ locis ſuprà Tagum vel pingui ſolo & in arvis, ut circa Conimbricam,

bricam, celeberrimam Luſitaniæ urbem, ubi illam florentem menſe Novembri eruebam, vel ſalebroſis & lapidoſis locis, ut circa Caxcays marinam urbem & portum, unde delatam Olyſipponem, ad amicos deinde in Belgicam miſi, & inter chartas repoſitam cum alijs plantis ipſe detuli: nam licet integro anno iſtic latuiſſet, terræ tamen commiſſa in horto Ill. V. Caroli Audomari, ſequente Vere floruit, poſtea etiam Autumno, cujus rei cauſa bifloram cognominavi.

Iris major latifol. XXXIII. NON multùm ab ea differre videtur, quam aliquando Venetijs accepit C. V. Io. Aicholtzius Iridis Illyricæ appellatione, in cujus cultiſſimo horto florentem Maio conſpiciebam. Quina enim aut ſena ex ſingulis radicis capitibus promit folia, illius folijs ſimilima: caulem, rarò ampliorem, qui in ſummo è vaginulis purpuraſcentibus florem promebat Luſitanicæ forma perſimilem, paullo tamē majorem & teneriorem, nec adeò ſuavis odoris, licet ad eum ſatis accederet: nullum ſemen obſervabam: radix nodoſa & geniculata ut ſuperioris, odoris, cùm virens eſt, ingrati, exſiccata verò ſatis grati: & inſipidi initio guſtus, poſtea tamen fervidi, faucesque urentis.

Iris major latif. XXXIIII. ILLI ferè par quæ Viennam ante aliquot annos mihi miſſa à Ioan. Boiſot, Romanæ majoris cæruleo flore nomine: etenim caulem, folia, radicem omnino ſimilem habuit, anno verò M.D.XXCV. florem etiam parem, exceptis tribus ſurrectis folijs quæ ad cæruleum colorem magis tendebant, fimbriaque inferiorum magis flaveſcente, & odore vulgaris Oxyacanthæ, qui in præcedente ad bifloram Luſitanicam magis accedit.

Iris major latifol. XXV. ALIAM in cultiſſimo Aicholtzij horto paullo maturiùs jam deſcriptis florētem, ſub Aprilis videlicet finem obſervabā, unde autem illam nactus, ipſemet ignorabat. Ea verò lata habebat folia, rugoſa, pedalis ferè longitudinis, circa radicem nonnihil purpuraſcentia: caulem non prodeuntem è medio foliorum, ut aliæ, ſed ſeorſim ſine folijs, pedalem, in quo tres aut quatuor flores è purpuraſcentibus vaginulis exeuntes, magni, purpurâ ſaturatiore nitentes, inodori, quorum tria folia ad terram inclinata, ab ipſo exortu, uſque ad fimbriæ, quæ tota candida eſt, extremum, albis radijs inſignita ſunt: his ſuccedunt triangulares ſiliquæ, magnæ, obtuſo mucrone, magnum ſemen continentes aliarum Iridum modo: radix craſſa, geniculata, intus candida, foris furvi coloris cortice tecta, ſatis odora, ad Phu ſive Valerianæ domeſticæ odorem accedens.

Peculiarem autem habet hæc, præter ceteras Irides, notam, ut nulla folia per hiemem retineat, ſed omnia flacceſcant & exſiccentur, nudaq; conſpiciantur; deinde ineunte vere nova germina proferat: Similem, ſi nō eandem, poſtea conſpiciebā Francofurti, in horto Mulleri.

Iris major latif. XXVI. DVBIVM non eſt quin ex ejus ſemine, quod cum aliarum Iridum ſeminibus, & multarum radicibus ante aliquot annos in Belgicam ad amicos Vienna mittebam, prognata ſit elegans illa Iris quam ex Anglia rediens anno M.D.XXCI. florentem conſpiciebam Auguſto in inſtructiſſimo horto nobilis V. Ioannis de Hoboke, archigrammatei tum Antuerpiani: nam per omnia illi reſpondebat, niſi quod folia circa radicem ſaturatius purpuraſcere mihi viſa ſunt: an porrò hieme folia amittat, me fugit.

Iris major latifol. XXVII. LATA pedalisq; ferè longitudinis folia habet elegās aliud Iridis genus, Iridis Aicholtzianæ modo deſcriptæ folijs prorſus ſimilia, radicem etiam & caulem, qui perinde atque in illa ad foliorum latus ex radice naſcitur pedalis, tenuis, in quo ſingulares aut gemini flores è vaginulis ex pallido vireſcentibus prodeunt, forma Aicholtzianæ ſimiles, ſed colore variantes, nam terna folia propendentia candicant, purpuræ exoletæ venis ab infima eorum ſede per latera excurrentibus uſque ad extimam fimbriam ſubcæruleis villis conſtantem: tria autem incumbentia & ligulam ſive ſtamina tegentia, alba ſunt, earum tamen gibbo ſubcæruleo: terna ſurrecta etiam candida, & ab infimâ ſede multis purpureis venis diſtincta, donec in latitudinem expandi incipiant: flori ſucceſſit triangulum caput binas pænè uncias longum, craſſiuſculumque, quod maturitate dehiſcens Iulio, ſemen oſtendit rugoſum, ſubfuſcum, ervi magnitudine: radix hieme folia non retinuit.

Tempus. Floruit Aicholtzio primùm Maij initio, Anno M.D.XXCIIII. unica quam habuit planta, eadem areola in qua viceſima quinta Aicholtziana repoſita erat, & quæ etiam oppoſitam areolam occupabat. Itaque non dubito quin ejus ſemine deciduo nata ſit, tametſi hujus flos odoris gratia commendabilis non fuerit, qui tamen in altera deprehēdebatur. Mirum enim in modum variant quæ ex ſemine naſcuntur Irides, non ſecus ac præcoces & dubiæ Tulipæ, atque Papavera, ut longâ experientiâ didici.

Iris major latifol. XXVIII. MVLTA folia hæc XXVIII. habet invicem amplectentia, ceterarum Iridum inſtar, unciam lata, inter quæ pedalis geniculatus, teres viridis exilit caulis, ſummo faſtigio ſuſtinens binas membranaceas vaginas ex viridi palleſcentes, è quibus emergit flos reliquis Iridum generibus forma ſimilis, colore autem diverſus, nam ex albo palleſcit ſive ὠχρόλευκος eſt, & terna repanda folia ab imo ad extimas oras flaveſcentibus venis ſunt diſtincta, fimbriâ albicante, ſed quatenus à bifidis folijs (quæ ſimili colore ſunt prædita, gibbo tamen dorſi nonnihil purpuraſcente) integitur, flaveſcente: ſurrecta folia ab imo gracilia, internâ parte multis in latera ſparſis venis obſoletè purpuraſcentibus ſunt diſtincta, ubi verò ſeſe in latum expanderunt, ὠχρολεύκου ſunt coloris. Nullum in hoc flore odorem deprehendi: ſed ejus ſtirpem Maio florentem obſervabam Francofurti in Myleri Pharmacopæi horto.

2. EI ſimilem nec ulla ferè in re differentem etiam alebat, ſoli flores diſcrimen faciebant, qui paullo candidiores videbantur.

NON dubium eſt multò plura inveniri majoris Iridis genera. Sed quę mihi, aut amicis fide dignis, cōſpecta, Lectorib⁹ proponere volui, qui boni cōſulent, ut ſpero, hos noſtros conatus.

Iris latifol. major. vulgaris. obſoleta. HIC porrò adjiciendum etiam cenſui, vulgarem illam & omnium tritiſſimam Iridem, in omnibus quas adij Provincijs obſervaſſe, vel hortis, vel muris, aut etiam interdum tectis inaſcentem: alteram obſoletioris trium ſurrectorum foliorum coloris odoris florum Sambuci, quæque in Belgicis hortis rarior eſſe ſolebat, vulgatiſſimam in Auſtriæ & Vngariæ hortis *Alba.* conſpexiſſe. Albam autem iſtic rariorem & meâ tantum operâ illis cognitam, acceptis è Belgio ejus radicibus.

Nomina. ALIARVM Prior Conſtantinopoli miſſa eſt *Alaja Suſani* & *Alaga Suſam* nomine, cum hac additione, *fiori belli pintati, ch'anno buono odore*, h.e. elegāter picti flores boni odoris: atque, *fa fior bianco & negro*, id eſt, florem fert ex albo & nigro varium: elegātem ſanè florem comperimus, ſed nullum gratum odorem deprehendimus. Ego, quia ex Suſa, Suſianæ Provinciæ Metropoli, primùm in hortos Conſtantinopoli vicinos ultra Boſphorum ſitos illatam puto (nam id nomen indicare videtur) Suſianam nuncupo. Secundum autem, Aſiaticam cæruleam: hæc cum Quinta à Mag^co D. Davide Vngnad Conſtantinopoli mihi miſſa *Alaja Suſani* appellatione, cùm Priorem mitti voluiſſem. Tertia, Dalmaticæ majoris nomē retineat: Quarta, Damaſcenæ: Quinta, Aſiaticæ purpureæ. Reliquis, pro cujuſque arbitrio nomina indi poterunt: ego, brevitati conſulere volens, numeros adjeci. Nam quis in tanta varietate, & colorum ſimilitudine, ſingulis peculiare nomen dare queat?

Ceterùm Iridis flores lupos nominari, quod lupi rictui labrisque ſimiles ſint, Philinum ſcribere, teſtis eſt Athenæus Deipnoſoph. libro xv. Græcis autem ἶρις dicitur: Latinis, Iris: Gallis, *Flambe*: Germanis, Gilgen oder Schwertel; Belgis, Liſch: Italis, *Giglio*: Hiſpanis, *Lirio*. Vulgarem Hiſpani *Lireo cardano*, Itali *Giglio celeſte*, Germani blaw Gilgen/ und Himmel Schwertel appellant.

CHAMÆIRIS LATIFOLIA. CAP. XLVII.



Chamæirid. latifolia genus 1.

Chamæirid. latifol. genus alterum.

ALIVD Iridis genus humilius in Luſitaniâ ſaxoſis & marinâ aurâ afflatis locis ſupra Olyſſipponem obſervabā, cujus folia ejuſdem ferè cum Luſitanicâ biflora erant latitudinis, ſed breviora: radix illi ſimilis, geniculata & obliqua. Flos mihi non conſpectus, menſis enim erat November, ſed ſiliquas ſive capita acuminata inania in humili & vix ſuprà terram aſſurgente cauliculo reperiebam, triangularia, magna, pro plantæ proportione.

SIMILIS verò plantæ ſemen ad Ill. V. Ioan. de Brancion miſſum eſt à doctiſſimo Lobelio è Mompelio: ex quo natæ plantæ ſuperiori ferè ſimiles, quæ florem dederunt vel cæruleum dilutiorem & quaſi cæleſtem, ternis labris deorſum inflexis paullo ſaturatioribus, aut candicantem omnino, aut pallentem, cumque modò dilutioris coloris & quaſi exalbidi, modò ſaturatioris & ad flavum proximi, aut purpureum ſive violaceum, & illum etiam differētem: nam unius color planè nigræ violæ, alterius prona in terram terna folia, ab ipsâ baſi & exortu, ipſaq; fimbriâ flavâ, albas & ſatis latas venas ductas habebant, & variegatum limacis dorſum ferè referebant: ſemen in triangulis magnis capitibus, orobi magnitudine, pallidum, rugoſum, ovalis formæ. Omnium verò flos inodorus Aprili plerumque aperitur cum ſequentibus.

NVNC deſcribendæ reſtant Chamæirides latifoliæ prorſus ἄκαυλοι ſive excaules, quarū videlicet flores nullo caule ſuſtinentur, ſed ſucculentis & infirmis duntaxat pediculis innitūtur, ut Croci, Colchici, & ſimilium. Iſtarum etiam duæ differentiæ: Vna enim majoribus latioribuſque eſt folijs, Iridis majoris folijs latitudine vix cedentibus: Altera paullo minoribus & anguſtioribus, tametſi Anguſtifoliæ Iridis, quam deinde deſcribemus, folijs latiora ſint.

Chamæiris latifol. major.



Chamæiris latifol. minor I.



HARVM igitur major brevibus eſt folijs, interdum tamen etiam pedalibus, Iridis vulgaris modo latis, & ſecundùm radicem magna ex parte purpuraſcentibus: inter quæ multi flores è vaginulis prodeunt ſingulari pediculo dodrantalique fulti, vulgari paullo minores, Luſitanicæ biſloræ æmuli, tum magnitudine, tum colore, qui ſaturatioris nigræ violæ eſt, præſertim tria folia terram ſpectantia, quæ villoſam fimbriam, uſque ad bifida illa, quæ ligulas tegunt, folia, ex cæruleo purpuraſcentem habent, ſub ligulis verò, ſive ſtaminibus, luteam: omnia autem florum folia, tam quæ ſurſum attolluntur, quàm quę repanda terram ſpectant, inferiore & ſeſſili parte, albis quibuſdam radijs variata ſunt. Sunt autem ejus flores vel aliquantulum odorati, vel inodori: triangula capita magna, mucronata, in quibus ſemen orobi magnitudine palleſcens, quod exſiccatum rugas contrahit & fulveſcit: radix nodoſa eſt, ut reliquarum Iridum, & adnatis ſe propagat. *Chamæiris latif. major.*

ILLIVS ſemine nata eſt Boiſoto Bruxellæ Chamæiridis latifoliæ majoris genus, matri per omnia ſimile, præter florem, qui non purpureus, ſed cæruleus elegans fuit. *Varietas.*

LATIFOLIÆ minori, breviora anguſtioraque paullulum ſunt folia, qualia Chamæiridis latifoliæ Hiſpanicæ aut Gallicæ, de quibus initio hujus capitis: flores paullo minores, capita triangula & mucronata etiam minora, ſemen minus. In floribus ſumma varietas: licet ferè omnes fimbriæ villos, ſupra ſtamina, cæruleos habeant, infra verò, ut in modò dictâ, luteos. Ex his verò paucas duntaxat adnotavimus: nam omnes, valde difficile. *Chamæiris latif. minor.*

Vna ſaturatioris purpuræ colore nitentem habet florem, interdum etiam dilutiorem, illumque odoratum, hunc minimè: ternis folijs quæ attolluntur & inflexa quodammodo ſupernè ſe mutuo contingunt, in utraque, modò orbiculatis, modò longioribus & bifidis. *Chamæir. latifol. minor I.*

Altera odorato eſt flore, cujus inferiora labra nonnihil purpuraſcunt, ſurrecta verò cærulei ſunt coloris. *Chamæir. latif. minor II.*

Tertiæ flos quodammodo rubet, interdum dilutiore & ſuavi quadam rubedine velutique carneo colore præditus eſt, præſertim folijs ſurſum erectis: villoſæ fimbriæ ſuperior pars albicat, inferior lutea eſt. eſt autem odoratus, aut inodorus. Horum omnium ſtamina cærulea. *Chamæir. latif. min. III.*

In Quarta floris color palleſcens, nonnumquam exalbidus: folia ſurſum ſpectantia ab ipſo ſtatim exortu in utroque genere purpuraſcentibus quibuſdam lineis decorâtur, deorſum verò inflexa, in palleſcente exalbida ſunt, in albicâte autem viridi colore perfuſa: palleſcens item Oxyacanthæ vulg. floris odorem prorſus æmulatur: alterius etiam odorus. *Chamæiris latifol. minor IIII.*

Quinta ſolo floris colore à Quarta differt: is enim flaveſcit, & ſuperiora folia purpuraſcentibus virgulis ſive radijs exornantur, propendentia labra vel nigricante, vel dilutâ purpurâ in medio infecta ſunt: odoratus hujus etiam eſt flos. Stamina porrò hujus & quartæ alba ſunt. *Chamæiris latifol. minor V.*

Omnium

Chamæiris latifol. minor. IIII.



Omnium verò foliola ſtamina & fimbriæ magnam partem tegentia, bifida ſunt, binaſque pinnas ſurrectas, ut ea quæ in Iridibus bulboſis, habent. Purpureæ præterea, albæ, & verſicoloris folia ſecundùm radicem plerumque purpuraſcunt.

Natales. Naſcuntur omnes in nudis & apertis collibus Pannoniæ & Auſtriæ: purpurea quidem major, rubraque dilutior, in Prellenberg Hamburgenſi monti vicino: purpurea minor cùm iſtîc, tũ collibus Medeling, Gumpoſtkirchen, & Baden imminentibus, in quibus etiam rubra & cærulea inveniuntur: alba in Hamburgenſi monte: verſicolorem certè nõ niſi in colle ſeu monte Badenſibus thermis imminenti, qua parte λιβόνοτον ſpectat obſervabam. Ceterùm tam inſignem varietatem ex ſemine deciduo ſponte gigni non eſt dubium. Nam verſicoloris ſemina à me in hortulo terræ commiſſa (illius enim ob floris elegantiam periculum facere volui) & pallidas, & albas & verſicolores matri ſimiles protulerunt, & alias præterea ad eam quidem accedentes, ſed levibus quibuſdam notis inter ſe diſcretas, quales verbis exprimere difficillimum, vereque de ijs illud Poëtæ dici poſſe exiſtimem:

facies non omnibus una,
Non diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Chamæiris latifolia minor VI. ALIA porrò hîc ſubijcienda eſt, non à me obſervata, ſed à Stephano von Hauſen (cujus ſupra memini, cuíque acceptam fero Croci flavi Mæſiaci primam cognitionem) infra Budam in Pannoniâ Mæſiæ finitimâ Decembri anni M.D.XXCIII. eruta, dum Conſtantinopoli Viennam rediret, & Ianuario ſequente mihi ab ipſo donata. Eam propter teneritatem fictili credidi, & adeò diligenter fovi, ut Maij ſequentis initio florem dederit.

A latifolijs autem minoribus jam deſcriptis nec radice differt, nec folijs, quæ circa radicem non purpuraſcunt: nec ejus flos illarum floribus diſſimilis eſt, plurimùm enim ad Quintum genus accedit: labra tamen propendentia obſoletum colorem pallido permixtum habent, & ab eorum imâ parte uſque ad extremam fimbriam quæ pallida eſt, purpureæ excurrunt venæ: pinnata terna folia quæ alba ſtamina tegunt, ex pallido albeſcunt: ſurſùm verò erecta pallida ſunt, circa imum tamen obſoletè purpuraſcentibus radijs aſperſa. Illo quidem anno ἄκαυλος fuit. Sequente tamen brevem admodum caulem, vix ternos digitos ſupra terram eminentem habuit, cui inſederunt bini flores.

EAM cum reliquis ferè Iridum generibus, & ſelectiſſimis quibuſque alijs ſtirpibus mihi penitus corrupit anni M.D.XXCVI aſperrima hiems.

CETERVM apud Belgas multò plura Chamæiridis latifoliæ genera ali intelligo, ſemine nata, præſertim Bruxellis. Inter ceteros autem doctiſſimus vir Ioannes Meitens, illius urbis medicus, diligẽti culturâ ſummam in iſtâ ſtirpe varietatem adquiſiviſſe perhibetur. Aliquot earum genera communicabat mihi M.D. XC. anno N.V. Ioannes Boiſot: ſed cum quædam perierint, an cum ſuperiùs deſcriptis illarum aliquæ conveniant, nihil affirmare poſſum: duarum tamen quas conſervavi, & biennio poſt florem dederunt, quarundam etiam aliarum, quæ in meo horto ſponte natæ, eodem anno floruerunt, hiſtoriam adijciam.

Chamæiris latifolia minor VII. PRIOR illarum, quas Boiſot ad me mittebat, elegantiſſima eſt: radice quidem neque folijs à reliquis differens, neque etiam floris formâ: ſed color diverſus, & adeò variè pictus, ut difficile ſit, eum exactè verbis exprimere: nam tria folia deorſum inflexa, varijs radijs ex pallido purpuraſcentibus ab imo ſurſum & in latera ſparſis ſunt diſtincta, per oras etiam tenui quodam cæruleo colore aſperſa: fimbria medium folium ad inflexionem uſque occupans multis villis conſtat, quâ bifido folio integuntur, flavis, reliquâ parte dilutè cæruleis: folia gibba illam & ligulam tegentia, coloris ſunt ex cæruleo candicantis, qui in coſtâ & oris paullo ſaturatior eſt: terna ſeſe attollentia folia ex cæruleo flaveſcunt, ab imo anguſta, & multis purpureis venis in latera excurrentibus prædita, quâ verò in latum expanduntur, purpuraſcentibus maculis aſperſa ſunt. Flori ſuccedebat longiuſculum triangulare caput, quod pluviæ corruperunt. Florem cũ alijs Chamæiridibus Aprili dedit nulla odoris gratia cõmendabilem.

ALIQVAM affinitatem habere cum illa videtur, quæ deciduo ſemine mihi ſponte nata, Francoforti florem cum alijs dedit Aprili M.D.XCII. Novem autem ut reliquæ folia habet, quorum tria deorſum inflexa & terram ſpectantia, longa, & præter reliquarum Iridum morem

Chamæiris latifol. minor VII.



rem adeò incurva ſunt, ut extremo mucrone floris pediculum averſa parte amplectantur: colorem verò habet infimâ parte flaveſcentem, deinde dilutè purpuraſcẽtem, ſaturatioribus tamen venis diſtinctum ab infimâ baſi & villoſâ fimbriâ candicante, flaveſcentibus apicibus donatâ, quam integit bifidum foliolum exalbidi & palleſcẽtis ex dilutè cæruleo coloris, quali etiam ſurrecta tria ſunt folia: odor ferè florũ Sambuci aut Thalietri.

Chamairis latifol. minor IX.

ALTERA, quam à Iacobo Plateau accepiſſe ſcribebat Boiſotus, radice, folijs, floris formâ, ceteris Chamæiridibus erat ſimilis. Ejus tria folia terram ſpectantia ὠχρολεύκου erant coloris, ab imo ad extremã uſque fimbriam purpuraſcentibus radijs aſperſi: ſub fimbriâ verò, quâ folium ſeſe magis pandit, purpureâ maculâ erant notata radiatim in latera ſe ſpargente, orę autem erant exalbidę: fimbria ab imo ad folij inflexionem flavis villis conſtabat, ubi verò purpureám maculam attingebat, albis: bifida folia eam tegentia alba erant, quemadmodum & terna folia ſeſe attollẽtia, ſed nervus medius in utriſque ὠχρόλευκος, infima pars ſurrectorum foliorum obſoletæ purpuræ radijs diſtincta, ſuprema verò, internè paucis notis leviter purpuraſcentibus infecta: expers autẽ licet odoris, coloris tamen gratiâ non carebat.

Illi non diſſimilis mihi ſponte nata Francofurti, quæ eodem anno flores dedit.

Chamairis latifol. minor X.

ALIA præterea mihi iſtic nata non inelegans, quæ ſemipedalem cauliculum proferebat, teretem, geniculatum, ſummo faſtigio geſtantem membranaceum folliculum purpuraſcentes oras habentem, è quo emergebant bini flores non magni, novem etiam folijs conſtantes, quorum tria repanda baſi erant anguſtâ, foris purpuraſcẽte, internè autem candicante, & ſaturæ purpuræ venis diſtinctâ uſque ad folij inflexionem, labra verò propẽdentia adeò ſaturi violacei coloris, ut quodammodo nigreſcere viderentur: fimbria villoſa flaveſcebat infimâ parte, reliquâ purpurea erat: terna eam integentia purpurei erant coloris, veluti & terna ſurrecta folia: nullâ autem odoris ſuavitate commendabilis.

Chamairis latifol. minor XI.

NATA & alia non inelegans, quæ à tuberoſâ radice dodrantem aut pedem longa producebat folia, inſtar eorum quibus aliæ Chamæirides ſunt præditæ, lata videlicet & mucronata: inter quæ aſſurgebat cauliculus duas aut tres uncias longus, ſuſtinens ſummo faſtigio veluti folliculum binis membranaceis folijs conſtantem, è quo prodibat flos novem folijs præditus, ejuſdem formæ cum aliarum Chamæiridum flore, quorum terna verſus terram inflexa, latiora candicantiſque coloris erant, ab infimâ ſede (quæ anguſtior) multis venis ex flavo purpuraſcentibus in latera expanſis diſtincta, uſque ad extimam fimbriam ſive ſupercilium, iiſque deinde à ſupercilio ad extremas oras, quæ albeſcebant, craſſioribus, & coloris purpurei nitidioris: terna verò ſurrecta, quæ inter illa naſcebantur, infimâ parte valde erant anguſta, veniſque quibuſdam furvi & luridi coloris diſtincta, poſtea in latum ſe pandebant, tenerrimáque erant, & exalbidi coloris: terna reliqua, quæ breviora & in fornicem convexa, biſulcáque, erant, aliquantulum reflexis ſurſum alis, ligulam palleſcentem tegebant, & fimbrię ſive ſupercilio trium propendentium & terram ſpectantium foliorum imminebant, coloriſque erant albi, cui ſubcæruleus color nonnihil admixtus, præſertim in ipſo gibbo: odor nullus aut valde exiguus.

IRIS TRIPOLITANA. CAP. XLVIII.

PROXIMIS his annis Tripoli adferebatur Iridis genus, mihi ante non conſpectũ, quod anno demum M. D. XCIX. florem protulit ornatiſſimo & perhumano viro Theodoro Coornhart, Amſtelredamenſi civi, qui ejus caulem cum flore & ſiliqua ad me mittebat Iunio menſe, ut commodius deſcribere poſſem: ipſam etenim plantam biennio ante mihi communicaverat, quæ quidem etiamnum viget, ſed florem nondum tulit. Illius autem hi-

ſtoriam

ſtoriam, quia poſt traditum Typographo meum exemplar, plantam nanciſcebar, in Appendicem rejeceram: ſed quãdoquidem propter amiſſa mei exemplaris aliquot capita, Secundi Plantarum hiſtoriæ libri procuſionem, typographicæ operæ abſolvere non potuerunt: huc revocare libuit, & peculiare caput illi tribuere inter Irides latifolias & anguſtifolias.

Iris Tripolitana. EST verò hæc Iris è celſiorum aut altius aſſurgentium genere, folia habens reliquis quas conſpexerim multò longiora, bicubitalia videlicet, mediæ inter latifoliam & anguſtifoliam latitudinis, unciam videlicet lata, reliquarum Iridum folijs magis viridia, non tamẽ ſplendentia, ut Xyridis: caulem habebat inter folia prodeuntem, quinque pedes longum, vel etiam longiorem, rotundum, firmum, licet non valde craſſum, nodoſum, & aliquot brevioribus folijs præditum, in cujus ſummo bini & terni flores è vaginis prodeuntes, novem folijs, in ambitu quodammodo ſinuoſis, conſtantes, Iridis bulboſæ flavo flore floribus formâ non diſſimiles, aurei coloris, quorum tria majora verſus terram valde reflexa, & ijs incumbentia tria alia minora alata ligulam flavam tegentia, tria reliqua è lateribus majorum prodeuntia, aſſurgebant inſtar illorum quæ in Iridibus bulboſis conſpiciuntur, bifidumque mucronem habebant: floribus ſucceſſerunt trigona capita, in ſingulis lateribus geminâ coſtâ ſive nervo ſecundum longitudinem eminente, non diſſimilia capitibus Iridis anguſtifoliæ majoris, ſimilibus etiam ſeminibus plena: radix digitalis craſſitudinis, nigricans & nodoſa inſtar radicis anguſtifoliarum.

IRIS ANGVSTIFOLIA. CAP. XLIX.

RESTANT nobis eæ Irides perſequẽdæ quæ anguſtiore ſunt folio, quarum tametſi tria genera in Pannonia & Auſtria obſervaverim: vnicum tamen eſt, mihi aliâs in reliquis, quas adij, Provincijs non conſpectum.

Iris anguſtifolia I.



Iris anguſtifol. major ſive I. PRIMA autem, quæ & Major, multa profert folia longa, rigida, anguſtiora & nigriora quàm Tripolitana, quæ compreſſa vel confracta, ingratum tetrúmque odorem ſpirant, propemodum ut Spatulæ fœtidæ vulgo appellatę folia, minus tamen graveolentem: inter quæ caules teretes, oblongi & cubitales, interdum etiam longiores exurgunt, quaternos aut quinos flores ex vaginulis lateralibus promentes, Iridis bulboſæ verſicoloris floribus formâ non admodum diſſimiles, colore cæruleo ſaturatiore præditos, quibus ſuccedunt oblonga capita trigona, ſubrufa, multo firmiora, magíſq; cartilaginoſa, quàm latifoliarũ iridum, ijs paria quæ in Tripolitana, angulis etiam eminentibus, & quodammodo geminis, quæ dehiſcentes, ſemen duplici ſerie digeſtum, aliquantulum compreſſum & anguloſum, oſſeæque duritiei, ſubrufeſcente membranâ tectum oſtendunt: radices obliquæ, longæ, nodoſæ, graciliores quàm in latifolia, Tripolitanæ radicibus æquales, foris nigricantes, intus candicãtes aut palleſcentes, ſapore acri & fervido, multas longáſque fibras ſpargentes.

Natales. Eam primùm conſpiciebam in Belgicis hortis cultam, deinde anno M. D. LXIII. plurimam ſponte naſcẽtem in ampliſſimo quodam prato, flumini Rheno vicino, viâ quæ Moguntiâ Openheimum ducit, obſervabam: aliquod deinde poſt annos, herboſis quibuſdam locis juxta vias, & ad quorundam pratorum margines non procul à Manderſtorf, quinto à Vienna Auſtriæ milliari, atque etiam apud Walterſtorff: poſtremum anno M. D. LXXIX. in pratis quibuſdam Hungriæ apud Lindwa Illuſtris viri D. Bamfy arcem.

ISTIVS genus invenitur, jam deſcripto per omnia ſimile, præterquam quod in ejus folijs confractis nullus gravis odor percipitur.

Floret utrumque genus Maio, interdum duntaxat Iunio, ſi aſperior hiems præceſſerit: ſemen maturum eſt Auguſto.

Iris anguſtifol. II. ALTERA, quæ perelegans eſt, nullibi mihi fuit conſpecta, ante quàm in Auſtriam proficiſcerer:

ciſcerer:

Iris anguſtifolia II.



Iris anguſtifoliæ II. ſpecies altera.



ciſcerer: habétq; cubitalia, interdum etiam longiora, folia, admodum anguſta, minimi digiti ſive ſemunciæ latitudinem non excedentia, viridia, non tamen ſplendētia, ſummâ parte mucronata, infimâ verò, quâ ſub terra latent, purpuraſcentia, nullo ingrato odore, ut pleraque aliarum anguſtifoliarum, prædita: caules habet ſeſquicubitales, nonnumquam bicubitales aut ampliores, rectos, teretes, firmos licet intus cavos, geniculatos, virides, ſummo faſtigio in binos aut ternos ramulos diviſos, quibus inſident bini aut terni flores, Iridis bulboſæ verſicoloris latifoliæ floribus formâ ſimiles, odoratos, quorum terna folia deorſum inflexa, infimâ parte, & quatenus bifido alatoq; folio ligulam occulēte teguntur, furvo colore ſunt, reliquâ verò parte (quæ in nonnullis brevior & latior eſt, in alijs oblongior & anguſtior) nunc candicante, modò purpureo, ſeu violaceo colore, venis ſaturatiore purpurâ nitentibus per folij longitudinem & latitudinem excurrentibus, & fimbriâ ſive ſupercilio carentes: tria ſurſum erecta anguſtiora ſunt, & cum bifidis illis exalbidas ligulas tegentibus, purpurei ſaturi ſive violacei ſunt coloris; breves deinde ſuccedunt ſiliquæ ſive capita triangula, breviora quàm in præcedente, neque adeò mucronata, neque geminâ coſtâ eminente prædita, quæ per maturitatem nigricantem colorem contrahunt, & dehiſcunt, ſemen inæquale, anguloſum, nonnihil compreſſum & durum continentia : radix nigra, tenuis, dura, nodoſa, inſtar ſuperioris, fibris duris & tenuibus prædita.

Primùm illam ſponte provenientem, nō procul Viennâ Auſtrię in pratis ſupra Himbergam, Eberſtorf ad paludes, atque alijs Auſtrię pratenſibus locis reperiebam. Mittebat poſtea ad me illam ſiccam, in Sudetum montibus erutam, doctiſſimus vir Ludovicus Camerarius, Ioachimi ſenioris F. ex S. Annæ monte. Anno verò Septuageſimo nono ſupra milleſimum & quingenteſimum, frequentiſſimam circa Sackturniam Ill. Comitis de Zrinio arcem, alijſque pratis uliginoſis inter Muram & Dravum Hungariæ cisdanubianæ flumina, quemadmodum etiam in Comitatu Saladienſi inter Lindwa & Muram fluvium obſervabam. Floret & ſemen profert eodem, quo ſuperior, tempore. *Natales.*

HÆC commodè Pannonica anguſtifolia verſicolor dici poterit, non autem Byzantina, ut quidam appellant: peramœno quidem eſt flore, attamen Conſtantinopoli non advecta, ſed uliginoſis, ut dixi, pratis Viennenſi urbi vicinis, erutam, tum ipſius capita ſeminibus plena Nobilibus viris Ioanni de Brancion, & Ioanni vander Dilft, atque alijs amicis primus in Belgium mittebam Viennâ Auſtriæ: quia verò ex ea urbe raras quaſdam plantas Conſtantinopoli meâ pecuniâ redemptas ijſdem amicis ſubinde communicabam, contigit ut nonnulli illam etiam Byzantio allatam putarint, propterea Iridem ſilveſtrem Byzantinam *Nomina.*

appellarint, additâ voce peramœnam, propter florum elegantiam: apud nobiles verò matronas, Iridis Cluſij (quia à me miſſa) cognomen adquiſiverit, & præ cæteris, quæ à me habuerunt, Iridis generibus, grata fuerit, quemadmodum etiam nunc eſt. *Iris Cluſij.*

Iris anguſtifol. III. TERTIA, ex radice nodoſa multa producit folia, firma, longiora quàm præcedẽs, & Prioris folijs magis anguſta, ſaturáque viriditate prædita, nonnihil etiam fœtida: inter quę cubitalis aſſurgit caulis, firmus, aliquot flores proferens Secundæ floribus longiores, & Primæ floribus pæne ſimiles, ſed longè ſaturatiore purpurâ & quaſi nigrâ præditos: quibus ſuccedunt capita primæ capitibus ſimilia, ſemine etiam ſimili plena: radix, ut dictum eſt, nodoſa, dura, foris nigra, minimi digiti craſſitudine, internâ parte ex albo flaveſcens, antrorſum & in latera progrediens, aliarum anguſtifoliarum Iridum inſtar, & tandem veluti in orbem ſeſe ſpargens (quod omnibus Iridibus eſt commune) multis fibris donata gracilibus, duris, ſiccis, lentis tamen, & fractu contumacibus, quarum anteriores & novellæ craſſiores, molliores, & candidæ.

Iris anguſtifol. IIII. QVARTA, nec foliorum nec florum formâ, nec capitibus, ſemineve aut caule & radice differt à Tertiâ: humilior eſt duntaxat, ejus etiam flores paulò minores, & anguſtiores, meâ quidem opinione, atque etiam dilutiores, Primæ tamen floribus ſaturatiores.

Natales. Naſcitur utrumque hoc genus quibuſdam Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis maritimis, veluti non procul Valentiâ, & monte Setio: unde in Belgium delatæ, ſuâ varietate hortos iſtic exornarunt, non minùs quàm Auſtriacos, meâ operâ iſtuc è Belgio accerſitæ: nam utroque illo genere carebant Auſtriaci.

Nomina. ILLIS porrò Iridum marinarum majoris & minoris nomina ſunt impoſita, quoniam non niſi locis maritimis ſponte proveniunt.

Iris anguſtifol. V. QVINTA, nec foliorum formâ, nec radicibus multum differt à majore marina: niſi quod folia habere non videatur tam atrâ viriditate prædita; flores etiã plurimum differunt: nam tria folia ſurrecta purpurei ſunt & violacei coloris, tria verò reflexa, & terrã ſpectantia paullò latiora ſunt, & multis lacteis purpureiſque venis alternatim permixtis ab ipſo folij ungue exorientibus, atque ſecundùm longitudinem & in latera ſe ſpargentibus, gratiſſimam varietatem efficiunt. Floret cum marinâ, ſeriùs primâ, Iunio videlicet menſe, ſemen maturitatem adquirit Septembris initio.

Iſtam ſponte naſcentem non vidi, ſed in Belgicis duntaxat hortis cultam obſervabam.

Iris anguſtifolia VI.



Iris anguſtifol VI. SEXTA, omnium, quas conſpexerim, minima, multa promit è radice folia, ſuperioribus adhuc anguſtiora, nec adeò dura, ſed mollia dilutiuſque virentia. Cujus etiam duas differentias deprehendebam; nam *1.* Vna pedalem interdum adquirit caulem, teretem, binóſque aut ternos in eo plerumque geſtat flores, quartæ pæne formâ ſimiles, ſed dilutioris coloris, deinde capita oblongiuſcula & turgida, valde eminentibus coſtis prędita: *2.* Alterius caulis vix dodrantalẽ ſuperat altitudinem, & unicum, magnâ ex parte florem profert, alterius flori ſimilẽ, armeniaci mali, aut pruni maturi odorem quodammodo referentẽ. Vtriuſque radix tenuior & gracilior eſt ſuperiorum radice, non minus tamen nodoſa, nigro ſimiliter cortice tecta, & antrorſum atque in lateribus ſerpens, ut brevi tempore magnum ceſpitem occupet, & cum difficultate erui queat.

Natales. Provenit utraque paſſim in pratis Viennæ Auſtriæ vicinis ad radices mõtium ſitis, ut apud Medeling, Gumpoſtkirche, Badenſium thermarum, pręſertim quæ in altiorem caulem aſſurgit, pluresque flores profert: nec differre puto (minorem ſaltem) ab ea quam C.V. Dodonæus Chamæiridem ſimpliciter, Lobelius autem, Iridem perpuſillam ſilveſtrem anguſtifoliam appellant, Belgicis hortis jamdudum familiarem. *Nomina.*


ACORVM. CAP. L.

ANNO ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum, mihi primùm conſpecta eſt Viennæ Auſtriæ legitimi Acori planta virens, quam deinde in hortulo alui, munere Illuſtrium virorum Augerij de Bouſbeque Sereniſſimæ Elizabethæ Auſtriadis Franciæ Reginæ, aulæ (dum vivebat) ſummi Præfecti, Davidis Vngnad liberi Baronis in Sonneck, nunc bellici Conſilij apud Cæſarem Rudolphum II. Præſidis, atque Magnifici viri


viri Caroli Rym Gandavenſis, qui omnes Legatorum officio apud Turcarum Imperatorem, Cæſaris nomine defuncti fuerant. Hanc porrò, quum frigoris patientiſſima, hiemis intemperiem non reformidet, ſed perbellè eam ferat, atque adnatis mirũ in modum ſe propaget, quamplurimis communicabam, adeò ut nunc apud omnes rei herbariæ cultores vulgatiſſima facta ſit.

Ejus hiſtoriam in Appendice ad Hiſpanicarum Plantarũ obſervationes, olim dabamus, additâ quidem icone, ſed cui (quum nondum tum temporis flores protuliſſet) nucamentum non fuit additum, neque in ejus hiſtoria floris mentio facta. At quũ anno M.D.LXXVII. & aliquot ſequentibus florentem viderim, operæprecium me facturum exiſtimavi, ſi illius hiſtoriam, qualem in Pannonicarum plantarum obſervationibus evulgabam, cum florentis icone, quàm accuratè fieri potuit, ad vivum expreſsá, hoc capite denuo reponerem.

Acorum legitimum.



Acorum cum ſuo ïulo.



ACORO igitur ſunt folia Iridis tenuifoliæ majoris ferè, ſed multò longiora, & gratiſſimâ viriditate prædita, medio nervo ſeu coſtâ aliquantulum utrimque prominente, ut in Xyphij folijs, quorum formam ſatis æmulantur, & illorum aut paluſtris illius plantæ flavos flores, Iridis florum æmulos, proferentis, quam nonnulli Iridem paluſtrem, peritiores verius Butomon appellant, inſtar, alia ex alijs prodeunt, medium autem folium plerumque reliquis longiùs eſt: illa autem licet ſubamari ſint ſaporis, non tamen ingrati, tritáque jucundo & aromatico ſpirant odore, quem etiam reſiccata & exſucca, vel poſt multos annos retinent: ſub hiemis initium marceſcunt & ſiccãtur, ineunte autem vere nova germinant, ut in Iride anguſtifolia: porrò caulem inter folia non producit ut Irides, ſed ex latere exit folium verius quàm caulis, ejuſdem cum reliquis folijs longitudinis, videlicet bicubitalis interdum, quod à medio ad ſummum uſque planum eſt, & reliquis ſimile, infimâ verò parte craſſius, anguſtiuſq;, & veluti in triangularẽ caulem formatũ. Vbi jam extenuari & complanari incipit, unicum nucamentum (aliquando, ſed rariſſimè, geminum) à latere promit, coryli ïulo haud majus initio, ſed prominẽs & ſurrectum, lineíſque obliquis & tranſverſim ſeſe ſecãtibus diſtinctum, floſculis, dum ſe explicat, pallidis, muſcoſis, inodoris, quatuor foliolis conſtantibus plenum, quod paulatim deinde incrementum ſumit, donec humani ferè digiti longitudinem craſſitudinémq; adquirat, frequẽtibus tuberculis viridibus tam eleganti ſerie diſpoſitis exornatum, ut recentem pinaſtri conum æmulari videatur. Radix illi longa, externâ parte candicans, quum ſub terra latet, ſupra terram extans, vireſcens, internâ parte candidiſſima, frequẽtibus geniculis inæqualibus diſtincta, firma, odorata, ſubamari & acris ſaporis, innumeris infernâ parte adnatis fibris craſſis & albicantibus, etiam odoratis, donata: ſerpit autem & ſummâ tellure ſeſe diffundit, è lateribus, & ſingulis ferè arti-

Acori hiſtoria.

 culis

culis ſeu geniculis propagines alternatim in obliquum ſpargẽs, ut brevi tempore magnum locum occupet.

Natales. Ingenti quodam lacu ad radices præcelſi montis juxta Pruſam Bithyniæ urbem ſponte naſci intelligebam: & ſanè humidis locis gaudere, & ſecundùm fluenta longè feliciùs provenire, quàm ſiccis, experiebar. Sed & C. V. Bernardus Paludanus Medicus Enchuſanus, & ſingularis meus amicus, quum anno M.D.LXXVII. ex Polonia Italiam petens, Viennæ Auſtriæ me conveniret, copioſè admodũ ſupra Vilnam urbem in paludibus, extremâ Lithuania Moskoviam ſpectante inveniri referebat, & ab incolis *Tartarsky* appellari aſſerebat, (Tartarsky.) quod à Tartaris illius uſus primùm ipſis eſſet demõſtratus. Circumferre enim illos plerumque hanc radicẽ, & aquam non bibere, quin priùs Acori radix in ea fuerit macerata. Simile quidpiã de hujus plantæ nomine etiam tradit Matthias à Michow Sarmatię lib. II. cap. XII.

Recentes verò radices ſuo cortice delibratas & diligenter repurgatas cõdire ſolent Conſtantinopoli, atque in uſum adſervare: manè enim jejuni plerumque manducare ſolent, adverſus corrupti aëris contagia, ut mihi referebat N. V. Philibertus de Bruxella, qui Cõſtantinopoli rediens, vaſculo ijs conditis pleno me donabat. Condiunt etiam nunc in Germania Nobiles aliquot matronæ in domeſticum uſum, & plerique pharmacopœi, quorũ nonnullos (adeò nunc vulgaris iſtic eſt planta) ſingulis annis ad centenas libras condire intelligo, & non contemnendum ex eâ quæſtum facere.


QUUM autem Acori vires ac facultates, Dioſcorides, Galenus & alij ſatis prolixè deſcripſerint, Lectorẽ ad eos ablegamus. Prætermittere verò nequeo, quin hîc ſubjiciã, quod mihi olim accidit Viennæ cũ magnæ auctoritatis Medico. Recens evulgatâ meâ de Plantis Pannonicis hiſtoria, exemplar dono mittebam, ejus nomen indicare non eſt neceſſe. Ille, lecto meo libro, magnopere ſe mirari ſcribebat, me in Acori hiſtoriâ non adſcripſiſſe, ejus radicis uſum, ſterilitatem mulieribus inducere: ego reſpondebam me magis adhuc mirari, quod hæc ſcriberet, quum non ignoraret, neminem à Veteribus hoc Acoro tribuere. Sed *Butomon.* bonus vir adhuc in vulgari multorum opinione verſabatur, qui exiſtimabat Butomon, cujus radice nonnulli magno errore pro Acoro utuntur, legitimum Acorum eſſe, quum tamen prorſus diſſimiles ſint utriuſque facultates.

RANUNCULUS PRÆCOX. CAP. LI.

TRIA Ranunculi præcocius florentis reperiuntur genera: quorum duo priora in Panoniâ obſervabam ſponte naſcentia, tertium in Belgio, neglectum quidem, cujuſque mentionem non feciſſem, niſi ornatiſſimus vir Iacobus Plateau ejus iconem miſiſſet, Batrachij Apulei appellatione.

Ranunculus præcox I. rutæ folio.

Ranunc. præcox I. rutæ folio.



PRIMUS, aliquot à radice producit folia multifida, rutæ folijs non valde diſſimilia, molliora tamen & magis viridia: flores autem habet amplos, ante ipſa folia emergentes, forinſecus, dum initio emergunt, ad ſuave rubentem colorẽ tendentes, internè candidos, duodenis aut pluribus folijs conſtantes, umbilicum occupante capitulo viridi, ut in reliquis ranunculis, cincto multis albicantibus ſtaminulis quæ flavos apices habẽt, ſine odore: hos ſuſtinet cauliculus teres & initio purpuraſcens, deinde ex viridi palleſcens, quem ambit unicum plerumque folium, (raro plura) exiguum, duabus aut tribus lacinijs diviſum, latâ baſi cauliculum amplectens: floribus deciduis, ſuccreſcit illud capitulum, & in ſemina craſſiuſcula evadit, Thoræ Valdenſium, ſive ranunculi grumoſa radice tertij, paulo pòſt deſcribendi, ſemini pænè ſimilia.

Natales. Naſcitur in inferioribus Sneberg jugis, & vicinis montibus, ſingulari radice craſſiuſculâ præditus, è cujus capite aliquot craſſiores fibræ dependent: in hortos autem tranſlatus, multis adnatis planta ſeſe propagat, multóque frequentiores fibras ſpargit, ut ſecundo aut tertio quoque anno, unica plãta plures dare poſſit. Eam autem, ut è loco nativo recens eruta, exprimi curabam.

Tempus. Floret verò, in hortos tranſlatus, plerũque Aprili; nativo autem loco, videlicet frigidiore, ſerius, ſed brevi poſt ſolutam nivẽ, quę juga illa inſedit.

Iſtam

Ranunc. præcox II. Thalietri fol.

Ranunculus nemoroſus Thalictri folio. C.B.pin 178.



Ranunculus Apulei quibuſdam.

Ranunculus paluſtris echinatus. C.B.pin 180.



Iſtam etiam plantam ſponte naſci in monte Baldo, agro Veronenſi, poſtea intelligebam; quia in ejus montis deſcriptione, quam ornatiſſimus, & perdoctus pharmacopæus Veronenſis Ioannes Pona fecit, illam ſub appellatione Ranunculi coriandri folio exhibet. Eam porrò deſcriptionem, ad calcem meæ Plantarum hiſtoriæ Lector reperiet.

Ioannes Pona Montem Baldum deſcripſit.

ALTER, caulem habet pedali altitudine aſſurgentem, gracilem ex viridi rubeſcentem, in quo quaterna aut quina folia, majoris Thalietri flore albo folijs, colore & formâ valde ſimilia, ſed minora & teneriora, amaro ſapore: floſculi in ſingulis alarum ſinubus ſingulares, candidi, quinque foliolis conſtantes, ſuis petiolis innitentes: quibus decidentibus ſuccedunt bina aut terna cornicula, ſemen rotundum, ſubruffum, acconiti hiemalis vulgo appellati ſemini ferè par: ex eadem radice, præter caulem, prodeunt bina aut terna folia ſupra deſcriptis ſimilia, ſingularibus dodrantalibuſq; pediculis, ejuſdem cum caule coloris, innixa: radix impensè amara, multis albis fibris donata eſt, ex quarum capite alia exit nodoſa radicula, ſubinde ad ſingula internodia novas fibras agens, atque hac ratione ſe propagans, ideoque perennis.

Ranunc. præcox II. Thalietri folio.

Abundè naſcebatur in ſaltu Leytenberg, Manderſtorf vicino, ultra Leytam flumẽ, quinto ab urbe Viennâ Auſtriacâ milliari, ubi primùm illum obſervabam, deinde quibuſdam alijs umbroſis ſilvis Viennenſi agro. Inveniebam etiam apud Zollonock Ill. Herois Balthaſaris de Batthyan in Vngaria oppidum, inter vepres. Florebat Aprili, ſemen interdum Maio, plerumque Iunio ad maturitatem perveniebat.

Natales. *Tempus.*

TERTIO, è capite multis fibris donato, oriuntur aliquot folia, ſuperioris folijs minus laciniata, in ambitu tamen inciſa, uncialibus aut longioribus pediculis prædita, & lata baſi cauliculos dodrantales binos aut ternos inter illa exeuntes amplectentia: cauliculis procumbentibus & quodammodo ſupinis, adnaſcuntur terna aut quaterna ſimilia folia, è quorum ſinu unciales prodeunt pediculi, qui floſculos ex flavo palleſcentes, & quinque foliolis conſtantes ſuſtinent, quibus deciduis, apparent quina aut ſena cornicula mucronata quibuſdam tuberculis obſita, ſemen ſuperiori ferè ſimile continentia.

Ranunc. præcox III. Apuleij dictus.

SED quoniam in Thalietri mentionem incidimus, obſervabam in Auſtriæ inferioris, ſive infra Aniſum flumen ſitæ, & Pannoniæ pratis, ſilvis & montanis, varia ejus genera, omnia videlicet ea quæ in Belgicis hortis ali conſpexeram, præter Hiſpanicum, quod illis Provincijs etiam meâ operâ vulgare factum eſt. Ejus autem folia, licet aliorum generum modo diviſa & inciſa, Aquilegiæ ſive Aquilinæ folijs adeò reſpondent, ut ab imperitis plantæ vix diſcerni queant, ante quàm in caules aſſurgant & flores producant, qui in hoc genere

Thalietri varia genera.

I.

muſcoſi, ut reliquorum, ſed coloris flavi ſunt. Tria genera montana, folijs inter ſe conve-
2. niunt: ſed unum altius excreſcit quàm reliqua duo, floréque candido, eóque valde gravis
3. odoris, eſt; alterum paullo humilius, flore etiam albo, minus tamen ingrati odoris: à quo
4. tertium differt ſolo floris colore qui purpuraſcit. Pratenſia duo longioribus, & magis atris
5. 6. ſunt folijs, & quodammodo ſplendentibus: alterum pallido floris colore, elatius; alterum,
7. candicante, idque humilius. Septimum, omnium minimum, folijs minoribus, cineracei
coloris, pallido floris colore. Omnium radices flavæ ſunt & ſerpunt, ſubinde nova germina producentes: ſed omnium maximè Septimi.

RANVNCVLVS MONTANVS. CAP. LII.

IN utraque Pannonia & Norici parte, varia Ranunculi genera ſponte naſci obſervabam, quæ paſſim in alijs etiam Provincijs creſcunt. Sed aliquot alia in earum Provinciarum altiſſimis jugis conſpiciebam, quæ à reliquis Herbariæ rei Scriptoribus vix obſervata eſſe animadvertebam: itaque omnibus artis Medicæ ſtudioſis gratum me facturum exiſtimabam, ſi eorum hiſtoriam illis etiam communicarem.

Ranunculi montani 1. ſpecies 1.

Ranunculus alpinus humilis rotundifolius flore minore C. B.: Pin: 181.



Ranunculi montani 1. ſpecies altera.

idem flore majore B: Pin: 181.



Ranunculus montan. 1.

MVLTA parva, rotunda & quaſi circino circumducta habebat Prior folia, aliquot crenis diviſa, & in ambitu ſerrata, atrâ viriditate ſplendentéque ſupernè prædita, ſatis craſſa ſive carnoſa, & fervidiſſimo ſapore: inter quæ pediculus oritur tenuis, ſingularis, brevis dodrantéque minor, florem album, quinque folijs conſtantem ſuſtinẽs, inodorum, cujus umbilicum crocea ſtamina occupant: deciduo flore apparet capitulum immaturo frago ſimile, quemadmodum in alijs ranunculis, quod ex minuto ſemine ſimul congeſto conſtat: radix multis albicantibus fibris prædita eſt.

Ranuncul. mont. 1. ſpecies altera.

Ejus altera ſpecies erat, cujus folia in tres lacinias diviſa, & ille denuo aliquot inciſuris donatæ, cauliculus ab altero non differens, ſed ampliorem florem gerens, eumq́; interdum duplici foliorum ſerie conſtantem: alioqui & colore ſuperiori parem, eodemq́ue tempore ſeſe explicantem: radix etiam quemadmodum in illo, ſupernâ parte nonnihil extuberat, & fibris donata eſt.

Natales.

Naſcitur uterque in ſummis Sneberg & vicinarum Alpium jugis, confragoſo ſolo, & penè in ipſis petrarum fiſſuris: Iunioq́; interdum iſtic florebat, aliquãdo ſerius, ut videlicet nix maturius aut ſerius ſolvitur: in hortos autem tranſlati, maturè admodum, & ante alios ranunculos, Aprili ſcilicet flores proferunt.

ALTER, quina aut ſena promebat ex radice folia, magna, viridia, dura, Ranunculi illius glomerato ſive globoſo flore, quem nõnulli Trollium appellant, folijs haud abſimilia, nonnihil hirſuta, tribus ſciſſuris ad pediculum uſque pertingẽtibus, & alijs præterea minus profundis diviſa, ſapore initio dulci, poſtea aliquantulum amaro, pediculis craſſis, firmis, & pedem longis innitentia: caulem inter illa exeuntem cubitalis longitudinis, nudum, ſingularem, firmum, aliquãtulum hirſutum, intus cavum, qui in ſummo faſtigio trina habebat folia contigua, profundè laciniata, pænè inſtar Anemonidum, ſupra quę deinceps caulis dividebatur in quatuor aut quinque oblõgos & teretes pediculos, quorum ſinguli ſuſtinebant unicum florem quinis folijs ſatis magnis & albis conſtantem, mediocriter odoratum, multis flavis ſtaminibus, capitulum occupans umbilicum, cingentibus, quod excuſſo flore apparebat magno planóque ſemine onuſtum: radix erat veluti præmorſa, & multis nigricantibus fibris prædita. *Ranunculus mont. II.*

Frequens naſcebatur in Sneberg, Snealben & aliarum vicinarum pratis ſublimioribus, florebátque Iunio, ſemen autem maturitatem adipiſcebatur Auguſto. *Natales.*

Ranunc. montani II. ſpecies altera.

Ranunculus montanus Hirsutus albus altior B: Pin: 182.



Ranunculus montanus III.

Ranunculus mont: humilior Hirsutus narcissi flore B: Pin: 182



IN celſioribus tamen earundem Alpium jugis, multò humilior & magis hirſuta creſcebat hæc planta, pedalem altitudinem non excedens, flore paulò majore (& qui Narciſſi florem album, medium calicem flavum habentem, æquare poſſet) eóque etiam magis odorato quàm prioris: ejus etiam folia majore amaritudine & acrimoniâ erant prædita, tametſi primo guſtu quandam dulcedinem habere viderentur. Serius florebat priore: nam eam dumtaxat florentem reperiebam, quum in inferiore jugo, alteram jam ſemen ſemimaturum habentem obſervaſſem. *Ranuncul. mont. II. ſpecies altera.*

ILLVM proximè ſequi debet pulcherrimus ille Ranunculus alpinus, quem non obſervavi, ſed cujus iconem & deſcriptionem à Doctiſſimo viro Thoma Pennæo Londinenſi Medico habui.

Quatuor autem, quinque vel ſex à radice proferebat ille folia, in quinque vel plures interdum præcipuas partes Ranunculi modo diviſa, parte pronâ ferè cæſia, ſupinâ verò ex nigro viridia: è quorum medio unicus caulis ab radice oriebatur, lõgitudine pedem æquans, nudus, folia in ſummo fere emittens oblonga, maxima ex parte in tres lacinias per extremum diviſa, è quorum medio pediculi tres, quatuor, vel interdum plures oriuntur duos digitos trãſverſos longi, unico vel duobus foliolis ſubinde ornati, quorum ſinguli florem ſuſtinent pulchrum, ex quinque folijs orbicularibus conſtantem, quæ inferius purpuraſcunt, ſuperius in lateribus ex albo purpurea ſunt, reliqua parte albiſſima, multis luteis ſtaminibus *Ranuncul. mont. III.*

medium

medium occupantibus, calyceq́ue ex quinque folijs herbacei coloris conſtante: ſemina, ut in ranunculis, compacta, ex nigro purpurea & mucronata, parum compreſſa, paulò quàm in alijs ranũculis majora: radix in ſummo ſetoſa, multipliciter diviſa, ſæpiùs Cruciatæ modo inciſa, & in multas fibras divaricata. Tota verò planta piloſa eſt.

Natales. Tempus. Creſcit copioſè in monte Iurâ, è regione urbis Genevenſis. Floret Iunio, ſemina Auguſto matura.

Ranunculus montanus IIII.

Ranunculus montanus hirſutus purpuraſcente flore. C: B: Pin: 182.



Ranunculus pleno flore albo.



Ranuncul. mont. IIII. QVARTO, magna erant folia, in quinque lacinias ſecta, viridia & in ambitu ſerrata: infernè dilutiora & ſplendentia, dura, nervoſa, quę præmanſa nullam manifeſtã acrimoniam, ſed amaritudinem potiùs habere deprehendebantur: caulis cubitalis aut amplior, firmus, licet tenuis, lævis, nodis aut geniculis præditus, in multas alas à medio ad ſummum expanſus, in quibus flores ſatis ampli, Secundi tamen floribus minores, quinis folijs conſtantes, tenelli, toti lactei, aliquantulum odorati, ſtaminibus pallentibus umbilicum occupantibus, & capituli rudimentum cingentibus, quod ex ſeminibus ſimul congeſtis, quemadmodum in reliquis ranunculis, conſtabat: radix præmorſa videbatur, inſtar radicis Secundi, multáſque longas & candicantes fibras habebat.

Natales. Abundanter provenire conſpiciebam in acclivi montis Wechſel, Sneberg, & aliorum montium ſilvoſis locis, per quæ ad eos montes patebat aſcenſus. Florebat iſtic eodem tempore quo Secundus, ſed in cultis Maio: ſemen maturum erat Iunio.

Ranuncul. mont. IIII. pleno flore. ISTIVS generis invenitur, qui florem habet plenum & multiplici foliorum ſerie conſtantem: alias caule, folijs & reliquis notis prorſus eſt ſimilis Quarto jam deſcripto.

Ranunculus mont. IIII. ſpecies altera. PORRÒ ijſdem locis quibus Quartum, reperiebam etiam Ranunculum illum albo flore quem C. V. Rembertus Dodonæus cap. III. lib. IIII. Pemptadis tertiæ quartum inter externos deſcribit: ſed à Quar[illegible]o modo deſcripto differentem. Nam humilior eſt illo, foliáque habet læviora, & paulò magis atra, tametſi ſimiliter inciſa, flores rariores & minores, in obliquum naſcentibus pediculis inhærentes: & præcocius altero florebat.

Ranunculus mont. IIII. alter flore pleno. HVIC autem congenerem flore pleno niveo, ut alebatur à N. V. Ioanne vander Dilft amico ſingulari, qui illius iconẽ vivis coloribus expreſſam mihi Viennam uſque mittebat, quámque ſuperioribus hoc capite adjungere libuit, nuſquam in illis jugis obſervare potui. Arbitror illum adquiſiviſſe ex ijs plantis, quæ, paulo antè quàm à Cæſare Maximiliano II. Viennam accerſitus, è Belgio diſcederem, Ill. Viro Ioanni de Brancion ejus conſanguineo, è Burgundicis mõtibus miſſæ fuerant. Similes deinde plantas, & Norібergę apud C. V. Ioachimum Camerarium, & Francoforti ad Mœnum frequentes conſpiciebam. Vulgare autem nunc

tem nunc eſt utrumque genus in omnibus hortis Belgicis, habétque poſtremum illud humilius genus flores & ampliores & frequentiore foliorum ſerie prædítos, quàm id quod altius aſſurgit.

QVINTVS, omnium, quos umquam conſpexerim, maximus, multa à radice producebat folia valde ampla & carnoſa ſive denſa & ſucculenta, ficulneis haud minora, quinque profundis inciſuris diviſa, in ambitu nonnihil ſerrata, colore dilutius virente ſplendentia, nonnihil villoſa, acria admodum & linguam vellicátia: cubitales caules, digitalis craſſitudinis, firmos, hirſutos, ſupremâ parte in aliquot ramos diviſos, qui multos flores ſuſtinebát quinque folijs conſtantes, reliquorum ranunculorum inſtar, & luteo auri colore fulgentes: ſemen vulgarium ranunculorum ſemini par in capitula congeſtum: pro radice multas candicantes fibras habebat. *Ranuncul. mont. v.*

Creſcebat in nemoribus & umbroſis declivibúſque omniũ Auſtriacarum, atque Stiriacarum Alpium locis, juxta rivulos è liqueſcente nive profluentes. In nõnullis præterea umbroſis pratis ad ſaltum Viennenſem, & ultra Dravum, obſervabam. In hortis & pratis Maio florebat: in Alpibus verò Iunio aut ſerius. *Natales.* *Tempus.*

IOSIÆ Simlero Prior cognitus fuiſſe videtur, & illius meminiſſe Commentario de Alpibus, ab Helveticarum Alpium accolis Jegerkraut/ hoc eſt, Venatorum herbam, appellari ſcribens. Montani Auſtriacarum Alpium opiliones & venatores fieberkraut vocabant, & ad pellendas febres (unde nomen) folijs ejus contuſis & carpo admotis utebantur. Secundo & Quarto ijdem venatores Abbeis/& Teuffel abbeis/id eſt, Præmorſæ, & Diaboli morſus nomen indebant. Quinti nullam peculiarem appellationem intelligebam: non incommodè tamen, meâ opinione, *πλατύφυλλον βατράχιον*, à foliorum amplitudine cognominari poſſit. *Nomina.* *βατράχιον πλατύφυλλον*

VNGARI Ranunculum in genere *Beka fiu* vocant.

Ranunculus glomerato flore. *Ranunculus Montanus aconiti folio flore globoso B. Pin. 182.*



RANVNCVLI porrò illius, quem Geſnerus in Deſcriptione montis fracti Trollium florem vulgo dici ſcribit, quíque à Dodonæo Ranunculus globoſo flore appellatur, & Quintus eſt inter externos ab ipſo Pemptadis tertiæ lib. IIII. cap. III. flore in globum collecto, deſcriptos, duo in Auſtriacarum Stiriacarúmque alpium pratis obſervabam genera: Majus unum, ampliore flore, & quaſi aureo: Alterum, humilius, flore paullo minore, & colore, ut plurimum, ex viridi palleſcente: aliâs, foliorum formâ, capitulis, ſemine nigro, & radice inter ſe conveniebant. Illum etiam inter primulas veris rubro flore præditas, ex ſeptentrionalibus Angliæ montibus erutum recenter Londini anno octuageſimo primo ſupra milleſimũ & quingenteſimum cõſpiciebam. *Ranunc. globoſo flo. Trollius flos. duorum generũ.* 1. 2.

RANVNCVLI GRVMOSA RADICE.
CAP. LIII.

NVNC de ijs Ranunculis agendum *οἱ χονδρώδην τὴν ῥίζαν ἔχουσι*, qui veluti grumoſam, ſive in grumos quoſdam longos & breves congeſtam habent radicem, Chelidonij minoris ferè inſtar. Horum duo genera mihi conſpecta, quæ in duo diſtincta capita dividenda eſſe exiſtimavi. Hoc autem Priore acturus de ijs quæ natali loco (præter ſecundum) flores proferentia obſervabam. Sequente verò, quæ aliunde invecta, vel ipſe habui, aut alij ſe habuiſſe, vel conſpexiſſe mihi retulerunt. *Ranunc. grumoſa radice* 1.

EORVM ergo Ranunculorum grumoſâ radice quos nativo loco obſervabam, Primus, quinque, ſex aut plura habebat folia, circinatæ pænè rotunditatis, in ambitu ſerrata, per terram expanſa, ſplendentia, & veluti tumentia bullatáque ſupernè, nervoſa, & lanuginoſa infernè, ingrati initio saporis, ſed poſtea ferventiſſimi: inter folia exiliebant aliquot pediculi verius quàm cauliculi, dodrantales ferè, vel breviores etiam, villoſi & lanugine quadam obſiti, ſinguli ſuſtinentes florem luteum, odoratum, quinis, ſenis, octonis interdum, aut pluribus folijs conſtantem, quibus vento excuſſis, vel ſponte defluentibus, capitula, aliorum ranunculorum capitellis aut fragi rudimẽto ſimilia apparebant, pallida: radix ex multis craſſis longiuſculíſq; grumis ſive tuberculis conſtabat Chelidonij minoris lõgioribus radicibus

non

Ranuncul. grumoſa radice I.

Ranunculus Latifolius bullatus aſphodeli radice C.B. Pin: 181.



Ranuncul. grumoſa rad. I. ſpecies II.



non diſſimilibus, quibus plurimæ tenues fibræ erant intermixtæ: temporis autem ſucceſſu ſuccreſcente planta, ex adnatis ſeparari & in plures plantas pangi poſſe, ipſa experientia demonſtravit.

Natales. Frequens erat circa Olyſipponem inter oliveta, & pleriſque Bæticæ locis, ubi florentem Novembri & Ianuario colligebam, atque amicis in Belgium mittebam, apud quos etiam Octobri & Novembri flores protulit, & tota hieme folia retinuit in Maium uſque menſem: alijs novis, paulò ante quàm florere incipiat, repullulantibus.

Nomina. ERANT in Luſitania qui *Montan* nominarent (quâ tamen appellatione, ferulacea quædam planta apud eos etiam inſignitur) & ex lacte propinarent, ad provocanda menſtrua. Sed in Bæturiâ aliam plantam pro *Montan* proponunt, eam videlicet, quam odoratâ radice, plantaginíſque ferè folijs, inter Doronici genera, lib. IIII. cap. VIII. hujus Plantarum hiſtoriæ, repono: quia forſitan in montanis naſcitur.

Ranunc. grumoſa radice II. ſive πλατύφυλλος. ALTER, quina aut ſena promebat à radice folia, impensè viridia, lata admodum, ut initio πλατύφυλλον Pannonicum eſſe cenſerem, formâ enim, illius folijs non erant valde diſſimilia, & Platani foliorum formam plurimum imitabantur, multis venis prædita: inter quæ caulis exiliebat pedalis, ſatis firmus, aliquot folijs minoribus & valde inciſis præditus, è quorum ſinu prodibant ramuli minoribus adhuc folijs obſiti, inter quæ naſcebantur flores, longiuſculo pediculo innixi, quinque folijs luteis ſatis amplis conſtantes, quorum umbilicum occupabant multa ſtamina aurei coloris apicibus prædita, & capitulum medium cingentia: numeroſa firmabatur radice è multis oblongis craſſiuſculíſque grumis compacta, inſtar radicis Tripolitani ranunculi, quæ longioribus grumis conſtat, colore ex albo & fuſco mixto extrinſecus præditis.

Hanc plantam ſponte provenientem non obſervabam, ſed ab honeſtiſſimo viro Willelmo Parduyn Medioburgenſi cive, primùm accipiebam; deinde iconem coloribus ad vivum expreſſam è plantâ Cretico ſemine, ut ſcribebat, ſibi natâ, mittebat diligentiſſimus Iacobus Plateau. Illam autem, folia ante hiemem (quam perbellè fert) promere, & adnatis ſe propagare animadvertebam.

Ranunc. grumoſa radice III. Thora Valdenſium. Aconitum I. Dioſc. NON valde diſſimili radice erat ea planta, quam inter Ranunculi genera etiam referendam cenſebam, & cui Tertium locum inter ea quæ grumoſa radice conſtant, dabam, quæque apud rei Herbariæ ſtudioſos Thoræ Valdenſium nomen obtinuit, à Clariſſimo autem viro Conrado Geſnero, non uno loco, Aconitum primum Dioſcoridis

Ranunculus Creticus latifolius.

Ranunculus aſphodeli radice creticus. C.B. Pin: 181.



Ranunculus grumoſa radice III.



Pthora Valdenſium, montis Baldi.

Aconitum pardalianches primum, ſeu Thora major. C.B. Pin: 184.



ridis eſſe putatur: de quo peculiaris aſſertio poſt ipſius Epiſtolas, operâ Caſparis Wolfij editas, inſerta eſt, ubi Cyclaminum tertiam Plinij Lib. XXV. cap. IX. Naturalis Hiſtoriæ, & Limeum ejuſdem Lib. XXVII. cap. XI. deſcripta, eſſe contendit. *Cyclamin. III. Plinij.* *Limeum Plinij.*

Illum ranunculum ego in Etſcheri ſummi jugi præcipitijs & rupibus tenui terrâ leviter coopertis, atque ad meridiem obverſis, menſe Auguſto inveniebam, deinde frequentiorem & vegetiorem, majoréque copiâ in Sneberg, arduo illo rectoque ad ſecundum jugum aſcenſu, & alio ipſi vicino. Ejus tamen folia breviora, ſupernâ etiam parte latiora & magis inciſa eſſe deprehendebam, quàm ſint Thoræ Valdenſium, aut illius, quam è monte Baldo apud Veronam erutam conſpeximus, folia. Hujus præterea flos quinis folijs conſtabat, quum illorum quaternis dumtaxat folijs exprimatur: ceteræ notæ ſatis conveniebant. *Natales.*

SED & Quartum, qui eorum quos ſponte provenientes obſervabam Tertius, Maio florentem eruebam in Hamburgenſi monte, duobus ſupra Poſonium Hungariæ milliaribus, quâ Occaſum ſpectat, præſertim in eorum tumulorum ambitu, qui recenter à talpis ſuffoſſi erant, propter terræ erutæ mollitiem. *Ranunc. grumoſa radice IIII.* *Natales.*

Folia illius ineunte vere quaterna aut quina exibant longo pediculo innixa, oblonga & multifida, candidâ denſáque lanugine obſita: caulis gracilis, pedem altus, interdum cubitalis, minoribus folijs ſeptus, & ramulis aliquot præditus, quibus flores inſidebant aurei valde ſplendentes, ex quinque folijs compoſiti, inodori, interdum gemelli: radix multis brevibus & extimâ parte obtuſis tuberculis ſive grumis conſtabat, ut pænè in Chelidonio minore, quibus aliæ tenues fibræ intermixtæ. Multas proles ea radix generare ſolet, vel matri adnaſcen- *I.*

Ranunculus grumoſa radice IIII.

Ranunculus Lanuginosus angust. foliis grumosa radice minor C. B. Pin: 181.



Ranunc. Illyric.

2.

Ranuncul. Aſiatic. grumoſa rad. 1.

Ranunculus Aſiaticus grumoſ. radice I.

Ranunc: grumosa radice flore phoeniceo minimo simplici C. B. Pin: 181.



adnaſcentes, ut in Tripolitano, ſequenti capite deſcribendo, vel ſubinde tenui fibræ inhærentes procul à ſe ſparſas.

Similem C. V. Alphonſus Pantius Ferrarienſis Medicus, in Belgium ad nos mittebat Ranunculi Illyrici appellatione.

Alium præterea Iacobus Plateau, multò majoribus folijs, caule, & floribus, magíſque incanum, tum etiam magis numeroſis radicibus, ut commodè Illyricus major dici poſſit. Is nunc in omnibus hortis plus ſatis familiaris: quia latè per tenues fibras, ſubinde novas plantas generantes, ſe ſpargit, & magna loca brevi occupat.

RANVNCVLVS ASIATICVS grumoſa radice. CAP. LIIII.

PEREGRE invectorum Ranunculorum qui grumoſam radicem habent, Primus, aliquot à radice producit folia, unciam lata, duabus parvis lacinijs diviſa, per oras ſerrata, longis pediculis nitentia, craſſiuſcula & ſucculenta, glabra, vel quàm leviſſimè hirſuta, veníſq; ex viridi palleſcentibus prædita, ſubacidi & ingrati initio ſaporis, qui brevi in acrem & linguam mordicantem convertitur: folium, caulem imum amplectens, majus eſt reliquis, & in tres lacinias diviſum, quarum ſingulæ cetera folia æquant, & tripliciter inciſa, ſimulque in ambitu ſerrata. Medius inter hæc aſſurgit caulis, teres, viridis, non lævis, ſed quadam lanugine obſitus, quem per intervalla ambiunt bina aut terna folia, minora, magíſque laciniata illo quod imo cauli adhæret, ſummo faſtigio amplum ſuſtinẽs florem, Pãnonici, ſive Illyrici florem magnitudine ſuperantem, licet ejuſdem quodammodo formæ, & prorſus inodorum, quinque, aut ſex interdum folijs conſtantem, nõnunquam etiam (nam ſępe vitioſus fit) ternis aut quaternis dumtaxat, qui forinſecus phœnicei ſunt coloris, internè verò miniati elegantis & ſplendentis, medium florem occupantibus plurimis tenuibus & rubris ſtaminibus, quorum apices craſſiuſculi, initio pulli, deinde cineracei coloris, extuberante inter media ſtamina capitello, purpuræ nigræ villis obſito, quod in uncialem aut ampliorẽ longitudinem tandem excreſcens, frequẽtis ſeminis rudimento quidem obſitum eſt, ſed prorſus plani & inanis, mihi certè numquam fertile fuit: multas habet radiculas ex uno capite dependentes, breves & craſſiuſculas, perinde atque Pannonicus ſive Illyricus, vel etiam Luſitanicus, à quorum grumoſis radicibus non multum differunt (ſunt enim aliæ alijs lõgiores) extremâ tamẽ parte non obtuſæ, ſed ſingulæ in tenuẽ fibram paulatim deſinẽtes, ſolidæ, fuſci exterius coloris, interius albi, ingrati initio ſaporis, deinde acris. Cum Pannonico porrò grumoſa radice ranunculo illud ferè commune habet, quòd ſub caule inter medios radicis grumos, craſſiuſculus veluti ramulus enaſcatur, qui obliquè per radicum interſtitia ſe porrigens, in unum caput extuberet,

tuberet,è quo multæ radices paullo ſuperioribus minores dependẽt,è quorum medio caulis exilit,ſub quo deinde alius ramulus ſimiliter prodit,in latus,uti ſuperior, per radicũ ſpatia ſe ſpargens,& novam radicum congeriem generans: quin & matri, ſive primariæ radici adnaſcuntur contigui & quaſi ipſi inſidentes terni aut quaterni ſimilium, & quaſi matri æqualium grumorum globi: quâ ſanè ratione ſatis feliciter ſe propagat: habet præterea albas quaſdam fibras per craſſiorum radicum ſpatia ſeſe explicantes & ſpargentes.

Ranun. Aſiat. πολύκλωνος, ſive grum. rad. II.

Ranunculus grumosa radice ramosus B: Pin: 181.



Ranunc. peregrinus grumoſa radice I.

Ranunculus grumosa radice flore albo B: Pin: 181.



ALTER, ab illo vix differt vel grumoſâ radice, vel folijs florúmve formâ & colore: in ſolo caule eſt differentia, qui, ut plurimum, paullo craſſior & firmior eſt, atque etiam πολυκλαδὴς: ex foliorum, quæ illi adnaſcuntur, alis unum aut alterum proferens ramulum, qui florem primario paulò minorem ſuſtinet: ut videre licet in ſubjecta icone affabrè expreſsâ. *Ranunc. Aſiat. grumoſa rad. II. ſive πολυκλαδὴς.*

Floret uterque ſub Maij finem, aut Iunij initio. *Tempus.*

ANNO octogeſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, Conſtantinopoli allatæ ſunt Mag^co^ viro Wolfgango ab Entzeſtorf, aliquot Prioris radices *Tarobolos catamer lalé* nomine inſignitæ, quod Tripolitanum plenum florem ſignificat: licet etiam hac appellatione quidam amici ex eodem loco poſtea ſemen acceperint, quod mihi communicatum & terræ commiſſum, non Ranunculi plantam, ut ſperabam, ſed legitimam urticam, vulgariter Romanam dictam, produxit. *Nomina.*

Subſequentibus deinde aliquot annis, Alterius radices inferri cœperunt Prioris radicibus commixtæ.

SCRIBEBAT porrò ad me Iacobus Plateau anno M. D. XCV. ſe ea æſtate Inſulis Flandriæ urbe, conſpexiſſe in penſilibus hortis Ioannis Bridoul, ejus urbis Medici, Ranunculi duo nova genera, ipſi antea non viſa, ſemine nata, accepto ex Italia præcedente anno: atque ab illo utriuſque iconem impetraſſe, quam ad me mitteret: ex qua brevem hanc deſcriptionem concinnabam, & huic capiti inſerebam, non dubitans, quin rei herbariæ ſtudioſis gratum facerem. *Ranunc. peregrin. grumoſa radice.*

EX radice multis grumis conſtante, qualis eſt Aſiatici, oriuntur Primo generi folia plana, Aſiatici folijs non valde diſſimilia, & inter illa caulis pedalis altitudinis, in binos graciles ramos diviſus, ſummo faſtigio ſuſtinentes ſingulares flores, quinque folijs conſtantes albis, quibus (maximè circa oras) ſuave rubens color permixtus eſſet; medium florem obtinebant multa flava ſtamina oblongiuſculum capitulum cingentia: caulem autem, ante *I.*

quàm in alas divideretur, amplectebantur alia folia, in ternas aut plures profundas lacinias ſecta.

II. ALTERVM genus, ex ſimili radice planiora ſuperioribus promebat folia: inter quæ gracilis aſſurgebat caulis, cujus infimam partem ambiebãt folia in tres profundas lacinias, eáſque in ambitu crenatas diviſa: mediam autem illius partem, alia ſingularia, eáque nec laciniata, nec crenata: ſummo cauli inhærebat flos quinque folijs, ut præcedens, præditus, ſimilíſque cum illo coloris, ſed extimâ parte magis orbiculatis, & leviter crenatis: medium florem occupabat breve capitulum ſtaminibus cinctum.

Quo tempore flores protuliſſent, non adſcripſerat: ſed ſimilia genera etiam ſe habere exiſtimabat, ſemine Cretico nata, quorum florem nondum conſpexiſſet.

III. VNA tamen planta florem prorſus niveum illi poſtea tulit, in reliquis Tripolitani flori omnino ſimilẽ; ipſius tamen plantæ folia nonnihil differebant, quia paullulũ albeſcebant.

Illius iconem cum altera, cujus flos radiatim mixtus rubro & flavo coloribus, hoc eſt, venis flavis magnâ venuſtate rubrum colorem ſecantibus, anno M.D.XCVI. ad me mittebat, & duobus inſequentibus annis, ejus qui florẽ album habet, radices, quæ tamen brevi poſtea perierunt, tametſi diligentem operam adhiberem, ut eas conſervare poſſem. Scribebat inſuper aliud Ranunculi genus ipſi natum ſemine etiam è Creta accepto, quod Autumnale eſſet, necdum tamen florem tuliſſet. An ipſe poſtea florem ejus conſpexerit, me latet; quia licet ad me plures ab eo tempore dederit epiſtolas, in eis nullam ejus Ranunculi mentionem fecit.

ET hæc quidem de Ranunculo grumosâ radice, qui florem ſimplici foliorum ſerie conſtantem ferunt, ſcribenda eſſe exiſtimabam. Sequente autem capite, illum qui florem plenum, & multiplici foliorum ſerie præditum habent, deſcribemus.

RANVNCVLVS ASIATICVS GRVMOSA RADICE pleno flore. CAP. LV.

Ranunculus aſphodeli radice flore Sanguineo.

B: Pin: 181.

Ranunc. Aſiat. grumoſa radice pleno flore 1.



PEDALEM habet Primus caulem, inter quaterna aut quina folia diluta viriditate nitẽtia emergentem, mediæ formæ inter paluſtris & alterius ranunculi echinato ſemine præditi folia: quæ per caulẽ ſparſa, minora & laciniata: ſummo cauli inſidet magnus flos multiplici foliorum glomeratione conſtans, ut qui ferè in Ranunculo vulgari polyphyllo flore tuberoſáque radice prædito, non aurei tamen, ut ille, coloris, ſed coccinei valde rubentis, & quaſi ſanguinei: ex folij, cauli inhærentis, ala natus ramus, ſuſtinens ſimilem florem, ſed minorem: multæ huic radices ſimul cõgeſtæ, Luſitanici ranunculi grumoſis radicibus perſimiles, aſphodeliformes, palleſcentes.

Hanc deſcriptionem concinnabam, cùm Hiſpanicarum ſtirpium Hiſtoriam publicam facerem, non ex vivâ plantâ (nondum enim videre tum cõtigerat) ſed ex icone vivis coloribus expreſsâ, quam Generoſus Carolus Rym, p. m. defuncto quinquennali Cæſarei Legati munere munere, apud Selimum Turcarum Imperatorem, Conſtantinopoli rediens mihi communicaverat.

Iſtam porrò iconẽ tametſi ego & aliquot alij, ipſis Cæſareis Legatis ſubſequentibus annis miſerimus, ut plantam quam ea pictura referebat, ad nos perferendam curarent: nunquam conſequi potuimus. Sed Anemonem latifoliá pleno flore interdum miſerunt, negantes eum ranunculum aut unquã ſibi conſpectum, aut iſtic notum eſſe. Certum tamen erat ex plantâ quæ in rerum naturâ eſt, ad vivum expreſſam fuiſſe, quod mihi teſtati ſunt, & ipſe Carolus Rym, & ejus pictor Lambertus de Vos, qui illam delinearat, atque Doctiſſimus vir Arnoldus Manlius Rymij tunc medicus, nunc in inclytâ Colonienſi academiâ Medicinæ profeſſor, qui Anemones genus eſſe cenſebat, & ipſa etiam experientia poſtea docuit.

NAM cùm anno M.D.XCI. hãc Hiſtoriam Francofurti recognoſcerem, ut caſtigatior, & auctior in publicum prodiret, Viennam inferri cœpiſſe monitus ſum à Generoſa Dn. de Heuſenſtain,

Heuſenſtain, quæ præcedente anno florentem plantam ſe habuiſſe ſcribebat. Illius florem reſiccatum ab ea impetravi, ne dubitarem inveniri, etiam ſequente Autũno adnatam grumoſam radicem, quæ, licet exilis & exſucca, Maio tamen menſe M. D. XCII. florem tulit, qualem cum ſua ſtirpe nunc deſcribemus, & iconem ad vivum expreſſam adjiciemus in ſtudioſorum gratiam.

Ranunc. Aſiat. grum. rad. pleno flo. II.

Ran: asph: radice flore subphœnicio mult. B: Pin: 181.



Ranunc. Aſiat. grum. rad. plen. flo. III.

Ranunculus asphodeli radice prolifer miniatus. B: Pin: 181.



TERNA autem vel quaterna habet à radice prodeuntia folia, Aſiatici, ſive Tripolitani Ranunculi folijs ſimilia, & illorum inſtar inciſa, minora tamẽ, inter quæ emergit cauliculus dodrantem pedis altus, gracilior quàm Tripolitani, cui inhærent bina folia, (interdũ & tertium puſillum) quorum infimum ternis profundis lacinijs per oras ſerratis diviſum eſt, alterum, quod ſupernum & anguſtius, quinque lacinijs uſque ad medium nervum inciſis, quarum ſingulę unicam crenam habent, nõnumquam binas, aut plures, extima verò binas tantum: ſummo cauli inſidet caliculus quinque folijs prȩditus gemmam floris amplectens, qui explicatus, multiplici foliorum ſerie conſtare conſpicitur (cẽtum enim & triginta habuit) foris ſubphœnicei initio coloris, deinde miniati, interius elegantis rubri miniati ad coccineum tendentis, quorum alia latiuſcula, alia anguſtiora, umbilicum floris occupante foliaceo quodam capitulo minus miniato: radix Aſiatico ſimplici ſimilis, aliquot grumis minoribus conſtans, & illius inſtar propagines ad latera (ſed raro) ſpargens. *Ranuncul. Aſiat. grum. radic. pleno flore II.*

HABVIT & eodem anno XCI. Generoſa Dn. Vngnadin, Ranunculi pleni Byzantio accepti radices, quarum una diverſum à ſuperiore florem dedit. Dimidiati caulis illius cũ ſuo flore iconem ſuis coloribus expreſſam ejuſdem anni Autumno cum alterius ſimilis (ut adſcribebat) radice, ad me mittebat: tulit illa quidem vere ſequente terna aut quaterna folia, ſed quæ frequentibus imbribus fuêre corrupta, deinde etiam radix. Quę tamen dedit folia, non valde diſſimilia ſuperioris folijs, ſed minora & pluribus tenuioribuſque lacinijs diviſa. Radicem, ſimulátq; accepiſſem, expreſſi qualis in ſubjecta tabellâ, folia autem vere, antequàm marceſcerent: reliquam ſtirpis iconem ex icone miſſa imitatus.

Radiculæ porrò quinque aut ſex, ſuprema parte craſſiuſculæ, ex uno capite depẽdebant, ſuperioribus paulò longiores, è quarum capite prodierunt quæ dixi folia: cauli tereti, ut ex icone miſsâ apparet, inhærebant bina folia, quorum infimum in tres majores lacinias diviſum, & illæ denuo in ternas, media verò in quinas minores: ſupernum folium in ſeptem profundiores lacinias diſſectum, ſingulæ deinde in ternas minores: ſummo cauli inhȩrebat flos frequentibus & multiplici ſerie diſpoſitis folijs conſtans, quorum alia alijs paulò latiora, coloris, ut pictura oſtendebat (quem neſcio an pictor fideliter imitatus ſit) miniati: è medio flore *Ranuncul. Aſiat. grum. radice pleno flore III.*

dio flore proſiliebat pedicellus unciam altus, ſuſtinens alium florem minorem, plenum tamen & ejuſdem coloris, non ſecus ac videre eſt interdum in Ranunculo illo tuberoſa & magna radice, cujus flos flavus multiplici foliorum ſerie conſtans, qui ſæpe non modò ſecundum florem ex primo, ſed & tertium ex ſecundo nonnumquam producit: ex ſuperioris autem folij ſinu natus erat ramulus duobus tenuibus foliolis præditus, cujus faſtigio inſidebat floſculus etiam plenus ſecundo ferè æqualis.

Nomina. QVO nomine miſſæ fuerint hæ radices Byzantio, neutra mihi indicare potuit: ſed ab illis accepi addita Germanica appellatione Turggiſche dicke rott Schmaltzblumel/ hoc eſt Turcici pleni rubri Ranunculi.

ANEMONE SILVESTRIS. CAP. LVI.

RANVNCVLOS proximè ſequi debet Anemone, propter formæ & facultatum quandam cognationem. Exteras verò præcedere debere ſilveſtres conſentaneũ eſt. Illarum duas ſpecies, licet ab alijs obſervatas, paulò tamen diligentiùs deſcribere animus eſt, quia in Auſtria, Stiria, & Pannonia ſponte naſcentes à me ſæpius erutæ, & earum ſemina collecta.

Anemone ſilveſtris I.

Anemond ſylveſtris alba major. Bu Pui: 176.

Anem. ſil. I.



PRIMÆ, ex unâ radice multa germinant folia, Ranunculi cujuſdam in uliginoſis pratis naſcentis folijs pænè ſimilia, tribus uſque ad umbilicum inciſuris, deinde alijs minoribus laciniata, viridia, mollia, & hirſuta, ingrati initio ſaporis, poſtea acris: caulis inter illa aſſurgit palmaris, interdum pedalis, nudus, ſatis craſſus, candidâ lanugine pubeſcens, tria alia folia ſuſtinens prioribus ferè ſimilia, ſed minora, & inter illa florem oblongiori pediculo inſidentem, unicum, nonnumquam (ſed rariſſimè) binos, initio ante quàm aperiatur, lanuginoſum, deinde, ubi expanſus eſt, parte interiore lævem, lactei candoris, exteriore verò, circa ungues leviter interdum purpuraſcentem, quinque, ut plurimum folijs, nonnumquam pluribus conſtantem, ijs, quæ in Pulſatillæ flore, paulò minoribus, orbiculato mucrone, in cujus medio capitellum extuberat, multis croceis ſtaminibus cinctũ, quod tandem reſolvitur in exiguum ſemen planũ denſâ quadam albâ lanugine involutum, quemadmodum in pleriſque alijs Anemones generibus: radix ex uno capite multas nigricantes & capillares fibras ſpargit, nonnullas præterea craſſiores, quæ ſerpentes, ſubinde novas ex lateribus plantas procreant, ingrati & acri ſaporis.

Natales. Vicinis urbi Viennę pratis, & pleriſque Auſtriæ, Pannoniæ ſuperioris & inferioris, tum etiam interamnis ultra Dravum flumẽ montanis locis naſcitur. Sed & in vicinis Francofurto ad Mœnum pratis creſcentem obſervabam.

Tempus. Floret iſtic Maio, in hortis culta, etiam Aprili: quin etiam rurſus Autumno interdum. Semen Iulio facilimè vento excutitur, niſi quis maturè colligat, & ſæpe negligentius obſervantem fruſtratur.

Habuit porrò Ioannes Mullerus pharmacopæus Francofurtenſis anno M. D. XCII. inter illas quas ante è pratis erutas in hortum tranſtulerat, binas, quarum hirſutum capitulũ flavis apicibus cinctum, multis tenuioribus folijs, partim albis, partim purpuraſcentibus obſitum fuit, ut quis flore pleno eſſe ſuſpicari poſſet.

Anem ſil. II. ALTERA, ex ſummo villoſóque radicis capite multa profert folia, quemadmodum id Anemones ſilveſtris genus, quod vulgus Pulſatillam appellat, illius præſertim quod dilutiore præcocioreque eſt flore, folijs ſimilia, latiora tamen, duriora, & in tres foliorum alas diviſa, ſupinâ parte viridia, pronâ paullo candidiora & villoſa, ingrati & valde acris ſaporis: inter quæ caulis emergit palmaris, firmus, hirſutus, quem circa ſummum terna, ut in Anemonibus, conjunctim amplectuntur folia, laciniata, & multis diviſuris ſecta: flos ſummo cauli inſidens ſex folijs conſtat, interiore parte lacteis, exteriore nonnihil purpuraſcentibus interdum, & villoſis, minor quàm Pulſatillæ, ſed non paucioribus

Anemone ſilveſtris II.

Pulſatilla flore albo B. Pin: 177.



paucioribus luteis ſtaminibus præditus, quæ tandem in plumati ſeminis congeriem, quemadmodum in pulſatillis, tranſeunt: radix oblonga, minimi digiti craſſitudine, paucis fibris donata, nigro foris cortice tecta.

Creſcit hęc in celſioribus Etſcher & Deurrnſtein Stiriæ jugis, inter ſcopulos tenui & levi terrâ tectos: plerumque verò in ipſis ſcopulorum fiſſuris & commiſſuris adeo altè radices agit, ut ſummâ difficultate, & vix unquam, niſi avulſis ferreo inſtrumento ſcopulorum fragmentis, integras mihi eruere licuerit. Floret autem iſtic Iulio, interdum etiam dumtaxat Auguſto, pro æſtatis maturius aut ſerius incipientis naturâ, ſolutis videlicet nivibus: nam è primis floribus eſt. Semen plerumque maturitatem adquirit ſub extremum Auguſtum. Difficulter autem vel cicurari vel mitiorem aërem ferre poteſt, quemadmodum etiam pleræque aliæ elegantes plantæ in ſummis illarum Alpium jugis natæ, quas aliquoties cum ſuo ceſpite in hortum intulimus, & commodo convenientéque earum naturæ loco repoſitas, conſervare ſtuduimus: ſed fruſtra omnẽ curam & diligẽtiam adhibuimus. *Natales.* *Tempus.*

TERTIVM quoddam & elegans genus, nec hactenus deſcriptum, non ego obſervabam, ſed D. Thobias Roelſius medicus Medioburgenſis apud Mattiacos, dum anno M. D. XC. ex Italia Baſilæam proficiſceretur. *Anem. ſil. III.*

Ab radicis autem (quæ nonnumquam minimi digiti craſſitudinem æquat) villoſo capite, ut ille mihi ſignificabat, multa germinabant folia, vulgaris Pulſatillæ folijs pæne ſimilia, laciniata, & multis diviſuris ſecta, mollia, parte ſupinâ viridia, pronâ autem paullulum candicantia & valde hirſuta, inter quæ caulis emergebat nudus, rotundus, lanugine obſitus, circa ſummum ſuſtinens foliola, è quibus prodibat vulgari pulſatillæ ſimilis pediculus, cui inſidebat unicus flos major, ut plurimum, pulſatillæ vulgaris flore, ſex folijs conſtans, quæ interiore parte valde flava erant, exteriore autem, ob lanuginem, dilutiora & pallentia: in hujus meditullio orbiculatum caput eminebat luteis ſtaminibus cinctum, cui villoſa cæſaries ſuccedere videbatur, quam Auguſto menſe maturitatem conſequi arbitrabatur. Florebat Iunio.

In Alpium planis naſci aſſerebat, nuſquam verò abundantius obſervaſſe, quàm circa pedem montis S. Bernardi, quâ Helvetios ſpectat. *Natales.*

PRIOREM exhibere videtur Matthiolus Anemones tertiæ nomine, licet pictor iconem negligentius expreſſerit. Alterius iconem ponit Lobelius in Obſervationibus, ſolâ additâ appellatione Pulſatillæ albæ: quæ licet Pulſatillæ vulgari congener ſit, ab illa tamen differt floris formâ, qui nolæ modo non eſt pendulus, ut Pulſatillæ, neque etiam mucrone reflexo. Non negaverim tamen Pulſatillam alpinam niveo flore nuncupari poſſe, & inter Anemones ſilveſtres, ut & Pulſatillam, eſſe referendam. Vtraque autem Belgicorum hortorum incola facta eſt meâ operâ, miſſis Viennæ Auſtriæ ad Nobiles viros Brancionem & Dilfum plantis & ſeminibus. *Anem III. Matthioli.*

SECVNDÆ meminiſſe videtur Geſnerus in Deſcriptione Montis fracti, libello de Lunarijs herbis, in hunc modum. Anemone quædam Alpina, radice nigra, capitulo ſeminis hirſuto, & lanugine inſtar vitis ſilveſtris cauſticæ referto, Pulſatillæ quam Itali vocant, cognata. Paſtores aliqui Bitzwurtz appellant, quòd, cataplaſmatis inſtar, venenatis morſibus impoſita, pecori ſalutaris ſit. *Anem. alpina Geſneri.*

TERTIÆ, ut dixi, hiſtoria, à nullo hactenus Scriptore prodita: atque ejus cognitionem lubens acceptam fero Doctiſſimo Roelſio, qui ejus plantam ſiccam ad me mittebat, ut hiſtoriam concinnare poſſem.

CETERVM, Pulſatillæ vulgaris duo genera paſſim in Auſtriæ & vicinarum regionum locis editioribus & vento perflatis inveniuntur: unum, præcocius craſſiore folio, ampliore & dilutiore flore, quod ab Vngaris *lo kevvkevvrchin*, id eſt, equi kewkewrchin ſive equina Pulſatilla: alterum, non adeo præcox, folio tenuius inciſo, floreque minore, & purpurei coloris adeo ſaturi, ut niger videatur, Vngaris *lean kevvkevvrchin*, hoc eſt, virginis kew- *Pulſatillæ duorum generum.*

Pulſatilla vulgaris dilutiore flo.

pulſatilla folio craſſiore et majore flore. B: Pin: 177.



Pulſatilla vulgaris ſaturatiore flo.

Pulſatilla flore minore nigricante. B: Pin: 177.



kewrchin, ſive virginea pulſatilla appellata. Invenitur autem utrumque genus interdum lacteo flore, mixtim inter alias ejus generis plantas naſcens, & ſimul ineunte vere flores producens. Quod autem rubrum florem habet, videre numquam mihi contigit.

Pulſatilla pleno flore. Inveniri etiam mihi ſignificatum fuit Pulſatillam, quæ florẽ duplici foliorum ſerie conſtantem ferat, atque ex ejus ſemine natæ plantulæ miſſæ, quæ ubi adoleverũt, non duplum, ut ſperaveram, ſed ſimplici ſex foliorum ſerie præditum florẽ tulerunt, præcociori ſimilem.

Silvarum Ranunculi. VVLGARES etiam ſunt in Pannoniæ & Auſtriæ ſilvis illæ ſtirpes quæ toti Germaniæ, & multis alijs Provincijs communes, à nõnullis Silvarum Ranunculi nuncupantur, Anemones tenuifoliæ cęruleo flore pænè folijs, & inter ſilveſtres Anemonides proculdubio numerandæ: imò à quibuſdam ſilveſtris Anemone, Theophraſto *λειμώνια* dicta, æſtimatæ.

Anemone λειμώνια. *Tempus.* Solent autem illæ novo Vere florem proferre, eumq; aut lactei prorſus candoris, aut purpuraſcentem, aut cui in candore leviter aſperſa ſit dilutior purpura, ſive carneus (liceat mihi hoc vocabulo uti) color. Eſt etiam quæ flavum habeat: ſed folijs nonnihil differt, plerumque etiam humilior eſt & præcocior. Quæ verò florem habent lacteum, ſubcęruleum, & purpureum (cujus folia duriora) Neapolitano agro ſponte creſcunt, referente doctiſſimo viro Ferdinando Imperato, atque ob radicum acrimoniam, *Gengevo ſalvatico*, id eſt, Gingiber ſilveſtre, vulgò appellantur. — Gengevo ſalvatico.

CETERVM, præter enumerata Ranunculi nemoroſi genera quæ ſimplici flore conſtant, bina alia obſervabam non ſpõte nata, ſed in hortis culta: quorum unum cum eo qui pleno flore eſt, infra deſcribendo, accipiebam.

Anem. λειμώνια peregrina I. ID ex radice longâ, terete, & in ramos ſe ſpargente inſtar ſuperiorum Silvarum ranunculorum, folia reliquis ſimilia proferebat, & abs extimâ radicis parte cauliculus aſſurgebat dodrantalis, teres, ex viridi purpuraſcens, ſummo faſtigio geſtans terna folia longo pediculo purpuraſcenti innitentia, quæ in tres lacinias dividebantur uſque ad pediculum illas ſuſtinentem, inter quæ creſcebat triuncialis pediculus, ex viridi etiam purpuraſcens, florẽ ſuſtinens octo aut novem brevibus mucronatíſq; folijs conſtantem prorſus albis, quibus tamen externâ parte nonnihil ſuave-rubentis purpuræ erat veluti inſperſum, medium florem occupante capitulo viridi, fragi rudimentum referente, quod ambiebant multa ſtaminula alba & tenuia, apicibus flavis prædita: adnaſcebantur interdum ſub flore bina aut terna folia mediâ ex parte alba, alterâ viridia. Florebat cum alijs Aprili.

Anem. λειμώνια peregrina II. ALTERVM, in horto ornatiſſimi viri Chriſtiani Porreti. Quod neque radice, neque folijs, illi quod candidum aut purpuraſcẽtem florem profert, diſſimile erat: longâ enim ſerpebat radice,

Ranunculus ſilvarum

Andmone nemoroſa flore majore. B: Pin: 176



Ranunc. ſilvar. pleno albo flore.

Andmone nemoroſa flore pleno albo B: Pin: 177



radice, cauliculos etiam ex viridi purpuraſcentes habebat, in quorum faſtigio, non terna, ſed ſeptena plerumque naſcebantur folia admodum virentia, in alia terna (eáq; laciniata) diviſa uſque ad pediculum illa ſuſtinentem, qui purpuraſcebat: inter quę alius pediculus aſſurgebat binas uncias longus, herbacei coloris, ſuſtinens florem octo aut novem folijs conſtantem, quorum quatuor externa tribus lacinijs extimâ parte diviſa foris circa unguẽ purpuraſcebant, alia interna minimè, ſed omnia herbacei erant coloris, & umbilicum habebant interiore parte ex viridi albeſcentem, quem occupabat capitellum immaturo frago ſimile, viride, illud cingentibus multis exalbidis ſtaminibus, flavis apicibus præditis. Florebat Aprili cum ſuperiore.

Ex ſuperiorum porrò vulgarium genere, non ita pridem obſervatæ ſunt duæ novæ ſpecies, quæ plenum florem habent, à nullo (quantum quidem intellexi) adhuc deſcriptæ: certè demum mihi conſpecti ſunt earum flores ſub extremũ Aprilem anno M. D. XCIII. quum biennio antè miſſæ fuiſſent à N. V. Ioanne Boiſot, monente circa illarum culturam id eſſe obſervandum, ambas in horto veluti cancellis quibuſdam cohiberi, aut concludi fictilibus debere, ut plenum florem proferant, alioqui nimiâ luxuriâ degenerare, eáſque ſimplicem dumtaxat dare. *Anem. λειμώνια pleno flore.*

DODRANTALI Prior aſſurgit caule, tereti & rotundo, quem circa medium æquali ſitu ambiunt ternæ, magnâ ex parte foliorum alæ, in ternas plerumque profundas lacinias diviſæ, atque illæ rurſus in crenas aliquot ſectæ, perinde ferè ut in eo qui ſimplici flore albo eſt, Silvarum ranunculo: ſunt verò ea folia ſupernè virentia, infernè paululum incana, at brevi lanugine pubeſcentia: ſummus caulis definit in terna, quaterna, aut interdum plura folia jam dictis minora, ternis tamen etiam profundis lacinijs diviſa, & in ambitu ſerrata, in quorum medio oritur flos multiplici foliorum ſerie conſtans, ut interdum tricenis quinis, quadragenis, aut pluribus foliolis præditus conſpiciatur, quorum exteriora & ampliora, in ternas nonnumquam lacinias ſecta ſunt & verſicoloria, hoc eſt, coloris ex albo & dilutè vireſcente mixti, interna verò, minora & anguſtiora, intrinſecus nivei coloris, foris etiam quidem albi, ſed cui ſuave rubens permixtus videatur. odor florum Spinæ appendicis æmulus: medium florem occupat capitulum multis ſtaminulis prędictum, quale in vulgari Silvarum ranunculo. *Anem λειμώνια pleno albo flore.*

ALTERA paulò brevior eſt, cauliculi tamen ſimiles, teretes & rotundi, quos etiam circa medium ambiunt ternæ, quaternæ, & plures nonnumquam foliorum alæ, in ternas profundas, & uſque ad pediculum pertingentes, lacinias diviſæ, & illæ ſimiliter in alias lacinias *Anem λειμώνια pleno purpur flore.*

minores

Ranunc. ſilvar. pleno flore purpuraſc.

Anemone nemorosa flore pleno purpureo. B: Pin: 177.



Tempus.

Vtriuſque natales.

Anemone hortenſ.latif. ſimplo flavo flo.

Anemone Cyclamini seu Malvae folio Lutea B: Pin: 173.



Anemones genera prima.

Anemones in ſua prima genera diviſio.

Anem hortenſ.latif.1. ſimpl. flore.

minores fiſſæ, eæque ſerratæ: ipſa folia ſupinâ parte ſaturè virentia, pronâ paullò candidiora, utrimque tamẽ brevi lanugine pubeſcentia: ſummo cauli innaſcũtur ternæ, quaternæ, & plures interdum foliorum alæ, trifariam diviſę uſque ad pediculum, atque illæ in ambitu crenatæ, mollíque lanugine, non ſecus pubeſcentes ac majora folia, quarum petioli ſaturo colore purpuraſcũt: inter illas exoritur flos quadragenis aliquando aut pluribus foliolis conſtans, quorum externa latiora, quædam etiam laciniata, interna verò, minora, omnia autem ſaturè purpuraſcentibus infimis unguibus (quibus admixtum ſit cærulei quidpiam) prædita, deinde albicantia, tandem dilutè & eleganter purpuraſcentia, medium etiam occupante villoſo capitulo, ut in ſuperiore: idem etiam qui in illo odor. Vtriuſque radix perſimilis, longa, teres, nodoſa & ramoſa, propagines fundens & aliquot fibris donata: denique ſilveſtris radicem per omnia referens.

Paullo ſerius Silveſtri floret: non minus tamen acri atque urente qualitate prædita, quàm illa.

Ante aliquot annos caſu repertæ elegantes iſtæ & venuſtæ plantę apud meos Belgas: quæ purpureo quidem eſt flore in ſilva, Monachorum cœnobio *Florival* appellato, adverſa, binis à Lovanio milliaribus: quę autem album illum habet, in ſilva *Meerdael*, ditione Illmi Ducis Arſchotenſis.

ANEMONE HORTENSIS ſimplici flore. CAP. LVII.

DVo Anemones genera Dioſcorides & Plinius faciũt; unum, ſilveſtre; alterum, in cultis naſcens. Cicuris autem tres eſſe ſpecies colore floris differentes: aut enim phœniceum eſſe, aut candicantem, ſive lacteum, aut purpureũ: Gal. lib. II. κατὰ τόπȣς luteum etiam inveniri tradit.

EGO, præter ſilveſtres, de quibus ſuperiore capite egimus, *Externarum*, quæ in hortis aluntur, duo primaria genera obſervabam: Vnius enim flores ſimplici foliorũ ſerie conſtabant: Alterius autem πολύφυλλοι erant. Vtrumque porrò genus bifariam dividi poſſe animadvertebam: nam vel latiore erant folio, vel tenuiore & multifido. Ceterùm de illa cujus flores ſimplici foliorum ſerie conſtant, hoc capite agemus, initium faciẽtes ab ejus ſpeciebus quæ latiora habent folia: proximo πολυφυλλανθῆν deſcribemus.

LATIFOLIARVM ergò Prima, ſatis ampla habet folia, circinatæ ferè rotũditatis, in ambitu ſerrata, dura, firma, longóq; petiolo fulta, ſupinâ parte intenſiore viriditate prædita, pronâ plerumque purpuraſcentia, ut Cyclaminis propemodum folia, fervidiſſimi ſaporis: inter quæ palmaris exit caulis, teres, ſubhirſutus, ſummâ parte ferens terna laciniata folia, deinde ex illis emergẽtem pediculum, qui flo-

qui florem ſuſtinet decem aut pluribus folijs conſtantem, externâ parte, flavis; internâ, aureis, umbilicum occupante capitulo multis aureis ſtaminulis ſepto: radix tuberoſa eſt, oblongiuſcula, Tormentillæ vulgaris ferè æmula (talem certè eruebam) aliquot fibris prædita, foris nigricans, intus alba, ſolida, ingrati admodum ſaporis, quæque guſtantem, excitatâ nauſeâ, quodammodo ſtrangulet, deinde ſuâ acrimoniâ linguam aliquantulum vellicet.

Lapidoſis quibuſdam Luſitaniæ collibus juxta Tagum, atque etiam inter vepres eruebam Decembri anno M.D.LXIIII. & inſequẽte Ianuario, qualis videlicet in Hiſpanicarum Stirpium Hiſtoria expreſſa eſt: nullum enim florem tum temporis obſervare licuerat. Sed multos deinde poſt annos, ſemine è Luſitania delato, ſimilem apud Hollandos natam me monebat Ioannes Moutonus, pharmacopæus doctiſſimus & diligentiſſimus, ſiccúmque cum caule & folijs florem è Batavia acceptum, communicabat, qualem ſubjectâ tabellâ exprimi curavimus. *Natales.*

Anem. hortenſ. latif. duplo flore flavo.

Andm: Latifolia flavo B: Pin: 176.



Anem. hortenſ. latif. ſimpl. flore III.

Anemone Geranii rotundo-folio purpurascens B: Pin: 173.



ALIAM latifoliam Anemonem ad me anno M.D.XXCVIII. mittebat N.V. Ioannes Hogelandius, quę prima folia promebat jam dictæ ferè proxima, purpuraſcentis ex viridi coloris, deinde aliquot alia nonnihil laciniata, inter quæ palmaris unus aut alter caulis prodibat, ſuſtinens folium magnis & profundis lacinijs diviſum, è quo aſſurgebat pedalis interdum pediculus, cui inſidebat ſingularis flos duplici foliorum ſerie conſtans, quorum externa ſex aut ſeptem, orbiculato erant mucrone, nonnulla etiam dentato, foris pallida & tenuibus quibuſdam purpuraſcentibus venulis quodammodo aſperſa, interna autem decem, duodecim, aut plura paullo anguſtiora, foris etiam pallebant, omnia verò internâ parte flava erãt: ex illo porrò folio cauli ſummo imminẽte plerumque naſcebatur alter ramus dodrantem pedis altus, quem medium ambiebat aliud folium minus, minoribuſq; lacinijs præditum, ferens etiam in ſummo florem ſimilem: medium florem occupabat capitulũ multis luteis ſtaminibus cinctum, quod maturitate in ſemen planum lanuginoſum abibat, & levis auræ flatu diſcutiebatur: radix infra minimi digiti craſſitudinem, binas uncias longa, in profundum tendebat, non in latum ſe ſpargebat, unamq; aut alteram, interdum etiam plures teretes appendices è lateribus promebat, & aliquot inſuper fibris prædita erat. Serius alijs Anemones generibus & germinabat & florebat, ſemen Iunio maturum. *Anem. hortenſ. latifol. II.*

TERTIÆ folia ejuſdem ſunt amplitudinis cum ſuperiorũ folijs, ſed Saniculæ foliorum pænè diviſurâ initio, & pronâ parte nonnihil purpuraſcentia, mox multifida & tenuius inciſa; deinde emergit caulis nudus, lanuginoſus, dodrantalis, nonnumquam etiam pedalis, tribus laciniatis folijs, tamquam involucro florem occludens initio, ut in ſuperiore, tandem excreſcens, florẽ ſuſtinet, in duodena aut quindena folia diviſum, foris quaſi cineracei coloris & *Anem. hort. latifol. III. ſimpl. flore.*

loris & hirſuta, interius miſtâ rubedine purpurâ nitentia, gratiſſimo aſpectu, mediũ caput villoſum nigris ſtaminulis circumſeptum, quod excuſſo flore, veluti primum emergentis aſparagi thyrſulus intumeſcit, & ex plano villoſóq; ſive lanuginoſo ſemine conflatum, per maturitatem leviſſimo aurę flatu decutitur, & ejus arbitrio fertur, perinde ac ſilveſtris Anemones Primæ ſemen: radix novellarum plantarum ſemine natarum, exiguæ olivæ ſimilis eſt, vetuſtior autem, nodoſa & articulata, foris nigra, intus alba, fibris aliquot, per quas alimentum trahit, prædita, quæ fruſtulatim fracta pangi & ſeri poteſt.


Natales. Eam quibuſdam Germaniæ locis ſecundùm Rhenũ, inter Moguntiam & Andernacum, inter vepres in aprico florentem Martio conſpiciebam. Poſt annum etiam M.D XXC. (nam ante miſſam non memini) Conſtantinopoli cæpit adferri illi valde ſimilis, ſi non eadem. In hortis culta, ante hiemem plerũque folia producit, verno autem tempore floret, interdum etiam Autumno: ſemen Maio maturum, quod ſtatim ſeri præſtat, ut ſæpe expertus ſum. Similem etiam in Italia naſci arbitror: quia paucos ante annos à doctiſſimo viro Ferdinando Imperato Neapoli accipiebam.

Nomina. HERBARIORVM vulgus apud Belgas Anemonem ſtellatam ſive ſtelligeram nũc cognominat. Miror autem nonnullos adeò temerarij eſſe judicij, ut hanc pro Geranio primo reponere non ſint veriti: quandoquidem legitimum Geranium primum, tuberoſâ radice, ſit ſatis vulgaris notitiæ.

Anem. hort. latifol. IIII. ſimplici flore. ALIVD genus invenitur illi valde ſimile, & fortè ejus ſemine natum, cujus radix ſuperioris radici magnitudine & formâ reſpondet, quemadmodum etiam folijs (quæ profundioribus lacinijs diviſa videntur & dilutius virentia) & floris formâ: colore tamen diſſimili, foris enim folia exalbidi obſoleti ſunt coloris, intus ex purpurâ dilutiore albicant: capitulum ſuis ſtaminibus ſeptum medium florem occupat, quod maturitate in pappum, cui ſemen involutum, abit. Paullo ſerius priore floret.

Anem. hort. latifol. ſimplici flore. VI.

Anemone Latifolia ſimplici carneo flore? B: Pin: 173



Anem. hort. latifol. V. ſimplici flo. ETIAM ante hiemem ſua profert folia Quintum genus, Tertiæ folijs pæně ſimilia, inter quæ caulis, ut in reliquis, exoritur palmaris, nudus lanugine pubeſcens, tribus folijs, vel quàm leviſſimè, vel non, inciſis, florem (quod in Anemones generibus vulgare eſt) occultantibus, in ſummo præditus, qui tamen ad binas uncias ſive binos pollices, vel etiam altius excreſcens ſupra illa foliola, in octona plerumque, rarò plura, folia, dilutiore rubro, & ad carneum quaſi tendẽte colore interius nitentia, albicantibus unguibus, foris autem obſoletè rubentia & lanugine pubeſcentia explicatur, multis in umbilico violaceis ſtaminibus hirſutum capitulum ambientibus: radix tuberoſa & nodoſa eſt tenuibus aliquot fibris donata, foris nigricans, internè verò candida.

Anem hort. latifol. VI. ſimplici flo. ALIVD Anemones latifoliæ ſimplici carneo flore genus habuit Generoſa Domina de Heuſenſtain Byzantio allatum, quod Aprili & Maio anni M.D.XXCIIII. ipſi primùm flores protulit, foliorum formâ, colore, radice, à ſuperiore parum differens: flores etiam ſimplices, ſed decem aut duodecim latiuſculorum foliorũ numero conſtabãt, purpurei ferè coloris, & ad Tertiæ florum colorem valde accedentis, non carnei, unguibus albicantibus, multiſque nigricantibus ſtaminulis cingentibus medium hirſutũ capitulum, quod etiam maturitate in tomẽtoſam lanuginem planum ſemen continentem, reſolvebatur.

Anem. hort. latifol. VII. ſimplici flore. QVINTO nõ valde abſimile Septimum genus, quantum ad folia attinet. Id meo ære Conſtantinopoli anno M. D. XXCVII. emtum, quinquennio poſt demùm florem tulit Francofurti ad Mœnum, cum reliquis generibus ſub Maij initium. Habuit autem planta, quæ mihi unica hujus generis erat, radicem tuberoſam, foris nigram, è quâ prodibant duo aut tres (ut is annus nonageſimus ſecundus ſupra milleſimum & quingenteſimum fuit admodum ferax in Anemonum & multarum aliarum bulbacearum ſtirpium floribus proferendis) cauliculi pedales, teretes, ex viridi purpuraſcentes, & tenui quadam lanugine, ut ceterarum, obducti, quos circa ſummum cingebant terna laciniata folia, quorũ ſummæ oræ pluribus crenis erant diviſæ, quàm præcedentium, ex quibus emergebant unciales aut ampliores petioli purpuraſcentes, ſuſtinentes flores, ſim-

res, ſimplici octo foliorum ſerie cōſtantes, tenuiter odoratos, quorum color foris ſaturatius ex purpureo rubebat, interius verò uſque ad ungues, ſaturâ purpurâ (cui admixta rubedo quædam) nitebat & quaſi kermeſina erat, foliorum oræ quodammodo coccineæ, in quas tamen ſpargebantur purpuraſcentes radij, & videretur peculiaris quidam color ex utriſque conflatus, perquam elegans ſanè, ungues foliorum magni, albi: medium florem occupabat villoſum capitellum nigrum, multis ſtaminulis ſanguinei coloris cinctum, quorum apices ex cæruleo nigricantes, quod maturitate in lanuginem reſolutum, & illi implicatū nigrum ſemen habens, ut in alijs latifoliæ Anemones generibus, leviſſimo auræ flatu diſperſum fuiſſet, niſi colligendi tempus diligenter obſervaſſem.

2. HVIC perſimilis videbatur (modò eadem non ſit) quam anno M. DC. apud N. V. A. vander Duyn in cultiſſimo ejus horto conſpiciebam. Ea ſanè meâ longè vegetior erat, & multo plures caules ſuis floribus onuſtos proferebat.

3. NEC ei valde abſimilis erat, quæ ſemine nata, honeſtiſſimo viro Chriſtiano Porreto, anno eodem M. D C. florem tulit, paullo tamen (ut mihi quidem videbatur) dilutiorem, cujus etiam ſtaminula villoſum capitellum ambientia, violacei quodammodo erant coloris, & apices nigri: tria illa ſimiliter folia ſummum caulem amplectētia erant mucronata, unico dumtaxat in tres lacinias diviſo. Florebat dumtaxat Maij initio, quia valde ſerotinus fuit annus.

CETERVM ſemine Anemonidum terræ commiſſo, vel ſponte deciduo, multo plura tam latifoliarum, quàm earum quæ folia multifida & tenuiter inciſa habent, genera cōſpiciuntur in eorum, qui rei herbariæ ſtudio ſe oblectant, hortis, quàm ea, quorum hiſtoriam ante aliquot annos evulgavi: & quottidie nova naſcuntur.

Etenim inter latifolias quæ purpureum florem habent, mittebat ad me N. V. Ioannes Boiſot anno M. D. XCVIII. genus quoddam ipſi ſemine natum, cujus flos ipſo referente elegans eſſet, ſed mihi dumtaxat biennio poſt florem dedit.

ILLVD autem ex radice nodoſâ tuberoſâque & foris nigrâ, qualis ſuperioris & omnium *Anem. hort.* quæ lato ſunt folio (præter eam quæ flavum florē fert) multa promebat folia, illis quæ pur- *latifol. VIII.* pureum, & coccineum, atque carnei coloris proferunt florem valde ſimilia, adeò ut, non *ſimplici flore.* conſpecto flore, plantæ diſtingui nequirent: atque inter illa caules aliquot teretes, pedalis interdum longitudinis, virides, tenui quadam lanugine obſitos, quibus inſidebant terna folia mucronata, unciam longa, è quorum medio exiliebat pediculus gracilis, tres uncias longus, tenui ſimiliter lanugine obſitus, ſuſtinens florem elegantiſſimum octo folijs conſtantem, coloris purpurei ſaturi, exterius ſplendentis, interius minimè, quorum ungues magni, albíque, infimâ verò parte, quâ pediculo adhærebant, purpurei, eminente in medio flore capitello villoſo & nigricante, plurimis ſubcæruleis ſtaminulis, quorum apices cęrulei, cincto: odor florum ſpinæ appendicis.

Florebat cum alijs Anemonum generibus extremo Aprili & Maio.

NONVM genus etiam communicabat idem Boiſot, ipſi ſimiliter ſemine natum aſſerens, *Anem. hort.* & iſtic, ad aliarum differentiam, violaceo flore appellari ſcribens. Habebat autem folia *latif. IX. ſim-* ſuperiori, aut latifoliæ Tertiæ non multùm diſſimilia, quina, ſeptena, aut plura, inter quæ *plici flore.* prodibant ſingulares, bini, aut terni cauliculi, teretes, firmi, ex viridi purpuraſcentes, tenui quadam lanugine pubeſcentes, pedalis longitudinis, quos circa faſtigium ambiebant terna folia, ut in præcedentibus, initio florem occultantia, ex quorum deinde medio proſiliebat pediculus, binas aut ternas, interdum etiam plures uncias, longus, ſuſtinens florem octo, vel etiam pluribus interdum, folijs conſtantem, externâ parte ſubpurpureis & ſplendentibus, internâ verò, ex purpurâ violaceis, quorum ungues rubeſcentes albicante orbe erant cincti, ſpinæ appendicis florum odorem quodammodo referentem: umbilicum occupabat capitulum nigris ſtaminulis cinctum, quorum apices ex cæruleo nigreſcebant: radix aliarum latifoliarum radicis inſtar tuberoſa, foris nigra, & quæ fragmentis, ut ceterarum, pangi poteſt. Florebat cum alijs Aprili.

DECIMVM quoddam genus obſervabam, quod licet totâ quodammodo facie Nono ſi- *Anem. hort.* mile eſſet, & floris folia coloris eſſent etiam violacei: internâ tamē parte notis quibuſdam *latif. X. ſim-* erant diſcreta, nam albis maculis erant inſignita. Et certè initio, plantam illam vitium ali- *plici flore.* quod contraxiſſe exiſtimabam cujus cauſa maculæ illæ in flore apparerent. Sed quum radicem incorruptam offendiſſem, & ſequente anno flores ſimilibus maculis notati conſpicerentur, diverſum genus eſſe cenſui.

ALIVD præterea genus habebam cujus flores eſſent violacei paullo ſaturatioris coloris, *Anem. hort.* non cedens elegantiâ ei quod à Boiſoto accipiebam, & quorum ungues majores magiſque *latif. XI. ſim-* candidi erant, propius quodammodo accedentes ad Octavi generis flores. Illud Conſtan- *plici flore.* tinopoli allatum mihi communicabat Illuſtris Viri Davidis Vngnad uxor anno ante quàm Viennâ excederem, ut Francofurtum me conferrem.

HVIC Anemonidi non valde diſſimilis erat ea quæ ſemine nata Porreto, primum florem *Anem. hort.* tulit anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum, etiam elegās, nec folijs, cauliculis, atque etiam *latifol. XII.* radice diſcrepans à ſuperiore: flos etiam illius flori ſimilis, octonis folijs conſtans externâ *ſimplici flo.*

parte

parte dilutè purpuraſcentibus & ſplendentibus, internâ autem violaceis, quorum ungues valde magni, & prorſus argentei coloris, etiam eorum infimâ ſede, tenui tamē odore & vix ſenſibili præditus; cujus umbilicum occupabat villoſum nigricans capitulum, multis ſtaminulis nigricantibus cinctum, quorum apices nigri. Florebat Maij initio.

CETERVM eidem Porreto ſemine nata eſt alia Anemone latifolia, quæ etiam primum protulit anno M.DC.

Anem. hort. latifol. XIII. ſimplici flore.

Ea autem ex tuberoſâ & nigrâ radice, qualis ſuperiorum, multa producebat folia, ſuperiorum folijs ſimilia, inter quę prodibat ſingularis caulis craſſior & firmior, ex viridi purpuraſcens, & brevi lanugine ſeptus, in cujus ſummo faſtigio naſcebâtur tria folia, ſuperiorum folijs paullo ampliora & longiora, omniáque laciniata, è quorum medio aſſurgebat pediculus craſſior quàm in ſuperioribus, ex viridi purpuraſcens, & brevi lanugine obſitus, veluti etiam terna ſuperna illa folia, ſuſtinens amplioré florem quàm ſuperiorum, duodenis item folijs conſtantem, foris ex purpureo albeſcentibus & ſplendentibus, internè ex violaceo purpureis & etiam ſplendentibus, quorum ungues albi quidem, verùm non adeò ampli ut in pręcedente, umbilicum floris occupante villoſo capitello nigro, quod ambiebant ſubfuſca ſtaminula, ſubcæruleis apicibus prædita. Florebat Maio.

Anem. hort. latifol. XIV. ſimplici flo.

ISTIS adijciemus eas latifolias quæ flores quidem purpureo colore præditos habent, ſed multo dilutiore & veluti carneo. Omnes autem, radicis & foliorum formâ non ſunt diſſimiles ſuperioribus, præſertim Tertiæ, caules etiam habēt teretes & brevi lanugine obſitos, atque ex viridi purpuraſcentes, ut illius, ad quorum faſtigium naſcuntur uncialis longitudinis folia, quorum unum, ut plurimum, paucis lacinijs ſectum, inter quę exilit triuncialis pediculus, ex viridi etiā purpuraſcens, ſuſtinens florem octo plerūque folijs conſtantem, quorum externa pars nonnihil purpuraſcit, interna coloris eſt ferè carnei, ejúſque vel ſaturatioris vel dilutioris, unguibus item vel amplioribus, vel minoribus, omnium tamen albis, & capitellum medium obtinentibus nigrum & villoſum, quod ambiunt multa albicantia ſtamina apicibus cæruleis prædita. Flores autem ſunt vel majores vel minores pro terræ ratione & ubertate.

Florent omnes eodem tempore quo ſuperiores, aut interdum paullo ſerius, pro loci, in quo repoſitæ, ſitu. Quædam florem habent nonnihil odoratum, aliæ minimè.

Anem. hort. latifol. XV. ſimplici flo.

EST & altera Anemone latifolia, quam habui munere N. V. Ioannis Boiſot, cuique Decimumquintum locum dabimus. Ea autem habet radicem nodoſam & tuberoſam inſtar radicis præcedentium atque foris nigram, è quâ prodeunt multa folia, ut in præcedentibus, ſed majora & craſſiora atque in majores lacinias diviſa, inter quæ ſingulares aut plures exoriuntur caules ſatis firmi, virides, vel ex viridi purpuraſcentes, breviq; lanugine obducti, deſinentes in terna æqualiter naſcentia folia, aliarum latifoliarum inſtar, longiora tamen, ut quæ binas uncias ſuperent, & quadam lanugine pubeſcentia, è quorum umbilico prodit pediculus tres aut quatuor uncias longus, ex viridi purpureus, ſuſtinens florem octonis magna ex parte, interdum etiam novem folijs conſtantem, coloris externè carnei, & unguibus ſaturatè purpuraſcentibus, internè verò carnei valde diluti, illum, qui incarnati hiſpanici nomen obtinuit, prorſus referentis, & à nonnullis orangeus dicitur, ſuave rubens enim color flavo dilutiore vel pallido ſuffuſus eſſe videtur: medium florem occupat capitellum villoſum ad violaceum colorem tendens, cinctum ſtaminulis ejuſdem coloris, quorum apices ſaturè purpurei & quaſi nigri: maturitate in pappum diffluit illud capitulum, cui implicatum planum ſemen nigrum, ut in præcedentibus.

2. Aliud ejus genus etiam mittebat, jam deſcripto per omnia minus, cùm folijs, tum caulibus & flore, cujus color licet ferè idem, mihi tamen paullo dilutior videtur, in utroque tamen nulla odoris gratia.

Tempus.

Floret utrumque genus cum ſuperioribus: & pro ſoli, in quo repoſitæ, ubertate, ampliores vel minores flores proferunt. Non dubium eſt, quin plantæ earum ſemine natæ, etiam interdum varient, & flores proferant vel ſaturatioris, vel dilutioris coloris.

Anem. hort. latifol. XVI. ſimplici flore.

SIMILEM quidem habebat Anemone Decima ſexta cum Latifolia pleno flore (de qua ſequente capite) radicem, ſed ejus folia, quæ etiam multa ex illa oriuntur, non erant adeò ampla & craſſa ut illius, neque adeò dilutè virebant, ſed ferè erant ijs ſimilia quæ in latifolia purpureo flore, ſive Tertia (quæ omnium prima Belgio cognita) naſcuntur, inter quæ aſſurgebat caulis dodrantalis vel etiam pedalis, ſatis gracilis, viridis, in cujus faſtigio naſcebantur terna folia uncialis longitudinis, quorum unum paullo latiùs extimas oras laciniatas habebat, alia duo mucronata erant, interdum etiam alterum illorum nonnihil crenatum: inter quæ aſſurgebat triuncialis aut amplior pediculus, teres, viridis, aliquando ſummâ parte ex viridi purpuraſcens, brevi lanugine obſitus, cui inſidebat flos octo plerumque folijs conſtans uncialis longitudinis, interdum brevioribus, nonnumquam longioribus, ut ejus, cui Pavonis majoris nomen dederunt, florem ſimplici foliorum ſerie conſtantem æquare poſſit, pro ſoli in quo planta alitur, videlicet ratione: floris color idem qui in plenæ latifoliæ flore, hoc eſt, elegantiſſimo coccineo internâ parte nitens, ſimiles etiam ungues palleſcente orbe illos ambiente, externâ autem, quadam lanugine pubeſcens:

medium

Anem. hortenſ. latifol. ſimpl. flore XVI.

Anemone Latifolia flore coccineo. B: Pin 174.



Anem. hort. latifol. ſimpl. flore XVII.

Anemone Latif: flor: magno Coccineo B: Pin: 174.



medium florem occupabat capitellum villoſum cinctum ſtaminulis purpuraſcentibus, quorum apices nigricant.

DECIMVM ſeptimum Anemones ſimplici flore latioreque folio genus habuit Conſtantinopoli allatum Generoſa Dn. de Heuſenſtain, quod anno M. D. XXCVII. menſe Aprili in ejus horto floribus onuſtum conſpiciebam, cujus fragmentum ſequente Iulio mihi donabat, ego deinde amicis in Belgio communicabam. Id autem ſimilibus ſuperiori erat folijs, paullo tamen rudioribus, pronâ parte velut ærugine infectis ſupinâ valde virētibus & quaſi atris, quorum ea quæ tenuius inciſa, nigris maculis interdū aſperſa erant. Vegeta porrò erat hæc planta, cauleſque inter folia promebat firmos craſſiuſculos, tribus etiam foliolis ſupernè ſeptos, è quibus exilibat pediculus duas uncias longus, florem ſuſtinēs amplum, octo folijs conſtantem latiuſculis, elegantiſſimo coccineo colore internè fulgentibus, in quibus nulli apparebant ungues, externè dilutioribus & lanuginoſis: ſtamina capitulum cingentia ſanguinei erant coloris, eorum apices ex flavo & viridi coloribus cōmixtis ad nigredinem quodammodo tendebant initio, at obverſi, ſubcærulei ad cineraceum tendentis erant coloris: delapſo flore augebatur villoſum nigrum capitulum, quod maturitate in lanuginem tomentoſam reſolvebatur, cui implicatum erat ſemen planum, nigrum, quale in prædictis, quod etiam ilico ſatum, ante hiemem germinare ſolet: radix craſſa, nodoſa, foris nigra intus alba, multas fibras ſpargens. *Anem. hort. latifol. XVII. ſimplici flore.*

CETERVM anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum obſervabā apud N. V. A. vander Duyn elegans Anemonidis latifoliæ genus, cui Decimum octavum locum dabimus. Habebat id tuberoſam & nigram radicem inſtar aliarum latifoliarum quas enumeravimus, è qua prodibant folia pænè orbiculata, in tres partes uſque ad umbilicum diviſa, & in ambitu crenata, deinde alia minus orbiculata in tres etiam partes uſque ad umbilicum ea ſuſtinentem ſecta, quæ in longas lacinias erant diviſa, inter quæ aſſurgebant pedalis longitudinis caules craſſiuſculi, rotundi, ex viridi purpuraſcentes, ternis latiuſculis folijs in faſtigio præditi, è quorum umbilico exibat pediculus duas aut tres uncias longus purpuraſcente colore, & brevi quadam lanugine obductus, quemadmodum & ipſi caules, ut in reliquis latifoliarum Anemonidum generibus, ſuſtinens ſatis amplum florem octo folijs conſtantem, odoris expertem, coloris ex coccineo phœnicei, qualis ferè in papavere rhoeade conſpicitur, unguibus parvis ſubpallidis, occupante medium florem capitulo villoſo, nigro, cincto multis ſtaminulis ex atro purpuraſcentibus, quorum apices initio nigri & ſplendentes, deinde ex atro flaveſcentes. *Anem. hortenſ. latifol. XVIII. ſimplici flore.*

Florebat dumtaxat Maio, quia is annus valde ſerotinus fuit, propter præcedentem aſper- *Tempus.*

Anem.hort.latif.ſimpl. flore XVIII.

Anemone Latifol: flore coccineo pleniore. B: Pin: 174.



Summa colorũ varietas in Anemonidũ ſemine natæ floribus.

rimam hiemem, qualis totis triginta quinque annis in his regionibus non fuerat conſpecta.

HABEBAT etiam alias ſemine natas, quarum folia erant latifoliæ Tertiæ folijs non valde diſſimilia, ſed quæ flores haberent quibuſdam notis, ab ijs è quarum ſemine natæ erant, diſcretos: ut Natura non minus pænè ludat in coloribus florum hujus plãtæ, quàm in Tulipis, & Iridibus. Id quod etiam obſervabam in illis quas nobiles viri Carolus de Bentynck, & Ioannes Hogelandus, atque ornatiſſimus vir Chriſtianus Porretus ſemine adquiſiverant: nam nonnulli flores habuerunt colorem vel ſaturatiorẽ vel dilutiorem, quidam etiam ferè albicantem, alij ſanguineum, variantibus etiam mirum in modum eorum unguibus. Imò ipſe Hogelandus inter innumeras plantas tum latifoliæ, tum anguſtifoliæ quas ſemine adquiſivit, habuit latifolias quæ hoc anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum, primum florem tulerũt, in quarum floribus pluſquam triginta coloris aut unguium diſcrimina obſervavit, tum etiam in foliorum numero: quas differentias ipſe ſcripto tradidit.

ABSOLVTA latifoliarum Anemonarũ ſimplici flore præditarum hiſtoria, ut ad Anguſtifolias tranſeat ſermo conſentaneum eſt. Earum etiã variæ ſunt ſpecies, & illæ quidem folijs & radice inter ſe differentes: major tamen in florum colore & eorum unguibus conſpicitur differentia.

Anem. hortenſ. tenuif. ſimpl. flore I.

Anemone Geran: Robert: folio caerulea: B: Pin: 174.

Anem. hort. tenuiſol. I. ſimplici flore.



PRIOR, multa habet folia, novo vere, quũ prodire incipiunt, purpuraſcentia, deinde ex viridi pallentia, multifida, Coriandri, vel Limωniæ potiùs Anemonidis folijs ſimilia, trigemina plerumque ſimul pediculis cõnexa, hirſuta, & in terram, ut Dioſcorides rectè ait, inclinantia: inter quę caulis exilit nudus quidem, ſed quem terna foliola, trifariam profundius inciſa, mediâ parte amplectuntur, quæ aliquamdiu florem occultãt, donec Solis calore ex ijs ſeſe explicans, & emergens, expandatur in quattuordecim aut quindecim foliola mucronata, minora quàm in latifoliarum generibus, coloris vel cærulei, vel albi, vel utroque mixti, hoc eſt, externâ parte ſubcærulei, internâ albi, ſtaminulis albis, quorum apices pallidi, medium florem occupãtibus: decuſſo flore, apparet capitellum pænè Ranunculi, conflatũ ex ſeminibus ejus ſemini etiam ſimilibus, non tomentoſum ut in Latifoliâ Anemonide: radix digitalis plerumque longitudinis & craſſitudinis, in aliquot ramos diviſa, & tuberculis obſita, fibras quaſdam hac illac ſpargens, foris nigra, intus alba, quæ ſimiliter fragmentis ſeri & pangi poteſt.

Natales.


Hanc primum ex Italia habuerunt Belgici horti, miſſis ab Alphonſo Pantio, Sereniſſimi Ferrariæ Ducis Medico, ejus radicibus Illuſtri Viro Ioanni de Brancion, qui reliquis deinde communicavit.

Flores

Floret novo vere cum Anemonidis latifoliæ generibus: ejus ſemen etiam cum illo matureſcit, aut paullò ſerius.

Anem. hort. tenuifol. ſimpl. flore II.

Anemone Onanthes foliis flore violaceo tenuiphillo: B: Pin: 174.



ALTERIVS folia ante hiemem prodeunt quina aut ſena, multo minoribus & crebrioribus inciſuris diviſa, quàm Prioris Anguſtifoliæ, Bulbocaſtani, ſive Oenanthes primę folijs non valde diſſimilia, magis tamen carnoſa, & denſiora, dilutiuſque virentia: caulis inter ea pedalis aut major, unicus ut plurimum, nudus, hoc eſt, nullis folijs ſeptus, quadam lanugine pubeſcẽs inſtar caulis latifoliarum, quem circa faſtigium ambiũt terna minora & multifida folia, ad tempus florem occultantia, quibus explicatis, apparet flos ſummo cauli inſidens, qui caloribus apertus, majore quã ſuperior amplitudine præditus conſpicitur, & ſex dumtaxat folijs conſtare, licet interdum ſeptena aut octona adquirat, purpurei & quaſi violacei coloris, externâ parte lanuginoſis, cujus umbilicum occupant ſtamina nigricantibus apicibus prædita, capitellum villoſum nigrumque ambientia, quod nullum umquam ſemen proferre animadverti, licet totis triginta annis vel etiam pluribus in horto aluerim: radix nodoſa eſt, multos in obliquum quaquaverſum ſpargens tenues fragileſque ramos, foris nigricantes, intus albos. *Anem. hort. tenuifol. II. ſimplici flore.*

HÆC etiam in Belgicâ primùm miſſa à Pantio: poſtea aliquoties allata eſt Conſtantinopoli Viennam Auſtriæ. Floret Aprili, & interdum denuo Autumno, radice mirum in modũ propagatur: nam vel tenuiſſima ejus fragmenta facilè comprehendunt & repullulãt, etiam abjecta & nullâ terrâ tecta. *Natales.*

2. HVIC non diſſimilis nec folijs, nec radice nec floris formâ Cõſtantinopoli cum ea quæ violaceo eſt flore, advecta, in floris colore dumtaxat eſt differentia, qui non eſt violaceus, ſed ex purpurâ rubens.

IN Hiſpanicarum ſtirpium hiſtoria dictum eſt, ex Italiâ miſſam fuiſſe Ill. V. Ioanni de Brancion Anemonem, ſimilem radice & folijs Secundæ tenuifoliæ, quam cæruleum florem multiplici foliorum textura conſtantem ferre dicebant, quem conſpicere mihi non licuiſſet. Deinde in Plantarum per Pannoniam & vicinas Provincias obſervatarum Hiſtoria, Conſtantinopoli Viennam eſſe allatas Gen. Dn. de Heuſenſtain ſolidas & recentes minimeque rugoſas Anemonidis radices ejus tenuifoliæ quæ multorum foliorum ſanguineo eſt flore radicibus perſimiles, quas, qui mittebat *Bimzante* vocari, & cæruleum plenum florem geſtare ſcribebat: quæ licet Bulbocaſtani folijs ſimilia folia produxiſſent, florem tamen dediſſent nõ plenum, nec cæruleum, ſed ſimplicem & alterius coloris. Hoc etiam nomine, vel *Binizate*, omnium autem frequentiſſimè *Binizade* appellatione Conſtantinopoli poſtea miſſæ ſunt & illi & Generoſæ Dn. Vngnadin, atque alijs, Anemonidis radices, quæ tametſi multifida habuerint folia, inſtar foliorum Bulbocaſtani, floris tamen colore variarunt. Singulas porrò ordine deſcribemus.

PRIMA igitur hoc nomine miſſa, Tertia autem in claſſe earum quæ tenuiore folio ſunt & multifido, foliorum quidem formâ cum Secundæ folijs reſpondebat, commodè tamen tenuifolia dici non poterat, ſingulorum enim foliorum alæ, licet ternæ numero ut in illâ, minus frequentibus, latioribuſq; lacinijs diviſæ erant, Ranunculorũ quorundam folijs quadantenus reſpondentes: quæ tamen poſtremo germinabant folia, latioribus Anemonæ tenuifoliæ Polyphyllo flore folijs valde diſſimilia non erant: inter quæ prodibant ſingulares caules ſummo faſtigio terna ut in alijs folia ſuſtinẽtes, latioribus tamẽ lacinijs diviſa quàm in ceteris Binizade ſpeciebus, è quorum medio proſiliens pediculus binas uncias longus ſuſtinebat florem ſimplici ſex foliorum texturâ conſtantem, elegantiſſimi & floridi coccinei coloris, quorũ ungues ſatis magni, ex pallido, fuſco & albo coloribus mixtis tincti erant, paucis ſtaminibus capitellum cingentibus & floris umbilicum occupantibus. *Anem. hort. tenuifol III. ſimplici flore.*

Id genus mihi & alijs communicatum, prǽmaturè ante hiemem gemmas protrudere ſolebat, quas proximè ſubſequens gelu corrumpebat: at egregiè cum alijs flores dedit anno M.D.XXCVI. Verùm & hãc Anemonidem, & reliquarum maximam partem nobis corrum-

pebat aſperrimæ ſubſequentis hiemis inclementia, quæ maximam calamitatem omnibus propè Germaniæ hortis adferebat.

Anem.hort.tenuifol.ſimpl.flore IIII.

Anemone tenuifolio coccineo flore tetraphyllo B: Pin: 174.



Anem.hort.tenuifol.ſimpl.flore VI.

Anemone tenuif: flore amplo ſanguineo Hexaphyllo. B: Pin: 175.



Anem. hort. tenuifol. IIII. ſimplici flore.

ALTERA, quæ tenuifoliarum Quarta, ſimilima jam dictę habebat folia, inter quæ aſſurgebat firmus caulis, terna folia laciniata ſuſtinens, unde proſiliebat ſeſcuncialis pediculus, firmus, florem ſuſtinens amplum, octonis (præter iſtius generis Anemonidum morem) folijs conſtantem, coloris interiore parte coccinei elegãtiſſimi, unguibus albis, exteriore quidem etiam coccineis, ſed tenui lanugine pubeſcentibus & ſplendentibus: umbilicum occupante villoſo nigricãte capite, multis ſtaminibus cincto, quorum apices ex nigro purpuraſcebant: ſemen obſervare non potui, nam florem quem unicum habebat, carpebam, ut rudi minerva delinearem & deſcriberem: ſed ſi quod dediſſet, illi, quod ſubſequentes Anemonides protulerunt, par eſſe puto.

Anem. hort. tenuifol. V. ſimplici flo.

TERTIA, quæ Tenuifoliarum Quinta eſt, multa ante hiemem promebat folia, tenuifoliæ polyphyllo ſanguineo flore folijs non diſſimilia, paullo tamen ſaturatiora & paullo tenuius inciſa: inter quæ caules exibant terni aut quaterni, interdum, ut in illâ, ſingulares, pedem longi, firmi, purpuraſcentes, & lanugine pubeſcentes, tribus folijs valde diſſectis & laciniatis, florem initio occultãtibus, Anemonidis tenuifoliæ plenæ & ceterarum more præditi, qui deinde ad trium unciarum altitudinem aut majorem, ſupra illa excreſcentes, unicum ſinguli ſuſtinebant florem, magnum, illi qui violaceus eſt, pænè interdum æqualem, ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantem, quæ elegantiſſimo coccineo colore intus nitebant, foris lanugine pubeſcebant, quorum ungues albi, & umbilicus, à multis purpuroviolaceis ſtaminibus medium caput cingentibus, occupatus: radix tuberoſa & nodoſa ut ſuperioris aut Tenuifoliæ pleno flore. Hæc una ex illis Anemonidibus Binizade appellatione inſignitis eſt, quæ cæruleum plenum florem geſtare debebant.

Anem. hort. tenuifol. VI. ſimplici flore.

QVARTA *Binizade*, ſive Tenuifolia Sexta, folijs à Tertia nihil differebat, pedaliſq; longitudinis caulem habebat, circa faſtigium tria folia ſuſtinentem, aliarum inſtar, latioribus lacinijs diviſa, deinde ſupra illa palmari longitudine aſſurgentem, & florem ſuſtinẽtem amplum admodum, reliquis ejus generis majorem, ſimplici ſimiliter ſex foliorum texturâ conſtantem, non orbiculato mucrone, ut ſuperioris, ſed in cuſpidem ferè deſinente, coloris ſanguinei elegantiſſimi, unguibus albis magnis, villoſo capite umbilicum floris occupante, & multis ſanguineis ſtaminulis obſito, quibus inſidebant apices ex cæruleo purpuraſcentes: radix ſuperiori ſimilis.

Anem. hort. tenuifo. VII. ſimplici flo.

BINIZADE Quintæ, ſive Tenuifoliæ Septimæ folia ante hiemem prodibant, humiq; ſpargebantur, ut in ſuperioribus, & paullò majoribus lacinijs diviſa videbantur: inter quæ

Martio

Anem.hort.tenuif.ſimpl.flore VII.

Anemone tenuifolia flore coccineo sanguineo C. B. Pin: 174



Anem.hort.tenuif.ſimpl. flore IX.

Anemone tenuifolia flore multifido dilute purpurascente. C. B. Pin: 174.



Martio exibat caulis dodrantalis, tenuis, teres, purpuraſcens & brevi lanugine pubeſcens, ad cujus faſtigium naſcebantur perinde ac in alijs generibus tria minora laciniataque folia, florem tegentia, minus tamen inciſa quàm in Tertia Binizade, ex quorum medio prodibat pediculus binas aut tres uncias longus, ſubpurpuraſcens, cui inſidebat flos minor alijs, & coccineo quidem colore præditus, ſed nonnihil ad ſanguineum tendente ſplendens, qualis in quarundam Tuliparum floribus conſpicitur, ſex, ut plurimum, nonnunquam quinque dumtaxat, ſed interdum etiam ſeptem folijs conſtans, eorum unguibus magnis, exalbidis, qui purpereis venis diſtincti erant: umbilicum floris occupabat hirſutum capitellũ, tenuibus purpuraſcentibuſque ſtaminibus cinctum, quorum apices nigricantes: id maturitate in tomentum reſolvebatur cui implicatum planum, ut in ceteris, ſemen.

2. Hujus flos interdum variat: nam licet ſex folijs conſtet & coccineus ſit, ad cocti tamen lateris colorem accedit, nec ſplendens eſt. Vtriuſque autem radix Tenuifoliæ pleno flore radicem non minus refert quàm prædictæ. *Varietas.*

Non erat diſſimilis ſuperiori cùm radice tum folijs, quæ Sexta Binizade nomine miſſa, ſive Tenuifolia Octava, frequenteſq; ex radice promit caules pedem altos, virides, ſummo faſtigio ex viridi purpuraſcentes, & tria etiam folia minora tenuiter inciſa ſuſtinentes, inter quæ exurgit palmaris pediculus ex viridi purpuraſcens, & brevi lanugine pubeſcens, cui inſidet flos major ſuperiore, ſex folijs conſtans externâ parte lanugine quadam obductis & coloris ſanguinei ſaturatioris & ſplendentis, internâ autem ſanguinei coccineo permixti, quorum ungues ejuſdem ferè ſunt coloris, ſed ſplendentis aliquantulum, quáque pediculo adhærent quodammodo pallentis, umbilicum floris occupante nigricante capitello purpuraſcentibus ſtaminibus cincto, quorum apices ex cæruleo fuſci. abit tandem illud capitellum in albicans tomentum, cui implicatum ſemen planum ut in præcedente. Floret Aprili, interdum denuo ſub extremum Autumnum. *Anem. hort. tenuif. VIII. ſimplici flore.*

Tenvifoliæ Septimæ ſimilis erat radice & folijs Septima Binizade appellatione miſſa, ſive Tenuifolia Nona. Ejus autem flos ſenis folijs non conſtabat, ut reliquarum maxima pars, ſed quatuordecim & pluribus, ijs ferè ſimilibus, quæ interiore parte floris Tenuifoliæ plenæ conſpiciuntur, diluti tamen admodum purpurei coloris, & quaſi carnei, nullis unguium veſtigijs: medium autem capitulum ambiebant multa purpurea ſtamina, quorum apices cærulei. *Anem. hort. tenuifol. IX. ſimplici flore.*

Maio florebat apud Gen. Dnam Vngnadin anno M.D.XXCVIII. Autumno præcedente ipſi cum alijs pleriſque ſingularibus Byzantio allata. An ferat ſemen, mihi incompertum: nam quum unicam ejus plantam haberet, eámque uno dumtaxat flore præditam, illum ut præ- *Tempus.*


ſcinderem permittebat, quo cõmodius deſcribere & delineare poſſem An porrò inſequente anno ſimilem florẽ tulerit, & ſemen dederit, ignoro: nam illo ipſo anno Viennâ diſceſſi.

Anem. hort. tenuif. ſimpl. flore x. & .xi.

Anemone tenuifolia flore exalbido majore.

eadem [illegible] flore. B Pin. 175.

Anem. hort. tenuifol. x. ſimplici flo.



Anem hort. tenuifol. xi. ſimplici flore.

RADICE atque folijs Tenuifoliæ Quintæ proxima ferè erat Binizade Octava, vel Tenuifolia Decima, licet folia paullo craſſiora & magis ſucculenta habere videretur, atque pronâ parte ſplenderent: inter quæ naſcebatur caulis pedem longus, firmus, viridi lanugine obſitus, terna folia ſuſtinens, non adeò frequentibus lacinijs diviſa quàm ſuperiorum, quibus flos initio obvolvebatur: è quorum umbilico creſcebat pediculus tres circiter uncias longus, amplũ geſtans florem, eo qui violacei coloris eſt æqualẽ, ſex folijs conſtantem, ut ceterorum maxima pars, exalbidi vireſcentis primum coloris, deinde nõnihil ad carneum tendentis & circa ungues vireſcentis externâ parte, internâ verò albi, plurimis in umbilico tenuibus ſtaminibus carnei coloris, quorum apices nigri, hirſutum carneique pænè coloris capitulum cingẽtibus. Iſta etiam miſſa fuerat Gen. Dnæ de Heuſenſtain pro ea quæ florem cæruleum plenum ferret.

FOLIIS, caulibus, radice, jam dictæ reſpondebat Nona Binizade, aut Tenuifolia Vndecima Anemone: cujus flos pediculo inſidebat è tribus laciniatis folijs emergenti, ſatis magnus, brevior tamen ſuperiore, ſex ut plurimum folijs præditus (interdum etiam octonis aut pluribus) coloris externâ parte carnei albo mixti, internâ verò prorſus ferè albi, unguibus & venis ex albo paullulum vireſcentibus: medium florem etiam occupabat hirſutum capitulum albis ſtaminibus cinctum, quorum apices ſubcærulei. Matura utriuſque capita in tomentoſam lanuginem planum ſemen continentem reſolvebantur, & à leviſſima aura diſpergebantur.

Vtramque hanc Anemonidem tenuifoliam exalbido flore Decimam videlicet & Vndecimam in eadem tabellâ exprimi curabam, alterius tamen dumtaxat florem, quum ceteris notis conveniant.

Et hæ quidem omnes Anemonides ſunt, quæ Binizade appellatione miſſæ. Ceterum iſtam varietatem ſatione fieri credibile eſt: nam in alijs quibuſdam etiam plantis idem contingere obſervabamus.

CETERVM aliam Anemonidem tenuifoliam albo flore conſpiciebam apud N. V. Ioannem Hogelandum, quam alterutrius iſtarum ſemine natam non dubito.

Anem hort. tenuifo. xii. ſimplici flo.

Multa autem promebat ex radice folia multifida inſtar aliarum Anemonarum tenuifoliarum, viridia, non ſplendentia: inter quæ exibant bini aut plures caules dodrantales vel etiam pedem longi, rotundi, firmi, in quorum faſtigio terna naſcebãtur folia multipliciter diviſa, ut in reliquis Anemonibus multifido folio præditis, è quorum media ſede exibat pediculus, binas, ternas, aut plures uncias longus, gracilis, purpuraſcentis ex viridi coloris, ſuſtinens amplum florem, ſex folijs prorſus candidis cõnſtantem, exceptis foliorum unguibus, qui externâ parte nonnihil vireſcebãt: medium florem occupabat capitulum nigrum, plurimis ſtaminibus albis cinctum, quorum apices nigri magnam venuſtatem candido flori addebant: radix erat tuberoſa, craſſiuſcula, inſtar radicis ſuperiorum, aut illius Anemonidis tenuifoliæ, quæ plenum ſanguineum florem profert.

ANNO porrò M.D.XXCVI. Conſtantinopoli miſſas novo vere accepit Generoſi viri Davidis uxor exſuccas Anemonidum radices, quæ ſtatim telluri creditæ, ſubſequente Maio & Iunij initio flores protulerunt non unius generis Nam licet omnes multifida inſtar Bulbocaſtani haberent folia, & creſcendi formâ atque radice Tenuifoliam polyphyllo flore rubro ſive ſanguineo referrent: quarundam tamen flos ſimplici ſex foliorum ſerie conſtans prorſus niveus fuit præter foliorum ungues, qui carnei quidpiam coloris mixtum habebãt: capitulum hirſutum, floris umbilicum occupans, ſepiebant multa candicãtia ſtamina, apicibus ex obſcurâ purpurâ nigricantibus prædita: Aliarum flos fuit coloris ſanguinei, & plenus. Singularum radices ſimiles craſſæ & nodoſæ. Omnes autem miſſę Galipoli lale nomine, & ſubſequentis hiemis inclementiâ corruptæ.

Anem. hort. tenuifol. xiii. ſimplici flore.

CETERVM

CETERVM inſequente anno accipiebam Byzantio aliquot Anemonidis radices, iſtic in foro redemptas meo ære, cum quibuſdam alijs peregrinis plantis, quarum tres inter eas quæ tenuiore fuerunt folio, florem habuerunt à jam deſcriptis colore nonnihil variantem.

Anem. hort. tenuifol. ſimpl. flore. XIIII. *Anemone tenuifolia flore carneo ſtriato. B: Pin: 175.*



Anem. hort. tenuif. XIIII. ſimpl. flore.

VNA protulit multifida & tenuiter inciſa folia, reliquarum Anemonarũ Bulbocaſtani folijs præditarum modo: inter quæ dodrãtales aut ampliores caules, nudi, firmi, ſubhirſuti vel brevi quadã lanugine pubeſcentes, terna minora folia aliquot lacinijs diviſa circa ſummum faſtigium habẽtes, deinde ſummo faſtigio, quod ſupra terna illa folia ad aliquot uncias excreſcebat, florẽ ſuſtinentes ſex foliorum ſerie conſtantem, externâ parte carnei coloris prorſus, præter albicantes oras, internâ verò exalbidi, venis tamen carnei coloris ab imo ungue uſque ad medium folium ſparſis, umbilicum occupante villoſo capitello, multis leviter purpuraſcentibus ſtaminibus nigricante apice præditis obſito: hujus verò radix à ſuperiorũ radice valde differebat, & Tenuifoliæ Secundæ, quæ violaceũ fert florem, radici proxima erat: nam medium quidem radicis caput, è quo folia & caulis emergebãt, extuberabat & craſſius erat, ut in illâ, deinde tenues fragileſq; ramos foris nigreſcẽtes, intus albos, illius inſtar quaqua verſum in latera ſpargebat. Hæc inſequente Vere flores dedit.

Anem. hort. tenuif. XV. ſimpl. flore.

ALTERI, ſingulis quidem annis folia emergebant Priori non diſſimiliâ: ſed quadriennio poſt dumtaxat ejus florem mihi conſpicere licuit, qui ſingulari cauli tereti innitebatur ternas aut quaternas uncias ſupra minora illa folia tenuibus lacinijs diviſa aſſurgenti, ſex ſimiliter folijs præditus, & pænè prioris flori ſimilis, candidior tamen, nec valde à Decimætertiæ flore diverſus, multis ſtaminibus albis ſubcæruleo apice præditis, & hirſutum capitulum cingentibus, ejus umbilicum occupantibus. Hujus radix à Prioris radice longè diverſa, nam nullos nigricantes ramos in latera ſpargebat, illius inſtar, verùm in tuber cõtracta, Tenuifoliæ quæ plenum florem fert, radicem, forma, magnitudine & colore valde referebat, vel etiam magis albeſcebat: breviter non valde diſſimilis XIII.

Anem. hort. tenuif. XVI. ſimpl. flore.

TERTIA, neque folijs, neque radice ab hac differebat, floris etiam forma ſimilis (ſex enim folijs conſtabat) amplior tamen, & foliorum magis orbiculato mucrone erat, color etiam diverſus, nempe ruber ſeu potiùs ſanguineus adeò ſaturatus & elegans, ut cum illo, qui in ſericeo panno villoſo rubro ſaturo, & ad nigredinem quodammodo tendente, elucet, contendere poſſe videretur: ungues adhuc magis ſaturi, albicantibus tamen quibuſdam venis diſtincti: umbilicum occupabat hirſutum fuſcum capitulum, quod ambibant multa ſtamina ex purpurâ rubentia nigricantibus apicibus prædita.

Florem etiam hæc dedit quarto demum anno poſt quàm illam accepiſſem.

Anem. hort. tenuif. XVII. ſimpl. flore.

NON minùs elegans, nec etiam ei valde ſimilis erat, quam Lugduni Batavorum obſervabam. Ea etenim ex radice ſimiliter tuberosâ & craſsâ ut ſuperiorum, multa producebat folia multifida inſtar præcedentium, & inter illa caules ternos aut plures pedalis longitudinis, interdum majores, quorum faſtigio inſidebant terna folia minora multipliciter inciſa, & ſupra illa aſſurgebat craſſior pediculus, quaternas uncias lõgus, ex viridi purpuraſcens, ſuſtinens florem valde amplum, non cedentem magnitudine flori Secundæ Tenuifoliæ, ſex folijs conſtantem, coloris ſanguinei ex atro rubentis & quaſi ſericei panni villoſi kermeſino colore præditi æmuli, quorum infima pars circa ungues ſplendebat, floris verò umbilicum occupabat capitellum nigrum villoſum, exilibus ſtaminibus ejuſdem cum folijs pænè coloris, paullo tamen dilutioris ſeptum, quorum apices nigri. Florebat Aprili.

ALIAM præterea valde elegantem conſpiciebã in Illuſtriſſimæ Ducis Arſchotenſis horto florentem Lugduni apud Batavos, quam à me accepiſſe dicebat.

Anem. hort. tenuifol. XVIII. ſimplici flore.

Habebat autem illa, multa & tenuiter inciſa folia humi ſparſa inſtar aliarum Tenuifoliarum, ſaturatiore tamen (ut mihi quidem videbatur) viriditate prædita, pediculis ex viridi purpuraſcentibus innixa, inter quæ prodibant bini, terni, aut plures caules purpuraſcentes, tenui breviq; lanugine obducti, ut in præcedentibus generibus, ſummo faſtigio ſuſtinentes terna

terna folia, inſtar eorum quæ in alijs Anemonibus tenuifolijs multifida & æqualiter naſcentia, è quorum medio exibat pediculus ejuſdem cum caule coloris, unciam unam aut alteram longus, aut paullò major, cui inſidebat flos ſex folijs conſtans, brevi tenuique lanugine exteriore parte pubeſcentibus, coloris dilutè rubeſcentis, interiore verò coccinei valde diluti, quorum ungues ampli erant & albi, umbilicum obſidebat fuſcum capitulũ multis ſanguinei coloris ſtaminulis cinctum, quorum apices nigri: radix ferè ei ſimilis quæ tenuifoliæ pleno flore. Cum alijs generibus Aprili florem, qui odoris expers, proferebat.

Anem. hort. tenuif. XIX. ſimpl. flore.

EODEM ſimiliter tempore Aliam obſervabam florentem, quæ, ex tuberosâ craſsâ radice inſtar ſuperioris, multa producebat folia multifida, ejus tenuifoliæ quę plenum florem habet folijs ſimilia, inter quæ etiam exoriebantur bini aut terni, interdum plures, pro plantæ magnitudine, caules, pedalis longitudinis, virides, brevi lanugine pubeſcẽtes, ferentes ſummo faſtigio terna minora folia, ſed valde etiam diſſecta, inter quæ exiliebat pediculus tres aut quatuor uncias longus, ex viridi purpuraſcens, & brevi tenuique lanugine obſitus, ſuſtinẽs florem ſex uncialibus folijs conſtantem elegantis coloris, veluti ex ſanguineo & coccineo medij, non ſaturi tamen ſed diluti, eique prorſus ſimilis quem vulgus cochinilleum appellat, extimâ parte orbiculatis, non autem mucronatis, quorum ungues magni, albi, & quaſi argẽtei, umbilico floris occupato à nigro villoſo capitello, quod ambibant multa tenuia ſtaminula ejuſdem cum flore coloris, & nigris apicibus prædita.

Anem. hort. tenuif. XX. ſimpl. flore.

CVM ea conveniebat Altera, tam radicis quàm foliorum formâ: caulis tamen & folia in hac magis dilutè vireſcere videbantur, quemadmodum & terna illa quæ in ſummo caule naſcuntur, tum pediculus cui flos inſidebat, qui etiam craſſiores & firmiores erant quàm in ſuperiore: flos item major, licet ſenis duntaxat folijs, ut ille, conſtans, ſanguineo tamen colore quodammodo præditis, vel inter coccineum & cochinilleum medio, albicantibus unguibus ijſq; minoribus quàm in ſuperiore: capitello in floris umbilico ſito, ſtaminuliſque illud ambientibus cum ſuis apicibus, nil prorſus differebat à ſuperiore.

HÆC ſunt quæ de Anemonide tenuifoliâ florem ſimplici foliorum ſerie gerentem obſervabam: non dubito autem quin plura genera reperiantur, & multo adhuc plura quotidie exoritura cõfidimus, vel foliorum numero, vel colore, vel alijs notis flores diſcretos habitura, in ijs plantis quæ ſuperiorum ſemine vel natæ ſunt, vel naſcentur.

Anemonides, ut plurimũ, caules ſingulares non ramoſos habẽt.

CETERVM, Omnia Anemonidum genera, ſingulares caules, interdum duos, aut tres, vel etiam plures, prout magnæ & amplæ vel vetuſtæ ſunt radices, proferre ſolent, & nullis ramis præditos: non candidè igitur agunt, qui eas multifido & ramoſo caule expreſſas nobis proponunt. Non tamen inficias eo, quin interdum Naturæ luxuriantis luſu cõtingere poſſit, ut unus ramulus, interdum & alter, inter ſuperna illa folia ſummum caulem amplectentia enaſcatur, ut mihi accidit in Tenuifolia hortenſi ſimplici ſex foliorum coccineo flore anno M. D. XXCIX. & latifolia hortenſi ſimplici flore Tertia, anno M. D. XCII. atque etiam alijs Tenuifoliæ generibus anno M. D. XCIIII. & Hogelando in eâ Tenuifolia albo flore, quam ſemine adquiſierat: verùm id rariſſimè, & præter ipſius plantæ naturam: niſi fortè Latifoliæ Secũdæ quis peculiare eſſe cenſeat, ut caulẽ in binas alas diviſum gerat.

Anemone Anguillaræ.

REFERT diligentiſſimus Anguillara, ſe in altis montibus obſervaſſe Anemonidis genus multifido & lanuginoſo folio, cujus flos quatuor dumtaxat folijs conſtaret Papaveris florum inſtar, qui vel rubri coloris eſſet, aut albi, aut cærulei: & in Apulia genus illud inveniri, quod Galenus luteo eſſe colore ſcribit: quod quum non facie, ſed ſolo colore à reliquis generibus differre aſſerat, plurimum dubito, an latifoliæ genus illud ſit, quod ſecundo loco deſcripſi.

Nomina.

DICITVR autem Græcis ἀνεμώνη, Plinio Anemona & Phenion, Gaza Fremium (niſi mendoſus ſit ejus codex & Phenion cum Plinio ſcripſerit) novâ & inuſitatâ voce vertit: nullum vulgare nomen novi. Ruellius tamen *Coquelourdes*, Cocles, & *Paſſe-fleurs* à Gallis appellari aſſerit. Scio poſtrema duo nomina Papaveri erratico nonnullis Galliæ locis tribui: vox *Coquelourdes* Pulſatillæ fortè convenire poſſit, quæ ſilveſtris Anemonæ genus eſt. Non deſunt tamen, qui ſimili appellatione Pſeudonarciſſum pallido flore donent.

Coronariam autem plantam apud Veteres fuiſſe, ex Athenæi Deipnoſoph. Hiſt. libro XV. apparet.

Nicander enim lib. II. Georgicorum flores coronarios apud eum recenſens Anemonidis meminit, his verbis,

Et Anemonides fulgentes ipſæ, antea quàm contractentur,
Splendidiore procul colore allicientes.

Et Cratinus in Effeminatis, apud eundem,

Chamæmelis omnigenis ornatur mihi caput,
Lilijs, roſis, leirijs, coſmoſandalis, violis, ſiſymbrijs,
Anemonarum vernis calicibus, ſerpillo, croco, hyacintho, &c.

OMISSIS porrò Neotericorum varijs de Anemonide ſententijs, ejus vis acris eſt, & proximè ad Ranunculi facultates accedere videtur.

ANEMONE

ANEMONE HORTENSIS pleno flore. CAP. LVIII.

SED longè omnium elegantiſſima ſunt duo illa Anemonidis genera, quæ Polyphyllum, ſive multiplici ſerie conſtantem habent florem: quarum hiſtoria in Appẽdice ad Plantarum in Hiſpanijs obſervatarum deſcriptionem data eſt, & in Pannonicis Plantarum obſervationibus auctior reddita: nunc verò quia circa illarum alteram, latifoliam videlicet, quaſdam notas diligentius obſervare mihi licuit, ejus hiſtoriam de integro retexere placuit. Ejus verò plures obſervabam ſpecies. *Anem. pleno flore duo genera.*

Anemone latifolia maxima verſicolor B. Pin: 176

Anem. hort. latif. pleno flo. verſic. radix.



ILLARVM enim Prior, multa habebat folia, lata initio, & latifoliæ ſimplici flore Primæ folijs pænè ſimilia, deinde Saniculæ aut Tertiæ latifoliæ foliorum æmula, majora tamen, magis dura nervoſaque, & in tres lacinias altius diviſa, inſuper in ambitu ſerrata, ſupinâ parte viridia admodum & quaſi nigricantia, pronâ candidiora, fervidiſſimi ſaporis & illico linguam urentis, ante hiemem etiam germinantia. Novo jam Vere, unus aut alter caulis inter folia prodibat dodrantalis, interdum etiam pedalis longitudinis, craſſiuſculus, nudus, brevi lanugine ſeptus, circa faſtigium tria exigua folia, aut nullis, aut rariſſimis lacinijs diviſa ab eodem fere exortu prodeuntia & ſimul tandem caulem amplectentia proferens, deinde binis uncijs ſupra jam dicta folia emergens, magnum ac latè expanſum florem ſuſtinebat, numeroſis folijs conſtantem, quorum externa & majora dena aut duodena, colore viridi, ut plurimum, prędita erant, eorum mucronibus coccineo colore leviter & virgatim infectis, interna verò minora, & anguſtiora dilutiore ex rubro purpurâ nitebant, & quæ medium florem occupabant ejuſdem etiam coloris, ad umbilicum reflexa, & veluti glomerata erant. *Anem. hort. latifol. pleno flore I.*

HABVIT porrò Generoſa Dn. de Heuſenſtain anno octogeſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum ex hujus fragmento, quod aliquot ante annis ipſi communicaveram, florem modò deſcripto ſimilem, qui ex alio ſimplici octo latiorum foliorum partim viridium, partim coccineorum flore, triunciali caule ſupra terna minora folia innitente emergebat, quem ſuſtinebat uncialis pediculus purpuraſcens, elegante ſanè ſpectaculo. *Varietas.*

ALTERAM ſpeciem habuit illo ipſo anno eadem Generoſa Dn. quæ ampliſſimum geſtabat florem, inſidentem pediculo duarum aut trium unciarum ſupra terna illa minora folia emergenti, initio quidem virentem, deinde coccineum colorem paulatim contrahentem, octonis tamen aut pluribus folijs latioribus & externis reliqua amplectentibus, aliquam viriditatem retinentibus, interiora verò coccinei prorſus erant coloris, eorumque ungues ſuperiore parte ex pallido flaveſcebant, infimâ, quâ capiti inhærebant, coccinei radiatim in pallido deſinentes erant coloris: floris autem umbilicum non occupabant glomerata & reflexa folia ut in præcedente, ſed villoſum capitellum nigricans, multis nigris ſtaminulis cinctum, quorum apices initio ex viridi palleſcebant, deinde, ubi obverſi, ad ſubcæruleum colorem tendebant. Ejus floris diameter erat tribus uncijs Romanis, ſive quadrante Romani pedis amplior. *Anem. hort. latifol pleno flore II.*

SIMILEM nunc alunt omnes rei herbariæ cultores Belgici in ſuis hortis; in quâ tamen duplex diſcrimen animadvertebam.

VNA enim caules inter folia producebat dodrantem aut pedem longos craſſiuſculos & firmos, virides, ſuſtinentes ſummo faſtigio quaterna plerumque, nonnunquam etiam quina uncialis longitudinis folia, quorum unum latiuſculum & extimâ parte in lacinias diviſum, reliqua mucronata, viridia, interdum tamen uno aut altero, rubro colore conſperſo: pediculus deinde inter illa aſſurgebat, tres, quatuor, aut plures nonnunquam uncias longus, craſſus, firmus, viridis, pubeſcens, cui inſidebat flos unicus, vicenis, tricenis aut pluribus folijs conſtans uncialis vel etiam amplioris longitudinis, eleganti ſaturatiore ſplendenteque coccineo colore præditis, quorum ungues ſanguineos ambibat magnus orbis pallidus, qui ma- *Anem. hort. latifol. Pavo major I.*

Anem.hort latifol. plen.flor. verſicolor.



Anem.hort.latif.pleno flore coccineo.



qui magnum decorem flori addebat: floris umbilicum occupante capitello villoſo nigro ſtaminulis ſanguineis ſubcæruleos apices habentibus cincto.

Anem. hort. latifol. Pavo major II.

ALTERA flores minus plenos profert, & interdum ſimplici octo, novem aut decem foliorum duntaxat ſerie conſtantem; alioqui, nec folijs nec floris amplitudine, nec colore ab aliâ differt.

Singularum radix craſſa, & in aliquot capita extuberans, Latifoliæ Tertiæ ſimplici flore radicis inſtar, foris nigra & ſcabra, intus alba, ſolida, ingrati ſaporis & fauces coarctans, multisque tenuibus fibris prædita.

Tempus.

Aprili vel paullo etiam ſerius florem iſtæ expandunt. Sed Prioris flos rariſſimè in Germania ad frugem pervenit, frequentiſſimè enim, ante quàm ſeſe explicet, vitium contrahit. Certè licet multis annis aluerim, ultra ternos aut quaternos ejus flores explicatos videre non memini. Caſſellis autem in cultiſſimo horto Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Landgravij Haſſiæ &c. maximum & amœniſſimum protulerat anno M. D. XXCI. quem vivis coloribus ipſius juſſu expreſſum, dum ſequente Octobre ipſius Celſitudinem convenirem, mihi conſpiciendum præbebat.

Nomina.

PRIOR iſtarum Conſtantinopoli ſemper allata fuit *Giul* vel *Gul catamer* appellatione, quâ (ut ante diximus) roſeos pænè omnes flores & multiplici foliorum ſerie conſtantes donant. Vulgus autem Herbariorum apud Belgas & Chalchedonicam, & quia ejus flos plerumque vitioſus eſt, & in caput multis viridibus folijs conſtans degenerat, viridis Anemonidis cognomen illi tribuit. Alteram autem quæ perfectum coccineum florem geſtat, Pavonem majorem appellant, quòd ejus flos, orbem illum, qui in extremis caudæ pavonum plumis conſpicitur, quodammodo imitetur, tametſi diverſis coloribus præditus.

Harum radices, perinde ac Latifoliarum ſimplici flore, præſertim quæ craſſæ & globoſæ ſunt, temporis diuturnitate plerumque carioſæ fiunt, & vitio deinde ad extremos nodos ſerpente, tandem penitus corrumpuntur, niſi alternis ad minimum annis, in fragmenta divulſæ, tellurique commiſſæ pangantur.

Anem. hort. tenuif. pleno flore.

CETERVM Alterius, quæ pleno flore eſt, folia, numero quina, ſena, aut plura ſunt, multifida, Bulbocaſtani, aut Tenuifoliæ ſecundæ, ſimplici ſex foliorum ſerie florem gerentis folijs ſimilia, paullo tamen dilutius virentia, ſeu verius ijs quæ reliquæ tenuifoliæ, florem coccineum ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantem geſtantes craſſioreque radice præ-

ditæ

Anem.hort.tenuifol.pleno flore.



ditæ, habent: caulis etiam illarum cauli ſimilis, quem circa ſummum tria minora tenuiter inciſa folia ambiunt, florem, ante quàm aperiatur, occultantia, qui ſummo cauli ad binas, ternas, aut plures uncias ſupra minora illa folia ſuccreſcenti inſidens, in dena, aut plura externâ parte pubeſcentia, longáque & latiuſcula atque etiam majuſcula folia explicatur cocci modo rubētia, internâ verò parte coccineo ſaturatiore nitentia, quæ numeroſa tenuiaq; foliola ſanguineo colore prædita amplectuntur. Hujus radix nodoſa quidem eſt, ſed paullò longior alterâ, & licet foris nigricans, nitidior tamen, & palleſcente colore quaſi perfuſa, breviter earum radici ſimilis, quarum flores ſanguineo coccineoq; colore ſunt preditæ, intus alba, ejuſdemque cum aliarum radice ſaporis, & tenuibus fibris, ut illæ donata, & fragmentis pangi poteſt.

Hæc porrò multo liberalior eſſe ſolet in proferēdis floribus quàm reliquæ, rariſſimè vitium faciens: imò, ſi mitior ſit aëris tēperies, Autumno flores denuo geſtans, ſed magis dilutos, & internis folijs (caloris defectu) aliquâ viriditatem retinentibus. At in ijs qui Aprili aperiuntur, ego & alij aliquādo eam amplitudinem habuimus, ut Germanici talleri orbem æquaret, & trium aut quatuor ſimul cōjunctorum craſſitudinem ſuperaret, hoc eſt, ut duas uncias lati eſſent, & unam denſi. Hoc etiam ego & alij experti ſumus, in integris radicibus & earum fragmentis, ut charta dumtaxat involutæ, & ſine terrâ ſicco loco per totum Autumnum totámque hiemem reſervatæ, deinde ineunte Vere terræ creditæ, Maio menſe folia protulerint & inſequente Iunio flores. Idem periculum in aliarum Anemonidum radicibus fecimus, & ſucceſſit experientia, verùm in nullâ felicius quàm in Tenuifoliâ polyphyllo flore.

MIHI primum ejus radices communicarunt Conſtantinopoli miſſas vel allatas Illuſtris Vir David Vngnad, & Gen. Carolus Rym, ejuſque affinis Philibertus de Bruxella: quæ deinde meâ operâ Belgicis hortis communes factæ, miſſis Viennâ Auſtriæ ad amicos earundem radicibus. Illam autem paucis annis ante quàm, ad Cæſarem Maximilianum evocatus, Viennam proficiſcerer, Byzantio etiam delatam acceperat Ill. Vir Ioannes de Brancion, amicus fratris loco à me ſemper habitus, conſanguinei ipſius operâ Iacobo de Codenhoven, qui binas ejus radices Viennæ redemerat cum paucis aliquot Tulipis recens à Curſore quodam Conſtantinopoli allatis. Poſtea verò dum Viennæ vixi, & hæc & ſuperior Nobilibus viris & matronis, quibus peregrinæ plantæ & elegantes flores in delicijs erant, Byzantio Viennam ſunt allatæ: latifolia quidem *Gul catamer*, ut dixi, appellatione: hæc verò plerumque *Lalé Benzede*, & *Galipoli lalé*.

Vnde primùm illata. *Nomina.*

Quod ſi autem Anemonidis aliquod genus, ad Adonidis florem, Ovidio libro Decimo Metamorph. deſcriptum, referendum eſt, nullum hactenus conſpicere memini, quod ejus deſcriptioni propius accedat, quàm hoc: etenim ſanguini concolorem habet florem. Licet etiam quæ præcedēte capite deſcriptæ ſunt florem ſimplici foliorum ſerie conſtantem habentes coccinei aut ſanguinei coloris, pro eo ſumi poſſint.

Adonidis flos.

CETERVM de Anemonide quæ miſſa fuit pro eâ quæ cæruleum plenum florem habere deberet, jam ante diximus. Similem certè florem nondum videre mihi contigit, quemadmodum nec illam, quam albo pleno flore inveniri aiunt.

CYCLAMINVS. CAP. LIX.

CYCLAMINI ſub Æſtatis finem aut Autumni initium ſuos flores producentis, deinde folia, quæ poſtquam tota hieme perſtiterunt, ſub Aprilis finem, aut Maio amittentis, duas differentias in Panoniâ & Auſtriâ obſervabam.

Cyclaminus odorato flo. 1.

VNA enim ex globulari radice, tenuibus nigricantibuſque fibris prædita, multa circinatæ propemodum rotunditatis profert folia, Aſari folijs ferè reſpondentia, non adeò tamen craſſa, ſupernè virentia, infernè purpuraſcentia, humi expanſa, flores in longis pediculis nutantes, unico folio ſed in quinque profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur, conſtantes, quæ

Cyclaminus odorato purpureo flore.



tes, quæ ſeſe explicare incipientes ſurſum reflectuntur, coloris vel dilutius vel ſaturatius purpuraſcentis, odoris ſuaviſſimi: ij marceſcentes integri decidunt, capitulúmque ſubſequitur, cum pediculo cui inſidet in multas ſpiras ſe convolvens, donec terram attigerit, cui incumbens paulatim augeſcit, donec violæ martiæ ſeminarium vaſculum magnitudine æquet, quod maturitate ab extremo mucrone aperitur, ſeménque oſtendit inæquale, ex fuſco fulveſcens, quod terræ commiſſum, in germen non abit, ſed in tuberculum aut radiculam convertitur, præter reliquorum ſeminum naturam, unde poſtea foliola promit.

Cyclam. odorato flore II.

ALTERA illi planè ſimilis eſt: pauciora tamen ſemper folia proferre conſpicitur, eáque non purpuraſcentis ſubtus coloris, ſed albicantis quodammodo, aut palleſcentis, cui viridis miſtus, ut in Aſari averſis folijs.

Nulli ſunt illarũ Provinciarum ſilvoſi montes, nulli ſaltus, aut interdum in montium acclivitatibus uda prata, quæ ijs non abundent, ubi variæ magnitudinis radices eruuntur, tantæ interdum, ut manum implere queant, quæ plerumque magis ſcabro ſunt cortice, quàm juniores aut mediocres, & habent interdũ varios quaſi cauliculos unde folia & flores ſingulis annis emergunt, qui etiam confracti & terrâ reconditi, in globularem radicem efformantur & tranſeunt, ſingulis etiam annis folia & flores producentes. In ſaxoſis autẽ montibus, aut rupibus quæ Pinaſtrorum ſilvas alunt, nõ ſine difficultate eruere memini, quæ digitalem craſſitudinem non ſuperarent, ſed in cubitalem nonnumquam longitudinem excreviſſent, ſubinde in nodos (ubi ſcilicet paulò laxiores petrarum fiſſuras nactæ erant) extuberantes.

Cyclam odorat. μακρόῤῥιζο.

Nomina.

Rhizotomæ mulierculæ, quæ multas Cyclamini radices cum varijs alijs plantis Viennam in forum venales adferre ſolent, Sawbrot appellãt, hoc eſt, porcinum panem, quidam etiam ruſtici Erdt apfel/id eſt, terræ malum, Vngari autem *Dizno repa*, porcinum rapum.

Cyclam odorati varietas

CETERVM duas alias Cyclamini ſpecies ſe habere ad me ſcribebat Nobilis vir Ioannes ab Hoghelande, ab ipſius fratre Theobaldo in montibus quibuſdam erutas dum ex Italiâ rediret. Illas verò non Autumni initio flores proferre, ſed ipſo Solſtitio æſtivo florere incipere, perſeveraréque ad autumnale uſque Æquinoctium: ejus item ſemine natas plantas idem ortus ſui tempus obſervare: eam ob cauſam æſtivum Cyclaminum potius dicendum, quàm autumnalem. Priorem habere folia albis maculis obſcurè notata, auersâ parte rubentia, aliquantulum anguloſa, flores ſaturatius purpuraſcentes: Alteram folia promere aversâ parte virentia, adversâ maculis albis, ijsq; valde conſpicuis aſperſa, rotundiora ſuperioribus, & flores dilutiores, utroſque autem ſuaviſſimi odoris, nares etiam procul ferientis. Vtrique hoc peculiare, quod vetera folia retineat, donec nova naſcantur.

Cyclamin. Byzantin.

ANNI porrò M.D.XXCI. autumno, miſſæ ſunt Conſtantinopoli Gen. Dn. de Heuſenſtain cum varij generis bulbis, aliquot Cyclamini radices, orbiculares, quas caſtaneæ magnitudinem non ſuperaſſe, & valde terſum expolitúmq; corticem habuiſſe aiebat, quæ ſtatim ante hiemem folia produxiſſent, Cyclamini ineunte vere primum emergentis & florentis folijs ferè ſimilia, pronâ parte pulcherrimè purpuraſcentia, & ſupinâ candicantibus maculis inſignita, paucioribus tamen angulis prædita: Martio ſequente flores tulit, quos ſubſequẽs gelu corrupit: itaque vernum eſſe omnino putabam. At poſtquam ſubſequentibus annis folia ante hiemem ſemper proferre animadverti, atque nonnumquam, mitiore præſertim aurâ, etiam flores, plurimum hęſi, & an autumnali Cyclamino, an vernali attribuerem, dubitavi. Qui venales habebat Turca, ei qui illas emit, libenter obtruſiſſet pro Viola martia flore rubro, tametſi Cyclamini eſſe agnoſceret.

Cyclamin. Byzant. πολυανθὲς.

Binis ſubſequentibus annis multo majores & plani omnino bulbi Cyclamini miſſi ſunt Byzantio *Buhur meneni*, & *Dohum* appellatione. Quadriẽnio verò poſt magnum, & palmaris latitudinis tuber inde accipiebam nullo nomine inſignitũ, cujus folia genus illud quod Belgicis hortis familiare eſſe ſolebat hederaceo folio, prorſus referunt, ſed ſubtus rubent:

Cyclam. Belgic. hederaceo folio.

Cyclaminus inodoro purpuraſc. flore. Cyclaminus verno tempore florens.

Cyclamen hederæ folio B: Pin. 308. Cyclamen folio anguloso B. Pin. 308.





id anno XC. ſupra milleſimum & quingenteſimum, plures viginti flores tulit, ijs qui in Belgico naſcebantur non diſſimiles, etiam inodoros: XCI. autem, plures quinquagenis: ſequente bis centenis.

BELGICVM illud genus in quadam ſilva non procul urbe Tornaco primus obſervaverat Ioannes Moutonus, cujus librales radices dum Machliniæ viverem, & magno rapo æquales, ab ipſo nobis miſſas memini: Illius folia ut plurimum ſubtus vireſcebant, flos dilutè rubeſcens, carnei erat coloris, & interdum albicabat, inodorus. Cujus ſemine natas aliquando habui plantas ſimiles planè flores proferentes, folia etiam hederacea: ſed quę aut matris folia omnino referebant, hoc eſt, ſubtus viridi miſto colore palleſcebant, aut purpuraſcebant Byzantini Cyclamini foliorum inſtar, eáq; supernè albis frequentibus maculis aſperſa erát, *varietas fol.* etiam nonnulla ad umbilicum alba macula inſignita, alia minimè. Tam hoc verò, quàm Byzantinum magis ſerotinum ſupra enumeratis, & Octobri ut plurimum duntaxat florere incipiens in Novembrem uſque. Byzantini ſemen dũtaxat ſemel obſervare potui, licet aliquot capitula diu retineret quæ ad frugem perventura videntur, hiems tamen ſemper corrumpebat; illud autem erat duplo majus eo quod Belgicus proferebat. Belgico autem hederaceo folio ſimilis è Britannia Galliæ poſtea inferri cæpit.

HABVI etiam aliquando Cyclamini verno tempore florentis paucas plantas, ſemine ex *Cyclam. vern.* Belgicâ mihi miſſo natas, quæ tertio à ſatu anno flores proferre cæperunt, odoratiſſimos ſanè, & vulgari ſaturatiores, paulóque graciliores: folia alijs minora, in ambitu ferè criſpa, & foliorum hederæ formam imitantia, teneriora tamen, ſupinâ parte candicantibus maculis aſperſa, angulorum etiam mucronibus albicantibus, pronâ omnino purpuraſcẽtia. Primus inter Belgas eam plantam habuit Ioan. de Brancion munere Alphonſi Pantij, cujus deinde ſemine natæ plantæ in aliorum poteſtatem venerũt. Sed N V. Ioan. Boiſot aliud genus alere ſolebat oblongiore folio, ut mihi, cùm ante aliquot annos illius ſemen mitteret, per litteras ſignificabat. Is etiam M. D. XCI. anno aliquot bulbos verni miſit: qui ſequente Aprili flores tulerunt.

AT quem noſter Lobelius apud inſubres luteo flore obſervaſſe ſcribit, videre nondũ mihi contigit. *Cyclam: luteo flore.* Quemadmodum nec eum de quo mihi relatum eſt parva radice avellanæ magnitudine, æſtate florem vulgari majorem proferentẽ, & in declivitate montis naſcentem, *Cyclam æſtivus.* qua iter faciendum eſt ijs qui Româ Florentiam proficiſcuntur, ultra pontem Milvium ſecundùm rivum *aque traverſe* dictum: qui fortè Hoghelandij alter eſſe poſſet.

TERTIA Novẽbris anni M. D. XC. ſcribebat ad me è Candiâ Cretæ inſulæ urbe diligentiſs. Ioſephus de Caſa bona Belga & Ser^mi Thuſciæ Ducis Horti Medici præfectus, in eam in-

Z ſulam

ſulam obſervandarum ſtirpiũ gratiâ à ſuo Principe ablegatus, ſe inter reliquas plantas quas Novembri florentes iſtic inveniſſet, Cyclaminum albo flore obſervaſſe. Sexénio verò poſt adferebat Gallus quidam rhizotomus Galliam, Italiam, Germaniam peragrare ſolitus, in Bataviam, rariores quaſdam ſtirpes, inter quas Cyclamini radices, quem albo flore prædi-tum eſſe referebat.


Cyclam albo flore.

DENTALI. CAP. LX.



Den s caninus purpuraſcente flore.

Dens Canis Latiore rotundioreq; folio B.Pin: 87.



Dens caninus albo flore.

Dens Canis angustiore Longioreq; folio B.Pin: 87.

Dens caninus purpuraſcente flore.

VT Superior Autumni initio, plurimùm ſuos flores producit, & ſtatim folia: ſic huic plantæ ineũte vere bina plerumque folia (raro terna) prodeunt, mutuò ſe amplectentia, & florem occulentia, liliaceis proxima, breviora tamẽ & latiora, ad Allij urſini formam valde accedentia, craſſiora & magis carnoſa, multis magnis maculis ex atro purpuraſcentibus aſperſa, baſi anguſtâ, paulatimq; in latum extenſâ, deinde in mucronem deſinentia: explicatis folijs, conſpiciendum ſeſe præbet flos, dodrantali pediculo enodi & vacuo purpuraſcentiq; innitens, ſex oblongiuſculis folijs conſtans deorſum inflexus & ſpectans, qui aëris (Solis radijs excalefacti) tepore ſeſe explicat, foliáq; ſurſum reflectit Cyclamini inſtar, elegantis & dilutioris purpurei coloris, ſenis intus ſtaminibus purpureis, & candido triſulco ſtilo, nulla odoris gratiâ placens, ſed ſolâ elegantiâ commendabilis: flori ſuccedit trigonũ capitulum, cõtinens aliquot ſemina Leucoij bulboſi præcocis alterius ſeminibus ferè reſpondentia, ſed longiora gracilioráque, flaveſcẽtis coloris: radix longa, infimâ ſede craſſior, multiſq; candidis fibris ſtipata, & plana quadam appendice, unicâ aut pluribus, donata, quæ veluti radicum ſuperioris anni & præcedentium aliquot veſtigia ſunt, parte autem ſuperiore paulatim gracileſcens, unde caulis emergit, ſummâ tellure bina folia proferens. Quamdiu nullum florem dat hæc planta, unico duntaxat exit folio.

Copiosè naſcitur ad quorundã montium radices herbido & udo ſolo, nõ procul Grätzio Stiriæ provinciæ metropoli, & Ser^{mi} Archiducis Auſtriæ Caroli regiâ. Similis planè coloris in Allobrogum montibus erutam & in Belgicâ à Walerando Donrez nobis aliquando miſſam memini: Sed & circa Baionam naſci, vicinis Cantabrorum montibus, mihi referebat C.V. idémque Medicus Regius Ioannes de la Riviere. Floret Aprili, interdum etiam maturius, in hortis præſertim culta.

Dens caninus albo flore.

Aliud verò genus creſcit in Apennino & Euganeis montibus, cujus folia longiora, maculas albas diutius retinentia, initio dum exeunt, florem etiam amplectentia, qui ſuperiore major plerumque eſt, vel lactei omnino candoris, vel miſtis purpuraſcente albóque coloribus con-

bus conſtans,ſtaminibus albis,apicibus nigricantibus, huic ſuccedit trigonum caput ſemina alteri paria continens: radix etiam longa, & ſuperiore craſſior. Hanc aliquando accepimus à C.V. Vlyſſe Aldrovando, totius Naturæ miraculorum ſcrutatore diligentiſſimo, & Medico excellentiſſimo, tum ab ampliſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo Patricio Patavino,& à C.V. Achille Cromero, Medico, cùm Patavij viveret: Verùm ſimiles etiam radices ad me Francofurtum mittebat anno M.D.XCI. Illris Vir Ioan. Vincent. Pinellus.

Vvlgo à Stiriæ Medicis & Pharmacopæis Dentali, à nonnullis verò ruſticis Schoſswurtz appellatur Prior: ex Allobrogibus autẽ miſſa, Satyrij erythronij nomine, qua etiam appellatione uſus Lobelius in Adverſarijs & Obſervationibus. Altera Pſeudohermodactyli & Dentis canini nomine ex Italia miſſa. Vtraque frigoris patientiſſima. *Nomina.*

Stiriacas mulierculas radicis exſiccatę pollinem pultibus puerorum inſpergere ſolere, ad enecandas ejciendáſque ventris tineas, mihi relatum eſt. Ex vino autem hauſtum mirificè coli dolores mitigare expertus eſt doctiſſimus vir Thomas Hauſtain, Sermi Archiducis Caroli primarius medicus (qui multos ejus bulbos Viennam uſque non ſemel mihi miſit) inſuper corporis vires reficere & nutrire; ex aquâ verò pueros epilepticos juvare. *Facultates.*

ORCHIDES. CAP. LXI.

VIennensi agro & vicinis Provincijs frequentia ſunt Orchidum varia genera, quæ in Belgicâ etiam videre memini, quarum hiſtoriam, cùm ab alijs deſcriptæ ſint, minimè repetendam eſſe duximus. Quæ verò numquam antea mihi conſpectæ fuerunt, quáſque à nemine obſervatas ſuſpicor, earum porrò hiſtoriam hoc capite cõſcribemus, initium ab omnium, quas umquam viderim, maximâ, facientes.

Bina habet hæc Orchis folia, Ellebori albi folijs amplitudine non cedentia, aliquot venis à pediculo ad extremum uſque folium productis ſimiliter inſignita, ſupernè virẽtia, infernè dilutiora, prorſus tamen ſplendẽtia: caulem cubitalem, paucis foliolis ſive involucris præditum, pentagonum: flores in ſummo ſpicatim cohærentes, cujus autẽ coloris, cujúſve formæ, ignoro, cùm, ante quàm aperirentur, plantam dumtaxat obſervaverim: radices binas, craſſas, & parvi napi modo oblongas, ſupra quas infimo cauli inhærent aliquot fibræ ſatis craſſæ. *Orchis I. amplis. folijs.*

Solùm mihi conſpecta eſt hæc Orchis Maio menſe anni M.D.LXXIX. in declivitate montis in quo extructa eſt arx Ill. V. Balthaſaris de Batthyan p.m. Grebẽn nuncupata, inter Dravum & Savum amnes, binis ultra Waraſdinum miliaribus. *Natales.*

Orchis latifolia altera. Cynoſorchis militaris major B. Pin. 81.



Illius genus haud dubiè erit, quod non modò in ſilvis Nemethwywar oppidi vicinis, ſed etiã in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf obſervabam, folijs quidem magnis & latis, ſed infra ſuperiorum amplitudinem, caule pænè cubitali, magnis floribus ſpicatim congeſtis, ejuſdẽ cum aliarum orchidũ floribus formæ, purpureis maculis aſperſis, exalbidâ galeâ flores ſingulos tegente, radicibus geminis, craſſis, ſuperiore tamen brevioribus. *Orchis lati-fol. altera.*

Plvra ſunt Alteri folia, anguſtiora, caulis gracilior, pedalis, flores rubri pulcherrimi, quales ferè in Belgico illo Orchidis genere videre memini, quod è pratis Lovanio vicinis eruebatur. *Orchis II.*

Creſcit in eodem jugo Grebẽn pone arcem, & pleriſque gramineis locis, inter flumina Muram & Dravum, tum apud Sackturnya Ill. Comitis de Zrinio arcem. *Natales.*

Tertivm genus elegantiſſimum, binis craſſis bulbis prędito, uno ſucci pleno, altero flaccidiore, quod in Orchidibus vulgare eſt; folijs longis, anguſtis: caule interdum pedali, ſpicâ florum elegante, odoratâ, quorum galeola obſcurâ purpurâ nitet, hiatus cum propendente labro candicant, purpureíſque maculis inſigniuntur. *Orchis III.*

Invenitur in pratis Nemeth-wywar Dn. de Batthyan vicinis, ſupra Rabam, & inter flumina Muram & Dravum. *Natales.*

Qvina aut ſena ſunt Quartæ folia, caulis palmaris aut amplior, aliquot minoribus folijs cinctus: ſpicâ elegantium puſillorum florum purpuraſcente galeâ tectorum, prominulo labro *Orchis IIII.*

Orchis Pannonica IIII.

Cynoſorchis militaris pratenſis humilior C.B. Pin. 81.



Orchis v.

Orchis foliis ſeſſilibus non maculatis. C.B. Pin.



& in quatuor barbulas diviſo, albo, purpureis punctis diſtincto, parvo calcari à tergo prominente, tenuis odoris, ſub quo, ut in reliquis Orchidibus toroſum & contortũ eſt capitulum, exiguum ſemen ſcobis inſtar continens: geminas radices habet teſticulorũ modo efformatas, unam plenam, alteram marcidam, ſupra quas ex imo caule ortæ fibræ expanduntur.

Natales. Naſcitur ad montis Gleſenfeld imminẽtis radices, binis ſupra Neapolim Auſtriæ miliaribus, abundantius tamen in montium tenui gramine rectorum declivitatibus, ſupra Radaun; Medeling, Baden, & pleriſque alijs editioribus ſiccioribusq́; locis Viennæ vicinis.

Illi ſimilem eruebam montibus Grebén proximis, ſed longè ampliorem, craſſioréque & longiore ſpicâ præditam.

Orchis v. QVINTA quatuor aut plura habet folia, ſummâ tellure jacentia, Belgicæ orchidis quæ paſſim in pratis maturè purpureum florem fert, ſimilia, ſed nullis maculis aſperſa: caulem palmarem, aliquot minoribus folijs ſeptum, cujus ſummum, multi flores exigua galeâ duobus foliolis conſtante, tribúſq; alijs foliolis galeam ambientibus, latiore barbâ propendente, & obtuſiore calcari præditi, ſpicatímq; naſcentes exornant, coloris aut purpurei ſaturatioris, aut dilutioris, aut ferè carnei, atque etiã omnino albi, barbâ tamẽ plerumque vel exiguis, vel majoribus maculis ſaturè purpuraſcẽtibus aſpersâ, interdum etiam prorſus nullis, præſertim in lacteis floribus: ſemen ut in reliquis contortis vaſculis continetur: geminas radices, unam ſuperioris anni flaccidiorem, alteram recentiorem, ſucculentam, tegunt multæ candidæ craſſiuſculæ fibræ.

Natales. Inveniuntur paſſim in pratis Viennæ vicinis. Similem etiam obſervabã anno M. D. XXCI. in pratis urbi Londiniẽſi in Angliâ proximis: ubi & aliam eruebam grandiore paulò florum purpureorum ſpicâ, teterrimi fœtoris.

Orchis VI. INGRATI etiam odoris eſt, quam non ineptè Tragorchin minorem nuncupari poſſe cenſet Ioan. Hoghelandius, cujus iconem & binos bulbos ad me miſit ante bienniũ. Dodrantali aſſurgit caule, quem terna aut quaterna ambiunt anguſta folia: ſummus caulis ſuſtinet breviorem ſpicam florum elegantis interius rubri coloris, internè verò paulò dilutioris, trifido labro propendente.


Natales. Rara inventu creſcit in marinis aggeribus, interdum etiam reperitur circa Hagam Hollandiæ. In hortos autem tranſlata, latius explicat florum comam, in metæ quaſi formam deſinentem.

Tempus. Omnes autem Maio menſe florêre ſolent, præter primum genus quod paulò ſerius flores promit.

TRIA

Orchis Batavica VI.

Orchis odore hirci minor spica purpurascente B: Pin: 82.



Orchis Pannonica VIII.

Orchis palmata Sambuci odore B: Pin: 86.



TRIA plerumque habet Septimum genus anguſta folia, alioqui reliquis Orchidibus ſimilia, viridia, cauliculum palmarem, ſpica floſculorum ex herbaceo pallidi coloris, tribus apiculis conſtantium, & moſchi odorem referentium, exornatum: unicam radicem, rotundam piſi magnitudine, ſupra quam longæ propagines exporriguntur, quæ novas ſubinde plantas generant. *Orchis VII.*

Exit copioſè in colle monaſterio Neuberg vicino, & Iunio floret. *Natales.*

Et hæc quidem de Orchidibus orbiculatas radices habentibus. Quæ verò ſequuntur, geminis licet radicibus ſint præditæ, in orbem tornatæ non ſunt, ſed in aliquot appendices deſinunt, & quaſi palmas imitantur.

LILII primùm enaſcentia folia tria aut quatuor habet Octava, dilutioris & quaſi pallentis viriditatis, nullâque macularum aſpergine notatis, ingrati ſaporis: palmarem caulem ampleċtuntur aliquot foliola, in cujus ſummo faſtigio flores ſpicatim digeſti naſcuntur exalbidi & quaſi palleſcentis coloris, nullis punctis diſtincti, anterius morionum hiantibus cucullis ſimiles, utrinque auriti, & latiuſculo pallido labro propendente, poſteriore verò parte corniculum habentes, ut conſolida regalis, aut Linaria, ſed latius & obtuſum, graviter odorati, florum ſambuci odorem referentes: ad horum exortum ſingula foliola naſcuntur pallentia, & floribus colore reſpondentia: radices geminæ, veluti palmæ, in binos, ternos, aut plures digitos diſtributæ ſunt, quarum vetuſtior fungoſa, nigrior, & flaccidior eſt, altera candida, vegetior ac ſolida, paucis ſupra earum exortum naſcentibus fibris. *Orchis VIII.*

Aliud genus eſt formâ, magnitudine, ceteriſque notis illi par: ſola varietas in floribus, qui in hoc purpurei ſunt, foliola ſub floribus naſcentia etiam purpuraſcunt.

Invenitur utrumque genus non modò in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf, aliiſque Auſtriæ inferioris ſilvis: ſed etiam editioribus quibuſdam pratis Viennenſi ſaltui proximis. Floret autem Aprili, nonnumquam etiam Maio, pro mitiore videlicet aut rigidiore vernalis aëris conſtitutione. *Natales.*

CETERVM non incommodè forſitan Pſeudorchis appellari poſſit elegans plantula, quam ex Italia rediés obſervabat anno M.D.XCIII. eruditus vir Gulielmus de Mera, Batavus Medicus, & mihi Francofurti communicabat, paulò ante meum ex eâ urbe diſceſſum. *Pſeud-orchis μονόφυλλος.*

HABET verò illa unicum folium, ex membranaceo quodam involucro prodiens, ſemuncialis latitudinis, duarum unciarum aut amplioris lõgitudinis, multis venis ſecundùm longitudinem excurrentibus, & medio nervo præditum, valdéque tenue, dum reſiccatum eſt:

 ex eodem

ex eodem involucro prodit & cauliculus ſemipedalis aut minor, gracilis, à medio ad ſummum faſtigium, floſculis quibuſdam onuſtus, quorum forma mihi ignota, quia ſiccã plantam duntaxat videre contigit, in qua inhærebãt adhuc floſculorum petioli, & bina aut terna capitella, inſtar capitulorum Orchidis: radix bulboſa eſt, aliquot membranaceis involucris tecta, præter Orchidum naturam, ſub qua multæ tenues fibræ exeunt, ut in Allij generibus, cum quibus affinitatem quandam habere videtur, radicis ratione, cui plerumque adhuc inhæret ſuperioris anni jam exſucca, & cauliculum retinens. Cùm porrò mediã quandam naturam habeat hæc planta, & peculiare caput non videretur requirere, Orchidibus ſubijciendam eſſe exiſtimavi. Per me tamen ſemper licebit alijs, quo velint loco reponere, & nomen illi imponere.

LEIMODΩRON. CAP. LXII.

αἱμόδωρον. ORCHIDIBVS quodammodo cognatum *λειμόδωρον* ſive *αἱμόδωρον*, Theophraſti, vel *ὀροβάγχη* Dioſcoridis, & Cynomorion Plinij, cujus varia genera inveniuntur multis Provincijs communia.

Pſeudo-leimodωron. Orobanche I.

an Orobanche Monspeliaca floribus oblongis B: Pin: 87.

Orobanche major Garyophyllum olens B: Pin: 87.





Pſeudo-leimodωron. AT congenerem illi plantam, quippe quæ ſuperna parte ipſum æmuletur, in mõtanis ſupra Badenſes thermas obſervabam, quæ nuſquam antea, quod meminerim, mihi fuit conſpecta. Pedali aſſurgit illa caule, frequentibus ſecundùm radicem foliolis, tamquã vaginulis, involuto, ſpicam geſtans florum quatuor folijs cõſtantium, ſuperiore in corniculum deſinente, & promuſcide quadam inter media folia prominente, cui adnatæ ſunt duæ tenues barbulæ: floribus ſtriata & longa ſubſunt capitula, ſemine exili & orchidũ ſimili plena: ſubrotundam radicem non habet, qualem ſuo haimodoro tribuit Theop. lib. VIII. Hiſt. plant. cap. VIII. ſed craſſas, longas, & obliquas fibras habet, quemadmodum ea planta quæ vulgo Helleborines nomen obtinuit. Tota ſtirps ſaturo purpuræ & planè violaceo colore prædita eſt. Floret Iunio.

Similem ferè, ſed multò dilutioris coloris olim obſervare memini non modò in ſilvâ illâ agri Mompelliani, in quâ cœnobium Gramont dictum, ſub Ilicis arboribus, ſed alijs pleriſque ſilvis.

Orchis abortiva Lobelij. Coagulũ terræ Plinij. Non dubium eſt quin his adnumeranda ſit, ea quam Lobelius Orchidem abortivam, Germani Margendrehen Belgæ Voghels-neſt appellant, quámque nonnulli Coagulum terræ Plinij eſſe ariolantur, cujus meminit lib. XXVII. cap. VIII.

αἱμοδώρου varietas. Porrò Orobanches illius legitimæ Dioſcoridis, ſive *αἱμοδώρου* Theophraſti, variæ ſunt ſpecies. Aliæ enim elatiores, aliæ humiles, aliæ exalbidi coloris, aliæ flaveſcentis, aliæ fuſci, aliæ

Orobanche III. πολύκλωνος.

Orobanche ramosa C.B.: Pin: 88.



Radix cava major.

Fumaria bulbosa radice cava major. C.B. Pin: 143



aliæ ſubcærulei: nonnullæ aliarum ſtirpium radicibus adnaſcuntur, plurimæ per ſe ſubſiſtunt, & ſolæ inter alias plantas & gramina naſcuntur: pleræque autem omnes unico ſimplicíque caule ſunt præditæ, interdum ramoſum & multifidum illum habent. Omnium verò maxima paſſim in omnibus Europæ ſilvis naſcitur, ut exiſtimo: certè nullas adij, quin ipſam non repererim: eam quia apud Belgas ſæpius Geniſtæ vulgaris radicibus innaſcitur, Herbariorum turba Rapum Geniſtæ appellat, Belgæ Brem raepe/ Vngari, quia recta aſſurgit & firma eſt, *Misé gyerthyá*, miſſalem candelam ſive cereum appellãt. Quæ ſubcæruleo eſt flore, cardui vulgaris inter ſegetes naſcentis radicibus inhærentem olim eruere memini, cùm Mompellij viverem. πολύκλωνον autem aliquoties obſervabam in ſiccioribus quibuſdam pratis, & nuper admodum ad me mittebat cum aliquot alijs ſiccis ſtirpibus Ampliſs. vir Iacobus Ant. Cortuſus, de qua nõnullos ſuſpicari aiebat, Papaver ſpumeũ eſſe, ſolâ ea ratione nixos, quod recens nata, tota molicella fuiſſet & lactei ferè candoris: ſed infirma eſt hæc ratio. Ceterùm Orobanches majoris, Rapum geniſtę nuncupatæ, reſiccatæ & tritę pulverem ex tepido vino hauſtum, præſens ad coli dolores remedium eſſe, Belgæ prædicant.

Orobanche I. *Orobãche II.* *Orobanche III. πολύκλωνος.* *Orobanches facultates.*

FREQVENS eſt etiam in Leytenberg, atque alijs ſilvoſis montibus urbi Viennæ vicinis, tum multis Pannoniæ locis, vel circa ſepes, vel ad ſilvarum margines inter vepres ea planta, quam ab orbiculatâ radice, & ſubtus nonnihil excavatâ vulgo Radicem cavam nominant: quæ florem habet aut carnei rubrìve dilutioris coloris, magnâ ex parte, vel omnino albi, aut egregiè & ſaturè rubentis, qui rarò conſpicitur. At minorem illam Germanicis & Belgicis officinis apprimè notam, quæque paſſim in Germaniâ & Belgicâ inter vepres & frutices naſcitur, nuſquam in Auſtriâ viciniſque Provincijs videre memini. Ceterùm major illa ex carneo rubente flore, & albo, frequens circa Francofurtum, etiam in hortis fructiferis arboribus conſitis, intra urbis mœnia.

Radix cava major. *Radix cava minor.*

ELLEBORINE RECENTIORVM. CAP. LXIII.

SPVRIIS Orchidibus cognata eſt ea planta quæ à Recentioribus nonnullis Elleborine cognominatur, à foliorum cum Ellebori albi folijs potius ſimilitudine, quàm ab effectu. Ejus autem aliquot obſervabam genera foliorum amplitudine, & floris colore variãtia.

PRIMÆ & omnium elegantiſſimæ caulis eſt ſingularis, pedalis aut majoris longitudinis, firmus, aliquantulum lanuginoſus, quem quaterna aut quina ambiunt folia, venoſa, Ellebori albi folijs ſimilia, alternatim ut in illo diſpoſita, ſubhirſuta, & amaricantis ſaporis: ex *Elleborine I.*

folioli

Elleborine recentiorum I.

Elleborine flore rotundo ſive Calceolus C. B. Pin. 187.



folioli quod extremo cauli inſidet, nonnunquam & ex proximi, ſinu, prodit flos unicus, longo pediculo nixus, quatuor foliolis crucis forma decuſſatis, oblongis & mucronatis conſtans, coloris ex purpurâ nigricantis, quorum ſuperum & inferum majuſcula ſunt, lateralia verò, admodum anguſta, & interiore parte lanuginoſa: ex horum umbilico emergit & protuberat membranaceus quidam, tumens, concavúsque utriculus, columbinum ovum ferè æquans magnitudine, ſuperiore parte ſecundum umbilicum nonnihil apertus & hians, inſtar calceoli patuli oris, cui color aut luteus, aut pallidus, internè nonnihil villoſus, infernè autem purpureis quibuſdam venis ſecundum longitudinem diſtinctus: hiatum tegit duplex anſula, quarum ſuperior alba, tenerior, purpureíſque maculis conſperſa, inferior verò denſa, herbidi coloris, & veluti cancrorum ocellos in lateribus habens: ipſe flos non penitus odoris expers: capitulum illi ſuccedens oblongum, minimi digiti craſſitudinem æquans, triangulum, tenue & veluti pulvereum ſemen continens, inſtar Orchidum: radix nigra, non valde craſſa, in longitudinem & latitudinem obliquè ſummâ tellure ſeſe ſpargens, multíſque fibris donata, ſuperiorum annorum caulis impreſſa veſtigia retinens, qualia in pſeudocorallio ferè conſpiciuntur, extremitatibus ſemper in novum germen extuberantibus; amariuſculi guſtus.

Natales. Silvoſis quibuſdam Leytenberg locis ſupra Bruterſtorf, demonſtrante Ill. V. Augerio de Bousbeque primùm obſervabam: deinde apud Cloſterneuburg prato quodam declivi ſub coryli fruticibus, & in ſilvis Entzeſtorf vicinis eruebam: omnium autem abundantiſſimè naſcitur in Pannonicâ quadam ſilvâ, magno miliari ab arce munitiſſimâ Nemethwywar Ill. V. Balthaſaris de Bathyan. Deinde rhizotomæ mulierculæ in Vienneſe forum inferre cœperunt, poſtea quàm à nobilibus matronis expeti intellexerunt. Ab amicis etiam intellexi in Herciniâ ſilvâ, præterea circa Fuldam alijſque Germaniæ ſilvoſis locis copiosè naſci.

Varietas. Sunt qui albo flore inveniri dicant, quam ſanè nondum vidi, nec eam quam in œnipontinis montibus obſervaſſe ait doctiſſimus & diligentiſſimus Matthias de Lobel, purpureo utriculo: nam plures quàm mille ſtirpes vidi diverſis locis erutas, omnes autem utriculum habuerunt flavum. Cujus etiam coloris erat quam Ill. Batthyanus è poſtremis Pannoniæ limitibus Daciæ proximis ante aliquot annos mihi adferebat, cùm ex eâ profectione rediret. Pānnonicæ etiam ſimilis quæ & in Herciniâ & reliquis Germaniæ ſilvis naſcitur.

Nomina. GERMANI Marien ſchuch & Pfaffen ſchuch appellant, Vngari *Ezerethgyvv ſiu*, id eſt, millebonam herbam, quaſi χιλιοδύναμιν dicas: quibuſdam Elleborine ferruginea eſt.

Geſnerus. C. V. Geſnerus in Epiſtolarum lib. III. frequentem apud Helvetios inveniri ſcribit, luteúmque florem illi tribuit. Coſmoſandalos Pauſaniæ forte fuerit, inquit, nam & ſandalij formam refert flos, & punctis ceu literis quibuſdam notatur, etſi Pauſanias Hyacinthum eſſe conijcit, ſed huic cum ſandalio nihil. Quidam vir doctus Lonchitin primam eſſe putat: ego ad Elleborines vulgo nuncupatæ, ſpecies refero. Noſtri Vnſer frawen ſchuch appellant, hoc eſt, calceolos Virginis, à forma floris. Hactenus Geſnerus.

Simlerus. Ioſias item Simlerus ad calcem Commentarij de Alpibus, illius in hæc verba meminit. Anckenbalen cubitum fermè æquat, folio Plantaginis aut Ellebori albi, terna aut quaterna per caulem folia habet, ex quibus erumpit ut in perforatâ, in ſummo unus flos, rarò duo, is luteus eſt, oblongus, luteum ovi exprimens, concavus, quem ambiunt apices, ſeu folia potius ignita rutilantia: morionum habitus procul contuentibus refert, aut demonum larvas, cadente flore ſemen in ſiliquâ continetur. Damaſonij aliqua ſpecies.

Elleborine II. PEDALEM habet Altera caulem aut ampliorem, firmum, quem per interualla involvunt inordinata folia ſena aut ſeptena, nervoſa, Ellebori albi folijs ſimilia, ſed anguſtiora, ingrati & amari guſtus: flores in ſummo caule denos aut duodenos, ſpicatim congeſtos, albos, quinis folijs conſtantes, & in medio veluti parvam galeam complectentes, ſubflavo labro, non multum ab orchidis generibus diſtantes, inodoros: anguloſa etiam, ſtriata &

contorta

contorta habet (ut illæ) capita, minimum ſemen & ſcobis inſtar continentia: radices craſſiuſculas, fibroſas, ex uno veluti capite prodeuntes, & ſparſas, ſubrufeſcentis coloris.

Natales. Provenit in opacis Galliæ, Germaniæ, Auſtriæ, Vngariæ locis, etiam in Pannonia interamni, inter Dravum & Savum flumina. Hæc duo genera præcociora ſunt reliquis, & Maio plerumque florere ſolent.

Elleborine recentior III.

Elleborine angustifolia palustris, sive Pratensis. B: Pin: 187



Elleborine recentior VI.

Elleborine montana angustifolia Purpurascens B: Pin: 187



Elleborine III. PARI eſt Tertia magnitudine, paulò latioribus folijs, minoribus floribus, qui etiam quinque folijs conſtant, & galeolam cum prominente labro amplectuntur, colorisque ſunt herbacei, interius nonnihil candicantis, nullius odoris, quibus toroſa contortáque capita ſubſunt: radix ſecundæ ſimilis.

Natales. Invenitur in quibuſdam Auſtriæ & Pannoniæ ſiccioribus pratis, & in Noribergenſi ſilva urbi vicina, ad Latomias.

Elleborine IIII. QVARTO generi minor eſt altitudo, ſimilia interdum folia, nonnumquam multò latiora: flores aut omnino purpuraſcentes, aut propè carnei, ſecundi generis floribus prorſus ſimiles: nec radix differt.

Natales. Creſcit in montanis pratis & cæduis ſilvis Auſtriæ.

Elleborine V. CVBITALEM altitudinem ſuperat Quinta, & ampliſſima omnium ſunt illi folia atque oblonga purpuraſcentium florum ſpica.

Natales. Naſcitur in multis Pannoniæ & Auſtriæ ſilvis, & ad montanorum pratorum margines: ſed nuſquam frequentius, quàm in eâ ſilvâ, in qua Prima abundat.

Elleborine VI. SED in eadem ſilva, alijſq; Zollonock vicinis, Sextum genus cubitali caule, tenui, rotundo, geniculato, quem in ſingulis geniculis alternatim ambiunt anguſta folia, Secundi generis folijs non diſſimilia, eruere memini: cujus ſummus caulis deſinebat in ſpicam ſex, octo, aut plurium interdum florum, quinis folijs elegantiſſimi dilutiq; purpuræ coloris conſtantem, inter quæ latebat quædam veluti galeola, muſcarum proboſcidi ſimilis, labrũ inferiore parte adnexum habens, æqualis ferè cum folijs longitudinis, candicans, intus ſtriatum; ſuſtinebantur ij flores anguloſo, tortili, hirſutóque nonnihil capitulo: radix illi fibroſa, Secundæ ſimilis.

Tempus. Florent hæc quatuor genera Iunio, nonnumquam etiam Iulio.

Elleborine VII. NEC inelegans eſt Elleborines Recentiorum illud tenellum genus, quod Gulielmus de Mera, Medicus, ex Italia rediens, obſervabat, & mihi etiam Francofurti donabat. Erat verò

illud

illud pedalis ferè altitudinis, gracili caule, tribus folijs prædito, Elleborines vulgaris folijs forma ſimilibus, & quinque nervis per longitudinem eorum excurrentibus, ſed longè minoribus, ut quæ circiter unciam longa ſint duntaxat, ſemunciam lata: ſummus caulis in ſpicam florum deſinit, Orchidis & Elleborines vulgaris flores imitantium, ſed minorum: radix ſummâ quaſi tellure ſparſa, craſſiuſculas, ſucculentáſque fibras egerat.

Elleborus albus exalbido flore.

Elleborus albus flore subviridi B: Pin: 186.



Elleborus niger legitimus.

Elleborus niger flore roseo. B: Pin: 186.



Elleborus album duorum generum. CETERVM Elleborus albus, tam qui albicante, quàm qui ex rubro nigricante flore præditus eſt, frequens admodum in Auſtriâ & vicinis regionibus: flore albicante quidem in pratis Viennenſi urbi proximis, & ad Alpium radices ſitis, atque pleriſque Vngariæ pratis: at ex purpurâ nigricante, in omnibus cæduis ſilvis in edito aut in collibus ſitis.

Vtrumque Germani Weiſs Nieſswurtz/ Galli *Ellebore blanc*, Vngari *feyer hanyor* appellant: Hiſpani *Vedegambre blanco.*

Ellebor. niger legitimus. Elleborus item niger legitimus albo amplóque ſimplicis roſæ inſtar flore, qui marceſcens purpuraſcit, valde frequens eſt vicinis Rehenaw, Neubergenſis Abbatis domicilio, quatuor ſupra Neapolim Auſtriæ miliaribus, & Staremberg Mag^ci^ Dn. de Heuſenſtain arcem locis, & pleriſque alijs ad montium radices, ubi primus illum obſervabam: nam ante illis ignota erat, & alterius cujuſdam plantæ radicibus utebantur pharmacopæi, ut ſequente libro dicemus.

Veratr. nigr. II. Dodon. Non minùs frequens eſt, ſed vicinioribus Viennæ locis, Veratrum aliud nigrum viridi flore, quod Dodonæi ſecundum eſt: copioſè enim creſcit ad Viennenſis ſaltus initium, quâ Viennâ ad Carthuſianorum cœnobium Maurpach, & Tulbingam iter eſt, umbroſis locis, & vicinioribus etiam, ad ſilvarum margines.

Nomina. Germani Chriſtwurtz/ quod ipſa bruma, circa Chriſti natalem diem flores promere incipiat; Galli *Ellebore noir*; Hiſpani, *Vedegambre negro, y yerua de Valleſteros*; Vngari, *fekete hunyor*, nominant.

Veratr. nigr. III. quorundam. Veratrum autem nigrum Tertium quibuſdam nuncupatum, quod nonnulli etiam Plinij conſiliginem appellant, Germani Lauſskraut/ quod pediculos interimere credatur perinde ac Staphiſagria, quam eodem nomine indigetant, in Auſtriâ & Pannoniâ obſervare non memini: at pleriſque Germaniæ locis ſponte naſcens frequentiſſimum, cujus iconem etiam hîc ſubijciendam putavi, ut, quam intelligam, Lectores agnoſcere queant.

Veratr. nigr. IIII. peregrenum. Aliud porrò ejus genus nuper admodum obſervatum, non valde diſſimile formâ, nec reliquis

Elleborus niger hortenſis flore viridi C.B. Pin: 185.

Veteratrum nigrum II. Dodon.



Polygonatum latifolium. I.

liquis notis: folia tamen paullo atriora quàm in præcedente mihi videntur: deinde florum, qui herbacei etiam ſunt coloris, ſéxque folijs conſtant, & tintinnabulorum inſtar concavi propendent, orę; pręſertim trium interiorum, ex purpurâ nigricant: medium autem florem occupant bina aut terna cornicula, numeroſis ſtaminulis cincta, ut in præcedente genere.

Perenne non eſt hoc genus, ut nec præcedens: ſed producto ſemine plerumque perire ſolet.

POLYGONATVM. CAP. LXIIII.

Polygonati multa genera.

MAGNA etiam in Polygonato varietas. Nā præter vulgare illud Latifoliū, quod in omnibus, quas unquā adij, Provincijs familiare eſt: & Anguſtifolium, ſive minus Herbariorum, quod pleriſque Germaniæ locis naſcitur: aliquot alia genera in Pannoniâ, & Auſtriâ obſervabam, nulli (ut in Pannonicarum ſtirpium Hiſtoriâ dictum) adhuc, quod ſciam, deſcripta: tametſi Secūdùm Cordus lib. I. Hiſtorię de Plantis, anguloſi Polygonati nomine fortè inſigniat, Quartum latifoliū Matthiolo notum fuiſſe videatur. Nos porrò omnia genera, in duo primaria diſtinguemus, nempe Latifolium & Anguſtifolium.

Polygonat. latifol. I.

PRIMVM Latifolium, formâ ſimile pænè vulgari, in duplo majorem tamē altitudinem excreſcit, ampliora habet folia, longè plures flores, majores baccas, craſſiores caules, & radices.

Natales.

Sponte naſcitur, vulgari permixtum, in quibuſdam Auſtriæ & Pannoniæ umbroſis locis.

Polygonat. II. latiore folio.

ALTERI Latifolio, pedales ſunt caules, ſtriati, firmi, non valde inflexi, ſed recti fermè, folia vulgari ſimilia, eodémq; modo, hoc eſt, alternatim, circa caulem diſpoſita, brevioribus tamen quàm in illo ſpatijs, minora etiam, firmiora, ingrati guſtus: ex ſingulis alarum ſinubus, duo aut tres exeunt flores, brevibus, magnáq; ex parte ſingularibus petiolis inhærentes, vulgari, cùm formâ, tum colore, ſimiles, verùm majores, & odore (qui in vulgari nullus eſt) floris ſpinæ Appendicis, ſive Oxyacanthæ vulgo creditæ: baccæ deinde virides initio, & ſphericæ, quemadmodum in vulgari, majores tamen, poſtea nigricantes, ſemen continentes oſſeum, durum: radix longa, obliqua, geniculata, candida initio dum recens eruta, deinde palleſcens, nōnunquam etiam purpuraſcens, præſertim circa germina, vulgaris radici ferè par, tametſi etiam aliquantulum tenuior inveniatur, interdum verò amplior, ubi videlicet pinguius & benè ſubactum ſolū nacta eſt.

Natales.

Frequens eſt in nemoroſis illis montibus, vulgo Leytenberg nūcupatis, ſupra Manderſtorf, Bruterſtorf, & in pleriſque alijs Pannoniæ montibus trans-danubianis inter ſaxa, atque etiam ultra Dravum in Pannoniæ interamnis mōtibus, præſertim ad arcem Grebén:

Polygonatum Latifolium maximum B: Pin: 303



Sed nuper admodum abundè naſcens reperiebam in ſilvâ quercubus conſitâ ad lævā Mœni fluvij,

Polygonatum latifolium II.

Polygonum Latifolium flore majore odorato. C.B. Pin: 303.



Polygonatum latifol. IIII. ramoſum.

Polygonatum Latifolium ramoſum C.B. Pin: 303



ni fluvij, paullo infra urbem Imperialem Francofurtum, in quâ & Fraxinella, & Cneorum Matthioli creſcit.

Tempus. Floret Maio: baccæ maturæ ſunt Auguſto: interdum etiam multâ hieme, atque ipſâ penè brumâ, è caule pendentes conſpiciuntur.

Polygonat. III. latiore folio. TERTIVM, ſuperiori ſimilem habet caulem, ejuſdémque vel majoris etiam altitudinis, non adeò tamen rectum, ſed magis inflexum: folia duplo ampliora quàm reliquorũ, ad Ellebori albi foliorum amplitudinem nonnunquam accedentia, dura, nervoſa, lævia, dilutius virentia, neque ſubtus incana, ut ſuperiorum, nonnihil acidi guſtus initio, deinde paululum acris: flores alteri ſimiles, inodoros tamen, neque ex ſingularibus petiolis ſingulos, ſed binos aut plures ex oblongiore pediculo dependentes, ut in vulgari, cui etiam ſimilẽ fructum habet: radicem albam, longam, obliquam, geniculatam, ſuperiori magnitudine parem.

Natales. Creſcit hoc copioſè umbroſis locis inter Brunnam & Weyſpach, alijſque vicinis montanis ſilvis ſupra Viennam Auſtriæ.
Tempus. Floret cum ſuperiore.

Polygonat. IIII. latiore folio. QVARTI latifolij caulis, pedalis eſt, nonnunquam cubitalis aut amplior, rotundus, incurvus vulgaris inſtar, in unum aut alterum, interdum etiam tertium ramum diviſus, quem alternatim, Perfoliatæ vulgaris ferè inſtar, amplectuntur folia Polygonati folijs ſimilia, molliora, ſubtus aliquantulum incana, ſaporis initio dulcis, deinde ſalivam cientis, & nonnihil acris: ad ſingulorum foliorum exortum, ſub ipſis folijs, atque adeò ad illorum latus, eadem ſerie exeunt ſingulares petioli, longi, exiles, incurvi, ex quibus flores propendent ſingulares, concavi, Oenanthes, ſive Lilij convallium floribus perſimiles, ſed magis hiãtes, atque in ſex lacinias extrorſum reflexas diviſi, interiore parte nigricantibus quibuſdam maculis aſperſi, odorati: fructus Polygonati anguſtifolij fructui ſimilis, trigonus, initio viridis, per maturitatem paullo oblongior & rubeſcens, parváque corna interdum æquans, in quo multa albicantia grana congeſta ſunt: radix à vulgaris Polygonati radice differt: nam neque craſſa eſt, neque adeò candida, ſed exilis & nodoſa, ſive in frequentes nodos extuberãs, plurimis craſſis fibris conſtat, ut Thalietri quædam genera, quemadmodum pictor ſcitè admodum expreſſerat, ſed ſculptor ſuâ negligentiâ corrupit.

Natales. Florentem unam aut alteram ejus generis plantã in umbroſis montis Wechſel ſilvis, deinde in Durrenſtein inter ſaxa & frutices mẽſibus Iunio & Iulio anni M. D. LXXVI. inveniebam, quæ in hortum tranſlatæ, fructum ad maturitatem perduxerũt: frequentiorem biennio poſt magnámque, & in multas alas diviſam, umbroſis quibuſdam ſcrobibus inter filicis ſtirpes, in deſcenſu Durrenſtein, paulò ſupra mapalia à mõtanis paſtoribus habitata æſtivis

menſibus,

Polygonatum angustifolium non ramosum. B. Pin: 303. Polygonatum angustifolium ramosum. B. Pin: 304

Polygonatum v. ſive anguſtifol. i. Polygonatum vi. ſive anguſtifol. ii.





menſibus, florentem Auguſto. Rami verò cum fructu nobis ex Sileſia uſque (ubi frequentem naſci audio) priùs communicabantur à Doctiſſimo viro Friderico Sebizio, Ducis Brigenſis Medico: deinde etiam aliquot radices illinc tranſmiſſæ. Perſiſtit in hortis, umbroſo loco repoſita, floréſque & ſemina ſuo tempore profert.

ANGVSTIFOLIVM porrò Primum, ab Herbariorum vulgo minus nuncupatum, quod nobis ordine Quintum erit, cujúſque tenuia folia Rubiæ modo caulẽ per intervalla ambiunt, fructu initio verſicolore, qualis eſt Graminis Parnaſi quorundam, ſive Vnifolij fructus, deinde per maturitatem rubro: in montanis quibuſdã Stiriæ pratis, circa frutices & in umbrâ abundè naſcens obſervabam. Ejus hiſtoriam, cùm ab alijs ſit deſcripta, non retexemus, imaginem tamen ſubijciemus, ut diſcrimen, inter illius, & ſequentis Polygonati anguſtifolij, plantas commodiùs conſpici poſſit. *Polygonat v. Anguſtifol. i.*

HABET Alterum Polygonatum anguſtifolium, nobis ordine Sextum, caulẽ cubitalem, angulosſum, in multas tenues alas diviſum, quæ æqualiter ex ſingulis angulis exoriuntur, quaternæ interdum, nonnunquam & quinæ, pro angulorum, qui in caule, numero: ramuli tenues longis & anguſtis folijs obſiti ſunt, binis, ternis, aut quaternis, æqualiter in circuitu prodeuntibus, in quibus flores Quinto ſimiles, paullò tamen minores, brevi petiolo dependentes inter foliorum alas ſparſi ſunt: quibus ſuccedit fructus rotũdus, ruber, pulpâ plenus, aliquot oſſea grana continens: radix vulgari ſimilis eſt, candida, nodoſa, propagines ad latera fundens, & candicantibus fibris obſita. *Polygonat. vi. Anguſtifol. ii.*

Mihi anno M.D.LXXX. communicatum elegantiſſimũ hoc Polygonati genus à Doctiſſimo viro Achille Cromero Sileſio, nunc Brunnenſi apud Moravos Poliatro, quod ijſdem, quibus ſaxatilem Rubum, locis eruiſſe aſſerebat. *Natales.*

NVLLVM nomen vulgare iſtarum plantarum novimus, niſi quod tres priores, rhizotomæ mulierculæ, quæ in forum Viennenſe earum radices interdũm venales adferunt, eodẽ cum vulgari Polygonato nomine Weiſswurtz appellant: Vngari ſimiliter, ut vulgare, *Saloman pöcheti*, id eſt, Salomonis ſigillum, dicunt. Quarta tam illis, quàm montanis paſtoribus & venatoribus, prorſus ignota eſt. Eam adumbrare videtur Matthiolus Lauri Alexandrinæ appellatione: verùm neque effigies ſatis ſcitè expreſſa, neque ejus hiſtoria tradita. Sive verò eam intelligit, quam nos hîc damus, ſive aliam, nulla ratione ad Laurum Alexandrinam referri poteſt, quam Dioſcorides non inter folia fructum ferre dicit, ſed ἐν μέσοις, in medijs folijs. Theophraſtus autem expreſſius ἐπιφυλλόκαρπον appellat lib. i. cap. xvi. & lib. iii. *Nomina.*

cap. XVII. Hiſtor. Plant. ubi eam Oymyrſines ſive Ruſci modo fructum ferre ait, ἐπιφυλλόκαρπόν ἐστιν ὥσπερ καὶ ἡ κεντρομυρσίνη: ἀμφότεραι γὰρ τὸν καρπὸν ἔχουσιν ἐκ τῆς ῥάχεος τοῦ φύλλου.

Commodius itaque, meo judicio, Polygonati generibus adſcribetur, quàm Lauro Alexandrinæ. Niſi quis fortè ad Idæam radicem Dioſcoridis referendam putet: ſed cùm valde mutila ſit ejus deſcriptio, difficile eſſe exiſtimo, certi quidpiam poſſe ſtatuere.

CETERVM mirari ſubit, quid Auctorem magnæ illius Plantarum Hiſtoriæ moverit, ut hoc Polygonatum (ſive Laurum Alexandrinam Matthioli, meam enim iconem vidiſſe,
Hypogloſſum Dioſc. aut hiſtoriam legiſſe vix puto) Hypogloſſum Dioſcoridis eſſe velit, cujus textum ſic emen-
Dioſc. emaculat. dandum cenſet: ὑπόγλωσσον θαμνίσκος ἐστι μυρσίνη ἀγρίᾳ καὶ λεπτῇ (melius λευκῇ) τὰ φύλλα ὅμοιος. κόμην δὲ ἀκανθώδη ἔχει ἐπ᾽ ἄκρου, καὶ ὥσπερ ἐπιγλωττίδας παραφύσεις μικρὰς ἐν τοῖς φύλλοις. Gal. item libro VIII. Simplicium ὑπόγλωσσον ὠνόμασται μὲν οὕτως, ὅτι παραφύσεις ὑπ᾽ ἄκροις τοῖς κορύμβοις ποιεῖται γλωσσαρίων, id eſt, Hypogloſſum ſic nominatum eſt, quia propagines parvarum linguarum ſub ſummis corymbis producit: ex quibus verbis intelligere licet, γλωττίδας ſive γλωσσάρια, ligulas, non folia in medijs folijs naſcentia. Hæc ille.

Non inficias quidem imus, Hypogloſſum, à nonnullis Laurum Alexandrinam creditam, habere γλωσσάρια potiùs quàm folia in medijs folijs, quanquam & folia ſint, ſed minuta, ex cujus (ubi majori folio plantæ inhærent) ſinu naſcuntur, ut in Ruſco, flores bini interdum, deinde fructus orbicularis, inſtar corallij ruber, oſſeum nucleum continens. Sed hanc ſtir-
Polygonat. IIII. latifol. non eſſe Hypogloſſum. pem, quam pro Polygonato Quarto latifolio exhibemus, Hypogloſſum eſſe poſſe negamus multis de cauſis: primò, quod neque pungentia ſint illi, neque dura folia, ſed valde tenella & mollia: deinde, quòd ligulas non producat ſub corymbis, ſed ſingulares, ut dixi baccæ, ex ſingulis petiolis ad foliorum exortum dependeant: poſtremò, quod frutex non ſit ſemper virens, inſtar Lauri Alexandrinæ, ſed totus caulis ad radicem uſque pereat ſingulis annis, perinde ac in reliquis Polygonati generibus.

Laurus Alexandrina Theophr. II.

Laurus Alexandrina fructu pediculo inſidente C.B: Pin: 304.

Laurus Alexandrina. VERAM porrò Laurum Alexandrinam, nunquam vidiſſe ingenuè fatebor, ſi ab ea quæ vulgo Biſlingua dicitur, & Hypogloſſum Dioſcoridis eſſe cenſetur, diverſa ſit. Theophr. enim nuſquam Hypogloſſi meminit, ſed Lauri Alexandrinæ duntaxat, locis jam notatis: & lib. I. cap. XVI. Hiſt. Plant. expreſsè eam recenſet inter καρποφόρα μεταξὺ περιειληφότα τὸν καρπόν, hoc eſt, fructiferas quæ habent fructum quaſi circumvolutum, & interceptum.



Laurus Alexandrina Veterum. Præterea Plinius lib. XV. cap. ultimo Natur. Hiſtor. Laurum Alexandrinam ab aliquibus Idæam vocari tradit, ab alijs Hippoglottion, & Carpophyllon, atque inter folia ſemen rubrum ferre. Ipſe verò & Dioſcorides eam in montibus naſci tradunt, Hypogloſſi autem natales
Biſlingua. ſubticuerunt. Certè Biſlingua, quam Viennenſes mulierculæ auffenblat appellant, in montibus naſcitur, & abundanter quidem, in monte imminenti oppidulo cui nomen Divi Georgij, in trans Danubiana Pannonia, tribus ab urbe Poſonienſi miliaribus, invenitur: unde Rhizotomi plurimam adferunt Viennam, & ejus urbis mulierculis vendũt: nam magno illis eſt in uſu, præcipuè autem ad uvæ procidentiam. Non minus copioſam deinde obſervabã anno M. D. LXXIX. in montibus non procul à Zollonock Ill. Dn. de Batthyan oppido diſſitis.

Laurus Taxa Plin. Hanc Dalechampius Laurum Taxam, cujus Plinius Natur. Hiſt. lib. XV. cap. XXX. inter alia
Chamædaphne Dioſc. Lauri genera meminit, eſſe ſcribit, eandémque Dioſcor. Chamædaphnem facit.

Ejus autem Laurus Alexandrina, quam baccis in medio foliorum impreſſis, nec ulla epiglottide tectis, exhibet, valde mihi ſuſpecta eſt: an ipſe ſimilem viderit, me latet, mihi certè numquam conſpecta.

AT anno ſupra milleſimum & quingenteſimum nonageſimo ſexto, mittebat ad me vir eruditiſſimus Simon de Tovar Hiſpalenſis Medicus, ſpeciminis gratiâ Verę Lauri Alexandrinæ

drinæ folia cum ſuis baccis, ad Theophraſti deſcriptionem paullo ſupra memoratam ad amuſſim congruentia: nam illa Hypogloſſi quidem folijs magnitudine & formâ reſpondebant, verùm gloſſarijs ſive ligulis carebant, tametſi è medio nervo folium ſecante baccæ rubræ tenuibus petiolis propenderent, minores quàm in Hypogloſſo, ſed oſteum etiam nucleum continentes, nonnunquam geminum: atque poſtea ab ijs qui ex Italiâ redierunt, iſtic in quibuſdam hortis ſatis frequentem eam plantam inveniri admonitus ſum.

PÆONIA. CAP. LXV.

PAEONIÆ hiſtoriam plerique dederunt: eam hîc repetere non eſt operæpretium. Verùm quas præter illas obſervabam, vel ſemine natas, vel aliundè acceptas, prætermittendas eſſe non duxi, ſed peculiare caput illis tribuendum.

Pæonia Byzantina I. Paeonia Peregrina flore sature rubente. B: Pin: 324.



ELEGANS porrò eſt Prior, foliáque habet Pæoniæ vulgaris feminæ, aut ejus quæ πολυφυλλάνθη eſt, folijs non diſſimilia, paullò tamen craſſiora: caules illi ſimiles, aut ampliores: florem ſummo faſtigio ſuſtinentes unicum, ſimplici octo, decem, aut plurium interdum foliorum textura conſtãtem, non purpureorum ut πολυφυλλάνθης, ſed rubentium & elegantiſſimorum; radicem multis nodis oblongis ſive aſphodelinis bulbis pręditam, Pæoniæ feminæ inſtar. *Pæonia byzantino ſemine nata.*

Duorum autẽ eſt generum: Nam Vnius germina, cùm ineunte Vere prodire incipiunt, caules etiam, & foliorum pediculi, initio rubent, paulatim deinde per ætatem remittente ſe colore: folia ex atro vireſcentia, & pronâ ſupináq; parte ſplendentia ſunt: flos ſaturè rubet, bináque, terna, aut quaterna longa in medio habet capita, multis ſtaminibus purpuraſcentibus (quorum apices aurei) cincta, quæ matura dehiſcunt, ſeménque oſtendũt longiuſculum, nigrum, ſplendens, vulgaris Pæoniæ modo. Altius hæc aſſurgit, craſſioréſque habet caules. *Prior.* Alterius verò germina recens prodeuntia nõ rubent, ſed ex albo vireſcunt, ut etiam caules & foliorum pediculi, folia ſuperiore dilutius virentia, læviáque, ſupernè & infernè non minùs quàm ſuperioris ſplendent: flos etiam paulò major, dilutiore magíſque florido colore præditus eſt: ejuſdem ſiliquæ, breviores, ſemina rotundiora, minus nigra & ſplendentia. Hæc non adeò liberalis eſt in proferendis floribus ut ſuperior. Vtraque nata ſemine Byzantio miſſo *Scakaick* nomine. Floret Maio cum alijs Pæoniæ generibus, aut cum illæ florere deſinunt. *Altera.*

Iſtarum ſemine mihi natæ ſunt aliquot plantæ anno M. D. XXCVIII. quarum nonnullæ matrem folijs referunt, binæ verò multo ampliora rarioribusque lacinijs diviſa habent folia: quæ triennio poſt flores dederũt ſecundo generi ſimiles, breves etiam craſſasq; ſiliquas. *Vtriuſque ſemine nata.*

TENVIVS diſſecta & laciniata habet Altera folia, magis mucronata, aversâ parte brevi lanugine pubeſcentia & candicantia, adversâ verò virentia nec ſplendentia, multis venis à medio nervo in latera foliorum excurrentibus, ut in reliquis Pæoniæ generibus: caules graciles, & dilutius virentes, ſingulos ſuſtinentes unicum florem, aliorum generum floribus paulo minorem, ſimplici octo foliorum ſerie conſtantem, purpureum, hoc eſt, minus rubentem quàm qui plenus eſt, ſed non minus odoratũ, multis ſtaminibus candidis, quorum apices flavi, bina cornicula media cingentibus præditum, quæ maturitate dehiſcentia ſemen continere conſpiciuntur vulgaris Pæoniæ, initio ſubcæruleum, ſeminis Tini inſtar: radix ſuperiori ſimilis, minus tamen craſſis, ſed gracilioribus bulbis conſtans. *Pæonia Hiſpanico ſemine nata ſive II.*

Nata mihi erat ſemine ex Hiſpania miſſo, tertióque à ſatu anno primum florem dedit Maio menſe cum alijs.

Pæonia III. ELEGANS etiam eſt Tertia, primùm à me conſpecta anno M. D. XXCIX. in horto Ioannis Myler pharmacopæi diligentiſſimi, ad aurei capitis ſymbolum, Francofurti ad Mœnum. Folia autem Pæoniæ feminæ, paulò dilutius virentia quàm in πολυφυλλάνθη, ſplendentia, per oras nonnihil criſpa, infernè cineracei coloris: flos ſimplici ſex foliorum ſerie conſtat, ut vulgaris, coloris carnei dilutioris, in quo flaveſcens tenuiter elucere videatur, breviter eum colorem referentis, quem Viennenſes matronæ Pomerantzfarb cognominant, & qualem mediæ quædam Tulipæ obtinent: cornicula viridia medium florem occupant, & multis albis ſtaminibus cinguntur, quorum apices aurei: ſemen in corniculis nigrum: radix bulbaceis aſphodeliniſque tuberibus conſtat, ut Plena, & femina vulgaris. Floret Maio.

Pæonia IIII. aquilinæ fol. QVARTAM præterea habeo munere Io. ab Hoghelande, cujus flos nondum conſpectus (nam ſuperiore duntaxat vere illam accipiebam) ſed eodem Hogelandio referente, Pæoniæ maris eſſe debet: caulis illi ſatis firmus, folia in ternas alas diviſa, quæ totidem folia gerunt breviora & magis orbiculata quàm aliarum, atque in aliquot lacinias ſciſſa, ſupernè dilutius virentia, infernè pubeſcentia & caneſcentia, adeóq; ſimilia Aquilinæ folijs, ut primo intuitu pro illis accipi poſſint, atque ſi inter eas reponatur hæc ſtirps, primùm emergẽs, eos etiam qui mediocriter in plantarum cognitione verſati ſunt, fallere queat: radicem habet multis bulbis longis præditam ut Pæonia femina.

Pæonia V. Idem ſcribebat Pæoniam apud Batavos inveniri, cujus flores interdum eſſent carnei coloris, nonnunquã omnino rubri, aliquãdo etiam folijs vel mediâ ex parte rubris, aliâ carnei coloris, vel utroque colore radiatim diſtinctis, quam mihi poſtea videre contigit apud Sionem Lucium Daniſtam Lugduni Batavorum, niſi artificio eum colorem induxerit.

Pæonia pleno flore albeſcente minor.

Paeonia flore [illegible] albido pleno minor B. Pin: 324



Pæonia VI. ſive, Exalbida plena minor. CETERVM, quæ pro album plenum proferen[illegible] florẽ mihi donata eſt, humilior eſt illâ quæ [illegible]plum ex rubro purpuraſcentem plenumque habet florem, caulis item quàm illi gracilior, folia quidem multis lacinijs ut alteri diviſa, ſed anguſtioribus: flores etiã minores neque adeò pleni, utpote qui ſexagenûm aut ſeptuagenûm foliorum numerum rarò ſuperẽt, cùm in vulgaris plenæ flore aliquando quater centena obſervare meminerim. Hujus color initio dilutè purpuraſcens, & quodammodo carneus, deinde paulatim elangueſcens; exalbidus fit, tandem totus ferè niveus, exceptâ foliorum baſi & infimâ parte, quæ carneum quodammodo colorem retinet: bina aut terna, ut plena vulgaris, habet in medio flore cornicula, minora tamen, quæ an interdum, ut in alterâ, ſemina præbeant, mihi nondum obſervare licuit. Peculiarem etiam habet ejus flos notam, ut illi folia non facilè defluant, ſed diutiſſimè hæreant, imò donec temporis diuturnitate nigreſcant, marceſcant, & ſiccitate contrahantur, cùm vulgaris plena, floris folia rarò ultra octiduum retineat, ſed illa abijciat: radices etiam habet hæc, minores & graciliores, quàm vulgaris.

Pæonia exalbido pleno flore major. ALIVD Pæoniæ pleno carneo flore porrò genus in Belgicâ inveniri intelligebam anno M.D.XCVII. longè ampliore flore quàm modò deſcriptum, ut qui Purpureæ plenæ flori non cedat magnitudine, ejuſdem tamẽ cum illo naturæ, diutiſſimè nimirum folia retinens, temporis ſucceſſu etiam albeſcentia. Illam florentẽ viderunt in horto Dominę de Tiſenac Præſidis viduæ anno ſupra milleſimum & quingenteſimum nonageſimo ſexto Bruxellis, non modò Illuſtriſſimus Comes Arembergius, ſed ipſe etiam Ioannes Boiſot Præſidis viduæ frater, cum pleriſque alijs, ſcribens ad me in hæc verba: ut oporteat te credere teſtibus oculatis omni (ut puto) exceptione majoribus.

Pæonia pleno rubro flore. minor. PÆONIÆ autem pleno flore ſaturi rubri coloris aliud genus invenitur, cujus folia alterius folijs non abſimilia, ſupernè viridia & ſplendentia, infernè cæſij quodammodo coloris, & lanuginis expertia: flos alterius flore minor, nec adeò plenus, illi pænè qui carnei coloris

plenus

plenus eſt, par, non minus tamen ſaturi rubri coloris quàm majoris, ſed cujus folia interiora venis quibuſdam nigricantibus aſperſa conſpiciuntur: medium florem occupant cornicula nullis ſtaminibus obſita.

Vulgaris porrò plenæ genus extare intelligo, cujus interdum flores albas habeant oras: quod an illi plantæ peculiare ſit, ignoro: hoc verò in illo flore obſervabam, ut vetuſtate ſingula folia per oras languidioris fiant coloris & quodammodo exalbeſcant.

HIC inſuper adijciendum putavi, vulgaris quæ plenum fert florem ſemine mihi natas plantas, caule, folijs, radice matrem planè referentes, quarum Vna tertio anno florem dedit matris flori quidem concolorem, ſed ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantem: Altera autem Byzantinæ prioris florem imitantem, hoc eſt, ſimplicem octo foliorum ſeriem habentem, colorem tamen magis rubrum & ſaturum, & ad nigredinem quodammodo tendentem: Tertia florem plenum tulit matri concolorem, vel etiam majorem, & ſingulis annis cornicula ſive nuces quarum aliquæ ſemine prægnantes fuêre. *Paonia ſemine plena nata varietas.*

PÆONIAM etiam inventam in Regni Navarræ montibus, quæ florem ferat omnino niveum, ſed ſimplici foliorum ſerie conſtantem, vulgari minorem, radices illa minores etiam habentem, ex Boiſoti litteris non ita pridem intelligebam. *Paon. ſimplex niveo flore.*

CYDONIA Cretæ ſcribebat ad me Cl. V. Honorius Bellus anno M. D. XCIII. iſtic in celſiſſimorum montium convallibus provenire abundè Pæoniam albam, promiſcuæ naturæ, hoc eſt, quæ neque mas, neque femina eſſet: neutram enim illarum, totâ inſulâ (quæ diligenter ab eo perluſtrata eſt) vidiſſe, quemadmodum neque rubri coloris, licet non ſatis conſtanter ſimilem inveniri ruſtici quidam illi aſſererent. Pæonia autem Cretenſibus, ipſo teſte, Ψιφακια vocatur. *Paonia Cretica.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER TERTIVS.


BVLBACEIS atque tuberoſis ſtirpibus eleganti flore præditis, ſuccedere debent reliquæ coronariæ, & illis congeneres: adijciendæ præterea aliquot plantæ, non contemnendâ florum pulchritudine donatæ, & aliæ grato odore commendatæ. Harum omnium hiſtoriam tertio hoc libro deſcribemus, à Caryophylleis floribus, qui primum inter coronarias locum merito ſibi vendicant, initium facientes.

CARYOPHYLLEI FLORES. CAP. I.

NON carent altiſſimi montes præruptíque ſcopuli ſuis etiam delicijs: ſed diverſi generis floſculis elegantiſſimis odoratiſſimiſque ſæpiſſimè exornantur. Porrò Caryophyllei vulgo Herbariorum vocati, ob miram colorum varietatem, ſubeuntium ea juga oculos maximè recreant. Eorum verò, præter vulgo cognita, iſtîc multa genera obſervabam.

Caryophyl. I.

Caryophylleus ſilveſtris I.



PRIORI dodrantales ſunt cauliculi, teretes, geniculati: folia in ſingulis geniculis bina inter ſe oppoſita, oblonga, anguſta, dura, mucronata, colore quaſi cæſio: flos è caliculo rubente emergens, ſingulis cauliculis unicus plerumque inſidet, (interdum bini) quinque folijs conſtâns lentè fimbriatis, coloris in dilutâ purpurâ rubentis, circa umbilicum hirſutus, & ſaturatiore purpurâ nitês atque odorus, ex cujus medio umbilico duo brevia ſtaminula prominent: ſemen in caliculis paleaceum, fuſcum: radix longa, tenues fibras ſpargês, è cujus capite plures cauliculi latè in ambitu & confertim ſeſe diffundunt, fibráſque ſubinde agunt.

Natales. Invenitur in Hamburgenſi monte, duobus ſupra Poſonium, infra Viennam autem, octo miliaribus. Floret iſtic Maio: in hortos verò tranſlatum, etiam Aprili.

Caryophyl. II. ALTERIVS, breves etiam ſunt cauliculi, tres uncias rarò excedentes, geniculati: folia in ſingulis geniculis bina, ſuperioribus breviora, molliora, viridia, deorſum reflexa, ſplẽdentia, in novellis autem germinibus, ſatis copioſè ex eadem radice naſcentibus, majuſcula, latioráque: flos è nigricante & craſſiore caliculo emergẽs, ſummis cauliculis inſidet, unicus, ſuperioribus major, quinque etiã folijs cõſtans, paulò ſaturatior priore, circa umbilicum longioribus villis hirſutus, & eleganti ex ſaturâ purpurâ albo miſtâ, varietate gratus, inodorus tamen: ſemen in longis vaſculis quæ maturitate biantia, paleaceum, fuſcum, aliorum Caryophylleorum modo continent, radix ſuperiori ſimilis eſt.

Frequen-

Caryophylleus ſilveſt. II.



Caryophylleus ſilveſt. v.



Frequentiſſimum eſt in Sneberg, monte, ob perpetuo inſidẽtes illi nives, ſic appellato, & alijs Auſtriacarum Stiriacarumq́; alpium jugis. Floret autem iſtic ſub Iunij finem, & Iulio: ſed in mitiora loca delatum, cum ſuperiore flores profert, ſemen verò Iunio. *Natales.*

2. Illi per omnia ferè ſimile creſcit in altiſſimo jugo Etſcher vocato, niſi paulò lõgioribus eſſet folijs & cauliculis, flore plerũque majore, nec eo unico, ſed gemino, aut triplice: præterea ſub villis umbilicum ambientibus, inæqualem quandam, & in frequentes mæandros excurrentem lineam impreſſam habet, humani cranij ſuturam referentem, colore rubro ſaturatiore præditam, ut prioris eſt. *Caryophyl. II. ſpecies II.*

3. IN eodem jugo, paucas hujus generis, in Sneberg verò ſecũdi aliquot plãtas inveniebam, quæ ab illis duntaxat floris varietate differrent: nam licet forma diſpar non eſſet, color tamen albus erat, umbilici ambitus purpuraſcentibus villis hirſutus. Florebant iſtic primùm Auguſto, & maturum ſemen interdum præbebant: ſed in hortos tranſlatæ (eas enim cum ſuo ceſpite adſerebamus) cum ſuperioribus flores produxerunt. *Caryophyl. II. ſpecies III.*

TERTIO, cauliculi paulò majores craſſioréſque, pedali plerumque altitudine aſſurgunt, geniculati, ſingula genicula ambiẽtibus binis folijs, primo genere longioribus & latioribus, æruginei quodámodo coloris: ex ſummis alis bini, terni, ſingulatim autem naſcentes flores, priori non multũ abſimiles, quinque folijs per oras laciniatis, atque circa umbilicũ carneâ lanugine pubeſcentibus, conſtantes, rubri coloris, nullis corniculis inflexis præditi, odorati, qui è caliculis primùm emergentes, candidi futuri videntur: floribus ſuccedunt cornicula ſatis craſſa, ſemen nigrum, planum, ut ceteri Caryophyllei, continentia: radix oblonga, fibroſa, à capite plures ſurculos in orbem diffundit, qui plerumque fibras agentes, adeò ſe propagant, ut brevi totas areas occupent. *Caryophyll. III.*

Vnde primùm illatus, ignoro: ſed in omnibus Auſtriacis, Vngaricis, Bohemicis, etiam Germanicis pleriſque hortis colitur, & Maio menſe cum reliquis floret.

CRASSIVSCVLAM habet radicem Quartum genus, nigro cortice tectam, ſatis fibroſam, ſupernè in aliquot ramos diviſam, qui ſumma tellure multa capita gignũt, è tenuibus, gramineis, virentibusq́; foliolis conflata: inter quę proſiliunt aliquot tenues cauliculi, geniculati, palmares, & ad ſingulos nodos bina exigua foliola: calices in ſingulis cauliculis ſingulares, majuſculi, è quibus flos ruber dilutior, quinque folijs nonnihil per ambitum crenatis conſtans, è cujus umbilico bina interdum albeſcentia cornicula (ſunt etiam qui illis careant) cum aliquot ſtaminulis prodeunt: ſemen, ut in ceteris, nigrum, paleaceum. *Caryophyll. IIII.*

Creſcit in Tauro Carinthiæ monte. Floret Iulio, ſemen Auguſto maturum eſt. *Natales.*

QVINTO,

Caryophyll. V. QVINTO, craſſa & nigra radix eſt, dura, lignoſa, multos ramulos humi ſparſos fundens, nigros item illos lentóſque, & ſubinde fibras agentes: ex ijs cauliculi exeunt dodrantales, geniculati, infima parte gramineis quibuſdam, brevibus, anguſtis, colore cæſijs folijs, binis ſemper ex adverſo inter ſe oppoſitis, deinde ſecundum genicula aut nodos alijs rarioribus onuſti: extremis cauliculis inſident longi calices, ut in alijs Caryophylleis ſilveſtribus, florem continentes album, odoratum, quinque folijs valde laciniatis conſtantem, è quorum umbilico bina emergunt ſtamina longiuſcula, corniculorum papilionis inſtar inflexa: ſemen deinde in longioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum.

Natales. Provenit ſponte in Hamburgenſi monte inter ſaxa, quâ Auſtriam & Septentrionem ſpectat. Floret Maio.

Caryophyllei ſil. v. ſpecies altera.



Caryophyll. ſil. vi.



Caryophyll. v. ſpecies II. 2. Iſtius etiam genus ibidem invenitur, longioribus cauliculis, & plures flores proferens, ſuperiori quidem forma & candore ſimiles, ſed inflexorum corniculorum expertes, atque eorum loco decem ſtaminula ipſius floris ſuperficiem paululum exuperantia habentes: capitula etiam, in quibus ſemen continetur, longiora.

Varietas Eſt & in hoc genere, quod flores circa umbilicum purpuraſcente lanugine hirſutos proferat.

Caryophyll. v. ſpecies III. 3. Aliud tertium paulò majus inveniebamus ad radices montis oppido Medeling imminentis, tertio ferè à Vienna miliari: firmioribus tamen & longioribus eſt cauliculis, majore etiam flore, licet non minus profundè per oras laciniato, nec odorato, aut lactei candoris omnino, aut dilutius rubentis & quodammodo carnei coloris, brevibus villis purpureis umbilici circumferentiam in utraque ſpecie occupantibus, nullis ſimiliter corniculis, ſed decem ſtaminibus, ut in ſuperiore prominentibus: alioqui folijs, radice, & florendi tempore conveniunt.

Caryophyll. VI. SEXTVM plures ab una radice prodeuntes habet caules, cubitales, teretes, multis geniculis præditos: & in his bina ſemper folia caulem amplectentia, graminea, mucronata, reliquorum Caryophylleorum folijs fere ſimilia, viridia tamen, non incana aut cæſia: flores in ſummo caulis faſtigio multos, longioribus caliculis incluſos, quinque folijs præditos, in tenuiſſimas longáſque lacinias diſſectos, aut candidos, aut purpuraſcentes, ſuaviſſimi odoris, & è longinquo nares ferientis, umbilico vireſcente, & purpuraſcente lanugine hirſuto, è quo aliquot ſtaminula prominent: in oblongis deinde corniculis ſemen fert paleaceum, planum, nigrum, reliquorum Caryophylleorum more: radix fibroſa eſt. Habent autem novelli

velli ſurculi, ante quàm in caules abeant, latiora paulò folia, Armeriorum folijs proxima, anguſtiora tamen, nec adeo virentia.

Sponte naſcitur in humidioribus Viennenſis agri pratis, atque etiam ad cæduarum ſilvarum, pratis vicinarum, declives margines, pleriſque Auſtriæ locis: ſerius reliquis floret, nempe Iulio, & toto Auguſto, interdum etiam ſerius. *Natales.*

Caryophyll. ſil. VII.



Caryophyll. ſil. VII.



SVPINVM eſt Septimum genus, & humi ſe ſpargens tenuibus cauliculis, quibus multa, utrimque & ex adverſo ſemper bina, adnaſcuntur tenuia, brevia, graminea, viridiáque foliola: in extremis ramuſculorum faſtigijs naſcuntur flores ſimplici quinque foliorum ſerie præditi, rubri, ſed argenteis veluti ſcintillis aſperſi: ſemen non obſervavi: radix tenuibus fibris conſtans, & in lateribus ſe pangens. *Caryophyll. VII.*

Creſcere audio in monte illo non procul à Niclaſpurg Moraviæ diſſito. Vmbroſis locis delectatur. Ejus iconem hic ſubjecimus. *Natales.*

Illius elegans genus reperitur, per omnia ferè ſimile, tenuioribus paulò folijs, utrimque etiam ex adverſo tenuiſſimos cauliculos veſtientibus, qui ſummo ramulorum ſimiliter faſtigio ſuſtinent flores duplici foliorum ordine conſtantes, æſtatis initio, rubri coloris, in quo argenteæ quædam veluti micæ elucent: evadunt illi temporis ſucceſſu (nam tota æſtate planta hæc floret) adeo pleni, ut rumpantur, medióſque alios floſculos oſtendant tenuibus foliolis præditos, coloris quidem rubri, ſed paulo dilutioris. Summâ tellure adeo ſeſe diffundit hoc genus, ut brevi vicinos in ambitu ceſpites occupet, totáque hieme vireat: nam frigoris patiens eſt. *Caryophyll. VII. pleno flore.*

Hoc non ſponte natum vidi, ſed cultum in hortis Ill^mi Principis Cattorum Wilhelmi, & C.V. Ioachimi Camerarij, Medici Noribergenſis.

OCTAVVM, craſſiuſcula & ſucculenta habet folia, illius plantæ quæ vulgo apud Belgas Gramen marinum vocatur, folijs fere ſimilia, frequentiſſima & confertiſſima, amariuſculi ſaporis: inter quæ petioli veriùs quàm cauliculi emicant, unciæ ſemiſſem, vel etiam unciam longi, geniculati, binis folijs inter ſe ad nodos oppoſitis: cauliculis inſident prægrandes (pro ſtirpis proportione) & laxi calices, lanuginoſi, ex viridi purpuraſcentes, in quinque crenas diviſi, unde ſingulares emergunt flores, quinque folijs conſtantes, & rubro dilutiore colore præditi, inodori: ſemen obſervare non licuit: radix ſatis craſſa eſt, ſubfuſca, aliquot fibris donata, verùm circa caput ſumma tellure expandens ſeſe, & in plures ramos dividens, ſubinde novas fibras agit. *Caryophyll. VIII.*

Provenit ijſdem quibus Quartum genus locis, nempe Tauro monte Carinthiæ, ſolo *Natales.*

tenui

tenui & arena ſplendente referto. Floret ſub finem Iulij & Auguſto.

Caryophyl. IX. NONI, folium eſt minutiſſimum, gramineúmque & quaſi pungens, viride: adeò autem ſe propagat, ut magnos interdum ceſpites tegat, nõ ſecus atque muſcus quidam totos illos obſidens: floſculi in ſingulis propaginibus inter folia emergentes quinque bifidis folijs conſtantes coloris rubri dilutioris ſive carnei, tenuibus & vix tranſverſum digitum altis pedunculis inſidere conſpiciuntur ſinguli, gratiſſimo ſpectaculo: ſemẽ in capitellis fuſcis, & ſplendentibus, renis forma (qua nota à reliquis Caryophylleis differt, & ad Lychnidum claſſem accedere videtur) exiguum, ſubrufum: radix longa, nigricans, & multas propagines ſummâ tellure producens.

Natales. Summis Auſtriacarum & Stiriacarum alpium jugis inuenitur nudo petroſóq; ſolo. Floret Iunio, ſemen Auguſto plerumque maturitatem adipiſcitur. At in hortos tranſlatus hic Caryophylleus, etiam ſub Aprilis finem floret: nonnunquam etiam ſecundo, ſub Septembris initium.

Varietas. 2. Colore floris variat qui in Iudenberg celſiſſimo Stiriæ monte interdum naſcitur, qui totus niveus eſt: aliàs reliquis notis cum illo conveniens.

Nomina. CARYOPHYLLEI nomen invenit hæc planta apud Herbariorum vulgus (præſertim autem domeſticum ejus genus) quia illius flores aromatici caryophylli odorem plerumque æmulantur. Sunt qui Vetonicam appellare malint: nec deſunt qui ad Plinij Cantabricam referendam putent. Incolę quinque priora genera, Wildneglin/ Berg neglin/ & Steinneglin indifferenter appellant, hoc eſt, ſilveſtres, montanos, & petræos caryophylleos. Sextũ genus Auſtriacę mulieres, quibus ob odoris fragrantiam in delicijs eſt, peculiariter Zoddetnäglin/ id eſt, laciniatum ſive diſſectum caryophylleum nuncupant. Anguillara libro Opinionum XII. Theophraſti διὸς ἄνθος facere videtur. Nonum genus, Geſneri in epiſtolis Muſcus alpinus fortè erit. Gallis autem omnia iſta genera *Oeillets* & *Gyroflees ſauuages* dici poterũt. Caryophylleus verò flos in genere Vngaris vulgo *Zëk ſiu* dicitur: montanus autem laciniato & odorato flore *mezeÿ zek ſiu*. Hiſpani domeſticos caryophylleos *clauelinas* ſimpliciter nominant, ſilveſtres autem *clauelinas monteſinas*.

Caryophylei ſilveſtres alij diverſi generis. Paſſim in pratis, ſilvis, agrorum marginibus, alijsque herboſis Hungariæ, Bohemiæ, Auſtriæ Stiriæq; locis, ſponte naſcuntur aliquot alia Caryophyllei ſilveſtris, ſive Armerij floris genera. Sed quia in omnibus Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ provincijs, atque etiam, ut puto, Italiæ obvia ſunt, peculiarem illorum deſcriptionem hoc loco dare operæprecium non videtur. Caryophyllus pleno flore mali aurantii colore. B: Pin 208.

Caryphyll. pleno flo. Sileſiac. miniat.



Caryophyll. plenus Sileſiacus. NON prætermittenda tamen ea domeſtici Caryophyllei pleno flore ſpecies, quæ Viennæ Auſtriæ mihi primum conſpecta, & ex Sileſia uſque miſſa.

EA autem neque geniculatis caulibus, neque foliorum forma aut ſitu ab alijs domeſticis Caryophylleis differt, ſed floris color diverſus, ad illum, quo lychnis ſilveſtris byzantina prædita eſt, quodammodo accedit, minus tamen rutilus & flammeus, & ad carneum potius tendens, qualis fere in quibuſdam ſericeis pannis conſpicitur, quibus Germani pomerantzfarb nomen dederunt: floret cum reliquis, ſemen etiam illis ſimile eſt nigrum, planum, quod ſatum ſatis feliciter provenit, non omnes tamen plantæ ex eo natæ matris colorem referunt, ſed aliæ album, aliæ rubrum habent, aliæ nativum retinent, eumq; ſaturatiorem aut dilutiorem: nonnullarum item flores ſimplici quinque foliorum ſerie duntaxat conſtant, in quovis colorum genere.

CETERVM Caryophylleorũ facultates (quibus haud dubiè præditi nonnulli ex ijs quorum hiſtoriam hoccap. deſcripſi) diligentiſſimè perſequutus eſt celeberrimus Matthiolus ampliſſimis in Dioſcoridem commentarijs.

ARMERIVS FLOS. CAP. II.

CARYOPHYLLEIS floribus congener eſt *Armerius*, è gallica appellatione nomen apud recentiores herbariæ rei ſcriptores mutuatus, qui ſummo caulis & ramulorũ faſtigio multos flores

tos flores confertos, & veluti in umbellam ſive caput congeſtos habet, folio Caryophylleorum ſexto generi ſimilia.

EIVS porrò duo ſunt genera: Vnum ſimplici quinque foliorum ſerie præditos habet flores: Alterius duplici, triplicíve foliorum texturâ conſtant. *Armerij floris duo genera.*

Armerius ſimplici flore Pannonic.

Caryophyllus barbatus hortensis angustifolius B. Pin. 209.



Armerius pleno flore.

Caryophyllus barbatus flore multiplici B. Pin. 209.



Quod ſimplici eſt flore, ſuas etiam habet differentias: nam una eleganti eſt flore, eóque aut planè rubro, aut lactei candoris maculis aſperſo, aut niveo, cujus oræ carnei coloris: altera, quæ rarior eſt, omnino niveo: tertia pauciores ut plurimum habet flores dilutius rubentes & carnei quodammodo coloris: quartæ flos purpuraſcens eſt, ſingulis tamē ejus folijs per oras albis. Hujus ſemine quinta mihi nata, cujus flores primo & ſecundo quo aperti ſunt die, lactei prorſus candoris, ſequentibus paulatim evaneſcente albedine, tandem omnino purpuraſcunt, ſic ut in eadem umbella conſpicere liceat hos flores lacteos, illos exalbidos & media ex parte purpuraſcentes, alios omnino purpureos, iſtâ colorum varietate oculos valde recreantes: breviter, magna etiam in hoc flore varietas. I.

Illius quod plenum habet florem duas duntaxat differentias conſpexi; unam, quæ vulgatior eſt, rubro & eleganti admodū flore: alteram, quæ rarior, albo Omnium verò, tam quæ ſimplicem habent florem quàm quæ plenum, ſemen planum, nigrum, Caryophylleorum ſeminis inſtar in vaſculis continetur. II.

SIMPLICIS prior ſpecies ab Vngaris *Iſten nyla*, id eſt, Dei ſagitta nūcupatur, frequénſque ſponte naſcitur in quibuſdam pratis Nemeth-wywar Ill. Balthaſ. de Batthyan vicinis quâ Occidentem ſpectat. Ceteros Galli *Armoiries*, Belgæ Keykens vernacula lingua appellant, eóſque in hortis duntaxat cultos vidi. *Nomina.*

HVC proculdubio referendæ ſunt duæ illæ plantæ, quæ à rei herbariæ ſtudioſis Belgis Graminis marini majoris & minoris nomine vocantur: tametſi pleriſque alijs locis procul à mari diſſitis etiam ſponte proveniant. Nam quod majus vocant, in ſummis herboſiſque Auſtriacarum Stiriacarúmque alpium jugis frequenter inventum eruebam: memini etiam colligere in regio illo vivario Madritiana ſilva vulgo nuncupato, ſecundo ab urbe Lutetiâ miliari, unde erutum amicis in Belgicam mittebam: nuſquam verò maritimis locis mihi conſpectum. Quod autem minus vocant, non modò in Angliæ & Belgicæ maritimis provenit: ſed in Moraviæ collibus copioſè naſcitur, atque non procul Praga, itinere Viennenſi: Saxoniæ etiam quibuſdam herbidis locis, præſertim agro Witebergenſi videre & colligere memini, ante multos annos. *Armerius montanus tenuifol. major.* *Minor.*

Neutrius

Neutrius verò deſcriptio hîc à me expectanda eſt, cùm à Clariſs. Viris Dodonæo & Lobelio cum ſuis iconibus edita ſit: à Dodonæo quidem, minor graminis marini nomine: utraque à Lobelio Caryophylli marini & montani appellatione. Ab illis ergo requirere poterunt rei herbariæ ſtudioſi. Non deſunt qui Plinij Staticen eſſe cenſeant.

LYCHNIS SILVESTRIS. CAP. III.

Lychnis ſil. varij generis. LYCHNIDIS ſilveſtris magna etiam eſt varietas: Nam præter vulgares, tam quæ ſimplici quinque foliorum eſt flore, quàm quæ multiplici, Clariſs. Dodonæo & alijs deſcriptas, aliquot aliæ in meis peregrinationibus ſeſe obtulerunt, quarum hiſtoriam operæpretium duxi hoc capite deſcribere.

Lychnis ſilveſtris I.



Lychnis ſilveſtris II.



Lychnis ſil. I. PRIOR, craſſiuſculos habet caules, rotundos, geniculatos, in multas alas diviſos, quæ lento quodam liquore obſitæ ſunt, cui plerumque inhærent culices & minuta hujuſmodi inſecta: folia ad ſingula genicula ſemper bina, ordine diſpoſita, & ex adverſo reſpondentia, è viridi candicantia & quaſi cæſia, ſatis ampla: flores multos in umbella congeſtos, pulchros, rubros, quinque folijs non biſulcis conſtantes: ſemen in tenellis vaſculis parvum, rotundum, papaveris rhæadis inſtar, cineracei coloris, continetur: radix craſſa eſt & fibroſa, quam ubi planta floruit, ſubſequens hiems corrumpere ſolet.

Lychnis ſil. II. ALTERI, caulis eſt geniculatus, paucioribus ramis donatus: folia etiam bina ex ſingulis geniculis prodeuntia, ſuperioribus magis viridia, & firmiora: flores in ſingulis ramulis ſuperiori ferè ſimiles, majores, obſoletius rubentes, quorúmque folia bifida ſunt: calix craſſus membranaceâ tunicâ durâ & valde ſtriatâ tegitur, in quo ſemen cineraceum, craſſiuſculum: radice nititur ſingulari, non admodum fibroſâ, quæ etiam ingruente hieme perit.


Lychnis ſil. III. EX ſingulis geniculis pedales ramos profert Tertia, geniculatos, & in multas alas diviſos; folia jam dictæ anguſtiora, ſaturâ viriditate ferè nigricantia: flores quinis etiam foliolis conſtantes, rubentes: ſemen in calicibus, ſuperioribus ſimile, minus tamen, & fuſcum: radix craſſa, primæ par, quam ſubſequens hiems non minus corrumpit quàm ſuperiores.

Lychnis ſil. IIII. VNICVS initio Quartæ eſt caulis, pedalis, interdum amplior, geniculatus, ex viridi purpuraſcens, bina ex ſingulis geniculis ſibi invicem oppoſita proferens folia, longa, acuminata, firma, craſſiuſcula, viridia, à medio ad ſummum ferè, multis floribus ex alarum ſinu in

Lychnis sylvestris viscosa rubra altera C.B. Pin. 205.

Lychnis sylvestris villosa rubra angustifolia C.B. Pin. 205.

Lychnis ſilveſtr. III.



Lychnis ſilveſtr. IIII.



Lychnis ſilveſtr. v. Lychnis sylvestris lanuginosa major C.B. Pin. 205.



ſinu in oblongis pediculis prodeuntibus onuſtus, qui quinis extremo diviſis, ſed in rotundum bifidis folijs conſtant, & elegantiſſimo colore rubro ad purpuram tendente rutilant, elatiore dilutioréque coronulâ medium umbilicum occupante, nullo tamen odore præditis: his ſuccedunt membranacea, attamen duriuſcula capita, circa pediculum anguſtiora, & craſſiore mucrone, quæ per maturitatem dehiſcunt, & ſemen oſtendunt incluſum, minutum admodum, ex rufo nigricans: radix craſſiuſcula, nigra, multas fibras ſpargit, & ſingulis annis novos, eóſque numeroſiores caules producit.

MVLTOS caules ex unâ radice profert Quinta, rotundos, longiuſculos, ceteris infirmiores, in terram procumbentes, geniculatos: folia in ſingulis geniculis bina, longa, mollia, & lanugine quadam caneſcentia, inter quæ flores alternatim ſecundum ramulorum longitudinem enaſcuntur ſuperioribus formâ ſimiles, ſed majores, & dilutiore colore rubeſcentes, vel, ut ita dicam, incarnati: ſemen in vaſculis ſuperioribus par, ſubrufum: radix craſſa & fibroſa, quæ tamen plerumque alterum annum non ſuperat. *Lychnis ſil. v.*

SEXTA, omnium minima, cauliculo aſſurgit circiter palmum alto, geniculato, tenui, lanuginoſo: ad quorum ſingula internodia, bina tenuia, longiuſcula, lanuginoſa folia naſcuntur: flores inordinati, alternatim ex ſingulis geniculis prodeunt, parvi, purpurei *Lychnis ſil. VI.*

Lychnis ſylveſtris Lanuginoſa minor C.B. Pin 206.   Lychnis ſylveſtris pluribus foliis ſimul junctis C.B. Pin: 205.

Lychnis ſilveſt. VI.



Lychnis ſilveſt. VIII.



coloris pulcherrimo rubro miſti, longo lanuginoſóque caliculo incluſi: radix tenuis eſt.

Lychnis ſil. VII. Cretica. HVMILIS etiam eſt Lychnis ſilveſtris Septima, Cretico ſemine, Ocymoidis appellatione miſſo, nata: etenim ſtatim à radice in multos ramulos palmares, vel etiam minores dividitur, teretes, tenues, geniculatos: folia ad ſingulos nodos enaſcuntur bina contrario exortu, exigua, craſſiuſcula, villis quodammodo tecta: ſinguli ramuli ſuſtinent membranaceum caliculum, ſtriatum, lanugine obſitum, infimâ parte anguſtiorem, ſupernâ laxiorem, è quo exilit flos quinque folijs cõſtans, in ſummo bifidis, coloris initio rubelli, deinde leviter candicantis, in quo ſtaminula aliquot flaveſcentibus apicibus prædita: flori ſuccedunt capitula ſemen continentia, ſimile Lychnidis hortenſis ſemini: radix tenuis, in varios ramos divaricata, non vivax tamen. Florebat Iulio M D.XCIII. & ſequente ſemine deciduo nata.

Lychnis ſil. VIII. GENICVLATOS etiam habet caules Octava, tenues, in plures alas diviſos, pedales aut majores: folia in ſingulis geniculis bina, ternáve, interdũ plura, anguſtiora quàm reliquarum, viridis candido perfuſi & quaſi cæſij coloris: flores in ſummis ramulis naſcentes, quinis folijs bifido mucrone præditis conſtantes, internâ parte candidos, externâ aliquantulum purpuraſcentes, &, antea quàm omnino tabeſcant, ſeſe contrahentes & circumvolventes: calices admodum duros, breves, ſubrotundos, ſemen parvum, rotundum, Papaveris rhæadis cineracei coloris continentes: radicem ſatis craſſam, albam, multifidam, altero anno pereuntem.

Lychnis ſil. IX. MVLTA ſecundùm radicem habet Nona folia, digitalis longitudinis, ſenſim in latitudinem ſeſe explicantia, ſub extremum mucronata, viridia, nonnihil villoſa, ad Lychnidis ſilveſtris flore albo, quæ in omnibus Provincijs vulgaris eſt, folia quodammodo accedentia, longè tamen anguſtiora, acidiuſculi guſtus: caules deinde pedales, interdum cubitales, nodoſos & geniculatos: ſingula genicula latiore pediculo amplectuntur bina folia ex adverſo ſita, alijs breviora, circa ſummum caulem adhuc minora, & mucronata: ſummis alis innati longiuſculi ramuli, ternos plerumque vel etiam plures flores ſuſtinent, quinque bifidis, & uſque ad umbilicum diviſis, bináſque mucronatas appendiculas circa eundem umbilicum habentibus, folijs conſtantes, albos, quinque ſtaminulis medium umbilicum occupãtibus: floribus qui marceſcentes contrahuntur, & interiore parte convolvuntur, ut in præcedente, ſuccedunt craſſiuſcula & mucronata vaſcula, ſemine exiguo, rotundo, cineraceo plena: radix fibroſa & perénis, ſingulis annis novos ex radice numeroſioréſque caules profert, qui ſecundùm radicem fibras agentes facilimè pangi poſſunt.

Lychnis ſil. X. DECIMÆ, ſingulis annis ex eadem radice novi prodeunt cauliculi, per terram ſparſi, & ſubinde

Lychnis Montana alba Viscosa Latifolia. B: Pin: 205. Lychnis Viscosa alba angustifolia major. B Pin 205.

Lychnis ſilveſt. ix.



Lychnis ſilveſt. x.



ſubinde circa internodia radices agentes, deinde ſurſum denuo ſeſe erigentes palmari altitudine, graciles, geniculati, bina folia in ſingulis geniculis ex adverſo oppoſita ferētes, longiuſcula, anguſta, obtuſo mucrone, viridia, prominulo dorſo: flores in ſummis cauliculis & lateralibus ramulis elegantes, candidi, quinque laciniatis foliolis cōſtantes, inodori, quibus ſuccedunt obtuſa vaſcula, exiguo, nigricante, planóque ſemine (qua nota quandam affinitatem cum Armerijs floribus habere videtur) referta: fibroſam habet radicem, quam facilè pangere licet.

2. Aliud ejus genus multò minoribus & anguſtioribus folijs, minore etiam flore, ceteris notis non diſpar, invenitur in ſcopuloſo illo præruptóque jugo Durreſtain nuncupato, ſecundo ſupra Gamingam miliari.

Omnes, ubi adoleverunt, lento quodam & glutinoſo humore, ſuperiore parte, illitæ videntur ut prior (at tertia & quarta maximè) cui plerumque & culices, parvæque muſcæ & formicæ tamquam viſco captæ inhærent, aliæque quiſquiliæ.

Natales. Sponte naſcuntur tres priores cum ſeptima in arvis & inter ſegetes pingui ſolo, pleriſque Caſtellæ veteris locis: in hortis cultæ, florent eodem quo ſatæ ſunt anno, à Maio menſe uſque in Autumnum, ſeptima tamen difficilius cicurari voluit: prima autem & tertia, ſponte ſeruntur & ante hiemem prodeunt. Quarta in omnibus ferè Pannoniæ & Auſtriæ inferioris montanis ſilvis, editiſque & herbidis locis invenitur, atque etiam ſilvis Francofurto ad Mœnum vicinis. Floret Maio, ſemen Iunio maturum eſt. Quintam, in marginibus quorundam Caſtellæ agrorum: Sextam, non niſi in collibus Salmanticæ vicinis inter ſaxa provenientem obſervabam, atque utramque Maio florentem. Octava, non modò in cæduis ſilvis, ſed etiam ad reſtibilium agrorum margines, naſcitur per univerſam Auſtriam infra Aniſum, Moraviam, Bohemiam, Pannoniam, ultraque Muram & Dravum, abundè etiam ſilvis Francofurto vicinis. Memini & in Belgicâ videre Lutzelburgenſi ducatu. Nona, provenit ad Stiriacarum Alpium & Snealben ſupra cœnobium Neuberg radices: abundantius tamen in Etſchero ſæpius commemorato.

Nomina. PRIOREM & Septimam Salmaticenſes *Behen* appellabant, rubrum videlicet & album: Alteram Ocimoides. Sed ad Lychnidis ſilveſtris, cui perquam ſimiles ſunt, omnibúſque ferè notis conveniunt, genera, commodius referentur. Sunt qui primam & tertiam inter Armerios flores referre cuperent: ſemen tamen Lychnidi ſimile, aliæq; notæ, eorum ſententiam convellunt. Nec deſunt qui primam Odontitidem Plinij eſſe vellent, quorum ſententiæ Odontitis hiſtoria planè refragatur. Vngari Quartam & Octavam, & reliquas quæ apud

 eos na-

eos naſcuntur vulgares Lychnides ſilveſtres, *Vad zěk fiu*, id eſt, ſilveſtrem Caryophylleorum herbam appellant: nonnulli autem quartam *Nywl zěk fiu*, hoc eſt, leporis Caryophylleam herbam vocant. Septima vulgo Salmanticenſium *Collejas* dicitur.

Quibus facultatibus ſint præditæ, compertum non habeo: omnes verò deguſtatæ ſubamari guſtus deprehenduntur, præter Octavam, quæ, ut diximus, acidiuſculi eſt ſaporis.

Lychnis Byzantina miniato flore.



Odontitis Plinij ſimplici flore.



Lychnis Byzantina miniato flore. AD Lychnides ſilveſtres haud dubiè referenda eſt ea planta, quæ à vulgo Herbariorum Conſtantinopolitanus flos dicitur, Doctiſſimus Fuchſius Struthion eſſe cenſebat. Ejus hiſtoria ex recentioribus *βοτανογράφοις* petenda: iconem tamen hîc adijciendam eſſe putavi.

albo flore. Illius verò genus habui Viennæ, ſemine è Belgica miſſo natum, tenerius paulò, nec adeò numeroſos flores in umbellâ ferens, qui miniati non erant, ſed omnino albi: ceteris notis vulgari, quæ miniato eſt flore, conveniebat: ſed ætate non minus firma redditur ipſa planta, quàm alterius.

verſicolore flore. Tertium item ejus genus in Bruxellanis hortis ali, ſcribebat ad me N. V. Ioannes Boiſot, huic jam dicto ſimile, ſed floris colore diverſum, qui initio quidem miniatus eſt, deinde paulatim evaneſcens albeſcit, tandem totus ferè niveus evadit, ſic ut, pro florum ætate, tres colorum differentiæ eodem tempore in eadem umbella conſpici poſſint, videlicet miniati flores, minio candore miſto perfuſi, & albi. Semine tamen ab illo miſſo natæ Francofurti plantæ quædam, inter reliquas, florem non ita variantem tulerunt, ſed dilutiore rubro colore, & quaſi ex rubro & albo commixto præditum, ſive jocinoris colorem imitãtem, averſa autem parte candicantem.

Lychnis ſil. Plateau. SED & Lychnidis ſilveſtris genus eſt, cujus delineationem & *παράδειγμα* Iacobus Plateau ad me mittebat Behen alterius nomine: cujus verò eſſet coloris, minimè indicabat.

Lychnidis ſil. alia genera. PORRO, præter jam dictas, paſſim etiam in Auſtria, Stiria, & Pannonia occurrunt cùm in ſilvis, tum montanis pratis vulgares Lychnides ſilveſtres, flore albo, rubro, dilutius rubente, & ſubvireſcente, quæque Flos cuculi vulgo appellatur, Doctorum verò quorundam *Odontitis Plinij.* judicio Plinij Odontitis eſt, anguloſum certè caulem habet, geniculatũ, ex nigro viridique *Odontitis pleno flore.* purpuraſcentem, in geniculis folia, purpureum florem, atque in pratis naſcitur. Ejus genus Nobilibus quibuſdam matronis Viennam miſſum memini à Ioſepho de Caſa bona, Ser^mi^ Ducis Hetruriæ Simpliciſta, cujus flos multiplici foliorum ſerie cõſtabat rubri coloris elegantis: verùm illæ plantas eadem æſtate amiſerunt, dum me monentem, ne meridiani ſolis ardoribus exponerent (tenellæ enim adhuc erant) ſed in umbrâ potius adſervarent, ſpernũt.

Odont. plena Belgica. Similem his proximis annis repertam in pratis, ea Flandriæ parte, quæ inter Gandavum & Antuerpiã ſita, T'landt van Waes vulgo appellatur, nuper ad me ſcribebat Ioannes Boiſot, cujus

Caryophyllus pratenſis flore pleno. C.B. Pin: 210.   Lychnis ſylveſtris, quæ been album vulgo. C.B. Pin: 205.

Odontitis Plinij pleno flore.



Melandryum Plinij quorundam.



cujus crebra in his meis obſervationibus fit mentio. Quam habeo ejus munere plantam, elegantem florem plenum dedit, carnei coloris, anno M. D. XCII. cujus iconem affabrè exprimi curavi, hîc reponendam.

Melandryum Plinij quorundam.

Naſcitur etiam prædictis jam locis illa planta, quæ nunc Ocymaſtri, modò Ocymoidis, Polemonij, Papaverísque ſpumei nomen à varijs ſcriptoribus recentioribus adeptæ ſunt, Lobelius quandam affinitatem cum Melandryo, quod Plinius Nat. Hiſt. lib. XXVI. cap. VII. jocinori mederi ſcribit, habere putat. Sed cùm brevem admodum & mutilam ejus hiſtoriam tradat: an huic plantæ quadrare queat, difficulter quenquam judicare poſſe exiſtimo. Quid ſi potius Melandryum Plinij ſit Lychnis illa ſil. albo flore odorato: cujus genus flore pleno in cultis invenitur? Omnino autem ad Lychnidum ſilveſtrium claſſem pertinere arbitror, cùm eas formâ pulcherrimè referat. Duorum verò generũ eſſe obſervabam: Vnum enim in montanis naſcens, altius adoleſcit, craſſiores habet caules, qui cum laxis folliculis florem amplectentibus ex viridi purpuraſcunt: Alterius autẽ quod in omnibus etiam Germaniæ pratis obvium eſt, dilutiores & quaſi albicantes ſunt.

Lychnis ſil. ſemper virens, ſive Ocymoides ſ. v.

Ceterùm novum & elegans ejus genus ante paucos annos, ſemine ex Italia miſſo Ocymoidis arborei ſemper virentis appellatione, natum, cui multi ab eadem radice prodeunt rami palmares, craſſiuſculi, lignoſique quidem, ſed fragiles, in quibus naſcuntur bina ſemper adverſa inter ſe folia, bellidis folijs non majora, ab imo paulatim in latum expanſa, ſed ſummo mucronata, viridia admodum & ſplendentia: è ſummis aliquot ramis alij enaſcuntur dodrantales, aut pedales interdum ramuli, geniculati, graciles, binis inter ſe oppoſitis anguſtioribus folijs ad ſingula genicula donati, & ſummo in alas cõtrario ſitu utrinque naſcentes diviſi, quibus inſident membranaceis pinguibus caliculis incluſi flores, quinque bifidis folijs conſtantes, coloris quodammodo carnei, è quorum medio terna gracilia incurváque prodeunt ſtamina: radix candicat, paucíſque fibris prædita eſt, perennis tamen. Floret Iunio.

Lychnis ſil. Columnæ.

NEC minus elegans Lychnidis ſilveſtris genus deſcribit N. V. Fabius Columna in Plantarum novarum Hiſtoria quod ocymoiden Lychnitin appellat, quem conſulendum cẽſeo.

Lychnides ſil. aliæ ſemine natæ.

SED & tria alia Lychnidis ſilveſtris genera ſemine nata obſervabam anno M.D.XCV. Primum altius excreſcens, cubitali videlicet aut ampliore caule, nodoſo, bina folia alternatim ad ſingula genicula ſemper ex adverſo proferente, oblongiuſcula, extremo mucronata, ex quorum alis exeunt tenues ramuli, lento quodam rore, ut extimus caulis, obſiti, veluti in pleriſque Lychnidibus ſilveſtribus, ſuſtinentes tenues, longiuſculos, ſtriatóſq; caliculos, è I.

Lychnis sylvestris, sive aquatica purpurea simplex. 204. B Pin. Lychnis auricula ursi facie B Pin. 206.

Melandryum Plinij genuinum.



Lychnis ſilveſtris latifolia.



quibus emergunt elegantes floſculi, prorſus nivei, quinque folijs, à ſummo mucrone orbiculari ad mediū uſque per longitudinem ſectis, conſtantes, in quibus decē ſtamina alba, tenuia, quorū quina, flore ſeſe explicante, ſtatim conſpicua ſunt, & albicantibus apicibus prædita, alia demum exeunt contrahente ſe milvinorum unguiū inſtar flore: duriora capitula floribus ſuccedunt, in quibus ſemen quale in reliquis Lychnidibus ſilveſtribus: radix multifida eſt, è qua ramuli enaſcuntur purpuraſcentes, ferentes adverſa inter ſe folia, quadam brevi lanugine aſperſa, quíque facilè propagari & pangi poſſunt. Semen ex Italia miſſum

Muſcipula. Muſcipulæ appellatione.

II. Alteri brevior eſt caulis, & cubito minor, rotundus, multis nodis cinctus, è viridi purpuraſcens, ad cujus ſingula genicula, ſeu nodos, bina inter ſe oppoſita naſcuntur folia, paullo majora quàm in ſuperiore, non minus tamen lanugine obſita: ex quorum alis exeunt, ut in præcedente, ramuli, lento (quemadmodum & extimus caulis) humore obducti, cui culices & alia exilia inſecta, tanquam viſco irretita nonnunquam inhærent: ex radice ſecundū caulis latera naſcuntur alij rami frequētibus folijs præditi, æqualibus ferè jam deſcriptæ folijs, omnino purpuraſcentes, qui non minùs quàm ſuperiores pangi poſſunt: ſummo cauli & extremis ramulis, qui valde purpuraſcunt, inſident ſtriati ex atro purpuraſcētes caliculi, è quibus emergunt floſculi quinis foliolis anguſtis per medium in longitudinem ſectis conſtantes, foris ex fuligine purpuraſcentes, internè albi, cum quinis longis ſtaminulis extimâ parte craſſiuſculis & purpuraſcentibus, & totidem brevioribus, in candidos apices deſinentibus: flacceſcentes autem iſti flores, non minùs quàm ſuperiores contrahuntur: ijsq; ſuccedunt vaſcula ut in ſuperiore, ſimili ſemine plena. Viviradices ſunt iſtæ duæ.

III. Annua eſt Tertia, hoc eſt, prolato flore & ſemine (ſi ad frugem pervenit) perire ſolet. Ex una radice tenui, aliquot profert ramulos, tenues, nodoſos, quadam lanugine pubeſcentes, quibus ex adverſo ſemper inhærent bina lanuginoſa folia: ſummis ramulis alternatim inter folia innaſcuntur caliculi tumidiuſculi, ſtriati, & pubeſcētes, è quibus emergūt floſculi coloris ex albo purpuraſcentis, ſive carnei, quinque foliolis conſtantes, in quibus exilia ſtaminula: ſemen per adverſam valetudinem, quæ me ſubinde affligit, obſervare non licuit.

Lychnidis ſil. latifolia hiſt. PLANTA cujus iconem ad me mittebat Iacobus Plateau, quámq; hac tabella expreſſam damus, radices fibroſas, Primularum veris inſtar, è quarum capite folia promebat ſatis ampla, Auriculæ urſi vulgo appellatæ flavo flore folijs non valde diſſimilia, candidiora tamē & lanugine pubeſcentia, etiam illis craſſiora, denſiora, & ſucco abundantia: altero demum à

ſatione

ſatione anno caulem producebat duorum aut trium cubitorum altitudine,firmum,rotundum,ſucco quodam lento & glutinoſo obſitum,quo muſcæ & alia minuta inſecta inſidentia detinebátur magno numero. In ſummis ramis plurimos proferebat flores veluti in umbellam congeſtos,etiam ad centeſimum interdum numerum, ſatis tamē exiguos pro plantæ magnitudine, quinque folijs bifidis conſtantes,coloris ex viridi flaveſcentis.

Illius ſemen ad nos miſſum memini ex Italia,à Ioſepho de caſa bona Sereniſſimi Ducis Florentiæ,quum ex Cretâ redux eſſet, Muſcipulę Auriculę urſi facie cognomine,cum plurimis alijs ſeminibus ex eâ peregrinatione relatis.

SESAMOIDES MAIVS QVORVNDAM. CAP. IIII.

Lychnis viscosa flore muscoso B: Pin: 206.

Seſamoides magnū Salmantic.



Seſamoides parvum Salmantic.



AD Lychnidis ſilveſtris etiam genera non ineptè referri poſſe puto eam plantam, quam nonnulli Salmanticæ Seſamoides magnū nuncupabant,aliquot cauliculis pedalibus, interdū cubitalibus ex una radice prodeuntibus,rotūdis,geniculatis: folijs ferè oleæ ad ſingula genicula ex adverſo naſcentibus,cæſij coloris: floribus in extremo caule & ramulis ſpicatim aut racematim cōgeſtis,exiguis,ex herbido palleſcentibus: ſemen in caliculis ſubrotundis Lychnidi ſimile, cineracei coloris: radix ſatis craſſa,candida, perennis, ſummâ tellure multa folia,longiora,& mucrone latiora ſpargens: ſummus caulis & extremi ramuli lento quodam & viſcido humore obſiti ſunt, quemadmodum Lychnides ſilveſtres ſuperiore capite deſcriptæ. Tota amara eſt. *Seſamoides mag. Salmantic.*

Naſcitur lapidoſo & arido ſolo circa Salmanticam, & Narbonenſi agro: magna verò copia Auſtriæ ſalebroſis collibus, alijſque deſertis locis. Ali etiam ſolebat in Belgicis hortis. *Natales.* Eodem autem ſemine plerumque duæ diverſæ ſpecies enaſcuntur, non illæ quidem formâ diſſimiles, ſed quarum una florem eúmque majuſculum duntaxat profert, ſteriliſq; eſt: altera ſeminifera minorem florem habet. Tota æſtate florent. *Varietas.*

EA, ut dixi, Salmanticenſibus magnum Seſamoides appellabatur: alij ad Papaver ſpumeum referre volebant. *Nomina.*

NON dubito quin illius genus ſit, præſertim ſeminiferi, cujus iconem nudam nec ullis coloribus infectam ad me mittebat Iacobus Plateau Behen flore parvo appellatione, adeò, quam deſcripſi, omnibus ferè notis æmulatur: de floris autem colore, vel ſeminis formâ nihil adferre poſſum, quandoquidem nihil præter nudum nomen iconi erat additum. *Ejus genus II.*

TAMETSI ſequentium duarum ſtirpium facies non reſpondeat cum ſuperiore: quia tamen utraque Seſamoidis nomine Salmanticæ inſigniebatur, omnes eodem capite comprehendendas exiſtimavi.

DODRAN-

Seſamoides Salmantic. parvum I. DODRANTALES autem tres aut quatuor ab unâ radice producit Prima virgulas, teretes, circa quas folia lini, exigua, craſſa, inordinata: & in ſummis plurimos floſculos, ſpicæ, aut racemi inſtar confertos, ex herbaceo purpuraſcentes initio, deinde tenuibus capillamentis ex albo palleſcentibus ornatos, in quorum medio veluti quatuor grana viridia conſpiciuntur, quæ excuſſo flore, in vaſcula excreſcunt, exili nigricante ſemine plena: radix craſſiuſcula, candida, dura, vivax, ſubinde etiam ante hiemem repullulat.

Natales. In collibus Salmanticæ proximis lapidoſo ſolo provenit, ubi Maio florebat, deinde ſemen proferebat.

ISTIC Seſamoides parvum appellabant, tametſi cum ejus deſcriptione minimè conveniat. Ingrati & amariuſculi eſt guſtus.

Seſamoides Salmantic. parvum II. ALTERA item Seſamoides parvum iſtic nuncupabatur, creſcens declivibus locis, cui dodrantales virgæ, multa folia Lini foliorum æmula, majora, & incana: flos copioſus, albus: radix etiam candida, ſed non valde craſſa. Floret hæc etiam planta eodẽ quo ſuperior tempore: vivax etiam videtur, à Seſamoide tamen non minus aliena, quàm ſuperior.


HESPERIS. CAP. V.

Heſperis cur dicta. HESPERIDI nomen inditum, auctore Theophraſto lib. VI. de cauſis Plant. cap. XXV. quòd nocte plus redoleat, quàm interdiu. Cui ſuffragatur Plinius Natur. Hiſt. lib. XX. cap. VII. Ad quam verò earum plantarum, quæ hodie nobis ſunt cognitæ, potiſſimum referri debeat, plerique adhuc dubitant, cùm nullas alias notas reliquerint Veteres, quibus dignoſci queat.

Communis tamen opinio obtinuit, ut ea quam nonnulli Matronalem violam vocant, & inter Leucoij genera referri debere videtur, Heſperidis nomen ſibi proprium adſciſceret: quoniam ejus flos, ſub veſperam præſertim, grato odore nares feriat, interdiu, aut nullum, aut leviſſimum ſpiret.

Nos ergo, vulgarem Herbariorum opinionem ſequuti, Heſperidẽ appellamus, quæ Matronalis viola alio nomine dicitur, quòd Matronis atque virginibus ſit in delicijs. Ejus verò duo genera alia, minimè ab alijs hactenus obſervata, in med ium proferemus.

Heſperis I. Heſperis montana pallida odoratiſſima C.B. Pin: 202.



Heſperis I. CVBITALI Prior excreſcit altitudine, multiſque ramis prædita eſt, quos confuſo ordine ambiunt folia, Matronali violæ ſimilia, paullo tamen latiora & craſſiora, acidiuſculo primum guſtu, poſtea acri & ſalivam ciẽte: extremis ramis in oblongis pediculis inſident flores Leucoij aut Violæ matronalis floribus forma ſimiles, quatuor foliolis, ut illi, conſtantes, non explicati tamen, ſed ſe contorquentes, coloris admodũ inelegantis & obſoleti, hoc eſt, pallidi & furvi, infinitis venulis ex atro purpureis ſingula foliola intercurſantibus, odore interdiu nullo, aut adeò tenui, ut vix naribus percipi poſſit, ſub veſperam autem gratiſſimo & ſuaviſſimo: flori ſuccedunt longa, toroſáque ut in vulgari cornicula, ferè tamen quadrangula, in quibus duplici ſerie continetur ſemen vulgari Heſperidi ſimile, ſubruffum: radix fibroſa, quę ut plurimum biennium non ſuperat, ſed poſtquam defloruit & ſemen tulit, perire ſolet: ſi tamen præciſis caulibus ad frugem pervenire non ſinatur, nova germina interdum producit.

Natales. Sponte naſcentem & ſemine prægnantẽ primùm inveniebam in Prellnberg Hamburgenſi monti vicino, Vngariæque extremo, quà Auſtriam ſpectat, menſe Iunio anni M. D. LXXVI. Ejus deinde ſemen terrę cõmiſſum ſubſequente vere, plantas mihi protulit, quæ altero anno duntaxat floruerunt Maio, & ſequente hieme perierunt.

Varietas. Solent verò quæ ſemine naſcuntur plantæ, floris colore multum variare, nonnullis maternum colorem retinentibus, alijs aut dilutius palleſcentibus, aut magis obſoletum adquirentibus, omnia tamẽ folia crebris venis ex atro purpuraſcentibus diſtincta habentibus.

IN Sy-

IN Syriæ maritimis aliud Heſperidis genus creſcit, cujus ſemen in Italiam allatum, deinde Viennam miſſum, plantas produxit jam deſcripta multò vegetiores, ampliora habentes folia, craſſiores caules, majoréſque flores, quatuor tamen folijs etiam conſtantes, ejuſdem planè cum ſuperiore coloris, ſub noctem valde odoratos, interdiu odoris expertes: quibus multo craſſiora cornicula ſucceſſerunt, alioqui ſuperioris corniculis plurimū reſpondentia; ſemen etiam ſimile continentia, ſed paulò craſſius, quod matureſcere non potuit, quia ſerius floruerunt plantæ. Altero etiam anno perire ſolet ejus radix, non multum priori abſimilis. *Heſperis Syriaca II.*

Heſperis III. ~~Hesperis~~ sylvestris inodora B: Pin: 202.



Viola latifolia, Lunaria odorata. Viola Lunaria major siliqua oblonga B. Pin: 203



TERTIA vulgari Matronali violæ adeò ſimilis eſt, ut ex utriuſque collatione vix diſcrimen conſpici poſſit: etenim folia habet ſecundùm radicem non minùs ampla quàm illa, ſubhirſuta, viridia, in ambitu ſerrata: caulem cubitalem, multis alis concavum, ad quas alia breviora, & nonnihil ad pediculum laciniata naſcuntur folia: flores in extremis ramis copioſos, quatuor folijs conſtantes, exalbidos, qui ætatis ſucceſſu purpuraſcunt: cornicula, ſemina, radix etiam ipſa cum vulgari omnino conveniunt: ſolo floris odore, cujus in hac nullam gratiam percipere potui, differunt. Solet etiam hæc, altero plerumque à germinatione anno, & à maturo ſemine, perire. *Heſperis ſil. III.*

Creſcit paſſim Vienneſi agro ad montium radices, & vinetorum in collibus ſitorum margines. Floret cum vulgari, nempe Maio & Iunio. *Natales.*

PRIOREM appellare licebit Heſperidem montanam: alteram, Heſperidem Syriacam tertiam verò Heſperidem ſilveſtrem. *Nomina.*

MATRONALEM autem violam, tuſſi, convulſis, & difficulter ſpirantibus mederi tradunt: urinas inſuper & ſudores propellere, incidere, abſtergere & digerere. *Facultates.*

CETERVM quæ à nonnullis Viola latifolia, à florum cum Heſperidis & Leucoij floribus ſimilitudine, vocatur: ab alijs autem Lunaria græca & odorata, quia ſiliquæ ſemine excuſſo, & abjecto tegumento, ſplendidæ ſint, & ejus flores Leucoij aut Heſperidis florum odorem referant, in montanis ſilvis Auſtriæ & Stiriæ, vicinarúmque alpium ſilvoſis locis, atque etiam in Pannoniâ interamni ſponte magnâ copiâ provenit. Quæ cùm à pleriſque alijs deſcripta ſit, ejus hiſtoriam hîc retexere non eſt neceſſe. *Viola latifolia.*

LEVCOIVM

LEVCOIVM MARINVM. CAP. VI.

ISTIVS plantæ duo genera cùm in Hiſpanijs, tum in Narbonenſi Gallia obſervabamus, unum majus & magis luxurians, alterum minus & exile.

Leucoium maritimum latifolium. C. B. Pin: 201.

Leucoium marinum majus.



Leucoium maritimum angustifolium.

Leucoium marinum minus.



Leucoiū marinū majus. MAIORI, caulis eſt pedalis, interdum major, ramoſus admodum, & humi procumbens: folia longa, craſſa, mollia, canentia, & quodammodo lanuginoſa, Cichorij aut Erucæ modo diviſa & velut præmorſa: flores ſecūdùm ramulos odorati, quatuor folijs ut reliquorum Leucoiorum flores præditi, dilutioris purpuræ colore, ſed ad rubri vini feces quodammodo tendentis: ſiliquæ longæ, craſſiuſculæ, planæ tamen ut vulgaris Leucoij, duplicē planorum & ſubruforum ſeminum ordinem, intercurrente membrana continent: radix multifida, ſed non perennis, poſtea quàm enim planta florem & ſemē protulit (quod altero plerumque à ſatu anno, interdum & tertio fieri ſolet) perit. Æſtate floret.

Leucoiū marinū minus. MINOR, dodrantales, teretes, ſed ſatis firmos habet cauliculos, in plures ramulos diviſos: folia priori ſimilia, mollia item & incana, minora tamen, tenuioráque & minus diviſa: flores in ramulis ſuperiore minores, quatuor foliolis conſtantes, coloris pulcherrimè rubētis, &, dum marceſcere incipiunt, magis ſaturi, quales Leucoij rubri vulgaris flores, & odorati quidem illi, verùm minus quàm ſuperioris: cornicula ſuccedunt oblonga, teretia, exili & rufo ſemine plena. Floret Iulio & Auguſto, eodem quo ſatum eſt anno, deinde perit.

Natales. Naſcitur utrumque Mediterranei maris littoribus in Hiſpaniâ & Galliâ Narbonenſi: ſed minus multo frequentius.

Nomina. LEVCOII marini nomen indidimus, quòd ſponte in maritimis naſcatur, unde ad Belgas delatum, in hortis coli cœpit: alui etiā majus aliquot annis Viennæ, ſemine ex Belgicâ miſſo natum. Minus ob coloris in flore mutationem, nonnulli, cùm Mompellij viverem, Tripoliū vocare ſolebant: tametſi ijſdē locis natum Tripolium legitimū obſervare potuiſſent. *Tripolium.*

Tēperament. Vtrumque calido guſtu eſt: ſed minus ſuâ acrimoniâ vehementius linguam vellicat.

Leucoiū marinum Creticum. IOSEPHVS porrò Caſabonus ex peregrinatione Cretica redux, ſemen ad nos mittebat Leucoij marini appellatione, è quo tres diverſæ plantæ ortæ.

I. EARVM Maxima & Prima, caules habuit procumbentes, rotundos, duriuſculos, multis ramis donatos, in quibus floſculi quatuor folijs conſtantes, initio rubentes, deinde ex cæruleo purpuraſcentes, extremo bifidis, & cordis, ut vulgo pingitur, effigiem propemodum referentibus, quaſi ex umbellâ, Irionis vulgaris inſtar, ſenſim prodeuntes, qui (ubi floris folia conjungebantur, radiantem imitabantur flavam ſtellam: floribus ſucceſſerunt duarum ferè

unciarum

unciarum ſiliquæ ſive cornicula teretia, in quibus ſemen oblõgiuſculum caſtanei coloris. Ipſius verò plantæ folia longiuſcula fuerunt, à Thlaſpi folijs non valde differentia, nullis (in caule præſertim) evidentibus crenis donata, craſſiuſcula, & aliquantulum amara.

ALTERA priori ſimilis erat, niſi floſculos habuiſſet dimidio minores, & initio prorſus albos, deinde tamen paulatim purpureum quidpiam contrahentes, ſed nihilominus magis ad albedinem inclinantes. Floruit utraque Iulio, medio Vere, hoc eſt Aprili, ſata. II.

TERTIA promebat initio præcedentibus duabus longiora folia, evidentibus & cõſpicuis crenis ſecundùm oras donata, Leucoij Dioſcoridis Lobeliani inſtar, è quorum medio exivit cauliculus rectus palmari altitudine minor, quum florere incipit, nempe Auguſto: à latere verò plures fundebat ramulos, in quibus flores, ſecundo generi amplitudine pares, colore tamen differentes. nam propius accedebant ad Leucoij marini Lobeliani latifolij colorem, magíſque purpuraſcentes erant, quàm in primo genere. III.

LEVCOIVM SILVESTRE.

Leucoium ſylveſtre luteum angu[s]tifolium. B: Pin: 202



CAP. VII.

Leucoium ſpinoſum Creticum. *in canum Luteum B: Pin: 201*



MVLTA ſecundùm radicem habet folia, Leucoij, quod luteo eſt flore, folijs ſimilia, anguſtiora tamen, viridia, amaricantis guſtus, inter quæ unicus, interdũ plures aſſurgunt caules, pedales aut ampliores, ſtriati, carinatis folijs obſiti, multos ſuſtinentes flores quatuor folijs conſtantes, flavos, Leucoij lutei florum æmulos, ſed minores, minúſq; odoratos: floribus ſuccedunt oblonga cornicula ut in ſativo, plano ſemine plena: radix longa eſt, candicans & multis tenuibus fibris prædita. An ſemine ad maturitatem perducto pereat, obſervare non potui: nam natali loco florentem, ſuáq; cornicula nondum matura ferentem hanc plantam obſervabam: Biennalem tamen eſſe puto, quia in nullis ſtirpibus, caulis præcedentis anni ulla veſtigia conſpiciebam. *Leucoium ſil.*

Invenitur in montibus illis ſupra Badenſes thermas, & in Leytenberg, ſalebroſis præſertim & meridiei obverſis locis. Floret Maio. *Natales.*

COMMODE Leucoium ſilveſtre appellari poſſe cenſeo: Rhizotomæ etiam mulierculæ Wild gelbe veyl vocant. Sativum autem Leucoium luteum, Vngari *Sarga viola* nuncupant, hoc eſt, luteam violam. *Nomina.*

QVO nomine appellem hanc plantam dubius ſum. Nata autem eſt etiam Iacobo Plateau, ſemine peregrè accepto. Illam certè naſcentem non vidi, ſed iconem ipſius manu delineatam ad me mittebat cum brevi deſcriptione idem Plateau. Eam videlicet creſcere, ad cubitalem aut majorem altitudinem, & in multos ramos duros & lignoſos ſpargi, quos cingerent folia confertim naſcentia, incani & cineracei coloris, per oras nonnihil dentata: & *Leucoij ſpinoſi hiſtoria.*

ſparſim

ſparſim in ramis multos flores naſci flavos, quinque folijs conſtantes: eos autem ramulos initio ſatis tenellos eſſe, paulò poſt tamen, duros & ſpinoſos evadere. Quale ſemen ejus eſſet, non adſcribebat, ſed dumtaxat ſciſcitabatur an Hippophæſtum Dioſcoridis eſſe poſſet. *Hippophaſtū* Sed cùm Dioſcorides ſuum Hippophæſtum, humilem herbam eſſe aſſerat, ſine caule, ſine flore, inanibus tantùm capitulis, folijsque ſpinoſis, radiculas habere molles & craſſas, è quibus, folijs etiam & capitulo, ſuccus exprimatur, & in uſum adſervetur, non video quâ ratione hæc planta ejus deſcriptioni accommodari queat.

QVONIAM porrò folia, Leucoij marini folijs non valde diſſimilia habuiſſe videbatur, Leucoij ſpinoſi appellationem obtinere poſſe arbitror, donec aliud magis aptum, & ipſi plantæ conveniens reperiat, tametſi flores ejus pluribus folijs quàm Leucoiorum flores præditi ſunt.

PRIMVLA VERIS. CAP. VIII.

Primula veris vulgares multis locis obvia. TAMETSI in Auſtriæ, Stiriæ, Pannoniæque pratis, & herboſis montaniſq; locis, atque ſilvis naſcantur aliquot, ejus plantæ (quæ vulgo Herbariorum Primula veris & Herba paralyſis vocatur) genera, qualia ſunt elatior utraque flore luteo & pallido, atque humilis pallido flore, illæque ſimplici foliorum texturâ: peculiare tamen quoddā genus alunt nonnulla prata uliginoſa, binis, ternis & quatuor miliaribus à Viennenſi urbe diſtantia, quod ob florum elegantiam & venuſtatem hoc capite deſcribemus.

Primula veris rubro flore.

Verbasculum Umbellatum alpinum minus. B. Pin 242.



Primula veris albo flore.

Verbasculum alpinum umbellatum majus. B. Pin. 242




Primula veris rub. flore. GERMINAT autem ineunte vere folijs denis aut duodenis, initio quaſi in globum contractis, quæ ſucceſſu temporis ſeſe explicant, & humi ſparguntur, ſuntq; exteriore parte incana & veluti farinâ quadam aſperſa, internâ verò ex viridi pallentia, aliquantulum criſpa & denſiuſcula, Herbæ paralyſi vulgari ferè ſimilia, ſed minora, anguſtiora, & minus rugoſa, acris ſaporis: ex horum medio unus aut plures aſſurgunt cauliculi dodrantales, interdum pedales, nudi, graciles, ſummo faſtigio incani, qui ſuſtinent ex uno veluti capite, & in umbella naſcentes flores, octonos, denos, aut plures, Primulę veris floribus forma ſimiles, quinque bifidis folijs conſtantes, magnâq; ex parte eleganti dilutioreque purpurâ nitentes, aut *Primula veris alb. flore.* carnei coloris, interdum ſaturatius rubentes, nonnumquam (ſed rarò) omnino candidos, & etiam exalbidos, omnes autem circa umbilicum luteolos & aliquātulum odoratos: ſemen deinde in oblongis vaſculis admodum exile, fulveſcens cōtinetur. Illud autem in hoc flore obſervabā, ut qui intenſius rubet, ſtilum prominentem ſive piſtillum habeat, quemadmodum non-

dum nonnullarum Primularum flores: qui verò dilutioris ſunt ruboris, nullum. Radices ſunt candicantes, fibroſæ, ad quarum caput aliæ novæ plantulæ ſecundùm matrem ſubinde germinant.

Primula veris flavo flore elatior.

Verbaſculum pratenſe odoratum B: Pin: 241.



Primula veris pallido flore elatior.

Verbaſculum pratenſe vel ſylvaticum inodorum. B: Pin: 241.



Natales.

Sponte magnâ copiâ provenit in uliginoſis & vicinis, ut ante retuli, Viennẽſi urbi pratis, ad Himberg, Walterſtorf, Ebreſtorf, Mag^ci V. Hieronymi Beck à Leopoldſtorf, arcem, Botenſtorf, & ſupra Badenſes thermas verſus Neapolim Auſtriæ. Floret verò ſub finem Aprilis, & toto ferè Maio. Habui ex ijs quas in hortum tranſtuleram, plantam, quæ ex media florum umbella, cauliculum uncialem & ampliorem, aliam umbellam elegantiſſimis floribus onuſtam ſuſtinentem produceret.

Tempus.

Hanc etiam ſiccam ad me miſit C. V. Ioach. Camerarius è Saltzburgenſi agro erutam, ubi, quemadmodum & in Tyrolenſi comitatu, abundanter naſci ſcribebat.

Anno verò M.D.XXCI. dum Londini eſſem, de C. V. Thoma Pennæo Medico intelligebam copiosè admodum naſci in Angliæ Septentrionalibus pratis humidis & paſcuis, quæ adeò cauſa fuit, ut Doctiſſimus & humaniſſimus vir Richardus Garth Cancellariæ Londinenſis Primicerius, in meam gratiam ex Hexarchatu Derby, & Wybſey nõ procul Halyfure urbe, aliquot ejus plantas ſuis floribus adhuc onuſtas ante meum Londinio diſceſſum adferri curaret, quibus etiam adjunctæ fuerũt, aliquot Pinguiculę (de quâ poſtea) ſtirpes, cum Trollio flore: quas Antuerpiam ad amicos miſi.

etiam in Anglia naſcitur.

Tẽperament.

Quantum ex guſtu deprehendere licet, ijſdem facultatibus eſſe præditam apparet, quibus aliæ Primulæ veris pollent.

Keyſerlin.

EANDEM omnino eſſe puto, quam Ioſias Simlerus cõmentario de Alpibus, ex C. V. Conradi Geſneri collectaneis deſcribit in hunc modum. Keyſerlin herba puſilla, albicans, Bellidis minimæ forma, in ſummo plurimos confertos flores purpureos habet; tota herba candicat, & attrita manu pulverem exuit, aſpectu elegans. Cæſar inter herbas, aut Regulus.

Nomina.

A ruſticis mulierculis quæ flores ejus manipulatim colligatos Viennam in forum deferebant, ijſque vendebant, quæ ſerta & corollas nectere ſolent, Kreutzblumen nuncupabatur, eo quòd Maio mẽſe, circa id tempus quod vulgari germanicâ linguâ Kreutzwochen (eæ ſunt Rogationes) dicitur, plerumque floreat. Poſtea klein rot ſchluſſel blumen nominari cœpit à rhizotomis mulierculis, quę illius ſtirpes radicatas in foro venales proponere inceperunt, cùm animadverterunt Viennenſes matronas elegantibus floribus delectari. A ruſticis Anglis, apud quos naſcitur, *Birdeein*, hoc eſt, avium oculi nũcupatur, teſte Pennæo: verùm eodem etiam nomine apud illos inſignitur Cardamine illa pratenſis floribus albis, quam Doctiſſimus Fuchſius Iberidem eſſe cenſebat.

Primula veris pallido flore humilis. Verbaſculum ſylveſtre majus ſingulari flore. C. B.: Pin: 241.

Nomina Primula veris vulgaris.



VARIA autem apud rei Herbariæ ſtudioſos obtinuit nomina Primula veris vulgò dicta Belgis. Nam ſunt qui φλομίδες Dioſcoridis eſſe putent, Fuchſius verbaſcula vertit. Alij Dodecatheon herbam, quā Plinius Nat. Hiſt. lib. xxv. cap. IIII. deſcribit folijs ſeptenis, lactucis ſimillimis, è radice lutea exeuntibus. Vulgus Herbam paralyſim, Clavem S. Petri, Itali Lactucam ſilveſtrem, Germani Himelſchluſſel / & Schluſſel blumen. Angli Primzooſen & Cowe ſlyppe. Vngari humilem & ἄκαυλον maximâ copiâ ubique in ſilvis cæduis apud eos naſcentem, *Kacha verág* hoc eſt, pultis ex panico aut milio confectæ (quam illi *Kacha* vocant) florem, quia pultis illius quæ pallida eſt, colorem imitatur. Hanc ego, cùm in Angliâ eſſem, ubi etiam in cæduis ſilvis abundè provenit, lactei candoris flore conſpiciebam, & aliquot ſtirpes amicis in Belgicam inde mittebam. Sed & ab Anglis primùm acceperunt Belgæ tam humilem quàm elatiorem, quæ florem habent multiplici foliorum ſerie conſtantem, & omnes ferè reliquas coronarias plantas, quarum flores πολύφυλλοι.

Primulam autē Veris vulgo vocatam, Nobilis idemque Cl. V. Fab. Columna in ſuo φυτοβασάνῳ Aliſmatis alterum genus apud Plinium eſſe cenſet: quemadmodum & cap. ſequēte deſcriptas Auriculas ad Aliſma ſive Damaſonium Dioſcoridis refert: cujus ſententiæ valde acquieſco.

Auricula urſi I.

Sanicula Alpina Lutea C. B.: Pin: 242.



Auricula urſi I.

AVRICVLA VRSI. CAP. IX.

NON dubium eſt, quin ad Primularum claſſem referenda ſit venuſta hæc planta, adeo ſimiles ſunt & forma & temperamento.

Ejus verò multa genera obſervabam in alpinis Auſtriæ & Stiriæ jugis, quæ, certâ quadam ſerie, hoc capite deſcribemus, à vulgatiore quidem, ſed omnium odoratiſſimâ initium facientes.

ILLIUS folia, Primulæ veris folijs ferè reſpondent, rugoſa tamen non ſunt, ſed craſſa, fabariæ foliorum inſtar, eoque aut farinæ quaſi polline conſperſa & prorſus incana, aut leviter tantum caneſcentia, interdum omnino viridia & lævia; rurſus omnia vel per ambitum ſerrata, vel nullis denticulis prædita, interdum novella dūtaxat dentata, vetuſta minimè, omnia autem guſtu amara. Ex horum medio, aut è lateribus prodeunt cauliculi dodrantales, aut minores, nudi, veluti quadam farinâ reſperſi, qui denos, vicenos, tricenoſque, interdum etiam plures (præſertim ſi in hortis colatur, ubi admodum luxuriat) flores ſuſtinent, ex uno veluti capite æqualiter prodeuntes, & petiolis (quos tamquam ſquamulæ quædam incanæ ab invicem ſegregant) brevibuſque caliculis inhærentes, Primulæ veris ſimiles, quinis aut ſenis diviſuris conſtantes, dulcem & melleum quendam odorem ſpirantes, coloris aut lutei, aut pallentis, atque vel majores & ampliores, vel minores, omnes autem interius circa umbilicum albo circulo inſignitos, ſtilo inter ſtamina nonnumquam prominente, interdum nullo

dum nullo: ſemen deinde fuſcum, inæquale, bullatis vaſculis incluſum, quale Primularum veris: radix craſſa eſt, & multis candidis oblongíſque fibris prædita, ex quâ, in cultis ſi pangatur, plures plantæ enaſci ſolent.

Creſcit in Sneberg, Neuberg, Etſcher, & alijs vicinis Auſtriæ & Stiriæ alpibus, montéque Gleyſenfeld imminenti: deinde multo lætiorem & vegetiorem abundanter invenimus in ſcopulo, Medeling oppido (quod duobus aut paulo ampliùs miliaribus ab urbe Viennâ diſtat) imminenti, quâ Septentrionem ſpectat, unde rhizotomæ mulierculæ cùm florum manipulos, tum ipſas ſtirpes, quas ſciunt à pleriſque expeti, adferunt. *Natales.*

Auricula urſi II. Sanicula alpina, ... B. Pin. 242



ALTERIVS folia breviora ſunt, extremâ parte latiora plerumque, & initio quaſi rotunda, quæ temporis ſucceſſu anguſtiora circa radicem fiũt, craſſa quidem illa, ſed minus quàm ſuperioris, in ambitu ſerrata, ſupernè viridia & lævia, infernè ex viridi palleſcentia: inter quæ vel ad quorum latus exeunt nudi, duas uncias longi, aut paulò ampliores cauliculi, quibus inſidẽt ſeni, octoni, aut plures flores, ſimul in caput aut umbellam congeſti ut in ſuperiore, illíſque formâ ſimiles, ſed majores, rubro colore nitentes, obſcuriore tamen initio, quaſi mororum ſucco infecti eſſent, deinde eleganti & dilucidâ rubráque purpura gratiſſimi, intus circa umbilicum pallentes & exalbidi, odorati quidem illi, ſed minus ſuperioribus: ſemen in capitulis longè minoribus, parvum, nigrum, inæquale: radix priori ſimilis. *Auricula Vrſi II.*

Hanc fruſtra per Auſtriacorũ Stiriacorúmque montium altiſſima juga quæſivi: primum autem mihi conſpecta eſt in cultiſſimo horto C. V. Ioan. Aicholztij Medici & Profeſſoris Viennenſis, mei amici veteris, & hoſpitis, dum iſtic vixi, chariſſimi, quam à nobili quadã matronâ ante acceperat, ignari tamen unde illi primum communicata fuiſſet. In Oenipontinis autem & vicinis alpibus abundè naſci poſtea intelligebam. *Natales.*

TERTII generis folia, quàm ſuperioris minora, teneriora, minus craſſa, ſubhirſuta, per ambitum undique ſerrata, inter quæ naſcitur cauliculus ſuperiori ſimilis, flores in umbella pares ferens, & rubros, exalbidis tamen maculis aſperſos, cujus radix ſimiliter fibroſa, novaſque è lateribus propagines fundens. *Auric. Vrſi III.*

In Tyrolenſibus jugis, præſertim in Kitzſpil inveniri intelligo. Sed eam primum mihi oſtendebat cum multis alijs raris ſtirpibus quas in exculto ſuo horto alebat C. V. Ioach. Camerarius inclytæ Reip. Noribergenſis primarius medicus, floris expertem, quam tamẽ eodem cum alijs tempore florere mihi dicebat. Anno autem M. D. XXCI. ex Anglia Viennam revertenti paucas adnatas plantulas communicabat, ſed quæ in itinere tabeſcentes deinde perierunt. *Natales.*

QVARTA, minoribus eſt quàm Secunda folijs, carnoſis, mucronatis, in ambitu non ſerratis, ſupernè lævibus & ſplendentibus, infernè ex viridi pallentibus & venoſis, minoreque acrimoniâ & amaritudine præditis quàm aliarum folia: flores illi ſecundo generi ſimiles, profundioribus lacinijs ſecti, colore dilutius rubente, intus circa vmbilicum incanâ quadam lanugine villoſi, ſtilo prominente, bini, terni, aut ad ſummum quaterni, ſummo vncialis, rarò longioris cauliculi faſtigio naſcentes: ſemen in paruis vaſculis reliquis majus & fuſcum: radix minor & nigricans, atque adeo numeroſa ſobole interdum ſe propagans, vt latiſſimos ceſpites occupet. *Auric. Vrſi IIII.*

Inuenitur in Sneberg, reliquiſque vicinis jugis & Stiriæ alpibus frequentiſſima. Paulò ante meum Viennâ diſceſſum rhizotomæ mulierculæ ſingulis annis in forum Viennenſe venalem inferre cœperunt. *Natales*

TYROLENSI non valde abſimilis erat Quinta, quam in cultiſſimo horto Ill^mi Principis Cattorum Wilhelmi Caſſellis florentem conſpiciebam anno M.D.XIC. ejus enim folia circinatæ ferè rotunditatis, longiuſcula tamen & in ambitu ſerrata, longè minora ſecundæ folijs, & minus viridia, ſed aliquantulum caneſcentia: inter quæ tenuis & ſexcunciam longus *Auric. Vrſi V.*

 cauliculus

Auricula urſi IIII.

Auricula Alpina ... folio non ſerrato. Bib. Pin. 243.



Auricula urſi V.

Sanicula Alpina folijs rotundis. B: Pin: 242.



Auricula urſi VI.

Sanicula Alpina alba folijs non crenatis. Bib. Pin: 243.

Auric. Urſi VI.



Auric. Urſi VII.

cauliculus exiliebat, binos, ternos aut plures flores ſuſtinens ſuperiore minores, quinque bifidis folijs etiam cõſtantes, medij inter II. & IIII. coloris: ſemen nõ obſervabam, nam Aprili dumtaxat florentem videbam: radix fibroſa eſt, ut reliquarum.

MINOR etiam eſt Secundo genere, Sexta Auricula, cujus unicam plantam conſpiciebã in exculto horto ornatiſſ. viri Ph. Steph. Sprengeri anno M.D.XCI. Maio menſe. quaterna aut quina ferentem folia, craſſiuſcula, dilutè virentia, nullis crenis in ambitu donata, inter quæ prodire aiebat (nã caule & flore orbata erat) caulem è viridi candicãtem, tres uncias aut amplius longum, ſummo faſtigio ferentem quinos aut plures flores, flavæ forma æquales, ſed candidos: radix ſuperioribus reſpondẽs, aliquot fibris, ut illæ, donata erat. Ejus iconem quam hîc ſubjecimus, poſtea ad me mittebat.

SEPTIMA craſſiuſculâ radice nititur, Quartæ haud diſſimili, multis cãdicantibus fibris capillatâ: ex qua anguſta folia quina aut ſena, ſucculenta, & pinguia, Quartæ folijs multò anguſtiora, à medio ad extremum uſque mucronem in ambitu ſerrata, amarique guſtus prodeunt: cauliculus inter ea naſcitur tres uncias longus, nudus, lævis, ſuſtinens capitulum è foliolis compactum, unde quaterni aut quini flores elegantiſſimi, dilutius rubentes, quinque folijs bifidis ut reliqui con-

qui conſtantes: neque hujus ſemen obſervare licuit, capitula tamen quartæ proxima in illa conſpiciebam, ſemen etiam ſimile habere veriſimile eſt.

Creſcit hæc in quibuſdam alpibus Carinthiæ & Stiriæ ſuperioris, præſertim verò Tauro monte, & Iudenberg jugis. Floret ſub finem Iulij, hoc eſt, nivibus in ſummis illis jugis liqueſcentibus. Rara hæc, quia ex procul diſſitis montibus delata, in unius Aicholtzij horto paucos annos perduravit, omnem cultum ita reſpuens, ut numquam ad frugem pervenire, imò ne florem quidem deinceps proferre voluerit. *Natales.*

Auricula urſi VIII. minima. *Sanicula alpina minima carnea 243*



OCTAVÆ folia unguem magnitudine vix æquant, infernè circa ſedem anguſtiora, supernè & in extremo latiora crenatáque, viridia, nervoſa, ſuperioribus minus denſa, amari guſtus: pedicellus inter folia exilit vix digitum tranſverſum altus, unicum, interdum alterum florem ferens dilutius rubentis, ſive carnei coloris, è fimbriato caliculo obtuſiore prodeuntem, inodorum, intus etiam circa umbilicum candidâ lanugine pubeſcentem, nullo prominente ſtilo: neque hujus ſemen obſervare licuit, cùm non quovis tempore jugū in quo naſcitur propter difficultates conſcendere potuerim, nec in hortum cum ſuo ceſpite tranſlata ad frugem unquam pervenerit, reliquarum tamen ſemini reſpondere arbitror: adnatis mirum in modum ſe propagat, & interdum magnos ceſpites occupat, candicantes fibras è ſingulis propaginibus demittens. *Auric. Urſi VIII.*

In ſummo Sneberg jugo primus iſtam obſervabam anno M. D. LXXIIII. neque ullo alio vicino jugo poſtea mihi ſeſe obtulit. In Tauro tamen & Iudenberg etiam invenitur, & cum illa rarum aliud genus per omnia quidem ſimile, ſed cujus folia magis palleſcunt, flores lactei ſunt candoris. *Natales.* *Varietas.*

Florent omnes natali loco, Iunio, interdum Iulio & Auguſto duntaxat, videlicet ſtatim poſt ſolutas in ijs jugis, ubi creſcunt, nives, nonnũquam etiam ſub ipſa quaſi nive, & concameratâ nivis induratæ cruſtâ, reliquâ, quæ ſubtus erat, Solis radiorum rupes ferientium repercuſſione ſolutâ. In hortos verò tranſlatæ Aprili florent, & aliquando iterum Autumno, ſi aura ſit temperatior, illis exceptis quæ vel contabuerunt, vel nullâ, ut dixi, diligentiâ aut culturâ ad florem ferendum induci potuerunt. *Tempus.*

OMNIA iſta genera præter tertium, quintum, ſextum & ſeptimum, primus omnium Belgicæ communicabam, miſſis Viennâ, ad Ill. V. Ioannem de Brancion, fratris loco mihíque chariſſimum, & poſt ejus obitum ad Magnific. V. Ioannem vander Dilft ejus agnatum, compluréſque alios amicos, eorum plantis, primulâ veris rubro flore, & rariſſimis alijs alpinis ſtirpibus. Prior autem quæ flavo eſt flore, jam antea Belgicæ inquilina facta fuerat liberalitate C. V. Alphonſi Pantij.

Ioſias Simlerus commentario de Alpibus, aliquot ejus genera recenſet, ex Geſneri collectaneis, ut ipſe refert, deſumpta: nempe quæ haberẽt florem, aut luteum, aut pallidum, aut purpuraſcentem, vel rubeſcentem ſanguinis modo, vel cinereum, & atrum: quos poſtremos duos colores numquam mihi conſpectos eſſe in ſimili planta, ingenuè fateor, niſi per cinereum intelligat quartum genus, cujus flos marceſcẽs, præſertim pluviâ corruptus, veluti cineraceum colorem contrahit, & per atrum, ſecundi generis florem primum ſeſe explicantem, quem initio obſcuriorem, ſaturum, & veluti mororum ſucco infectum eſſe dixi.

QUO nomine veteribus dicta ſit hæc planta, me fugit; niſi ſit (ut Fabius Columna, quemadmodum diximus, cenſet) Dioſcoridis Aliſma. Recentiores autem varia illi indiderunt nomina. Matthiolus enim inter Saniculæ genera recenſet, & Herbarijs Auriculam urſi vocari tradit. Geſnerus libello de Lunarijs herbis Lunariam arthriticã appellare maluit. Alij Paralyticam alpinam nuncuparunt: magis tamen vulgare apud rei Herbariæ ſtudioſos nomen eſt Auriculæ urſi. Helvetijs flůblumle/ hoc eſt, rupium floſculus dicitur. Auſtriacarũ Stiriacarumq; alpium incolis, prior Craftkraut vnd Schwindelkraut ab effectu dicitur (commendant enim ejus radicis uſum, ad roborandũ caput, ne vertigine in præcipitijs tentetur, cujus rei cauſâ, caprearum & ibicum venatoribus non minus familiaris quàm Doronici radix) Medlingẽſes, apud quos copioſè naſci dixi, wolſmechende Schluſſel blumen/ id eſt, odoratam primulam appellãt: ſecunda & tertia rotte Schluſſel blumen ab incolis vocãtur: quarta Stainröſlin/ hoc eſt, petræa roſula ob venuſtatem & roſeum colorem, tum quod in ſcopulis naſcatur, à montanis paſtoribus nuncupatur: ſeptima apud Stiriæ ſuperioris incolas montanos Roſs ſpick nomen inveni, quaſi dicas equinam nardum, ad differentiam Nardi ſive ſpicæ Celticæ, quæ abundanter in eodem Iudenberg jugo naſcitur, ut in ejus hiſtoriâ dicemus. *Nomina.*

GESNERUS lib. de Lunarijs herbis, prioris radicem, vinum ſuo odore cõmendare ſcribit, manducatam verò, dentium dolores, præſertim à frigidâ defluxione obortos juvare, capiti *Facultates.*

frigido & partibus nervoſis prodeſſe, putrida ulcera emẽdare, ſciſſuras in cute hiantes, ventorum, frigoris aut alia quapiam injuriâ, ſuccum ejus inſtillatum breviſſimè ſanare.


Matthiolus ad enterocelas & thoracis vulnera, ſi quotidie in potu ſumatur, utilem eſſe, quin & alia vulnera tam intus ſumptam, quàm exterius illitam.

Iſtic ubi naſcitur, ſoli, ut dixi, montani venatores ejus radice utuntur: à reliquis negligitur, præterquam à mulierculis, quæ ex ejus floribus ſerta & corollas conficiunt. Deinde cùm nobiles, tum aliæ Viennenſes matronæ quæ coronarijs ſtirpibus delectantur, in ſuos hortos cum quarto genere inferre cœperunt.

SANICVLA MONTANA. CAP. X.

TEMPERAMENTI, facultatum, aliarúmque quarundam ratione, proximum ab Auriculis locum, quantum quidem mihi videtur, obtinere debet elegans hæc planta.

Sanicula montana.



Sanicula montana. MVLTA folia promit, novo vere, ſatis craſſo pediculo nitentia, adeò ſeſe per oras initio contrahentia, pronâ parte, ut orbiculata videantur, admodum nervoſa & rugoſa, ſupinâ verò parte tumẽtia, criſpáque ut Luſitanici ranunculi, aut Lactucæ capitatæ folia, deinde ubi ſeſe explicarũt, in ambitu non modò ſerrata, ſed etiam in ſex aut plures lacinias diviſa, omnino virentia, ſupernè quodammodo ſplendentia, infernè nequaquam, fervido guſtu: inter quæ palmaris exit cauliculus, firmus, erectus, nudus & ſine folijs, ſubpurpuraſcens, qui in ſummo Primularum & Auricularum inſtar è medio quorundam foliorum capite, octo, novẽ, aut plures producit floſculos cõcavos, cãpanulæ modo penſiles, & deorſum ſpectãtes, quinque crenis diviſos, elegantiſſimo rubro colore ſaturo, & ad purpuram tẽdente, fundo interiore albo, in quinque angulos deſinente, prodeuntibus ex imo quinque ſtaminulis luteis albũ fundum non ſuperantibus, & mediũ oblongum ſtilum complectentibus, ſuavis odoris, ut ferè Auriculæ urſi rubræ ſive ſecundæ flores: quibus defluentibus, ſuccedunt ſurrecta capitula, tenue, fuſcum, ut illa, ſemen cõtinentia: radix numeroſis, lõgis, tenuibus, & nigricantibus fibris ex uno capite prodeuntibus conſtat, ſingulis annis ad latera augeſcens, & incrementum ſumens, ut temporis ſucceſſu veluti Auriculæ & Primulæ aliæque ſimiles, in plures ſtirpes dividi & pangi poſſint. Tota planta hirſutiore lanugine pubeſcit.

Natales: Promiſcuè naſcitur cum proximo capite deſcribenda, & interdum, cùm adhuc tenella eſt, altera pro altera eruitur: eodem etiam tempore cum illa floret, licet in hortis hæc paulo maturius, videlicet Maij initio.

ILLAM eſſe omnino exiſtimabam, quam C. V. Matthiolus ab ampliſſimo Cortuſo acceptam Caryophyllatis ſubjecit, & Cortuſam nũcupavit: verùm cùm neque facie, neque temperamento ullam affinitatem cum ijs habere videatur, commodius meo judicio Auriculis, ut dixi, conjungetur, quibus non diſſimiles habet facultates. Eam autem florum varietatem, quam ipſe in Cortusâ inveniri ſcribit, in hac noſtra non deprehendi. Sed illud obſervabam, peculiare quoddam exiguæ erucæ virentis atque tumidæ genus in ipſa gigni uberrimè.

CETERVM anno M. D. XXC. Ampliſs. Vir Iac. Ant. Cortuſus binas Cortuſæ ſiccas ſtirpes ad me miſit, quibus hæc erant adſcripta.

Cortuſa. Diligenter contulimus Cortuſæ ſtirpem cum Saniculâ, quam in Pannonicis obſervationibus deſcribis, & Cortuſam eſſe cenſes: ſed illam nihil commune cum Cortusâ habere deprehendimus, tantum abeſt ut ſit illa ipſa: Cortuſæ binas plantas mitto cum ſuis folijs, floribus & radicibus, atque addo, Cortuſam grato ſuavíque odore præditam inſtar favi mellis aut odoratæ alterius rei cujuſpiam, imò ſubtilem quendam odorem ſpirat, qui odorantis cerebrum permeat atque reficit: teneriora item folia recens vulſa & in ore retenta, ſenſim calorem excitant, tamquam manducato pyrethro, qui tamen ſubito evaneſcit, nullámque no-

Cortuſa Matthioli.




que noxam adfert: recentia integráque, non trita, mulierum aut delicatulorum malis impoſita, & paulo pôſt adêpta, gratum ruborem ſine noxâ inducunt, tamquã nobiliſſimo aliquo fuco infectæ fuiſſent, quo evaneſcente, nullum veſtigiũ aut macula relinquitur, præterea non ſplendent, neque averſa parte punctis inſtar polypodij diſtincta: flores non propendent, ſed omnes, vel eorum maxima pars, ſurrecti ſunt, cœlúmque ſpectant, non minùs etiam odorati quàm folia, imò majore ſuavitate præditi, præſertim dum ſunt recentes: radices candidæ ſunt, non nigricantes. Hactenus Cortuſus.

Quantum porrò ex ſiccis quas miſit plantis conijcere licet, in eâ hæreo opinione, Cortuſam, cum Sanicula alpina modò deſcripta (niſi eadem ſit) magnam affinitatem habere: nam folia, flores, radices, ipſum etiam tẽperamentum conveniunt, an verò ea præſtare poſſit quæ Cortuſæ attribuuntur, nullum feci periculum. Fateor quidem Saniculæ iconem non mihi ſatisfacere, pictorémq; nimium ſibi indulſiſſe, dum rugas & hirſutiorem illam lanuginem exprimere voluit, quæ res Cortuſum fefellit, dum folia averſâ parte punctis diſtincta putat: nam ſi ulla habuiſſent, in ejus ſtirpis hiſtoriâ non ſubticuiſſem.

SANICVLA MONTANA ALTERA.
CAP. XI.

Sanicula montana II.



NATALIVM communio facit, ut hanc elegantem plãtam Saniculæ jam deſcriptæ ſubjiciam, tametſi temperamento & facie differant.

MVLTA habet illa folia, circinatæ ferè rotunditatis, Saxifragæ aureæ foliorum æmula, longis pediculis inhærentia, per ambitum inciſa, ſupernè viridia, infernè aliquantulum exalbida, & valde hirſuta, adſtringentis guſtus: caules deinde promit pedales, aut interdum ampliores, virides, hirſutos, & in his folia ſuperioribus reſpondentia: ſummi caules in plures alas dividuntur, & ſingulis ramis inſident terni aut quaterni floſculi, ſpinæ appendicis Plinij, quæ à pleriſque Oxyacantha cenſetur, florum odorem referentes, quinque foliolis albis cõſtantes, quæ veluti ſanguineis punctis interiore parte notata ſunt: bifida vaſcula cũ decem ſtaminibus medium florem occupant, Saxifragæ albæ vulgo appellatæ capitulis valde ſimilia, quæ matura, exile & minutum admodum, nigrúmque ſemen continent: radix quodammodo ſquamata supernè, & craſſiuſcula, multis candicantibus fibris prædita eſt, & à lateribus propagines agit. *Sanicula mont. altera.*

Creſcit in omnibus Auſtriæ & Stiriæ alpibus umbroſo loco, hoc eſt, ubi plerumque ſilvæ in alpium jugis definere incipiunt. cũ Ranunculo platyphyllo, Geranio pullo flore, & ſimilibus ſtirpibus, quæ umbrâ quàm Sole magis gaudent. Floret Iunio, interdum etiam ſerius: in hortos verò tranſlata, multò maturius. *Natales.* *Tempus.*

SIMILE

Sanic. mont. alterius ſpecies II. SIMILE ferè genus invenitur in Snealben, viciníſque alpibus, ſed minus, anguſtiore folio, & per extremum ſerrato, hirſuto etiam & adſtringentis guſtus, coloris ex herbaceo palleſcentis: è medio foliorum prodeunt cauliculi triunciales, nudi, qui circa ſummum faſtigium in plures ramulos ſinduntur, candidis floſculis ſuperiori ſimilibus onuſtos, verùm nullis ſanguineis guttis, ut illi, aſperſos: biſida ſuccedunt capitula ut in ſuperiore, exiguum nigricans ſemen continentia. Floret etiam Iunio, in hortis autem Maio, aut maturius.

Nomina. MIHI Prior aliquando miſſa fuit Ferrariâ Machliniam à C.V. Alphonſo Pantio, Saniculæ guttatæ nomine, quia ejus flores, ut dixi, ſanguineis veluti maculis aſperſi ſunt. Dubito an ea ſit quam Lobelius in Adverſarijs Geum alpinum vocat: quem alius quiſpiam ſequutus eſt, deinde pro Cotyledone tertia exhibuit. Montani paſtores & venatores Weyſs Sanikel appellant, apud quos nullum, quod ſciam vulgare nomen Altera obtinuit: ſed cum pleriſque alijs negligitur.

ABVNDANT etiam Pannoniæ utriuſque & vicinarum Provinciarum prata, umbroſæ ſilvæ & montes, Sanicula vulgari, Diapenſia vulgo appellata, Sanicula femina Fuchſij, ſive Elleboro nigro Dioſcoridis aſſertore Dodonæo (utramque Vngari *Sanicor* vocant) Alchimillâ, & congeneribus plantis: ad montium autem radices, locíſque alijs humidis & umbroſis Saxifragâ aureâ cognominatâ: aperti verò gramine conſiti colles, Saxifragam albam tuberoſa radice alunt, cui, quas modo deſcripſi, congeneres videntur. Saniculam porrò vulgarem Fab. Columna Sideritidem tertiam eſſe cenſet.

Sanic. vulg. Elleb. nig. Dioſ. Dodonæo. Alchimilla. Saxifraga aurea. Saxifraga alba.

SOLDANELLA ALPINA. CAP. XII.

FLORIS venuſtas facit, ut Saniculis hanc elegantiſſimam plantam, & aliquot alias non contemnendæ venuſtatis ſubjungam.

Soldanella alpina major.

Soldanella alpina.



HABET verò ſena aut octona folia, craſſa, in orbem ferè circinata, Braſſicę marinæ, quam vulgo Soldanellam vocant, æmula, ſed duriora, ſupernè viridia, infernè dilutiore viriditate ſplendentia, guſtu primùm exſiccante, deindè acri & ingrato: flores gerit in lævi, nudo, gracili, ſubrubro, palmaríque cauliculo, binos, ternos, aut plures, purpuræ vel ſaturæ, vel dilutæ colore, inodoros, campanulæ modo efformatos, deorſum ſpectantes, & propendentes, unico folio in quinque profundas crenas, (quę aliquantulum laciniatæ ſunt) & totidem alias ſingulares diviſo, conſtantes, è medio protuberante veluti quodam umbone in longum ſtilum deſinente, qui in vaſculum, vel corniculum potiùs evadit, oblongum, durum, membranaceum, mucronatum, parvum, durum, vireſcens, ſimul congeſtum ſemen continens: radices fibroſæ, candicantes, ex uno veluti capite dependent, quod adnatis ſe propagat.

Natales. Copiosè naſcitur in Auſtriæ & Stiriæ alpibus perpetuâ nive obſitis: nuſquam verò lętiorem, aut uberiorem conſpiciebam, quàm in jugo Wechſel nũcupato, ſupra Aſchpang Magnifici viri Eraſmi à Khunigſperg p. m. liberi Baronis: ubi anno M. D. LXXVI. unicam plantam lactei prorſus candoris flore inveniebam.

Varietas. Tempus. Floret iſtic Iunio, interdum Iulio, & Auguſto, nivium maturius aut ſerius liqueſcentium ratione. In hortos autem tranſlata, etiam Aprili, vel cum Primulâ veris rubrâ floret: difficulter autem cicurari poteſt.

2. EST & aliud genus minore folio, neque circa pediculum, qui brevior graciliórque eſt, adeò circinato, ſed ſenſim ab ipſo in latitudinem excreſcente.

3. Inveniebam etiam anno M. D. LXXVIII. in aſcenſu mõtis Herrnalben (unde poſtea iter eſt ad celſiſſimum jugum & ſcopulum Durrenſtain, duobus ſupra Gamingam miliaribus) umbroſis locis, quoddã genus amplis folijs, ſed tenellis admodum, quæ inferiore parte non virebant, verùm non minùs rubeſcebant quàm Cyclamini odorato flore folia.

SOLDANEL-

Soldanella alpina minor. *Soldanella alpina rotundifolia C.B.Pin: 295.*



SOLDANELLÆ nomen inditum, quòd ejus folia Soldanellæ marinæ folijs ſunt admodum ſimilia: lunariam minorem cæruleam appellant nonnulli: vulgare nullum nomen ediſcere potui ab alpinis paſtoribus & venatoribus. *Nomina.*

Sed neque ullas ipſius facultates notas habent. Noſter verò Lobelius, Empiricum quendam folijs uſum ad aquas in aſcite educendas, vulneribúſque cicatricem obducendam, aſſerit.

VIOLÆ MONTANÆ. CAP. XIII.

DVo Violæ rara, nec antea mihi conſpecta genera in Auſtriacis & Stiriacis alpibus inveniebã, quæ propter venuſtatem ſtudioſis rei herbariȩ nota facere non dubitavi.

FOLIA habet Prior nigræ violæ ferè ſimilia, minora tamen, breuiora & è viridi colore palleſcentia, calido guſtu: anguloſos cauliculos, in quibus bini aut terni flores ex alarum ſinu prodeuntes, viola minores, flavi, inodori, quinque folijs conſtantes, quorum infimum majuſculum eſt, & quinque radiolis ſive nervis nigris interiore parte diſtinctũ, reliqua verò, exteriore parte: ſemen in trianlis capitulis, quæ maturitate dehiſcunt, exiguum, nigricans, alijs violis ſimile, prȩſertim tricolori: radix alba, craſſiuſcula, multas propagines è lateribus procreat, candidíſque & longis fibris hirſuta eſt. *Viola montana I.*

Viola montana I.

Viola alpina rotundifolia lutea C.B.Pin: 199.



Abundanter naſcitur in omnibus Auſtriȩ & Stiriæ alpibus: Iunio atque Iulio florens, in cultis autem Aprili. In Borealis etiam Angliæ montibus inveniri intelligebam. *Natales.*

Exit Altera in ſummi Sneberg jugi vertice, perquam exiguis folijs, & quaſi circinatæ rotunditatis, in ambitu leviter ſerratis, craſſiuſculis, longiuſculo pediculo inhærẽtibus: cauliculus aſſurgit è medio foliorũ, duas uncias longus, unicum florem ſuſtinens purpureum, vulgari ſimilem, ſed lõgè majorem & inodorum: cui ſuccedit triangula ſiliqua: radix nonnihil ſerpit, & aliquot fibris donata eſt. Floret ſub finem Iunij. *Viola montana II.*

Hanc nonnulli Melanium montanum appellare videntur.

FREQVENS in earundem Provinciarum nemoribus occurrit elatior illa Viola martia, firmioribus & erectis cauliculis, quam cur Matthiolus arboreſcentem cognominarit, nullam cauſam video. *Viola elatior.*

NEC prætermittendum elegans Violæ genus, quod à Doctiſſimo Viro Gulielmo de Mera Medico in itinere obſervatum, dum ex Italia rediret, & mihi Francofurti communicatum M.D.XCIII. ſed reſiccatum, & (quod doleo) nullum retinens florem.

PROMEBAT autẽ à radice craſſiuſculâ, digitum longâ, & frequentibus fibris donatâ quina aut ſena folia longis pediculis innixa, nõ orbiculata, aut hederæ foliorum formâ referentia, ut alia Violarum genera, ſed multipliciter inciſa, & ad Ranunculi, ſive Anemones latifoliæ tenuiora folia, verius accedentia, erant enim in octonas aut plures profundas lacinias diviſa, quæ an lanugine pubeſcant, nec ne, in ſiccâ plantâ obſervare non licuit: ſed inter folia enati erant pediculi, qui florem ſuſtinuerant, trigona capita, inſtar eorum quæ in vulgari violâ conſpiciuntur, ſed inania, adhuc retinentes. *Viola montana laciniato folio.*

CETERVM

Viola montana III. ſive tricolor. Viola montana lutea grandiflora B: P: 200



CETERVM non potui elegantiſſimi hujus floris, nec ante annum M.D.LXXIX. mihi conſpecti deſcriptionem hoc loco nõ inſerere: licet in Pannoniâ non ſit mihi obſervatus, ſed ejus cognitionem acceptam feram C. V. Ioachimo Camerario, in cujus horto alebatur.

Viola mont. tricolor I.

PLVRIMOS porrò ex una radice proferebat caules pedales, anguloſos, valde ramoſos, quos per intervalla ambiebãt folia tricoloris violæ folijs ferè ſimilia, lõgiora, craſſiora, ſucci plena, leviter & rarius dentata, apophyſibus ad latera oblõgis, & profundè laciniatis, amariuſculi guſtus & nonnihil acris: ex ſummis alis longi oriebantur pediculi, triãgulares, tenelli, ſinguli ſuſtinentes florem omniũ quos in hoc genere viderim maximum, quinis folijs, ut vulgaris, conſtantem, quorum duo ſuperiora extremis oris ex cæruleo purpuraſcebant, circa umbilicum pallidi erant coloris, bina illa in latera expanſa, illis minora, lutei coloris, maculis ex cæruleo purpuraſcentibus reſperſi, trinisq; purpureis radijs ex umbilico emicãtibus inſigniti: inferius folium reliquis latius erat, aurei ferè coloris, ſeptenis radijs purpureis ab umbilico intercurſantibus, maculáq; ex cęruleo purpuraſcente infimo labro notatum, odor ſuaviſſimus: craſſiuſcula capitula, quæ in ternas partes dehiſcentia, ſemen oſtendebant alijs ſimile, puſillum, rotundum, maturitate fuſcũ, tricoloris violæ ſemini proximum: radix fibroſa, & durabilis, quæ facilè etiam ramulis pangi poſſit.

Pinguicula.

Natales. Sanicula montana flore calcari donato B: Pin: 243



Sponte in Helveticis montibus naſci ferũt, unde Illma Princeps à Caſtello erutam acceperat, ipſiq; Camerario communicabat. Floret pænè tota æſtate.

Viola mont. tricolor II.

ALIVD autem genus per omnia illi ſimile, floris colore excepto, poſtea Caſſellis obſervabã in cultiſſimo horto Ill^mi Principis Cattorum Wilhelmi: nam qui in ſuperiore varius eſt color, in hoc omnino flavus, purpuraſcentibus radijs ex umbilico emicãtibus, qui magnam gratiam flori adferunt: aliquantulum etiam odoratior videbatur. Audio & totum purpureum reperiri: quam varietatem ſeminio accidere puto.

PINGVICVLA. CAP. XIIII.

Pinguicula.

VENVSTA & elegans etiã hęc eſt planta, quaternáque aut quina habet foliola, Gentianellę ferè ſimilia, circa radicem latiuſcula, deinde in mucronẽ deſinentia, ſatis denſa, pinguia, ſucculentáque, tenella tamen, & dilutè virentia, amaricantis guſtus: ex horum meditullio unicus aut plures exoriuntur cauliculi, nudi, ferè palmares, tenelli & exiles, quibus inſident ſingulares flores vel albi, aut purpurei, cauda ſive calcari prominente, quemadmodum in Conſolidæ regalis vulgo dictæ, ſive Cymbalarię flore: ijs ſuccedunt rotunda capitula mucronato apice prædita, minutum, longum, nigricans ſemen continẽtia: radices tenues ſunt, fibroſæ & candicantes.

Varietas.

Quæ

Quæ albo eſt flore, ſponte provenit non modò in Sneberg, Durrenſtain, aliarúmque alpium jugis, in locis à ſolutâ recens nive adhuc madentibus: ſed etiam illi quæ purpureo eſt flore permixta in omnibus ferè pratis uliginoſis, in quibus creſcit Primula rubro flore: ubi Maio floret, & Iunio ſemen profert: in Alpibus verò ſerius. *Natales.*

QVO nomine dicenda eſſet hæc plantula diu ambegimus: placuit tandem id illi relinquere, quo à Conrado Geſnero in deſcriptione montis fracti non procul à Lucernâ celebri Helvetiorum urbe ſiti, donata eſt, donec commodius aliquod reperiamus. *Pinguicula Geſn.*

PINGVICVLA, inquit, ut ficto à nobis nomine appellatur, florem cæruleum ut viola martia profert, inodorum; folia humida, mollia, lævia, abſque nervo (ni fallor) ut lingulaca vel ophiogloſſus: naſcitur in paluſtribus. Hæc ille.

Quid ſi verò Lingua, vel Lingulaca Plinij ſit, quam lib. XXIIII. cap. XIX. & lib. XXV. cap. XI. circa fontes naſci tradit? Verùm nos nihil hîc aſſerimus, ſed inquirendi duntaxat causâ hæc ſcribimus. Nonnulli cucullatam appellare malunt, & quibuſdam Κριὰς Apuleij putatur. Nullum vulgare nomen à montanis paſtoribus, neque à Viennenſis agri incolis, quòd intellexerim, obtinuit. Et haud ſcio, an apud illos medico aliquo in uſu ſit. *Lingulaca Plinij.* *Κριὰς Apulei.*

Referebat mihi anno M.D.XXCI. C. V. Pennæus Londinenſis Medicus, hanc plantulam tàm quæ flore cæruleo eſt, quàm quæ albo, pleriſque Angliæ locis inveniri (ut ipſa experientia verum eſſe poſtea me edocuit, quemadmodum Octavo hujus libri capite annotavi) & à Borealibus, apud quos Primulæ veris rubro flore permiſta creſcit, Butterwoꝛt/id eſt, Butyri radicem à pinguedine butyro ſimili, quâ fiſſuras in vaccarum uberibus ſanare ſolet, appellari: à meridionalibus verò Anglis (apud quos etiam naſcitur) Whyt root vocari, quia oves interficit, ſi ob cibi penuriam illâ veſcantur. *Naſcitur & in Anglia.*

GENTIANA. *Gentiana Major Lutea. B: Pin: 187.* CAP. XV.



MVLTA Gentianæ genera alunt Pannonici & Norici montes: in his tamen magnam illam luteo flore Veteribus deſcriptam, & pleriſque alpibus naſcentem cõſpicere, mihi non contigit. Ex illarum autẽ numero quæ in Pannoniæ mõtibus & Noricis alpibus (Noricas veterum Geographorum more appello, eas alpes quæ Pannoniam & Auſtriam inferiorem attingunt, imò ejuſdẽ montana quædam, atque Stiriæ partem comprehendunt) proveniũt, quædam ſunt alijs etiam provincijs communia, alia verò in illis, ut arbitror, peculiaria. Earum hiſtoriam, quandoquidem à Recentioribus deſcriptas non inveniam, hoc capite dabimus. *Gentiana Veterum.*

PRÆDICTARVM autem alpium maxima, à vulgari illâ majore quæ luteo eſt flore nihil formâ differt: etenim ampla habet folia, Ellebori albi folijs haud multum abſimilia, ſed teneriora, & ſaturatiore viriditate ſplendentia: caules digitali aut pollicari interdum craſſitudine præditos, rotundos, cubitales, nonnunquam bicubitales, geniculatos, quos ambiunt ſimilia folia, aliquantulum tamen anguſtiora, ex adverſo ſibi oppoſita: extremos caules ambiunt binæ aut ternæ confertorum florum coronæ, qui non ſunt lutei aut ſtellati, ut in vulgari majore, ſed purpurei, majores, concavi, in ſenas aut plures lacinias obtuſas extremis oris ſecti, & purpureis quibuſdam punctis inferiore & interiore parte, qua candidiores & dilutiores ſunt, diſtincti, odoris expertes, totidem, quot ſunt laciniæ, ſtaminibus longum & bifidum vaſculum internè ambientibus, in quo continetur copioſum ſemen, planum, paleaceum, minus quàm in illâ flavâ majore ſtellato flore, ſubrufum: radix craſſa, lõga, foris plerumque flava, intus alba, impenſè amara, digitalibus fibris ſubinde prædita eſt, ſingulis annis nova germina (quemadmodum major flava) proferens, & multos caules ex eodem capite producens, præſertim eùm adolevit, ſed qui alternis dũtaxat annis, ut plurimum floriferi eſſe ſoleant, interquieſcente nimirum uno anno à partu matre. *Gentiana I. ſive major purp. flo.*

Exit ſponte in Pannonicarum Noricarúmque alpium jugis abundè. Floret Auguſto: ſemen Septembri matureſcit, novâ nive in ea juga cadere incipiente. *Natales.*

Floris

Gentiana major purpur. flore I. | Gentiana II. cæruleo flore.





Gentiana major albo flore.

Floris porrò colore mirum in modum variat: nam Stiriæ ſuperioris alpibus, veluti in Iudenberg, & Tauro Salisburgenſi Provinciȩ vicino, aliud ejus genus invenitur, nihil quidem à ſuperiore aut formâ, aut magnitudine differens; ſed cujus flores, qui in illo ſunt purpurei, in hoc omnino lactei coloris conſpiciuntur.

Verùm neque hoc genus, neque illud purpureo flore cicurare umquã potuimus, aut ullâ diligentiâ & culturâ efficere, ut in hortis permanere vellent, nedum flores proferre.

Gentiana major pallido flor. punctis distincto.

In Sileſiæ verò montibus, eruit doctiſſimus Medicus Achilles Cromerus Niſſenſis, magnitudine & formâ planè ſimilem, cujus tamẽ flores, paulò (ut ex ſiccâ quam ad me mittebat plantâ deprehendere licuit) minores, colorem habẽt pallidum, ſive, ut idem ad me ſcribebat, obſoletè luteum, quamplurimis nigris maculis intus & foris aſperſum. Addebat, ab eo qui ipſum in montana illa loca deduxiſſet, ſibi relatum, in alio quodam præalto monte, aliam formâ non diſpari reperiri, quæ cæruleo flore eſſet.

Gentiana major cæruleo flore.

Gẽtiana II. Aſclepiadis flore.

ALTERA, cubitalibus conſtat ramis, pluribus ab una radice exeuntibus, duris firmíſque, in quibus multa folia, bina ſemper inter ſe oppoſita, mollia, tribus nervis ſecundùm longitudinem excurrentibus inſignita, mucronata, ad Aſclepiadis vulgo creditæ folia nonnihil accedentia, dilutius virentis coloris: à medio ferè caule ad faſtigium uſque, ex alarum ſinu, ſingulares ex adverſo ſiti exiliũt flores, interdum bini aut plures, oblongi, concavi, in quinque angulos acutos deſinentes, & veluti ſe complicantes, quemadmodum convolvoli flores ferè, & multarum Gentianarum aliarum, colore nunc purpureo & ſaturatiore cæruleo, modo dilutiore & velut cineraceo, quinque pallidis ſtaminibus umbilicum occupantibus: vaſculum ſubſequitur bicorne, quo per maturitatem hiante, ſemẽ conſpicitur planum, paleaceum, cineracei coloris, ſuperiore minus: radix lutea, digitalis craſſitudinis, multas oblongas fibras ejuſdem coloris in latũ ſpargit, ſingulis annis augeſcens, & nova germina proferens, valde amari guſtus. Fertilior hæc eſt ſuperiore, nec ut illa interquieſcit, ſed ſingulis annis, vetuſtior videlicet, multos caules floribus onuſtos producit.

Varietas.

Natales.

Copioſè in Pannoniâ, Stiriâ, Auſtriâ inferiore provenit, ad montium radices, umbroſis collibus, nuſquam verò in ſummis & apertis jugis. Anno etiam M.D.XCI. ſiccam ad me mittebat doctiſs. vir Rudolphus Schlickius Kaufburnenſis medicus è Rheticis montibus erutam cum pleriſque alijs ſelectis ſtirpibus, ijs ſimilibus quas in Pannonicis & Stiriacis alpibus obſervaveram. Floret Auguſto: ſemen, ut in ſuperiore, matureſcit menſe Septembri.

Pertinax quidem hæc eſt, & ferè mitiora loca reſpuit: interdum tamen curâ & diligentiâ effecimus, ut in hortis comprehenderet, & ſingulis annis repullularet & flores ferret: attamen qua-

men quaſi nativo aëre & pabulo privata, atque tamquam compedibus vincta, lugere videbatur, ac priſtini vigoris & elegantiæ plurimum amittere.

Vtraque hæc Geſnero nota fuiſſe videtur, à quo Tragus ſe accepiſſe fatetur. Majorem in deſcriptione Montis fracti kleyne Entian vocat, alteram groſſe bitter wurtz/hoc eſt, majorem amaram radicem. Sclavonici ruſtici in transdanubianâ Pannoniâ non procul Caſſoviâ, *Swieczka* appellant, quo vocabulo ijdem candelam exprimunt, nimirum quia ejus radices flavæ, longæ & tenues, cereis candelis (quæ in globum aut ſpiras convolvi ſolent) ſimiles ſint. Ejus autem radicis decoctũ feliciter calculoſis propinari, experimento ſe compertum habere affirmant: non minùs quàm polygoni genus illud, Herniaria vulgo Herbariorum *Herniaria.* appellatum, quod exſiccatum & in pulverem tritum, boum, equorũ vulneribus atque ulceribus inſpergere ſolent, ad vermes in ijs natos abigendos & enecandos: nos præter facultatem qua calculoſis prodeſt, adverſus hernias etiam utilem eſſe ſcimus, à quibus nomen adquiſivit.

Ioſias Simlerus etiam, groſſe bitter wurtz vocari ſecundam hanc Gentianam, tradit, eáque paſtores uti ad ubera vaccarum, ſi à muribus araneis, aut alijs venenatis beſtijs lædantur, curanda.


Gentiana III. Cruciata.

Gentiana Cruciata C.B. Pin: 188.



Gentianæ IIII. ſpecies.

Gentiana angustifolia autumnalis major C.B. Pin: 188.
Gentiana palustris angustifolia C.B. Pin: 188.



TERTIA eſt, quæ vulgo Cruciata vocatur: à Germanis Kreutzwurtz/vnd modelger; Vngaris verò *Zent Lazlo kiraly fiue*, id eſt, S. Ladiſlai regis herba, propter cauſam in Nomenclatore pannonico adſcriptam. Hujus hiſtoriam, cùm à Trago atque alijs ſit tradita, hîc repetere non eſt neceſſe. *Gentianæ III. Cruciata.*

ILLIVS tamen duas differentias obſervaſſe videor: unam ramis humi procumbentibus & minorem: alteram firmis & erectis caulibus, eámque majorem. flores itẽ alterius magis cærulei ſpectantur, atque illarum altera radicem in foramina ſectam minimè habet. *Varietas.*

Naſcuntur verò eæ per univerſam Pannoniam, cùm in collibus montibúſque apertis & gramineis, tum ſiccioribus pratis, & herboſis, ſecundùm publicas vias, locis. *Natales.*

SECVNDAE altitudinem nonnumquam Quarta æquat, caulémq; habet ut illa ſatis flexibilem, tenuem, geniculatũ: folia in ſingulis nodis inter ſe oppoſita, longa & anguſta proferentem, trinervia ut ſunt omnium Gentianarum: circa ſummum caulem aliquot ex foliorum alis prodeunt ramuli, elegantes, cæruleos, in quinque lacinias extremâ parte diviſos flores, & aliorum modo concavos proferentes: radix craſſiuſcula, circa ſummum caput in aliquot longas, lentáſque & flaveſcentes fibras dividitur, ſecundo generi ferè ſimiles, ſed minores. *Gentianæ IIII.*

Creſcit in pratis ad montium radices ſitis, nõ procul à Stharemberg arce Generoſi D. de Heuſenſtain, apud Badenſes thermas, & in uliginoſorum pratorum marginibus poſt ar- *Natales.*

cem Ebreſtorf am Moſen Mag^ci Domini Hieronymi Beck à Leopoldſtorf. Floret Auguſto.

Ejus proculdubio genus eſt, quæ à Clariſs. Dodonæo Stirp. Hiſtor. Pemptade II. lib. I. cap. XII. Campanulam autumnalem nominat, & quòd Auguſto floreat atque Autumno, à Ruellio Calathiana viola appellata eſt, à Cordo Pneumonanthe: humentibus ericetis ſecundo ab urbe Brugenſi miliari, inter Maldeghemum & Malam, frequentiſſima, ubi eam (niveo etiam flore variantem aliquando conſpexi) cum Pſeudoaſphodelo luteo, folio Xiphij, Roréque Solis duorum generum eruere memini.

Pneumonanthe Cordi.

Varietas.

VT poſtremæ altera ſpecies Autumno duntaxat floret: ita ſubſequens verno tempore ſuos flores proferre ſolet.

Gentiana V. Gentianella major vern. Gentianella alpina angustifolia, magno flore. B: Pin: 187.

Gentiana V. ſive Gentianella major verna.



SENA verò aut octona habet folia ſupra terram expanſa, bina ſemper ex adverſo ſeſe ſpectantia, viridia, lævia, denſa, dura & mucronata, Myrti latiſſimæ folijs ferè æqualia, impensè amari guſtus: ex horum medio cauliculus exilit pollicem tranſverſum longus, interdum paulo amplior, anguloſus, quaternis plerumque foliolis multo minoribus, binis tamen alternatim ſemper contrario ſitu naſcentibus, obſitus, unde caliculus emergit unicum florem continens, magnum pro ſtirpis proportione, calathi aut campanulæ modo concavum, longum, in quinque angulos deſinentem, non obtuſos, quemadmodum pictura refert (quam optimeà pictore expreſſam ſculptor corrupit) ſed mucronatos, cum duabus utrimque, ubi laciniæ findi incipiunt, appendiculis, elegantiſſimo & maximè vivido cęruleæ purpuræ colore, pallido piſtillo intus prominente, qui quinque quodammodo coſtis ex infima ipſius floris interiore ſede prodeuntibus fulcitur: florem ſubſequitur longum & mucronatum vaſculum, quod ſeſe in duas æquales partes aperiens, ſemen oſtendit exiguum, ſtriatum, terrei coloris: radix non admodum craſſa, flaveſcentibus ſive pallidis aliquot fibris donata, & propagines ex lateribus producens.

Natales.

Creſcit in Sneberg & Etſcher abundantiſſimè, alijsque alpibus continuâ ſerie productis, perpetuáque quaſi nive obſitis: ubi Iunio & Iulio, hoc eſt, primo iſtic vere floret, ſub Iulij verò finem & Auguſto ſemen maturitatem adipiſcitur: at mitioribus locis, in quibus rarius invenitur, atque in hortos tranſlata, Aprili & Maio.

Nomina.

Illius meminit Geſnerus in deſcriptione Montis fracti, & Bitterwurtz appellat: meminit & Tragus capite de Gētiana, ejúsque quarta ſpecies eſt: deſcribit etiam illam noſter Lobelius in adverſarijs, & linguâ flandricâ expreſsâ Stirpium hiſtoriâ, tametſi minus feliciter delineatâ icone.

Gentiana VI. ſive Gentianella verna minor.

SEXTA etiam verna, ſingulari aſſurgit cauliculo, gracili, aut ſubpurpuraſcente, aut viridi, in quo ſena aut plura paucioráve foliola trinervia, bina ſemper inter ſe ex adverſo reſpondentia: caliculum ſummo faſtigio fert, è quo flos longus, inodorus, exilit, extrema parte in quina veluti foliola diviſus, cærulei coloris adeo elegantis & vividi, ut ipſum cerulеum, quod imitatur, provocare videatur: ſingulæ floris plicæ aut foliola, ad latus lineam candicantem habent, & alia quina tamquam mucronata foliola ſive apophyſes lacinias floris ab invicem ſejungentes, palleſcentia ſtaminula medium florem occupant: floribus ſuccedit longiuſculum vaſculum mucronatum, exile, durum, rotundum ſemen continens. Ex eadem radice, quæ flaveſcens & fibroſa eſt, & quodammodo ſummâ tellure ſpargitur, plures aliæ plantulæ aſſurgunt, quarum nonnullæ in cauliculum attolluntur, & ſimilem floſculum proferunt, aliæ duntaxat producunt folia humi ſtrata, & veluti in orbem diſpoſita.

Natales.

IN Cantabris & Pyrenæis hanc primùm obſervabam, ad anguſtias illius perfoſſi montis, quem Hiſpanorum vulgus D. Adriani portum nuncupat, initio Maij florentem: deinde abundè provenientem in celſiſſimis Sneberg, Snealben, Etſcher, & Durrenſtein jugis herbido ſolo, ubi ſub Iunij finem floret: at in mitioribus vicinis collibus & ſiccioribus pratis, Maio, ſeménque ſub extremum Iunium profert. Minus hæc hortum ferre poteſt, quàm ſuperior, & omnem culturam reſpuere videtur.

VTRIQVE

Gentiana VI. Gentianel. minor verna. Gentianella alpina Verna ~~minor~~ majore B. Pin: 188.



VTRIQVE Gentianellæ vernæ nomen de- *Nomen.* di, quòd maturius reliquis floreant: & illam quidem majorem, hanc minorem appellavi. Iſtam Ioſias Simlerus in Commentario de Alpibus, Himmelſtengel nominare videtur, à colore, ni fallor, cæleſti elegantiſſimo, niſi forte Vndecimam, quæ poſtea deſcribetur, eo nomine intelligat, quæ cæruleo etiã colore prædita eſt. Creſcit & in Rheticis alijsq; Alpibus.

CETERVM omnes illæ viva & perenni radice ſunt, hoc eſt, prolato flore & ſemine, interire non ſolent, ſed vivaces ſunt, ſingulíſq; annis ex eadem radice nova germina & caules producunt. At quarum modo deſcriptionem dabimus, non ſunt durabiles: verùm emarcido flore, diſperſóque ſemel ſemine, ingruẽte brumâ, prorſus perire ſolent, & è deciduo ſemine renaſci. Earum autẽ plures ſpecies obſervabamus, quas ſigillatim & ſerie quadam diſponemus, initium à maxima facientes. *Gentianæ perennes.* *Gentianæ fugaces.*

CVBITALEM habet Prima caulem, firmum, geniculatum, per quem ad ſingulos nodos ſparſa ſunt bina ſemper folia, ſibi ex adverſo oppoſita, trinervia, lata ſede & ſine pediculo cauli inhærentia, ſenſimque in longũ mucronem deſinentia: ab imo ferè caule ex foliorum alis naſcuntur dodrantales & palmares ramuli, tenues, minoribus folijs ſepti, quinos, ſeptenos, aut plures flores, folijs cinctos proferentes, in quinque mucronatas lacinias diviſos, exiguos pro plantæ magnitudine, purpuraſcentis ex cæruleo coloris: ijs ſuccedunt lõga & anguſta vaſcula tenui ſemine plena: radix ſingularis eſt, exigua, pauciſſimis fibris prædita. *Gentiana VII. ſive G. Fugax I.*

Naſcitur in pratis herbidíſque locis ad montium radices ſitis, montiúmque clivis, Iulio & Auguſto flores proferens. *Natales.*

ALTERA ſecundùm radicem multa, longa, trinervia, humi fuſa, & in orbem diſpoſita, habet folia, è quorum medio caulis excreſcit pedalis, quadrangulus, ab imo ad ſummum in ſingulis internodijs, binis ex adverſo naſcentibus ramulis præditus, qui binis geniculis intercepti, ternos aut plures ſinguli ferunt flores calathi aut campanulę formâ, quarto generi ferè pares, in quinque etiam lacinias diviſos, dilutioris tamen purpurei coloris, ſingulis lacinijs infimâ internâ parte purpureâ lanugine pubeſcẽtibus: floribus ſuccedunt longa cornicula, exili rotundóque ſemine prædita: folia caulem & ramulos in ſingulis geniculis veſtientia, minora & anguſtiora ſunt, magíſque mucronata: radix exilis eſt, ex albicante colore palleſcens, raríſque fibris donata. *Gentiana VIII. ſive G. fugax II.*

Provenit ijſdem quibus proximè deſcripta locis, eodem etiam tempore floret. *Natales.*

Illius unicam ſtirpem lactei coloris flore variantem inveniebam in nemoroſo quodam monte apud Zolonock Ill. D. de Batthyan, anno M.D.XXCII. Septembri menſe. *Varietas.*

PARI fermè Tertia excreſcit altitudine, nec minus frequentibus ramis eſt prædita: caulis etiam quadrangulus, terni aut plures in ſingulis ramis flores ſuperiori ſimiles, ſed breviores, amplioréſque, vireſcentis initio coloris, deinde ſubcærulei: quibus longa cornicula ſeu mucronata membranacea vaſcula ſemine plena ut in ſuperiore ſuccedunt: folia in ſingulis nodis multo latiora, mucronata, trinervia, ex adverſo inter ſe ſita, viridis ſaturi & quodammodo nigricantis coloris: radix ſuperiori ſimilis. *Gentiana IX. ſive G fugax III.*

Obvia hæc eſt in omnibus pratis in ſublimi ſitis & montium jugis, floretque ſerius, Auguſto videlicet. *Natales.*

QVARTA dodrantem non ſuperat, cauliculis & ramulis exilibus, minoribus etiam folijs, Cẽtaurij minoris flori penè paribus: flores minores habet, licet formâ ſuperioribus non abſimiles, qui aut dilutè purpuraſcunt, aut cærulei coloris elegantiſſimi ſunt: cornicula ſubflavo exili ſemine plena ſunt: radix licet tenuior, à duabus præcedentibus non valde differt. *Gentiana X. ſive G. fugax IIII.*


Creſcit ijſdem quibus altera locis: memini & in Britannia obſervare, non procul Dovera, menſe Septembri, partim dilutiore colore florentem, partim ſemine prægnantem. Ei ſimilis videtur quam Lobelius Gentianæ minimæ nomine deſcribit. *Natales.*

SED Quinta longè exilior, vix trium unciarũ altitudinem æquat, licet multis alis prædita: foliola Centaurij minoris in ſingulis geniculis, aliarum more ſita habet flores minori Gentianellæ vernæ perſimiles venuſtiſſimo cæruleo colore præditos: cornicula qualia ſuperior, admodum exili & nigro ſemine plena: radicem quàm in ſuperioribus minorem, ſed frequentioribus fibris donatam. Floret in Etſcheri jugis Auguſti initio. *Gentiana XI. ſive G fugax V.* *Natales.*

Ea forſitan eſt, quam Ioſias Simlerus, ut dixi, Commentario de Alpibus Himmelſtengel appellat, quemadmodum Octavam Kelberſchiſs. Omnes verò impenſè amaræ ſunt.

Gentiana XI. minima.

Gentianella alpina æſtiva Cent. aurei minoris minoribus foliis Bib. Pin. 188.



Gentiana XII. punctato flore.

Gentiana paluſtris latifolia flore punctato C.B. 188.



MINIME verò prætermittendum fuit elegātiſſimum Gentianæ genus, quod à me quidem in nullis jugis obſervatū, ſed ejus iconem, cùm Londini eſſem anno M.D.XXCI. atque deſcriptionem C.V. Thomas Pennæus Londinenſis medicus, pro noſtrâ amicitiâ liberaliter communicabat, à punctorum, quibus flores obſiti ſunt, frequentiâ, punctatam Gentianam cognominant.

Gentiana punctata. Pennai.

Gentiana XII. dubia.

Caulem autem habet geniculatum, cubitalem, ſupra radicem aliquantulum rubentem, folia Gentianæ ſimilia, ex intervallis bina, ſed multo minora, venoſa, quorū inferiora majora ſunt & longiora, pediculos rubentes habentia, ſuperiora verò cauli ſine pediculis adhærent, cúmque ferè amplectuntur: à medio pænè caule è foliorum cavis oriuntur flores pentaphylli, ſtriati, utrinque tres, rarius bini, niſi circa ſummum caulem, quinque ſubcæruleis conſtantes, nigricantibúſque punctis elegantiſſimè notati (unde nomen) quinque ſtaminibus, quorum apices lutei, præditi: floribus ſuccedunt vaſcula cum ſeminibus Gentianæ ſimilia, ſed minora: radix parva, multis fibris prædita, ex fuſco lutea.

Natales.

Provenit copioſè in Bockemuto Suitenſium monte, & floret Auguſto. Amari guſtus eſt, cui acrimonia quædam ſubtilis conjuncta.

ANNVIS ſive biennalibus fugacibúſque ſubjeci, quòd ex radice conjecturam faciam (quantum quidem ex picturâ deprehendere licet) ſemine maturo planè perire, éóque deciduo renaſci: alioqui quinto loco reponenda fuiſſet, & forſitan etiam quarto.

LINVM SILVESTRE. CAP. XVI.

MIRAM etiam in Lino ſilveſtri conſpici varietatem, ſatis ex meâ Hiſpanicarum Pannonicarúmque ſtirpium hiſtoriâ patere arbitror: cùm verò Linum ſilveſtre dico, Linariam non intelligo, quæ aliquibus etiam hoc nomine appellatur, ſed plantam floribus Lini ſimilibus eodémque modo fugacibus, nonnumquam etiam Lini folia habentē. Nos ſingulorum generum hiſtoriam, concinniore qua poterimus ſerie, hoc capite dabimus.

Linum ſil. latifol. I.

PRIMVM ex eadem radice, quæ craſſiuſcula eſt & candicans, unicum, interdum plures profert caules, modò pedali, nonnumquam etiam majore altitudine aſſurgentes, craſſos, firmos, hirſutos, ſuperiore parte in plures ramulos diviſos: folia quæ eos ambiunt reliquis generibus majora, venoſa, hirſuta, minimum digitum lata, gummoſo guſtu, deinde amaricante: ramuli ab infimo ad ſummum floribus quinque folijs conſtantibus onuſti omnium maximis, Malvæ vulgaris ferè æmulis, cærulei coloris aut vegetioris, aut dilutioris, cū quinque in-

Linum sylv: Latifol: Hirsut: candidum purpureis venis distinctum. B Pin 214.   Linum sylvestre Latifolium Luteum B Pin: 214.

Linum ſilveſtre I. latifolium.



Linum ſilveſtre III. latifolium.



que internis ſtaminulis apicem habentibus : quibus ſuccedunt capitula dura, mucronata, quinque foliolis ſive apophyſibus comprehenſa & quaſi involuta, quę maturitate hiant, ſeménque continent ſativo lino ſimile, latum, nigricans, ſplendens : radix perennis eſt & vivax, ſingulis annis repullulans, cauliculóſque etiam ante hiemem proferens tenellos, folijs multâ lanugine hirſutis onuſtos. Floret Iunio & Iulio: ſemen maturum Auguſto. *Tempus.*

Frequens eſt multis Pannoniæ ſuperioris & Auſtriæ inferioris locis editioribus & ſiccioribus, gramineis tamen, ut apud Poſonium, Petronellam, quæ Veterum Carnuntum creditur, Altenburgum Danubio vicinum, item non procul à ſilvâ qua ex Leyteſtorf ad Entzeſtorf, à longâ valle cognominatum, iter eſt, tum etiam ſupra Manderſtorf, & pagum Lachn cum tertio, quarto, quintóque generibus. *Natales.*

ALTERVM pedales, graciles, lanuginoſos, ternos aut quaternos ab una radice promit caules, in quibus Lini latiuſcula folia, trinervia, ad Aſcyri formam ferè accedentia, nec multum à Prioris folijs diſcrepantia, lanuginoſa: extremi cauliculi in binos aut ternos ramulos diviſi, & Heliotropij majoris quodammodo inſtar circumflexi, pleni ſunt floribus qui ab imo aperiri incipiunt, Lini florum diviſurâ, ſed majoribus, ſuperiori æqualibus, candidis, quos multæ purpureæ venæ interſcindũt: ſemen & capitula Lini ſimilia: radix perennis eſt, craſſiuſcula, longa, candicans, raris fibris ſepta. *Linum ſil. latifol. II.*

Apud Colibriam Luſitaniæ urbem, vulgo Coymbra dictam, celebri academiâ claram, eam ſtirpem duntaxat obſervare memini, ad deſertum quoddam & ſolitarium templum, menſe Novembri repullulantem, & in illius anni cauliculis ſemen collectum in Belgicam attuli, quo terræ commiſſo, unica nobis planta nata eſt cubitalem excedens altitudinem, & latioribus quàm natali ſolo folijs, quæ ſingulis annis ſub æſtatis finem quidem floruit, ſed nullum ſemen præbuit. *Natales.*

MVLTOS ex unâ etiam radice Tertium fert caules, primo generi ferè ſimiles, plerumque tamen breviores, Hyperico non valde diſſimiles, aliquantulum rubentes, firmos, majuſculis folijs, latiuſculiſq; & craſſiuſculis, priori ferè paribus, non hirſutis tamen, ſed durioribus ſeptos, perquam amari ſaporis: flores in ſummis caulibus copioſos, magnos, quinque etiam folijs conſtantes, perelegantis flavi coloris, quinque ſtaminibus è medio prorumpentibus, & totidem gracilioribus brevioribuſq; villis: ſemen in compreſſioribus capitulis paulò minus reliquis, nigricans quidem, ſed non ſplendens ut illorum: radix ſatis craſſa, contorta, albicans, aliquot fibris donata, ſingulis annis repullulans, novóſque caules producens. *Linum ſil. latifol. III.*

Exit abundè in monte Badenſibus Auſtriæ thermis imminẽti, locis gramineis, ſecundùm *Natales.*

ſepes, & pleriſque alijs in montium illâ ſerie ad Danubium uſque excurrente, locis: ad ſilvulam item, Lachn pago vicinam, cum aliquot alijs generibus. Floret & ſemen profert cum Primo.

Linum ſilveſtre IIII. anguſtifol. I.

Linum sylvestre angustifol: 2 densioribus foliis flore minore B: Pin: 214.



Linum ſilveſtre V. anguſtifol. II.

Linum sylv: angustifol: flore magno B: Pin: 219.



Linum ſil. IIII. anguſtifolium. COMPLVRES ſunt Quarto cauliculi teretes, firmi, pedalis longitudinis, virides, frequentibus foliolis Lini ſativi ſimilibus, ex viridi ſubcæruleis onuſti, ſummo faſtigio in aliquot ramulos diviſi, quibus inſident flores intensè cærulei, quinque foliolis conſtantes, ſativi lini floribus ſimilimi, quinque in medio ſtaminula, totidémque apices ſeparatos continentes; ſemen in capitulis craſſioribus, rotundis, lino ſativo non minoribus, nigrum, oblongum, planum, ſativi ſemini ferè par: radix candicans eſt, perennis, aliquantulum fibroſa (deſiderabam in icone majorem pictoris diligentiam) amariuſculi guſtus, deinde ſuavis acrimoniæ particeps.

Natales. Varijs circa Viennam Auſtriæ locis ſponte naſcitur, præſertim in gramineis acclivitatibus, & juxta vias. Floret Maio & Iunio, interdum etiam tota æſtate: ſemen verò maturum eſt Iulio.

Linum ſil. V. anguſtifol. DODRANTALES, nonnumquam etiam pedales habet, Quintum genus, cauliculos, graciles, firmos, rectos; folia ſativi lini, anguſtiora, dura, mucronata, virentia, amaricantia: flores in ſummis cauliculis multos, magnos, quinque folijs albis præditos, circa umbilicum quinque purpureis lineis diſtinctos, totidem ſtaminibus, & quinque ſeparatis apicibus ex medio umbilico prodeuntibus, odoratos: ſemen in rotundis vaſculis planum, nigricans, ſplendens, ſativo lino ſimile: radicem candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennem, & ſingulis annis novos cauliculos proferentem.

Natales. Magna copia naſcitur toto Viennenſi agro, pleriſque alijs Auſtriæ & Pannoniæ editioribus locis, atque ſecundùm publicas vias, etiam apud Lachn cum aliquot ſuperioribus generibus. Floret Iunio: ſemen perficit Iulio & Auguſto.

Varietas. In Auſtriacis alpibus præſertim verò Sneberg, aliud genus invenitur huic omnino ſimile cauliculorum & foliorum gracilitate, tenuitate, florúmque formâ & radice: in florum duntaxat colore eſt differentia, qui nivei non ſunt, ſed cærulei in candidum langueſcentes, & quaſi cineracei: capitula etiam floribus ſuccedentia longè ampliora, nec minora quàm in ſativo. Florebat verò iſtic ſub finem Iunij, ſemen extremo Iulio & Auguſto maturum.

Linum ſil VI. anguſtif. SEXTO, binæ aut ternæ ſunt virgulæ dodrantales, firmæ, licet valde graciles, quas foliola lino multo anguſtiora & minora ambiunt: ſummis virgulis terni aut quaterni, nonnumquam plures inſident flores ſuperiori formâ, & colore ferè ſimiles, ſed minores, ſativi Lini florem

florem non multum excedentes: quibus ſuccedunt capitula & ſemen lini, ſed minora, radix exilis, candicans, perennis tamen.

Primùm mihi hoc genus obſervatum in anteriore Madritianæ ſilvæ parte, quæ ſecundo ab urbe Lutetiâ lapide diſtat, inter gramina loco aperto, & nullis arboribus obſito, florens Iulio, maturum ſemen proferens Auguſto: deinde agro Viennenſi aridioribus gramineis locis.

Linum ſil. VII. frutico ſum.


FRVTICOSVM eſt Septimum genus, atque dodrantalibus pedalibúſque fermè ramulis ſemper virentibus præditum eſt, quos numeroſa folia exornant, mediæ inter thymi & pſyllij magnitudinis, ſubalbida; flores deinde ſuperiori paulò majores, quinque folijs ut illi conſtantes, omnino nivei, ſummis ramulis inſident, quibus ſuccedunt capitula ſemine plena: radix dura & lignoſa eſt.

Natales.

Exit deſertis quibuſdam Hiſpaniæ locis, ſole illuſtratis: floret Iunio & Iulio, atque ſubinde ſemen profert. In Belgio ſatum, tertio duntaxat à ſatu anno ſerius floruit, nec ſemen tulit.

Omnium porrò in Hiſpanijs, Galliâ, Auſtriâ & Pannoniâ obſervatorum non modò ſemina adferebam, aut Ill[ri] V. Ioan. de Brancion, ipſiq́ue & reliquis in Belgicâ amicis anno M.D.LXXIIII. Auſtriacorum & Pannonicorum mittebam: ſed ſiccas etiam ſtirpes cum aliquot alijs elegantibus & ſuis floribus onuſtis, perferendas curabam, ut illarum formam ſtatim videre poſſet, neque expectare cogeretur, donec ſemine naſceretur: incertus enim admodum eſt plurimarum ſtirpium è ſatione proventus: ille inſuper admodum valetudinarius erat, ſic, ut ſubſequens Februarius illum nobis maximo cum noſtro dolore abſtulerit. Ex illis autem quædam icones imitatæ fuêre, non è plantis è Galliâ Narbonenſi petitis.

Linum ſilveſtre VIII. Chamælinum. Linum ſylveſtre minus. B. Pin: 214.



Linum ſil. VIII. anguſtifolium.

EXILI, rotundo, dodrantalíque aut paulò majore aſſurgit Octavum cauliculo, quem adverſo ſitu, ut in Hyperico, bina ſemper amplectuntur foliola, Lini ſativi folijs ferè paria: ſupremus cauliculus in aliquot ramulos dividitur qui in oblongis pediculis exiguos floſculos quinque foliolis albis conſtantes proferunt, luteis intus ſtaminulis: floſculis ſuccedunt parva capitula, lini vaſculis non abſimilia, minora tamen, in quibus ſemen: radix tenuis, aliquot exilibus fibris donata eſt, ſed an perennis & rediviva, ignoro.

Natales.

Provenit in herboſis collibus & montanis Auſtriæ atque Pannoniæ: floret Iunio, & Iulio.

Similem aliquando ad nos Machliniam, è Tornacenſi urbe, Ioannem Moutonum doctiſſimum & diligẽtiſſimum Pharmacopæum mittere memini.

Nomina.

PRIORA tria genera Lini ſilveſtris latifolij nomine appellare licebit: reliqua mihi erunt Linum ſilveſtre anguſtifolium ſive tenuifolium: Octavum χαμαιλίνον nuncupari poterit.

LINARIA ODORATA.
CAP. XVII.

Linaria odorata.

SINGVLARI hæc eſt caule, eóque nonnumquam cubitali, in aliquot tenues ramulos ſuperiore parte diviſo, quos oblonga folia Lini inſtar ſepiunt: quæ tamen juxta radicem ſunt humi ſparſa, longè majora latioráque, Bellidis folijs ſimilia, ſed per ambitum ſerrata, pleraque etiam per caulem ſparſa altius inciſa: flos exiguus, copioſus, cærulæus, lavendulæ pænè floribus concolor, aliquantulum odoratus, extrema parte hamuli modo incurvus (quem pictor non ſatis exactè expreſſit) virgulas ſeu ramulos ſpicatim obſidet, ijs ſuccedunt valvulæ Linariæ ſimiles, ſed minores, ſemen puſillum, rufum continentes. Radice eſt ſingulari, candicante, minimi interdum digiti craſſitudinem æquante.

Natales.

Sponte provenit montoſis Caſtellæ locis lapidoſo & arido ſolo, ubi Aprili florentem, Maio Iunióque ſemen proferentem legebam. In Belgica ſata, Iunio Iulióque florebat, ſemen Auguſto matureſcebat: raro ſupra annuum ſpatium adſervabatur, ſed prolato flore & ſemine plerumque perire ſolebat.

Linaria odorata. Linaria Bellidis folio B: Pin 212.



Nomina. LINARIAM odoratam quidam vocant, quia ejus flos Linariæ purpureæ florem nonnihil æmulatur: is calidis regionibus aliquantulum odoratus eſt, in Belgicis hortis natæ flos inodorus. Seſamoides majus Salmanticenſibus etiam dicebatur, cùm perinde ejus deſcriptioni conveniat, atque illorum Seſamoides ante deſcriptum.

Nullas ejus facultates exploratas habeo: ſed guſtata, amaritudinis particeps eſſe deprehenditur.


LINARIA HISPANICA. CAP. XVIII.

Linaria hiſpanica varietas. PRÆTER vulgarem & jam deſcriptam Linariam, varia alia ejus genera in Hiſpanijs naſcuntur: quorum omnium (quę quidem à nobis vel iſtic ſunt obſervata, vel ſemine inde miſſo alibi nata nobis conſpecta ſunt) hiſtoriam hoc capite trademus.

Linaria hiſpan. I. PRIMVM genus multo uberius & craſſius eſt vulgari, ternos quaternóſque caules ab una radice proferens ſingulares, pedales, interdum ampliores, quos ambiunt Centaurij minoris folia, infimâ parte juxta terram plerumque terno ordine diſpoſita, supernâ verò, temerè nullóque ſervato ordine ſparſa: extremi rami luteorum florum veluti ſpicâ occupantur Linariæ vulgari ſimilium, quibus tamen rictus lanuginoſus eſt, cauda ſive calcar purpuraſcentis coloris: hos ſequuntur capitula exiguis loculis ſimilia, ſemen videre mihi non contigit: radice eſt ſingulari, albâ, quam hieme perire puto.

Linaria Hiſpanica I.

Linaria triphylla lutea B: Pin 212.



Natales. Circa Valentiam Hiſpaniæ in pratis & locis umbroſis, Martio florētem obſervabam, dum ex eâ urbe ad littus marinum, comite D. Ioanne Plaça deambulatum prodijſſem.

Linaria hiſpan. II. TENVIBVS, frequentibúsque ex eadem radice aſſurgit cauliculis Alterum elegans genus, ijsque imbecillibus & plerumque procumbentibus, quos veſtiūt frequentia, tenuiaque admodū & mollia foliola, æruginei quodammodo coloris: ſummis ramulis & cauliculis inſident aliquot flores, Linariæ vulgari formâ ſimiles, ſed paulò minores, elegantes, coloris ex purpurâ fere nigricantis, circa rictum flaveſcentes, tenui odore præditi: floribus ſuccedunt rotunda capitula, cineraceum planúmque ſemen continentia: radix candida eſt, tenuibus quibuſdam fibris & quaſi villis donata, quam Viennę ſemine mihi natam ſubſequens hiems ſemper corrupit. Tota planta tenella eſt, floret æſtate, ſemen Auguſto maturitatem conſequitur: interdum etiam diutius floret.

Natales. Sponte naſcētem hanc Linariam in Hiſpanijs nō obſervavi: ſed ſemine inde miſſo apud Belgas nata quibuſdam amicis, qui nobis illud communicarunt, quo mihi plantæ aliquoties Viennæ natæ.

SEMINE ex Hiſpaniâ miſſo natum etiam

Linaria hiſpan. III. Tertium genus, cui multi graciles pedaléſque caules à radice proveniunt, hos frequentia ambiunt

ambiunt folia, anguſta, longa, ex viridi caneſcentia, ejus ferè coloris qui in lavendulæ folijs conſpicuus eſt, amari autem ſaporis: circa ſummum caulem multi naſcũtur flores utcumque odorati, ſpicę in modum conferti, formâ ſuperiori ſimiles, quorum ſubrectum bifidum foliolum externâ parte exalbidi coloris eſt, interna purpurei, rictus deinde ὠχρόλευκος ſive albicantis ex flavo coloris, hirſuto & purpureo labro, propendẽtibus tribus latiuſculis purpuraſcentibus barbulis: flori ſuccedunt vaſcula, ſed plerumque inania, præſertim Francofurti, ubi primum florentem videbam in horto Ioannis Muleri pharmacopæi, cui ſemen communicaveram. Floret æſtate: vivax eſt, & radice ſingulis annis novos profert caules.

MVLTOS infirmos, graciles fundit Quartum etiam genus cauliculos, quos ambiunt frequentia, carnoſa, tenuia, molliáque foliola, cineracei quodammodo coloris: extremis cauliculis inſidẽt aliquot flores ſuperioribus minores, coloris cærulei dilutioris ad cineraceum tendentis, quorum rictus flavus: illos ſequuntur vaſcula, maturitate hiantia & cineraceum planum exiguum ſemen continentia: radix alba, tenuibus villis prædita, annua. *Linaria hiſpan. IIII.*

Hoc mihi primùm videre contigit anno M.D.XC. in cultiſſimo horto Ill[mi] Principis Cattorum Wilhelmi: ſemine peregrè miſſo natum Caſſellis Auguſto menſe ſuo flore onuſtum, & maturum ſemen in vaſculis continens. Semine inde accepto mihi nata ſequente anno, tota æſtate & autumno floruit & maturum ſemen tulit. *Natales.*

Linaria hiſpanica v. Linaria pumila supina lutea B: Pin 213



PALMARIBVS exit Quintum genus virgulis, frequentibus, humi ſparſis, quas veſtiunt folia vulgaris folijs ſimilia: extremos ramulos occupant multi flores flavi, vulgari minores, veluti in ſpicam congeſti, quibus ſuccedunt capitula minora quàm in vulgari, exiguo ſemine nigro plena: radix tenuis eſt & candida, vulgaris modo ſerpens. *Linaria hiſpan. V.*

Salmanticenſi agro, aridis locis hoc genus pumilum inveniebam, ubi tota ferè æſtate floret. *Natales.*

LINARIÆ nomen primo generi indidi, non à foliorum ſimilitudine, quæ non conveniunt, ſed quia ejus flores vulgari forma ſimiles, & ejuſdem fermè temperamenti ſint: nam commãducata manifeſtam acrimoniam cum quadam amaritudine conjunctam exerit ipſa planta. Poſtrema etiam valde amara eſt, & quia plerumque cum Chamæpity naſcens reperiatur, adeóque pumila ſit, Salmanticenſes Chamæpityos genus eſſe cenſebant. *Nomina.*

LINARIA PANNONICA ET VICINARVM REGIONVM.

CAP. XIX.

ALIQVOT etiam habent Pannoniæ & vicinæ regiones, Linariæ differẽtias (præter vulgo notam, & omnibus ferè provincijs familiarem) quas in alijs à me peragratis regionibus obſervare non memini.

BICVBITALI interdum excreſcit Prima magnitudine, rectum ferens caulem, lævem, viridem, multis folijs ſativo lino ſimilibus circumſeptum, qui ſuperiore parte in multos tenues breveſque ramulos diviſus eſt, ferentes raros flores, Linariæ quidem vulgaris floribus reſpondentes, ſed minores & pallidiores, rictu nonnihil villoſo & aureo: ſemen in vaſculis Linariæ vulgari ſimilibus exile, nigrum: radix longiuſcula, candicans, multis tenuibus & majuſculis fibris in latera expanſis nixa, perennis, ſummo capite ſingulis annis novos caules profert quidem: ſed ex lateralibus fibris non germinat ut vulgaris. Tota amariuſcula eſt. *Linaria Pann. I. major.*

Creſcit in montium declivibus ſecundùm publicas vias, & gramine nudis locis, ſupra Poſonium ad Danubium, Gumpoſtkirchen, Leytenberg, atque etiam in Moraviâ. Floret Iunio & Iulio, interdum etiam Auguſto, & ſubinde ſemen profert. *Natales.*

LONGE minoribus virgis eſt Altera, viridibus, gracilibus, quas ambiunt frequentia foliola, te- *Linaria II. Moravica I.*

Linaria Pannonica I. Linaria flore pallido rictu aureo C.B. Pin: 213



Linaria III. Stiriaca. Linaria quadrifolia supina. C.B. Pin: 213



liola, teretia, carnoſa tamen & ſucculenta, coloris ad ærugineum tendẽtis: flores extremis ramis inſident omnium minimi, forma tamen reliquis ſimiles, flavi, circa rictum aurei, quibus ſuccedunt laxiora vaſcula ſemen exile nigrum continentia: radix alba, tenuis.

Natales. Naſcitur pleriſque Moraviæ locis in collium acclivitatibus: unde ſemen delatum in hortis Viennæ conſevimus, quod nullâ difficultate crevit, eóque ſponte deciduo ſemper renata eſt: quam ob cauſam annuam eſſe ceſendum eſt. Floret quaſi totâ æſtate, etiam in Autumnum uſque.

Linaria III. Stiriaca. RAMVLIS palmaribus & humi fuſis eſt Tertia, quos ambiunt folia vulgaris Linariæ quodammodo æmula, minora tamen, craſſa, ſucculenta, coloris ex herbaceo candicantis, & veluti cæſij, non temerè per ramulos ſparſa, ſed ſerie quadam, aut terna, aut quaterna eos amplectentia: flores vulgari ſunt ſimiles, ſed elegantiſſimo colore præditi, ex violaceo quodammodo purpuraſcente, labro inferiore, ubi hiat, aut diducto rictu aperitur, planè aureo, amari guſtus: Succedunt deinde vaſcula craſſiuſcula, quæ maturitate dehiſcentia, duas cellulas oſtendunt ſemine plano, compreſſo, nigro, plenas: radix tenuis, alba, multos ex uno capite ramulos profert, atque etiam ſummâ tellure ſerpit. Perennis hæc eſt, & ſubinde in extremum uſque Autumnum flores profert.

Natales. Eam primùm in præcipitio Snealben, qua ad monaſterium Neuberg deſcenſus eſt, inveniebam ſalebroſo loco florentem extremo Iunio, quæ deinde in horto repoſita loco umbroſo & tenui, benéque ſubacto ſolo, bonum ſemen eo adhuc anno protulit. Raram neque ubique obviam initio cenſebam elegantem hanc plantulam: attamen ſatis copioſam poſtea reperi inter ſaxa & præcipitia, dum anni M. D. XXCIII. Auguſto menſe celſiſſimum jugum Prayner alben nuncupatum conſcenderem.

Ex Geſneri etiam epiſtolis liquet non ignotam illi fuiſſe, ſed in Helveticis atque Rheticis alpibus creſcere.

Linaria IIII. Moravica II. TENVES & humi diffuſos habet etiam Quarta cauliculos valde frequentibus, anguſtioribus, ſine ordine diſpoſitis, craſſiuſculis, & coloris cæſij foliolis obſitos, in pluresalas nonnumquam diviſos, quarum faſtigium occupant multi, ſpicæ inſtar confertim naſcentes, floſculi, colore ſuperiori ferè ſimiles, ſed multò minores: quibus ſuccedunt parva capitula ſemine plena, de cujus formâ & colore nihil aſſerere poſſum, quandoquidem florentem &

Linaria IIII. Moravica II. *Linaria coerulea repens B: Pin: 213.*



tem & capitulorum rudimenta duntaxat prębentem in Moraviæ collibus inveniebā cum Secundâ, anno M.D.XXCV: radix multis fibris latè ſparſis conſtat, & perennem eſſe apparet.

Nomina. HARVM nullum vulgare nomen intelligere potui; non incommodè tamen eadem appellatione nuncupari poterunt, qua vulgaris & ubique nota Linaria. Eam Germanicæ rhizotomæ mulierculæ vnſer Fraw har dicunt, hoc eſt, D. Virginis linum. Vngari autem *Vadlen*, id eſt, ſilveſtre linum.

LINARIA CRETICA.
CAP. XX.

SEMINE Cretâ accepto, nata ſunt duo alia Linariæ genera non inelegãtia: unum quidem latifolium, Frãcofurti in horto Ioannis Mulleri pharmacopæi: alterum tenuifolium, Lugduni apud Batavos in horto Ioannis Hogelandi: utriuſque hiſtoriam hoc capite deſcribemus.

Linaria Cretica latifol. HABET autem Primum genus, ſive Latifolium, cubitalem aut ampliorem caulem, rotundum, firmum, craſſiuſculum, infimâ parte ſubrubentem, ſupernâ viridem, & in multos ramos diviſum: quem ambiũt, modò bina, interdum terna folia, adverſis inter ſe petiolis ordine naſcentia, aliquando incondita, & nullum ordinem ſervantia, latiora quàm in ullo genere Linariæ viderim, ut quæ uncialem latitudinem interdum habeant, caneſcẽtia, guſtu, ſi mandantur, amariuſculo: ſummum caulis faſtigium, extremíque rami, frequentibus floribus ſatis odoratis ſunt onuſti, Linariæ vulgaris flori forma ſimilibus, ſed coloris, supernâ parte, ſive bifidâ galeâ, & ipſis etiam barbulis, palleſcentis, infra rictum (qui lanugine pubeſcit) aurei, calcari albo, interdum ſubcæruleo vel etiam purpureo: floribus ſuccedunt vaſcula, ut in alijs Linariæ generibus, nigrum ſemen continentia: radix digitalis longitudinis, alba, dura, tenuibus aliquot filis cincta, ſummâ parte, ex quâ videlicet caules exoriuntur, extuberat, deinde gracileſcit.

Florebat ſub finem Iunij & Iulio, ſemen maturum fuit Auguſto.

Linaria Cretica anguſtifolia. ALTERVM genus, ſive Tenuifolium, virgas initio profert ex una radice ſatis copioſas, rotundas, læves, ſeſquipedalis vel pedalis longitudinis, quos binis, aut ad ſummum ternis intervallis, quaterna ſimul ambiunt folia, vulgaris Linariæ folijs duplo anguſtiora, deinde alia ſingularia nullo ſervato ordine: virgis innaſcuntur frequentes ramuli, folijs valde tenuibus donati, qui velut ex umbellâ exiguâ (cujus forma paulatim evaneſcit) flores protrudit valde exiles, qui quinque foliolis conſtare videntur, binis videlicet erectis ſupra caſſidem albicantem vel cineraceam, binis latera occupantibus, & uno propendente, caudâ inſuper, ſive calcari ſub illis conſpicuo, antrorſum reflexo: ſemen in pericarpijs, ſeu vaſculis Lino ferè ſimilibus, cineraceum & planum, quod, deciduo flore, brevi matureſcit, etiam herbâ adhuc virente. Florebat ſub finem Iulij.


ΑΝΩΝΥΜΟΣ LINI FOLIO. CAP. XXI.

LINI foliorum ſimilitudo facit, ut hanc & aliquot ſubſequentes, Linarijs ſubjungam: tametſi quo nomine iſtam appellare debeam, incertus adhuc ſim. Malui igitur ἀνώνυμον relinquere, quàm nomine non ſatis apto donare: illius tamen deſcriptionem negligere nolui, quandoquidem à nemine, quod ſciam, ante me obſervatam exiſtimem.

Ignota, Lini folio. Pedales habet ramulos, duros, ex viridi palleſcentes, & in his multa folia temerè ſparſa, nullóque ordine diſpoſita, dura, anguſta, longiuſcula, lini foliorum æmula, ejuſdem cum ramulis coloris, aut qualis in rutâ montanâ elucet, hoc eſt, ex viridi palleſcente, guſtu nonnihil acido primùm, deinde amaricãte: extremi cauliculi in multos ramulos ſive pedicellos dividuntur, qui floſculos albicantes ſuſtinent, quinque foliolis ſtellatim decuſſatis, conſtantes, cum aliquot interioribus ſtaminulis, qui tandem in ſingularia ſemina efformantur

pentagona,

Anonymos Lini folio. Linaria montana floſculis albicantibus. C.B. Pin: 213



Natales.

An Seſamoidi affinis?

Polygala vulgaris varietas.

pentagona, duro corio ſive putamine medullam albam continentia: radix candicãs, multifida, perennis & vivax, annuatim novos ramulos ſive virgulas producens: nonnunquam etiam ſerpens Linariæ repentis inſtar.

Copioſè naſcitur editioribus herboſiſq; locis agri Viennenſis: tum etiam herboſis collibus Poſonio vicinis, in acclivitate Hamburgenſis montis qua Altenburgum ſpectat, alijſque præterea plurimis Auſtriæ & Pannoniæ montibus, etiam interamnis ultra Dravum. Floret Maio. Memini & Madritianâ ſilvâ, ſecundo ab urbe Lutetiâ miliari, cum Lino ſilveſtri, Hyacinthóque autumnali minore colligere: ſed longè exiliorem.

Quid ſi cum Seſamoide affinitatem aliquam habere deprehendatur?

Polygala vulgaris major 1. Polygala major C.B. Pin. 215



Polygala vulgaris major 1.

Natales.

Polygala vvlgaris.

Cap. XXII.

POLYGALÆ appellationem apud pleroſque Recẽtiorum etiam obtinuit plantula quædam (valde tamen diſſimilis illi de qua priore libro inter ſuffrutices) ubique ferè in ſiccioribus pratis obvia, folijs lini aut hyſſopi vulgaris, quæ vel cæruleo flore, vel purpureo dilutiore, vel rubello, aut interdũ etiam albo variare conſpicitur. Geſnerus in epiſtolis Amarellam ab amaritudine nuncupavit. Tragus Dioſcoridis πολύγαλον & γλαυκὰ eſſe exiſtimat De eâ, cùm à recentioribus, præſertim à Trago deſcripta ſit, vulgóque ſatis nota, nihil hîc agemus: ſed de alio ejus genere majore & elegantiſſimo, quod in Auſtriâ & ſuperiore Pannoniâ obſervabam, tametſi & vulgaris, tot florum coloribus diſcreta, paſſim etiam in ijſdem Provincijs naſcatur.

Ex eadem interdum radice prodeunt quinque aut ſex virgulæ duriuſculæ, pedales, graciles, lentæ & obſequioſæ, folijs nullo ordine diſpoſitis obſitæ, anguſtis, floris Tinctorij, aut vulgaris Hyſſopi anguſtifolij & minoris, quod ab Hiſpanis *Yſopillo* vocatur, foliorum æmulis: flores conferti & ſpicatim naſcentes, ſummas virgulas occupãt, fumiterræ floribus non multùm abſimiles, longiores tamen, & dilutioris purpurei coloris elegantiſſimi, ſive dilutiore rubore pulcherrimo nitentes: his ſuccedunt penduli loculi plani, Burſæ paſtoris valvulis ferè ſimiles, quos mẽbranaceæ quædam veluti alę integunt, ſemina bina plerumque continentes, nigricantia, hirſuta, longiuſcula, quæ aperientibus ſeſe ad latera maturitate burſulis, decidunt: radix craſſiuſcula, brevis, dura, lignoſa, vivax, aliquot fibris donata eſt: & tota planta amaricat.

Frequens eſt admodum in Leytenberg ſupra Manderſtorf, circa Medeling, totáque illâ montium ſerie, quæ à Calemberg Danubio ſupra Viennam imminenti, ad Auſtriacas uſque alpes excurrit. Nuſquam non occurrit ſimiliter per Pannoniam, etiam interamnem,

ultra

Polygala vulg. major II. *Polygala vulgaris C.B.Pin. 215.*



ultra Dravum flumen. Floret Maio & Iunio. Aliquoties illam ob florum venuſtatem in hortum tranſtuli, & cicurare volui: ſed operam luſi.

Variat etiam quibuſdam umbroſis & humidioribus locis, floris colore aut cæruleo, aut albo, non ſecus ac minor vulgaris, & perinde aſſurgit ut modo deſcripta, ſed minus venuſta præcedente. *Polygala vulgaris major II.*

OSYRIS AVSTRIACA.
CAP. XXIII.

CVBITALIBVS, aut amplioribus interdum, aſſurgit ex unâ radice virgis, gracilibus, duris, nigricantibus, lentis, & fractu contumacibus: quas non quina aut ſena (ut Dioſcorides ſuæ tribuit) ſed numeroſa ambiunt foliola, longiuſcula, anguſta, lino ſimilia, dura, mucronata, ſatura viriditate nitentia, amari guſtus: extremæ virgæ in multos tenues ramulos deſinunt, quibus inſident ſingularia folioſa capitula, florem luteum, ex multis floſculis quinque radiolis decuſſatis, ſtilóque in medio prominente conſtantibus compactum, amplectentia: deinde ſemen nigricans, longiuſculum, quale fere in Hieraciorum generibus, ſupernè villoſum pappi inſtar, quod leviſſimo vento excuſſum, ejus arbitrio fertur: radix dura eſt, lignoſa, nigra, aliquot fibris donata, ſingulis annis germinans, novâſque virgas proferens. *Oſyris Auſtriaca.*

Oſyris auſtriaca. *Linaria folioſo capitulo lutea major. C.B.Pin. UB*



Exit non procul Phaſianorum horto circiter miliare infra Viennam, editiore quodam & ſicciore prato cum Lini ſilveſtris generibus, Cytiſo primo, & alijs ſtirpibus, ſed humilior: ſecundum verò ſepes atque inter frutices, major & uberior. Inveniebam multis item Pannoniæ locis, etiam Interamnis ſupra Dravum flumen. Floret Auguſto: ſemen maturum eſt Septembri. *Natales.*

VIENNENSES Oſyridem appellabant. Sed an cum Dioſcoridis Oſyride conveniat, alijs dijudicandum relinquo. Tragus, apud quem latino exemplari perbellè depicta eſt, Linariam tertiâ facit, & Linkraut à formâ, groſs Reynblumen à floribus nuncupat, atque ad Dioſcoridis Heliochryſum refert. Nonulli Chryſocomen Dioſcoridis, & Chryſitin Ariſtotelis eſſe arbitrantur. *Nomina.*

ELICHRYSON. CAP. XXIIII.


PEDALIS, nonnumquam cubitalis altitudinis eſt planta Elichryſon, fruticoſa, & in multas alas ſubinde diviſa: ei numeroſa folia, Abrotono ſimilia, candicantia, & cum gravitate odorata: flores in ſummis ramis umbellatim congeſti, lutei, Agerati floribus formâ & odore perſimiles, verùm majuſculi: radix dura, lignoſa, minimi digiti interdum craſſitudinem æquans, quæ ſingulis tamen annis perit, nec vivax eſt. *Elichryſon.*

Elichryſon. *Elichryſon foliis abrotani C.B. Pin: 264.*

Natales. Læto ſolo provenit,& copioſè circa Madritium itinere Complutenſi, alijſque Hiſpaniæ locis, in agris, ubi Septembri & Octobri florentem videbam.

Nomina. DIOSCORIDES ἑλίχρυσον, nonnulli, eo referente, χρυσάνθεμον, καὶ ἀμάρανθον appellant. Theophraſtus ἑλειόχρυσον, quem ſecutus eſt Plinius. Gaza Aureliam vertit. Hiſpani *Scoba hedionda*, id eſt, Scopam fœtidam, ab ejus uſu & odoris gravitate nuncuparunt.

Facultates. Verùm cum tota hæc planta ſit amara, facile eas facultates obtinebit, quas illi veteres tribuunt. Hiſpanis autem nullo eſt in uſu, niſi quod Madritiano agro mundatorias ſcopas ad ædes purgandas ex ea faciunt: & quibuſdam alijs locis, illâ in faſciculos congeſtâ & colligatâ, formaceos, ut Pliniano verbo utar, parietes (quos Hiſpani *tapias* vocant) integunt adverſus imbrium injuriam.



Chryſocome 1. vulgaris.

CHRYSOCOME ALTERA.

CAP. XXV.

Chryſocome. PER Chryſocomen intelligo, quam vulgus Stœchadem citrinâ appellat, multis Provincijs communem. De eâ autem hoc capite non ſum acturus (à pleriſq. enim diverſis nominibus eſt deſcripta) licet iconem oculis ſubijciendam operæprecium eſſe duxerim, ut quam ſtirpem intelligam, Lectores agnoſcant: ſed de alijs quibuſdam, quas vel in Hiſpanijs aliquando obſervare memini, vel prius etiam in Gallia Narbonenſi, tum quam ſemine peregrè accepto natam habui.

Elichryſum ſeu Stœchas citrina anguſtifolia C.B. Pin. 264.

Chryſocome altera peregrina I.



CVBITALES plerumque habet *Prima* virgas, quando adolevit, graciles, incanas, & veluti tomento quodam obſitas, quas inconditâ ſerie diſpoſita ambiunt folia, longa, gracilia, Libanotidis coronariæ folijs ſimilia, vel ijs etiam anguſtiora, ſupernè nonnihil virentia, infernè incana, ex quorum ſinu naſcuntur tomentoſi ramuli minoribus folijs prædití; per ſummas verò virgas rariora ſparſa ſunt folia, quarum faſtigijs multi inſident ſquamati flores, vulgaris Chryſocomes folijs minores, aurei vel flavi coloris, qui marceſcentes fuſcum colorem contrahunt, & ſemen exile continent pappo involutum: radix lignoſa, dura, in aliquot ramos diviſa. Cum quadam non inſuavi graveolentiâ odorata eſt, guſtúque calidiuſculo.

Natales. Salmanticenſi agro frequens eſt (memini & Mompelliano videre) ubi tota æſtate ſubinde novos flores producit, totáque hieme comam retinet, ut etiam in Belgicam tranſlata.

Chryſocome tertia peregrina II. PEDALIBVS, interdum etiam cubitalibus aſſurgit *Altera* ramis, candicantibus & lanuginoſis, quos Oleæ ſimilia folia, longa, mollia, canâ lanugine tecta per intervalla ambiunt: flores autem extremis ramulis pallentes, ſquamoſi, ut Agerati ferè, inſident: radices ſunt nigricantes.

Natales. Abundè naſcitur aridis locis, atque etiam in vetuſtis muris, per Luſitaniam, Bæticam, Granatenſe regnum, in quo Martio, Valentino autem,




Chryſocome altera.



Latifolium

Gnaphalium Americanum. B: Pin: 262.



autem,circa Aprilis initium florentem conſpiciebam. Odorata etiam hæc eſt, & adſtrictionis cujuſdam particeps.

IIDEM locis obſervabam Tertium quoddam genus magis pumilũ, ut quod dodrantalem altitudinem non excederet, cui cauliculi erant teretes, incani, lõgis & anguſtis foliolis, Primæ peregrinæ non valde diſſimilibus, & incondito etiam ordine naſcentibus, obſepti, ſummâ parte in aliquot tenues ramulos diviſi, quibus inſidebãt ſingularia, interdũ bina aut terna ſimul conjũcta capitula ſquamata, fuſci coloris, villoſos floſculos pallidos cõtinentes. Huic inhærentem conſpiciebam cuſcutam illam vulgo dictam, tenuiſſimis cirrhis eam amplectentem. *Chryſocome IIII. peregrina III.*

CHRYSOCOMES genera eſſe, nemo, ut opinor, inficiabitur. Prioris nullum vulgare nomen intellexi: Alterã Murciani *Mançanilla*, nomine Chamæmelo cõmuni appellabant, Hiſpalẽſes *Romero marino*, h.e. Libanotidem coronariam maritimam, Mauritani urbis Granatenſis incolæ, *Miſcayn*. *Nomina.*

BÆTICI referebant, Secũdæ peregrinæ decoctũ mirificè coli doloribus prodeſſe: quibus facultatibus Primam etiam eſſe præditam, veriſimile eſt. *Facultates.*

CETERVM Secundæ peregrinæ non valde diſſimilis planta ſemine ex Italiâ miſſo, ſed primũ Cretâ allato nata, ſingulares nonnunquam plures emittens ex radice virgulas, teretes, ſeſquipedales, aut cubitales, incanâ lanugine & veluti tomento obductas, quibus ſine ordine multa adnata folia, unciã & amplius longa, unciæ quadrantem lata, ſupernè virentia, infernè, foliorum præcedentis inſtar alba: circa ſummas virgas, ex foliorũ alis nati tenues ramuli, minoribus folijs præditi: ſummæ autem virgæ deſinebant in nudũ ramulum, vel ſingularem, vel geminũ lanugine & tomento carentem, cui inſidebant ſingularia capitula ſquamis imbricatim diſpoſitis conſtantia inſtar capitulorum Cyani, è quibus prodierunt flores ex multis ſtaminibus flavis compoſiti. *Chryſocome V. quæ Cretica.*

Mittebatur autẽ ſemen, Stoechadis Creticæ appellatione: & nata ex eo planta, ſatis odorata, (præſertim ejus capitula) florere cœpit Sextilis initio.

NON deſunt porrò, qui ad legitimæ Chryſocomes hiſtoriam convenire putent vulgare illud Targũ: cujus in acetarijs uſus: quâ verò ratione ducti ſic ſentiãt, mihi non conſtat. *Targum vulgare.*

GNAPHALIVM AMERICANVM.
CAP. XXVI.

CVBITALES, aut ampliores habet Gnaphalium hoc caules, eóſque craſſiuſculos, multâ lanugine candidâ, tamquam tomento, obſitos, quos inæqualiter ambiunt anguſta folia, digitalis longitudinis, externâ parte incana, internâ viridia, & valde ſplendentia: ſummus caulis in multos nonnunquam ramulos dividitur, quibus, ut ſupremo cauli, inſident multi conferti & tomento obſiti flores, numeroſis veluti argenteis ſquamis imbricatim ſibi incumbentibus conſtantes, quibus explicatis, interior floris diſcus apparet ſubflavus, qualis ferè in Gnaphalio vulgari, qui tãdem *Gnaphalium Americanũ.*

in pappum cui ſemen involutum abit: radix minimi digiti craſſitudinem æquat ferè, nigra, fibris donata, ſumma tellure in latera ſe ſpargens, novóſque ſingulis annis caules proferens, qui primùm emergentes, nihil niſi tomentum eſſe videntur. Tota æſtate flores producit.

Natales. Hujus radices ex Anglia mihi miſſæ ſub finem anni M. D. XXCVIII. ab optimo viro Iacobo Gareto juniore, nullâ additâ appellatione, quas ex Americâ accepiſſe ſcribebat.

Si eadem ſtirps non eſt, quam ex novo orbe delatam Gnaphalij Americani nomine, mihíque anno octogeſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum miſſam, à Doctiſſimo humaniſſimóq; viro V. Richardo Garth Londinienſis Cancellariæ Primicerio, in Pannonicarum Obſervationum lib. III. deſcripſi, & ἀργυροκόμην nuncupari poſſe dixi: certè illi valde affinis. *ἀργυροκόμη.*

Suprema enim caulis, quam tum accipiebam, pars, cum ramulis qui flores ſuſtinebant, multo tomento obſiti erant, quemadmodum legitimum illud Gnaphalium, quod in mediterranei maris littoribus naſcitur: longiuſcula & anguſta folia, Chryſocomes folijs proxima, ſupernè viridia, pronâ parte incana & tomento obducta: ſinguli ramuli veluti comam florum ex ſingularibus pediculis dependentium geſtabant, qui, cùm nondum explicati eſſent, nihil aliud videbantur quàm capitula numeroſis argenteis foliolis ſibi invicem incumbentibus conſtantia, ſicca admodum, quæ digitis recluſa, in medio tenuem quandam ſubflaveſcentem lanuginem ſive pappum continebant, leviſſimo flatu avolantem.

GNAPHALIVM. CAP. XXVII.

Gnaphalij varia genera. GNAPHALII multa ſunt genera, quorum aliquot ab alijs deſcripta. Nos eorum, quæ hactenus minimè obſervata eſſe putamus, hiſtoriam dabimus, & ab eleganti alpino auſpicabimur, quod in Pannonicis deſcripſimus, illíque duas alias icones ſubijciemus à Iacobo Plateau miſſas, nudas tamen, & quibus Gnaphalij alterius nomen duntaxat additum: cùm verò ipſas ſtirpes olim obſervare meminerim, qualemcunque deſcriptionem etiam adijciemus.

Gnaphalium alpinum. Gnaphalium alpinum magno flore folio oblongo. C.B. Pin. 264.



Gnaphalium alpinum. DODRANTALIS autem eſt alpini Gnaphalij plantula, plerumque etiã minor, folijs, quæ humi fuſa, Piloſellæ minoris Fuchſij ferè, internâ parte hirſutis, exteriore verò, omnino incanis & tomẽtoſis, guſtu exſiccante & amaro: cauliculi ipſi & ea quæ illos ambiunt folia multo etiam tomento obſita: ſummo autem faſtigio, cauliculi ſuſtinent quina, ſena, aut plura foliola latiora & expanſa, adeò tomentoſa, ut nihil niſi tomentum ſint: ex horũ medio emergunt quaterna, quina, aut plura capitella gnaphalio ſimilia palleſcentibus floſculis conſtantia, quos intercurſant nigri quidam villi, foraminum veſtigia quodammodo ementientes: radix ſatis craſſa eſt, nigra, & fuſcis aliquot fibris capillata.

Natales. Provenit in ſcopulis ſummorum Sneberg, Durrenſtain, & Etſcherberg jugorum. Floret Iulio & Auguſto.

Ego aliquoties natali ſolo erutam cum ſuo ceſpite in meum hortulum, quem Viennæ habebam, tranſtuli, & propter elegantiam cicurare volui, ſed inanem operam ſumſi: permanſit quidem interdum in alterum annum, valde autem immutabatur, imò planè aliam eſſe cẽſuiſſem, niſi ipſe collegiſſem & in hortulum intuliſſem.

Leontopodiũ Matthioli. AFFINIS videtur illi plantæ, niſi eadem ſit, quam Matthiolus pro vero Dioſc. Leontopodio exhibet. Sed ſine dubio Gnaphalij duntaxat genus eſt.

Wulblumen. IOSIAS Simlerus commentario de Alpibus ejus meminit his verbis. Wulblumen flos odoratus eſt, folio Piloſellæ, circa ſupremum cauliculum folia multa imparia, candicantia, lanuginoſa, medio orbe quinque vel ſex flores: inter quos medius plerumque aridus: ex ſingulis lutei apices emicant: radix arida parva, ſummo ceſpite hærens. Tomenti ſpeciem arbitror. Hæc ille.

Leontopodion Lobelij. Leontopodium autem illud nigricantes ex fuſco violaceo geſtans flores, quod Lobelius in arduis Germaniæ, Italiæq; alpinis, & Baldo Veronenſi inveniri tradit, videre non memini, quippe qui Italiam numquam ſim ingreſſus.

PALMA-

Gnaphalium Plateau II.

Gnaphalium majus oblongo folio C.B. Pin: 263.



Gnaphalium Plateau III.

Gnaphalium minus latioribus foliis ~~majus oblongo folio~~ C.B. Pin: 263.



Gnaphalium legitimum.

Gnaphalium maritimum C.B. Pin: 263.



PALMARES, vel etiam majores habet Primum à Plateau miſſum Gnaphalium cauliculos, quorum alij ſurrecti, alij ſecundùm terram inflexi, teretes, villoſi, quos indigeſto ordine, mollia, incana, latiore infimâ parte amplectuntur folia, extremo mucronata: multa ſummo cauliculorum faſtigio inſident capitella candicantia, flaveſcente lanugine plena: radix craſſiuſcula eſt, ſubfuſca, fibris aliquot prædita, quæ an vivax ſit, aſſerere nequeo. Aliquid autem affinitatis habere videtur cum Filagine minore Dodonæi. *Gnaphalium Plateau II.*

VNICO aſſurgit aliud genus cauliculo, aliquot ramulis in diverſa ſe contorquentibus prædito, quos hinc inde ſepiunt latiuſcula, mollia & incana folia: ad ramulorum internodia naſcuntur, inter foliorum cõgeriem, quina ſena, aut plura capitella ſimul congeſta, ex flavo caneſcẽtia, multa lanugine plena: radix inutilis, ſed deciduo ſemine, novæ plantæ ſingulis annis renaſcuntur. *Gnaphalium Plateau III.*

Priorem plantam deſertis quibuſdam & ſiccioribus colliculis naſcentem aliquando obſervabam. Alteram etiam in ſiccioribus (quantum memoria ſuccurrit) agris, præſertim demeſſis ſegetibus. *Natales.*

GNAPHALII ſive Centunculi generibus quidem adſcribi poſſunt hæ plantæ: ſed legitimum cenſeri nequeunt. Id autem circa Calpen, Malacam, & Valentino regno, Mediterranei maris littore frequens obſervabam, dum eas regiones perluſtrabam, & multis annis ante, cùm Mompelij agerem, toto illo ma- *Gnaphalij legitimi Natales.*

Piloſella minor.

Gnaphalium montanum Longiore folio & flore
B. Pin: 263



Γναφάλιον.

Pſeudoleontopodium.

Stratiotes millefolia flavo flore.

Millefolium tomentosum Luteum B. Pin: 140.

Piloſellæ minoris varietas.



Stratiotes luteo flore.

Natales.

rino littore à Continente, ſtagnis diſiuncto, quod ab oppido Aigues mortes vulgo nũcupato, ad Setiũ uſque procurrit: unde iconem meâ manu delineatam, & ipſam plantam ſiccam cum pleriſque alijs elegãtibus ſtirpibus ad meos Belgas deferebam, ipſam etiam iconem C. V. Dodonæo communicabam, cùm illius de Stirpibus Commentarios vernaculâ linguâ conſcriptos, ante quadraginta annos Gallicos facerem. Ea in vernaculam alteram editionem (quæ correctior & auctior poſtea evulgata) fuit illata, deinde in Pẽptades: operæ pretium autem eſſe duxi illam hîc inſerere, ut ejus, à jam deſcriptis, differentia facilius animadverti poſſit.

ΓΝΑΦΑΛΊΟΥ porrò apud Dioſc. brevis eſt deſcriptio, cujus folijs albis mollibuſq; aliqui, inquit, pro tomento utuntur, & efficaciter illa bibuntur in vino auſtero ad dyſenterias. Quam certè facultatem, aut illi proximam, alias ſtirpes hoc capite deſcriptas habere non eſt dubium.

CETERVM varijs earundem alpium locis invenitur id Gnaphalij genus pedali aut ampliore caule, floribus à medio ad ſummũ uſque faſtigium inter longiuſcula, mollia, incanáque folia naſcentibus, quod à Matthiolo Pſeudoleontopodium, à Generali verò illa plantarum Hiſtoria, Chryſocome lanuginoſa nominatur. Quemadmodũ & mitioribus Hũgariæ, Stiriæ, Auſtriæ, Moraviæ, Bohemiæ mõtanis & collibus herboſis, duo aut tria ejus ſtirpis, quæ à pleriſque alijs & à Fuchſio Piloſella minor appellatur, genera, flore videlicet aut omnino albo, aut purpureo, aut ex albo purpuraſcente, ſive carneo: quæque omnibus editioribus cæduis & apertis per Germaniam ſilvis, atque arenoſis tumulis ferè eſt obvia.

STRATIOTES MILLEFOLIA LVTEO FLO.
CAP. XXVIII.

PALMARI eſt hæc Stratiotes amplitudine, duobus tribúſve ab eadem radice cauliculis, infimâ parte ſeſſilibus & fibras ſubinde agentibus, quibus alterius Stratiotis & Chamæmeli modo ſerpunt, ceteroqui radix unica eſt & dura: cauliculos autem ambiunt folia vulgaris Stratiotis folijs ſimilia, multo molliora, candidiora, & tenuius inciſa: flores ſummis cauliculis inſident in umbellam digeſti, alterius floribus non diſſimiles, paulò tamen minores & coloris lutei, tàm diſcus quàm foliola in ambitu naſcentia.

Creſcit Murtiano regno, ubi flores obſervare nõ potui, quippe qui Martio menſe iſtac iter fecerim: ſed ſimilem multis ante annis florentem erueram edito loco, & lapidoſo ſterilíque ſolo ſecundùm cæduam quandam ſilvulam, cùm Avenione Nemauſum proficiſcerer, Mompelium rediturus, Iunio menſe, & ex plantis, quæ jam florem abjecerant, æſtimare poſſim etiam Maio florere.

Similis

Similis ſemine ex Hiſpaniâ miſſo mihi nata Viennæ Auſtriæ anno M. D.XXCV: ſed longè elatior & pluribus cauliculis prædita, qui humi diffuſi, præter medium qui aſſurgebat, fibras agebant, & folia proferebant non minùs incana & tenuiter inciſa, quàm modo deſcriptæ ſtirpis folia, cujus etiam ſemen ad maturitatem pervenit. Sed ſubſequentis anni aſpera hiems matrem cum prolibus ſemine natis corrupit.

Iſtam etiam habebat in cultiſſimo ſuo horto, Ill[mus] Princeps Cattorum Wilhelmus, cùm ſequentis anni Autumno apud ipſum Caſſellis eſſem: ex ſemine iſtic collecto, etiam mihi natæ plantæ, quæ anno M.D.XXCVIII. & florem dederunt, & ſemen, quod deinde Francofurti terræ commiſſum (nam illo ipſo anno Viennâ eò perveni) mihi quidem non eſt natum, ſed alij, quibus communicaveram, aliquot ſtirpes habuerunt.

DICITVR porrò Græcis ϛρατιώτιϛ ὁ χιλιόφυλλος, Latinis Militaris: nullum vulgare nomen ſcio. Poterat etiam ad ἀχίλλειον Dioſcoridis referri, quod luteo flore inveniri ſcribit. Verùm parum refert, utrum Achilleam, an Stratiotem appellaveris, cùm utriuſque facultates ſint ſimiles, & ad vulnera, ulcera, profluentémque ſanguinem ambæ commendentur. *Nomina.*

MILLEFOLIVM ALPINVM. CAP. XXIX.

ELEGANS eſt etiam hæc plantula, dodrantalem ſive palmarem altitudinem non excedens, multis folijs circa radicem ſtratis, tenuiſſimè inciſis, & veluti è multis minutiſſimis alatis foliolis conſtantibus, nonnihil incanis: candicantes cauliculi, ſatis craſſi, hujuſmodi folijs, ijſque minoribus, & tenuiſſimè inciſis obſiti: umbella floſculorum denſiſſima, qualis in vulgari Millefolio, ſed dilutiore rubro colore ſive carneo nitentium: radix vix à vulgari differt, fibroſa admodum, & ſummâ tellure ſerpens. *Millefolium alpinum.*

Sponte provenit in Iudenberg & Spital, Stiriæ alpibus, atque flores profert Auguſto: natalésne cauſa ſint iſtius varietatis, an cultura, neſcio. *Natales.*

Ab hoc tamen differre viſum eſt, quod in hortis alebamus, cùm in Belgicâ viverem, ſimili propemodum flore. Sed & vulgarem circa publicas vias & ſemitas naſcentem ſæpiſſimè flores variantem obſervavi, ut plurimæ plantæ flore omnino niveo præter diſcum medium, qui ferè cineracei coloris eſt, conſpicerentur, aliæ ſuave rubentem ferrent, aliæ medij inter utrumque coloris. *Millefolij in flore varietas.*

Millefolium rubro colore. Millefolium Vulgare purpureum minus C.B. Pin: 141



ANNO autem M. D. XCI. multæ Millefolij plãtæ, quas in ſuo horto ſeverat præcedente Autumno Ioannes Mylerus Francofurtenſis Pharmacopæus, natæ, folijs vulgari tenuioribus, quæ flores dederunt, nó quales expectabat, videlicet flavos (nam eo loco flavi floris ſemen terræ commiſſum mihi referebat) ſed rubri coloris, dum primùm aperti erant, elegantiſſimi, qui paulatim ſeneſcẽte flore elangueſcebat, & tandem carnei quodammodo coloris evadebat. Hallucinatus ſit nécne in ferendo, mihi non liquet. Sin minus, mira ſanè metamorphoſis. *Millefolium rubro flore.*

CHRYSANTHEMVM VALENTINVM. CAP. XXX.

VNICO plerumque aſſurgit Chryſanthemum valentinum caule, pedali, rarò ampliore, ramoſo: folijs ſecundùm radicem numeroſis, deinde temerè & ſine ordine per caulem ſparſis, multifidis, Stratiotis paulò antè deſcriptæ folijs pænè ſimilibus, lanuginoſis & incanis, quæ deguſtata ſalivam cient, & acidula ſunt: flos in ſingulis ramulis unicus, luteus, vel potiùs auri ſplendore fulgens, quique reſiccatus, multis annis nativum colorẽ etiam retinet, medio Anthemidis diſco ſive umbilico major, & ſine radiatis in ambitu naſcentibus foliolis, odoris nó injucundi: radix unica, candicans, firma, craſſiuſcula. *Chryſanthemum valentinum.*

Valentino regno ad arvorum margines, juxta ſemitas repertum eruebam, nuſquam alibi mihi obſervatum. Florebat iſtic Martio. *Natales.*

CHRYSAN-

Chryſanthemum Valentinum.

Buphthalmum lanuginoſum foliis millefolii C.B.Pin. 135.



Buphthalmum vulg.Chryſant.cong.

Buphthalmum tanaceti minoris folio C.B.Pin. 134.



Nomina. CHRYSANTHEMVM vocabant Valentinæ urbis peritiores, longè tamen à Dioſcoridis χρυσανθέμῳ diverſum,& ad Buphthalmi genera,meo judicio,potiùs referendum, niſi quis ἀχιλλείῳ ſpeciem eſſe malit. Matthioli tamen Chryſanthemum eſſe nego, licet id ſentiat, qui magnam illam Plantarum hiſtoriam,Lugduni expreſſam, concinnavit: ſed ipſum valde falli deprehendet,quiſquis diligentius utriuſque hiſtoriam contulerit. Et ſanè, magis ſolidum judicium in illo viro interdum deſidero.

Buphthalmũ Narbonenſe. Ceterùm hæc planta (ne quis fallatur) plurimum à Buphthalmo Narbonenſis Provinciæ,mihi ſanè non ignoto,differt: nam id obſervare & eruere memini apud oppidum illud vulgo Aquæ mortuæ nuncupatum,nõnulli Foſſam Marianam (quam aptè, neſcio) appellant. Habet autem id Buphthalmum radiatos flores Anthemidi vulgari ſimiles, majores, medium orbem luteum cingentibus luteis folijs, plerumque ſubtus nõnihil purpuraſcentibus aut ſubrubentibus. Chryſanthemum Valentinum nulla radiata in orbis ambitu habet folia, ſed ijs caret non ſecus ac Chamæmelum illud Chryſanthemum odoratum: tametſi valentinum majoribus capitibus ſit præditum,non tamen adeò protuberantibus, ut animadvertere poterunt, qui ejus deſcriptionem minus oſcitanter legent, & iconem affabrè ad vivum expreſſam à peritiſſimo pictore,cum illa exactius conferent. Præterea Chryſanthemum valentinum recto aſſurgit caule, tenuioráque habet folia: Buphthalmo autem Narbonenſi, ramuli plerumque humi fuſi,& craſſiora ſunt folia.

Buphthalmũ vulgare,& ejus natales. QVIA porrò in Buphthalmi mentionem incidimus, vulgare illud Buphthalmum cubitalibus & amplioribus virgis,alatis folijs,flore Chamæmelino majore,auri inſtar fulgente, frequentiſſimum eſt per univerſam Pannoniam, etiam illam quæ ultra Dravum flumen eſt, atque totâ Auſtriâ: memini & in agris, & ſecundùm vias paſſim naſcens Moguntiaco agro obſervare,cùm Viennam, à Cæſare Maximiliano accerſitus, proficiſcerer: anno autem M.D.LXXIX.in Belgicam negotiorum quorundam causâ ablegatus,in ea Moraviæ, Bohemiæque parte quâ mihi iter faciendum fuit,& Noribergenſi agro etiam conſpiciebam.

Nomina. Rhizotomæ Auſtriacæ,mulierculæ Gelb käſcblumen vocant: Vngari *ökö zöm*: Croatæ (quorum uxores eam ſtirpem tritam utiliter vulneribus imponere aſſeruntur) *kachchi jeſicath*, hoc eſt,ſerpentis herbam appellant.

Buphthalmũ Dodonæi Pſeudoelleborũ Matthioli NEC minus vulgare eſt omnibus apricis collibus, & ſiccioribus utriuſque Pannoniæ & Auſtriæ gramineis campis, Buphthalmum Dodonæi,ſive Pſeudoelleborum Matthioli,folijs ſec-

Buphthal. Dodon. Pſeudoelleb. niger.



Chryſanthemum alpinum I.



lijs fœniculaceis, floreque Anthemidis, majore, auri fulgore ſplendente, cujus radices, integras etiam plantas rhizotomi in foro Viennenſi venales habere ſolebant, & pro nigro Elleboro proponebant magno errore, cùm infra duodecimum, imò etiam ſeptimum ab urbe miliare (ut ſuperiore libro dixi) legitimũ Elleborum nigrum abundè naſcatur, & inde cõmodè minimíſq; ſumtibus inferre potuiſſent. Sed cùm ante meum in eam regionem adventum, illis eſſet ignotum (nam primus, ut ante dictum eſt, illius cognitionem ipſis dedi) nihil mirum ſi receptâ conſuetudine uterẽtur: perpauci enim pharmacopæi hortum alebant, ſed à rhizotomis neceſſarias in quotidianum uſum ſtirpes redimebant. Deinceps tamen, me monitore, legitimo Elleboro nigro in pharmacopæorum officinis uti cœptum eſt.

CHRYSANTHEMVM ALPINVM.
CAP. XXXI.

ALIA porrò Chryſanthemi genera, dum Viennæ vixi, in varijs Auſtriacarum Stiriacarúmque Alpium jugis obſervabam, quibus peculiare caput tribuendum eſſe duxi. *Chryſanthemũ alpinum.*

I. HORVM Primum, multa habet ſecundùm radicem longiuſcula folia, Abſinthio umbellifero, quod infra deſcribetur, ſimilia, craſſa, pollicari lõgitudine, in lacinias aliquot diviſa, viridia (in novellis tamen quædã canicies conſpicitur) amari ſaporis: caules aliquot palmares, rarioribus & tenuibus diſſectis folijs ornatos, ſtriatos, in quibus veluti umbellæ denûm aut duodenûm luteorum florum, Iacobææ vulgaris floribus non multùm abſimilium, & ejuſdem odoris: radix craſſiuſcula eſt, multíſq; candicantibus fibris capillata.

Provenit in Iudenberg, Spital, & alijs quibuſdam Stiriæ jugis, cum Leucanthemo mox deſcribendo: eodem etiam tempore florens. *Natales.*

II. ALTERI numeroſa proximè radicẽ naſcuntur folia, Abrotoni maris folijs reſpondentia, dilutiore viriditate nitentia, & odore, ſi terantur, haud ingrato, ſapore verò amaricãte & minimè grato: ex his caules exeunt pedales, minoribus folijs onuſti, in aliquot interdum ramulos diviſi, qui ſingulos aut geminos ſuſtinẽt flores Chamæmelo vulgari majores, inodoros, omnino flavos, hoc eſt, mediũ orbem luteum cingentibus etiam luteis folijs, ſatis latis: radix fibroſa & nigricans eſt, pluréſque à latere ſpargit ramos.

Invenitur in Etſcher, Snealben, Veytzalben, & celſis alijs Alpium Stiriæ jugis. Floret Auguſto. *Natales.*

III. CVBITALES Tertio ſunt caules, firmi, læves, ex purpurâ virentes, ſuperiore parte in aliquot ramos diviſi: folia longa, tenuiter admodum inciſa, Achilleæ Matthioli, ſive Abrotoni maris foliorum æmula, longiora tamen, craſſiora & viridiora, quę nullum gratum odorem ſpirant, guſtatáque, ingrati ſaporis deprehenduntur & amariuſcula: flores in extremis ramis umbellatim diſpoſiti, lutei, Iacobeæ floribus fermè ſimiles, ſed minores & inodori:

radices

Chryſanthemum alpinum II.

Chryſanthemum alpinum foliis abrotani multifidis Bcb. in 134.



Chryſanthemum ſegetum.

Bellis Lutea foliis profunde incisis major Lutea Bcb. in 264.



radices ſunt fibroſæ candicantes, novóſque caules è lateribus proferunt ſingulis annis, qui ſummâ tellure plerumque fibras agunt.

Natales. Creſcit in Sneberg,& reliquis jugis in quibus Alterum genus invenitur: in hortos tranſlatum feliciter provenit: floretque Iunio,illic autem Auguſto.

Chryſanthemum ſegetū. AD prædictarum autem Alpium radices, in arvis, quemadmodum etiam per univerſæ Auſtriæ, Stiriæ, Vngariæ, Moraviæ, Bohemiæ agros, quâ quidem me iter facere contigit, inter ſegetes nō minus frequens eſt Chryſanthemū illud,Germaniç atque Belgicę vulgare, inter ſegetes naſcens, quod eam ob cauſam Chryſanthemum ſegetum à nonnullis cognominatur, folijs Bellidem majorem quodammodo æmulantibus, ſed mollioribus & dilutius virentibus, flore ſimiliter Bellidis majoris, ſed omnino flavo, cujus iconem hîc adjecimus.

Nomina. NON ineptè ad χρυσανθέμα Chryſanthemi genera referri poſſe has ſtirpes arbitror. Nihil tamen ſtatuo, ſed has, ut & pleraſque alias, rei herbariæ ſtudioſis duntaxat propono, ut eorum exquiram judicium.

CHRYSANTHEMVM CRETICVM. CAP. XXXII.

Chryſanthemi Cretici duo genera. SED & ſemine Cretâ miſſo,nobis nata duo alia elegantia Chryſanthemi genera,à nemine hactenus deſcripta: quæ cùm annua ſint, & deciduo ſemine ſponte renaſcantur, facilè ſuum genus conſervant.

Chryſanth. Cret. I. HABET autem Primum cubitales aut ampliores caules, ſatis craſſos, ſtriatos, intus fungoſos, in multas alas diviſos, & frequentibus folijs brevi petiolo inæqualiter naſcentibus ornatos, quæ in varias & profundas lacinias diviſa, eas denuo valde diſſectas habent: extremis cauli & ramis innaſcuntur ampli flores è ſquamoſo capite prodeuntes, duodenis aut pluribus folijs conſtantes ſatis latis, flavi coloris, & latiuſculum diſcum ambientibus: flori utcumque odorato ſuccedunt capita è multis inæqualibus longiuſculiſque ſeminibus compacta.

Chryſanth. Cret. II. NON minus fruticoſum minúſve altum eſt Alterum genus: minus tamen craſſos habet caules, fungoſos & ſtriatos etiam illos, quos ambiunt folia non adeò diſſecta, ſed in minores lacinias & rarius inciſas diviſa,propius ad Chryſanthemum ſegetum accedentia: ſuſtinent

Chrysanthemum majus folio in majores Lacinias diviso C.B. Pin 134.

Chryſanthemum Creticum.



Leucanthemum alpinum.

Chamæmelum Alpinum C.B: Pin 136.



ſuſtinent extimus caulis & rami ſquamata & quaſi imbricata capita, è quibus naſcuntur flavi flores, totidem quot in primo folijs conſtantes, anguſtioribus tamen & medium orbem aureum cingentibus: quibus etiam ſuccedit ſemen ſimile, ſed aliquantum minus.

HVIC non valde diſſimilis fuiſſe videtur ea planta, cujus iconem ab ipſo adumbratam mihi mittebat honeſtiſſimus vir, idémque diligentiſſimus ſtirpium obſervator, Iacobus Plateau, cum varijs alijs iconibus, quarum potiſſimam partem in hac meâ Stirpium Hiſtoriâ inſerui.

LEVCANTHEMVM ALPINVM.
CAP. XXXIII.

HABENT etiam Alpes ſuas Anthemides: verùm à vulgaribus diverſas, ut ſuperiore capite XXXI. partim demonſtravimus, partim etiam ex hoc capite apparebit.

LEVCANTHEMI porrò Alpini folia, prioris Chryſanthemi alpini, paulo ante deſcripti, folijs non multum diſſimilia ſunt, niſi paulò magis inciſa eſſent, craſſa & ſucculenta (uti ſunt multarum alpinarum ſtirpium folia, quemadmodum & marinarum) amariuſculi ſaporis, & nullius grati odoris: cauliculi dodrantales, infirmi, in quibus ſingulares flores, chamæmelo majores, luteum orbem ambientibus vicenis aut pluribus albis folijs. Latè ſe ſpargit hæc planta Anthemidis modo, & fibroſas radices habet. *Leucanthemum alpinum.*

Creſcit in Iudenberg, Spital, & alijs quibuſdam Provinciæ Stiriæ jugis, ubi Iulio & Auguſto floret. *Natales.*

MVLTVM accedere videtur ad eam plantam, quam peritiſſimus Anguilara deſcribit Leucanthemi Pliniani nomine, undecimâ opinione: licet ille ſuum Leucanthemum odoratum faciat, ego verò in hoc nullum manifeſtum odorem deprehenderim. *Leucanthem. Plinianum Anguillaræ.*

FLOS ADONIS VVLGO.
CAP. XXXIIII.

HVIVS Stirpis non meminiſſem, quandoquidem & Floris Adonidis, & Eranthemi nomine ab alijs eſt deſcripta, niſi viderem illos qui minus ſcrupuloſè obſervarunt, duas plantas, ejuſdem quidem generis, ſed colore floris variantes, in unam contrahere.

NAM quam Belgæ deſcribunt, illa ipſa eſt, quæ in hortis inter coronarias alitur, caulem proferens ſtriatum, in frequentes alas diviſum: folia anthemidis ferè, viridia, hinc inde per ramos nullo ordine ſparſa: flores in extremis ramis, non magnos, octonis aut pluribus folijs conſtantes, ſaturè rubentes & quaſi nigricantes inſtar humani ſanguinis reſiccati, multis nigris ſtaminibus aut villis umbilicum occu- *Flos Adonis 1.*

Flos Adonis vulgo.

Adonis Hortensis flore minore atro rubente C. B. Pin. 178.



Flos Adonis I.

cum occupantibus, qui marceſcere incipiente flore intumeſcit & in caput extuberat oblongiuſculum, collectum ex multis ſeminibus rotundis extremâ parte acuminatis, initio virentibus, deinde, ubi matureſcere incipiunt, ſubfuſcis, & facile à ſummo (primùm) capite defluentibus: radix candicat, & raris fibris donata eſt, nec hiemem ſuperat, ſed deciduo ſemine ſingulis annis renaſcitur. Ipſa verò plāta Maio menſe florere incipiens, ſubinde novos ramos proferendo, in Autumnum uſque flores producere non deſinit.

Hujus iconem Dodonæus & Lobelius in ſuis Plantarum hiſtorijs exhibuerunt, ego etiam eandem hîc ſubjeci. Sed illam nuſquam ſponte naſcentem obſervavi, verùm in hortis duntaxat cultam.

ALTERA verò ſimiles quidem habet caules & folia, ſed dilutius virent, caules etiam rarioribus alis prædìti, folia paulo molliora, nec adeo multifida: flores longioribus folijs conſtant, & coloris ſunt phœnicei, dilutioris etiam quàm ſint Anagallidis flores, villis nigris ſimiliter umbilicum occupantibus, in quo ſtatim, vix etiam aperto flore, caput extuberat, in majorem deinde longitudinem excreſcens quàm ſuperioris, illóq; gracilius, ſemine tamen conſtans adeo ſimili, ut neutrū ab altero diſcerni queat: radix ſuperiori fere ſimilis, quodammodo flaveſcens inſtar radicis fumi terræ, ſed fugacior alterâ, quemadmodum & tota planta.

Parthenium alpinum.

Matricaria Alpina Chamaemeli foliis C. B. Pin. 134.

Natales.

Sponte frequentiſſima naſcitur inter ſegetes, non modò in Galliâ Narbonenſi, ſed etiam per univerſam Hiſpaniam: in Italiâ etiam naſci apparet ex Matthioli Commentarijs, qui ejus quidem iconem exhibet minus ſcitè expreſſam, nullam autem deſcriptionem addit, ſed nudam duntaxat Adonis appellationem. Poſtea non minus frequētem obſervabam inter ſegetes etiam in Auſtriâ & Moraviâ, atque ſæpius Viennâ ſemen ejus ad amicos in Belgicam miſi, quod, an illis ſit natum, me fugit. Superiore item anno qui fuit nonageſimus primus ſupra milleſimum & quingenteſimum, non procul Wormaciâ in agris frumento conſitis, Rheno flumini vicinis, Maio florentem conſpiciebam.



Anemone Mompelliana.

CVM Mompelij viverem, pro Anemone à ſtudioſis habebatur, & hoc etiam nomine, noſter Lobelius in Adverſarijs poſuit.

Parthenium alpinum.

PARTHENIVM ALPINVM.

CAP. XXXV.

MVLTIS ex fibroſa radice, Chamæmeli modo, fruticat ramulis, pedalibus, viridibus, quos ambiunt folia Anthemidi prorſus ſimilia, multiplici inciſione diviſa, Cotulæ, aut Matricariæ fere odore, guſtu calido, attamen non ingrato: extremis cauliculis multi flores inſident umbellatim congeſti, Abſinthij alpini, quod poſtea deſcribemus, floribus proximè accedentes, hoc eſt, exigua capitella ex albo & pallido

pallido commixta, ambientibus ea ſenis aut octonis latiuſculis albis folijs, ejuſdem cum ipſâ herbâ odoris: rami ſive cauliculi humi procumbunt, & ex unâ, uti dixi, radice prodeuntes, ſubinde fibras agunt, & nova germina procreant.

Natales. Invenitur in Sneberg, Snealben, & Durrenſtein jugis, magnâ copiâ: floretque duntaxat Auguſto: nam cùm in acclivitatibus & circa ſcrobes naſcatur, quas diutius inſidere ſolet nix, ſerius illud florere neceſſe eſt.

Nomina. HANC plantam montani venatores *vnſer Frawen ſchwartz rauch* nomine donarunt, ad alterius ſtirpis, de quâ poſtea, differentiam, quam *weiſs rauch* appellant. Ego Parthenium alpinum voco, à Dioſcoridei Parthenij odore, ad cujus etiam deſcriptionem ſatis accedere videtur.

Sæpe illam cicurare volui, tranſlatis è loco natali plantis cum ſuo ceſpite, & in hortum illatis: ſed ultrà alterum annum non permanſit, licet commodo & naturæ ejus apto loco repoſuiſſem, & omni ſolicitudine curaſſem.

PARTHENIVM PLENO FLORE. CAP. XXXVI.

Matricaria flore pleno B. Pin: 134.



Parthenium pleno flore. NIHIL prorſus à vulgari Matricariâ vel formâ, vel magnitudine, differt hoc Parthenium: cubitales enim aut ampliores interdum habet caules, ſtriatos, in multas alas diviſos, folia vulgari perquam ſimilia, & multis lacinijs diviſa, herbacei coloris, validi odoris, & amari ſaporis: extremæ alæ plurimos flores candidos, & multiplici foliorum ſerie conſtantes ferunt, nullo, aut perquam exiguo in meditullio orbe, quemadmodum Chamæmeli pleni flores, quibus ſunt perſimiles, vel etiam pleniores & candidiores: ſemen Parthenij vulgaris, fœcundum, licet aliquoties ſatum mihi non provenerit: ſurculis autem certiore proventu ſeritur, Leucoij pleno flore luteo inſtar.

Natales. Londini in Angliâ primùm mihi conſpecta eſt hæc planta, anno ſalutis humanæ M. D. LXXIX. quam inde Antuerpiam deferebam: ejus verò iconem & ſemina adquirebam Viennæ, munere C. V. Richardi Garth Cancellariæ Londinenſis Primicerij, & viri humaniſſimi, qui me multis beneficijs affecit: deinde lógè frequentiorem obſervabã biennio poſt, cùm Londinum, ſeriorum quorundam negotiorum causâ, redijſſem, toto illo ſemeſtri quo iſtic hæſi.

Tempus. Florere incipit Iunio, & totâ deinde æſtate flores proferre non deſinit, interdum ad ipſam uſque brumam, nonnumquam ſquamata capita in multa viridia foliola tranſeunt, præſertim Autumno, è quorum meditullio emicant nivei flores reliquis majores.

Anglia ſtirpium pl. flo. geſtantium ferax. CETERVM valde ferax eſt Anglia hujuſmodi florum multiplici foliorum ſerie conſtantium, quos an arte & mangonio adquirant, ignoro: nam & Chamæmelum, & Lychnides ſilveſtres, & Primulas veris, & alias pleraſque plantas πολυφύλλῳ flore conſtantes, Belgicam inde primùm accepiſſe conſtat.

TANACETVM INODORVM. CAP. XXXVII.

Tanacet. inodor. 1. GRACILIBVS, firmis, duris, cubitalibus, interdum verò ſeſquicubitalibus aſſurgit hoc Tanacetum caulibus, per quos rara ſparſa ſunt folia pennata, Tanaceto vulgari non admodum diſſimilia, odoris tamen expertia, guſtu linguam vellicante & fervido, circa radicem majora atque hirſuta: caulis ſummo faſtigio in aliquot breves ramulos nudos dividitur, quibus inſident magni flores, Bellidis majoris flori fermè æquales, octodenis aut vicenis folijs albis, nunc longioribus, modò brevioribus, medium orbem flavum, ut in Bellide majore, cingentibus conſtantes, quibus marcidis, ſuccedit in medijs capitibus longiuſculum ſemen nigrum, quod terræ commiſſum plantas ſui generis producit, & alias etiam non diſſimiles, quarum flos eſt minor, ſecundo generi par: radix eſt minimi digiti craſſitudine, obliqua, non in altum demiſſa, nigra & aliquot fibris hirſuta & vivax, quæ etiam pangi poſſit.

f Provenit

Tanacetum inodorum I.

Tanacetum inodorum flore majore C.B.Pin: 132.



Tanacetum inodorum II.

Tanacetum montan: inodor: minore flore. C.B.Pin: 132.



Natales. Provenit ferè in omnibus utriuſque Pannoniæ & Auſtriæ montibus humilioribus, & ſilvis cæduis: ubi floret Maio & Iunio, &, ſi Autumno ſeratur, flores interdum producit ſequente Auguſto.

Tanacet. inodor. II. Exit etiam ijſdem locis aliud genus, floris magnitudine ab hoc diverſum, qui Matricariæ vulgaris, aut Cotulæ fœtidę florem non excedit: folia etiam minus elegantia, pediculo breviore cauli inhærentia, nullo etiam odore niſi herbaceo prædita: nullum ſemen obſervavi: radix alteri ſimilis, obliqua & multis fibris donata.

Nomina. An aliquo nomine vulgari prædita ſit hæc planta, mihi non eſt compertum, Tanacetum autem inodorum nūcupavi, quia cùm nullus manifeſtus odor in illo percipiatur, folia vulgari Tanaceto quodammodo ſimilia habeat. Secundo autem generi ſimilem plantam apud Valentiam Allobrogum obſervaſſe videtur Lobelius.

ABSINTHIVM. CAP. XXXVIII.

Abſinthij varietas. PASSIM naſcitur per Vngariam, Auſtriam, & reliquas vicinas Provincias, Abſinthium illud majus, quod reliquæ, ut opinor, Europæ familiare eſt. Inveniuntur tamen alia quędam ejus genera, nulli adhuc Scriptori, ante meum in Auſtriam adventum cognita, quæ hoc capite deſcribere eſt animus: priùs obiter mentione factâ nonnullorum, quæ vel ſponte iſtic naſcuntur, vel aliundè devecta, in hortis colebantur.

SPONTE autem creſcit non ſolùm multis Pannoniæ, ſed etiã Auſtriæ locis, atque Viennenſi agro, cùm in ſaxoſis, tum aridis & ſalebroſis gramineiſq; deſertis agris, Abſinthium illud tenuifolium Abrotoni ferè folijs, vulgo Romanum vel Ponticum nuncupatū, mira fœcunditate radicibus fibroſis & latè ſerpentibus ſeſe propagans, cujus duo videntur eſſe genera. Vnum enim planè incanum eſt, quo potiſſimum Viennenſes officinæ utuntur, tamquam nobiliore, ita enim ſibi perſuadent. Alterum purpuraſcentes habet cauliculos, folia non adeò incana, ſed interna parte viridiora: id à nonnullis ſuperiori præfertur: exiſtimo tamen natales iſtam varietatem duntaxat parere. Incano congener eſſe videtur, quod Boiſot ex Italia acceptum communicabat anno M D.XC. & valde celebrabat.

Abſinthium Ponticum duor. gener. (margin, beside the paragraph above; "1." and "2." beside the lines beginning "nera." and "quam nobiliore")

Vngari, cùm hoc, tum vulgare majus, communi nomine *Irōm* appellant.


In cultiſſimo ſuo horto alebat C. V. Ioannes Aicholtzius Medicus & Profeſſor Viēnenſis, duo Abſinthij marini genera, ut è diverſis locis advecta, ſic totâ facie inter ſe diſcrepantia.

Abſinth. marin. Patavin. Nam quod Patavio allatum erat, folia habebat molliora, incana, lata, tribus, quatuor, aut

ad ſum-

Abſinthium Ponticum vulgare.

Abſinthium ponticum tenuifolium incanum C.B. Pin: 138.



Abſinthium Auſtriac. tenuifol.

Abſinthium ponticum tenuifolium auſtriacum C.B. Pin: 139.



ad ſummum quinis lacinijs diviſa, interdum etiam nullis, ut Artemiſiam folio Lavendulæ quodammodo referrent (à qua tamen differt) ſatis grati quidem odoris, ſed amari ſaporis.

Ex Miſniâ verò miſſum, multifida habet folia, ſucculenta, non minùs quàm ſuperioris incana, proximè ad Seriphij, in Belgicæ & Angliæ maritimis naſcentis, folia accedētia, gravioris tamen paulò, & validioris, vt mihi videbatur, odoris, Seriphij Narbonenſis & Hiſpanici (quod nuſquam niſi in mediterranei maris littoribus obſervare memini) graveolentiam quodammodo referentis, atque etiam ſaporem. *Abſinth marin. Myſnēſe.*

Accedit aliud pumilum Abſinthij genus, vix palmi altitudinem ſuperans, tenuibus admodum cauliculis, quos circa radicem multa exigua multifida tamen & incana ambiunt foliola non injucūdi odoris. Id in ſummis cauliculis quaterna aut quina fert capitula in pallefcentes floſculos ut ſuperiorum ſeſe explicantia. Noribergæ alebat in fictilibus C.V. Ioachimus Camerarius, ejuſdem urbis primarius medicus. *Abſinth. pumilum Camerarij.*

Ceterum ad ea genera non vulgaria quæ in Auſtriâ & Stiriâ Provincijs naſcuntur, tranſeamus.

Primi caulis pedalem altitudinem plerumque æquat, nonnumquam etiam cubitalem attingit, firmus, caneſcens, multis folijs, marini Belgarum Abſinthij foliorum quodāmodo æmulis, tenuioribus, prorſus incanis, quæ confuſo ordine eū ambiunt, prǽditus, qui ſuperiore parte in multos ramulos, ex tenuiorum adhuc foliorum alis naſcentes, dividitur, plenos floſculorum propendentiū corymbis: radix fibroſa eſt, & ſingulis annis novos frequentioréſque caules producit: tota planta impenſè amara eſt, ſed elegans & rara. *Abſinth. tenuifol. Auſtriacum.*

Creſcit in collibus & apertis quibuſdam locis Viennenſi urbi vicinis, atque à rhizotomis, promiſcuè cum eo, quod vulgo Ponticum appellatur, ad Viennenſium pharmacopolarum officinas adfertur. *Natales.*

Rarvm etiam eſt Alterum Abſinthij genus, nec uſquam niſi in Auſtriæ Stiriæq; celſiſſimis jugis à me obſervatum. Dodrantalibus autem aſſurgit cauliculis, gracilibus, incanis, in quibus rara & exigua ſunt folia, totâ incanâ lanugine, & veluti tomento obſita, circa radicem majora, Bellidis majoris folijs non valde diſſimilia, minora tamen, & magis inciſa, ſatiſque craſſa, eximiæ amaritudinis: ſummis cauliculis octoni aut plures inſident floſculi in umbellam diſtributi, floribus Achilleæ non diſpares, ſed majores, ſeptenis aut octonis candidis foliolis (medium orbem, ex alijs exiguis floſculis luteo ſtilo præditis efformatum) cingentibus, conſtantes: ſemen deinde quale Abſinthij vulgaris, odoratum: radix nigra eſt, aliquot fibris donata, & à lateribus propagines ſpargens. *Abſinth. alpin. umbelliferum.*

Abſinthium alpin. umbelliferum. Latifolium C.B: Pin: 139.

Natales.



Iſtud, ſub finem Iunij anno M.D.LXXIIII. ſuis floribus onuſtum, primùm obſervabam & eruebam, dum ex Hohenbergerin, per ſumma vicinarum Alpium juga, in Snealben tẽderem, medio ferè itinere, in ſcopulis præruptis, & in altiſſima præcipitia (horreſco referens) propendentibus: deinde illo ipſo anno, mẽſe Auguſto, paulò majore copiâ in Etſcherberg & Durrenſtain, cùm florens, tùm ſemine prægnans, quod cum nonnullis plantulis in Belgicâ amicis mittebam, è quibus hæc icon delineata fuit: poſtremò, expreſſâ & evulgatâ meâ Pannonicarum ſtirpium Hiſtoria, unam atque alteram ejus plantam inveniebam in Sneberg præruptis ſcopulis, dum ejus mõtis loca nondũ à me adita perluſtrarem.

MONTANI venatores **vnſer Frawen rauch / & weyſs rauch** appellãt, ad Parthenij alpini differentiam, ut in ejus hiſtoriâ antè diximus. Ego Abſinthij alpini umbelliferi nomen indidi, quia multas habet notas, quæ, ut inter Abſinthij genera referre debeam, me impellunt.

ARTEMISIA TENVIFOLIA.
CAP. XXXIX.


QVASCVMQVE Regiones peragraverim, nulla fuit, in qua Artemiſiam illam vulgarem cùm candidiorem, tum ſubpurpuraſcẽtem & univerſæ, ut puto, Europæ familiarẽ, creſcentem non viderim: verùm & alias quaſdam ſtirpes obſervabam, quas ad ejus genera referri poſſe arbitror.

Artemiſia tenuifolia II.

Abrotanum Latifolium inodorum C.B. Pin: 136.

Artemiſia tenuifol. I.

PEDIS altitudine fruticat, vel etiam amplior eſt, Prima, virgis in multos ramos diviſis, quibus adnata folia Abrotoni maris, ex viridi candicantia, amari ſaporis: flores ex ſummis ramis, Artemiſiæ modo dependent, cujus autem coloris, mihi non cõſtat: radix lignoſa in plures alas finditur. Tota planta odorata eſt.



Artemiſia tenuifol. II.

CRASSA admodum, lignoſa, multifida, & ſatis multis fibris minoribus donatâ radice cõſtat Altera: ex qua plures rami ſpargũtur, humi plerumque fuſi, interdum etiam rectà aſſurgentes, lignoſi, duri, & in his multi ante hiemem nodi naſcentes, è quibus folia emergunt multifida & tenuiter inciſa, Abrotoni maris folijs propè ſimilia, candicantia, ſaporiſq; non admodum ingrati, ſed poſtea ſalivam aliquantulum cientis. Inter hæc, ſubſequentis æſtatis initio, tenues vimineæq; prodeunt virgulæ, purpuraſcẽtes, multis ramulis ejuſdem coloris præditæ, & tenuioribus, jam modò dictis, folijs ſeptæ, qui parvis veluti corymbis propendentibus onuſti ſunt, Abrotoni maris, Artemiſiæve, aut Abſinthij inſtar vireſcentibus, interdum purpuraſcentibus, qui explicati, ex purpurâ candicantem oſtẽdunt floſculum Auguſti initio, nonnumquam etiam Septembri.

Artemiſia tenuifol. III.

TERTIA ſimili pænè modo creſcit, ſed ut plurimum rectioribus eſt virgis, iiſque magnâ ex parte ſingularibus, firmis, lignoſis, purpuraſcentibus, & in ramulos ſimili colore donatos diviſis; folia licet ſuperioribus reſpondeant, minus tamen incana ſunt, ſed potiùs ex viridi atque purpureo nigricant: tenues ramuli, Sextili menſe, ſuis corymbis, purpuraſcentibus ut plurimùm,

rimùm, onuſti conſpiciuntur, perinde ac in ſecundo genere: quo tempore, totus caulis nudus, & ſuis folijs marcidis orbatus conſpicitur.

Priorem duntaxat videbam nonnullis Bæticæ locis, & Granatenſi Murtianóque regnis, locis declivibus, interdum juxta fluenta, nonnumquam ſecundùm vias, ſuperioris anni floſculos è ramulis dependentes retinentem. Secunda & Tertia paſſim naſcuntur ſecundùm ſemitas, aridis ſalebroſiſque locis Vngariæ, Stiriæ, Auſtriæ, Moraviæ, Bohemiæ, etiam ad Viennenſis urbis vallum & foſſas, nonnumquam in vetuſtis muris & ruderibus, præſertim Tertia, quæ etiam nuſquam non occurrit locis aridis & incultis per univerſam Hiſpaniam, Luſitaniam & Galliam. Creſcit & circa Francofurtum, & alijs quibuſdam vicinis locis. *Natales.*

AN commodè ad Ἀρτεμισίαν λεπτόφυλλον, Artemiſiam tenuifoliam Dioſcoridis hæ ſtirpes referri queant, peritioribus diſpiciendum relinquo. Prior quodammodo ad ejus hiſtoriam accommodari poſſet, quia odorata eſt. Aliæ, odore carent, aut, ſi quem habent, is valde tenuis eſt. Tertiæ, etiam ingratus, quemadmodum & ſapor. *Nomina.*

PRIOR Granatenſibus Abrotoni nomine donata erat, nonnulli *Boza* vulgari appellatione nuncupabant. Secundæ nullum vulgare nomen intellexi. Tertiam, Salmanticenſes Ambroſiam vocabant, cum qua tamen nullo modo convenit. Mompeliani Artemiſiam tenuifoliam appellare ſolebant. Vngari *Sepreu fiu*, hoc eſt, ſcoparum herbam vocant, quia vulgo apud illos, ex ejus virgis ſcopæ fiunt, ob quem etiam uſum, nonnulli Auſtriæ incolæ, præſertim apud Neapolim, vulgari ejus Provinciæ ſermone Neuſtadt dictam, Beſem-kraut nominant. *Abrotonum. Ambroſia.*

DIOSCORIDES ſcribit Arthemiſiam tenuifoliam cum amygdalino oleo contuſam, in malagmatis lentorem, & ſtomacho laboranti impoſitam, ſanitati reſtituere, nervorum quoque cruciatibus ſuccum ejus cum roſaceo oleo utiliter illini.

ABROTONVM FEMINA VVLG. CAP. XL.

EIVS ſtirpis quam vulgus Herbariorum Abrotonum feminam appellat, nonnulli Santolinam vocant, duo ſunt genera, pleriſque hortis ſatis communia.

Abrotonum femina vulg. *Abrotanum femina foliis teretibus. C.B. Pin: 136.*



VNVM vulgatius, fruticans, & in plures candidos ramos diviſum, quos ambiunt tenuia folia, ſive potiùs foliorum nervi, in quibus ſecundùm longitudinem naſcuntur quatuor ordines breviſſimorum & minutiſſimorum foliorum, ut tota folia déticulata videantur, incana omnino, amari ſaporis, & gravis cum ſuavitate quadam odoris: ſummo ramulorum faſtigio fert interdũ capitula ſquamata luteos flores continentia: radix craſſa eſt, dura, lignoſa, & ſubinde in brachia fiſſa. *Abrotonum fem. I.*

ALTERIVS rami etiam candicant, minus tamen frequentes ſunt, longiora habent folia, quatuor ſimiliter dentium ordinibus prædita, initio quidem incana, minus tamen quàm in ſuperiore, & quæ tandem omnino vireſcant, odor mitior eſt: ſapore, radice, cum jam deſcripto convenit: Flores non obſervabam. *Abrot. fem. II.*

PRÆTER illa autem, in meis peregrinationibus quatuor alia genera obſervare memini: unum in Narbonenſi Gallia, tria in Hiſpania.

NARBONENSE multum accedebat ad primum genus jam deſcriptum: ſed longè ſtrigoſius erat, & ramos duriores, brevioribus, minuſque frequentibus folijs obſeſſos habebat, colorem etiam inter utrumque medium: flores in extremis ramulis majores & pallidiores in ſquamatis capitellis: radix in duros & lignoſos ramos divaricata erat. *Abrot. fem. III.*

Iſtud genus à me obſervabatur anno M.D.LII. Carcaſſone Mompelium redeunte, cum C.V. Gulielmo Rondeleto, inter Narbonem & oppidulum cui nomen à D. Nazario (quò Rondeletius Narbone diverterat à Nobile quodam viro evocatus) in acclivitate quorundam colliculorum, quà nobis iter faciendum erat ſecundùm fl. Attacis cornu alterum. *Natales.*

Abrotonum femin. Narbonenſ.

Abrotanum femina flore majore, foliis villosis & incanis C.B. Pin: 137.



Abrot. fem. IIII.

TRIA verò genera in Hiſpania naſcentia, tametſi florum formâ cum illis conveniant, diverſa tamen eſſe, ex illorum deſcriptione apparebit.

MVLTIS ab uno ceſpite prodeuntibus ramis conſtat Primum, tenuibus, pedalibus, candicantibus, quos numeroſa ambiunt folia Roriſmarini coronariæ, ſed minora & anguſtiora, quæ novella incana ſunt, & nulla ferè inciſurarum veſtigia apparentia habent: adulta autem, viridiora, longiora, & quaſi minutis inciſuris diſtincta ſunt, multum tamen à Santolinæ creditæ folijs diverſa, amari guſtus, & jucundi odoris: multas è ſingulis ramis producit virgulas palmares, raris folijs ſeptas, atque in ſummo earũ faſtigio capitella floremque luteum Santolinâ multò ampliorem: maturo autem ſemine, marceſcunt hæ virgulæ: radix eſt lignoſa.

Abrot. fem. V.

ALTERVM, flore, folijs, denique totâ facie, Primo ſimile: ſed per omnia minus & gracilius: quod natalibus tribuendũ non eſt, quandoquidem uno, eodémque in loco ſimul naſcentes plantas invenerim, neque etiam ætati, quia utraque ſpecies, ex ſeminibus natali loco ſejunctim collectis & repoſitis, & mecum in Belgicam delatis, mihi nata eſt, magnitudine & exilitate, una ab altera non minus diſcreta, quàm natali ſolo fuerat.

Abrot. fem. VI.

ILLI magnitudine par eſt Tertium, interdum etiam paulò majus: ramuli non ut in altero candicantes, ſed virides: folia etiam viridia, & longiora, tenuioráque, non minùs quidem amara quàm illa, ſed minus jucundi odoris: flos palleſcens, virgæ quæ florem ſuſtinebant tenues, maturo ſemine etiam areſcebãt, ut in ſuperiore: cujus radici hujus radix etiam reſpondet, ſed magis fibroſa eſt.

Natales. Naſcuntur Salmanticenſi agro, montibus Segobiæ vicinis, quos *el Puerto de Guadarama* vocant, & veterem Caſtellam à nova ſeparant, alijſque aſperis & ſalebroſis Hiſpaniæ locis. Florent Maio & Iunio: ſemen maturum Iulio. Omnes autem hæ plantæ perpetuo ſunt folio: VI. genus etiam nunc in horto alo.

Nomina. DVO illa prima genera quidam Chamæcypariſſum Plinij eſſe cenſent, potiùs à formâ & vulgari Belgicâ appellatione (Cypres enim illis dicta) ut exiſtimo, quàm aliam ob cauſam: nam cùm Plinius nullam ejus hiſtoriam deſcribat, ſed paucas ejus facultates duntaxat enumeret, certi quidpiam ſtatui vix poteſt. Legitimum etiam Abrotonum femina eſſe nequit, cui folia tenuiter inciſa, Seriphij modo, tribuit Dioſcorides. Salmanticenſes quidem hiſpanica genera Abrotonum feminam appellant: ſed vernaculâ linguâ, totâ Caſtella vetere,

Tomillo perruno. *Tomillo perruno*, hoc eſt, Thymum caninum, dicitur.

Facultates. EARVM decoctum iſtic aiebant utiliter propinari ad ſcabiem profligandam: quod ſi ita eſt, proculdubio habenda eſt ratio naturæ illorum, quibus datur.

MATTHIOLVS ſcribit iſtius folia ſicca, & in pulverem trita, dari perquam utiliter ex aqua parthenij, ſemidrachmæ pondere, ad ſiſtẽda alba feminarum profluvia, ſi continuis decem diebus aut pluribus ſumantur à jejunis: & deinde interpolatis diebus.

PLINIVS Chamæcypariſſum herbam ex vino potam, contra venena ſerpentium omnium, ſcorpionúmque pollêre teſtis eſt.

SALVIÆ GENERA. CAP. XLI.

QVVM ab omnibus, qui de Plantis ſcripſerũt, Salviæ hiſtoria ſit tradita, ſupervacaneum cenſebam de illa ſcribere: tametſi multa ejus genera in meis peregrinationibus obſervaverim, latifolium videlicet & anguſtifoliũ, quod ſponte in Hiſpanijs ubertim creſcit, & nunc in omnium hortis colitur cum latifolia Salvia folio viridi eoq; criſpo vel non criſpo, purpuraſcente, verſicolore, & eo latifolio, quod in Auſtria primum obſervabã candidis floribus, cujus ſemen iſtinc in Belgium amicis mittebam: è quo natæ plantæ.

Chamæcypariſſus Plinij. SED quia duo genera diverſa ſemine è Creta miſſo, nobis & amicis ſunt nata, de ijs ut agerem, operæpretium eſſe exiſtimavi.

PRIOR

Salvia Cretica pomifera. Salvia Cretica non pomifera.

Salvia Baccifera B.Pin: 237.





Salvia Cretica anguſtifolia. Salvia anguſtifolia Serrata B.Pin: 237.



PRIOR Salvia, quę latifolia & pomifera, nata eſt ſemine è Creta miſſo à C. V. Honorio Bello Medico. Fruticat ea alterius Salviæ modo in multos ramos ſparſa, quadrãgulos initio & denſa lanugine obſitos, qui deinde in ligneam ſubſtantiam tranſeuntes, iſtam quadraturã amittunt, teneriores autẽ rami retinent, denſioreq; lanugine ſunt obſiti: folia ex adverſo, alternis naſcuntur, ſemper bina, infernâ parte valde lanuginoſa, alterâ, virẽtia, & veluti attrita, Salviæ latifoliæ foliorũ inſtar, appendices utrimque ſecundùm pediculum habentia, & veluti aurita, nonnũquam etiam appendicibus carentia nec tam ampla ut in latifolia vulgari, nec etiã adeò anguſta, ut in vulgari minore, quæ aurita habet folia: extremos ramos ambiũt verticillatim ſeni & plures caliculi, in quibus flores, vulgaris floribus formâ quidẽ ſimiles, ſed coloris ex albo purpuraſcentis: quibus cadentibus, ſemina naſcuntur in caliculis terna aut quaterna, craſſiora quàm in reliquis Salviæ generibus, & illos ita replẽtia, ut quaſi baccę appareant. Totius plãtæ odor paulò vehementior quàm alterius Salviæ. *Salvia Cret. pomifera hiſtoria.*

In Cretâ baccas, ſeu poma (quę dũtaxat quædam excreſcentiæ ſunt) fert uncialis interdum magnitudinis, multâ lanugine obſita, orbicularia, qualia ex Ægypto olim accipere memini, & ab Honorio Bello è Creta accepta, in propoſitâ tabellâ exprimi curabam. Sed in hac provinciâ, utpote nimis frigidâ, nulla adhuc tulit.

ALTERAM, quæ & Anguſtifolia, naſcentem non conſpexi, ſed ejus iconem vivis coloribus depictam ad me miſit diligentiſſimus, & in Plantarum cognitione egregiè verſatus,

Iacobus

Iacobus Plateau, cujus frequens in hac meâ Plantarum Hiſtoria mentio. Nata autem illi erat ſemine è Creta inſulâ accepto.

Salvia Cret. Anguſtifolia. MVLTOS porrò ſtatim à radice profert ramulos, lignoſos, ex fuſco ſubrubentes, quos alternis bina ſemper ex adverſo ambiunt folia, longè anguſtiora, quàm in ullo Salviæ genere, in ambitu nõnihil interdum crenata, ſeu criſpa, è quorum ſinu alij puſilli ramuli prodeunt: medius caulis in ſpicam purpureorum florum deſinit, nullis intermixtis foliolis: radix dura, lignoſa, in ramos divaricata. Quo tempore floruerit, & an ſemen tulerit, nihil mihi ab eo ſignificatum: ſed ramis, aliorum Salviæ generum inſtar, illam pangi poſſe, veriſimile eſt.

STOECHAS. CAP. XLII.

Stoechas cauliculis non foliatis B. Cin. Lib.

Stœchas longioribus ligulis.



Stoechas purpurea B. Cin. Lib.

Stœchas brevioribus ligulis.



Stœchas vulgatior. BREVEM ſtipitem habet Stœchas, ramos autem interdum cubitales, fruticoſos, duros, lignoſos, ſemper ex adverſo naſcentes, quos ſtipant numeroſa folia, ſibi invicem etiam ſemper oppoſita, incana, Lavendulæ inſtar, ſed anguſtiora & minora, amara & calida: extremi rami in quadrangulas virgulas deſinunt, nudas, quæ capitula ſuſtinent longa & anguſta, nonnumquam breviora & craſſiora, multis veluti ſquamis compacta, è quibus minuti prominent flores, Lavendulæ ferè, ſaturatioris tamen coloris: ſummis capitellis eminent veluti membranaceæ quædam ligulæ, cœruleo aut purpureo colore præditæ, admodum longæ interdũ, ſæpiſſimè breviores, præſertim in Hiſpanijs: ſemen in capitellis latet per maturitatem læve, exiguum, fuſcum, quale ferè Lavendulæ: radix lignoſa & multifida.

Stœchas criſpo folio. GENVS Alterum Stœchadis valde rarum mihi obſervatum, ejuſdem cum ſuperiore altitudinis, lignoſis, fragilibus tenuibus, quadrangulis ramis: folijs etiã oblongis, anguſtis, omnino ſerratis & criſpis, parte ſupernâ virentibus, infernâ cãdidis, calidi & amari guſtus: ejus extremi quoque ramuli deſinunt in dodrantales virgulas, nudas, quadrãgulas, incanas, quæ ſpicam ſuſtinent Stœchade longiorem & rariorem, ad Lavendulæ minoris ſpicam prope accedentem, è multis ſimiliter veluti membranaceis ſquamis congeſtam, cum eminẽtibus in ſummo quibuſdam latiuſculis foliolis è purpurâ cæruleis, uti in ſuperiore: flores ex ſingularum ſquamularum ſinu copioſi, purpurei ut in præcedente: ſemen etiam ſimile, quemadmodum & radix.

Natales. Creſcit Stœchas plurimis Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Galliæ Narbonenſis locis. Floret iſtic Aprili & Maio, nonnumquam etiam Autumno.

Secundum verò genus non niſi in ſummâ Calpe ſponte naſcẽs, & ſuis floribus onuſtum Februario menſe inveniebam cũ plurimis elegãtibus plantis, tribus antè menſibus primùm mihi

Stœchas criſpo folio. Stœchas folio ſerrato B.B.in: Vib.



Lavendula multifido folio.
Lavendula folio diſſecto B.B.in: Vib



mihi conſpectum Scintræ in Regię arcis hortulo, quatuor ſupra Vlyſſiponem leucis, floribus & ſemine plenum.

Στίχας καὶ στοίχας Gręcis dicitur, Latinis Stœchas, Hiſpanis *Cantueſſo*, Salmanticenſibus autem qui ſunt in meditullio ferè Hiſpaniæ, apud quos abundantiſſimè naſcitur locis incultis, peculiariter *Tomillo*. *Nomina.*

Secundo generi, ſerrati vel criſpi folij cognomen addi poterit ad alterius differentiam, Luſitani *alichrín francés*, id eſt, Roſmarinum Gallicum vocabant: nam pleraque peregrina Francici vocabulo deſignare ſolent, non ſecus ac Germani ſuo Welſcher.

HVIVS facultates non intellexi: verùm cum ejuſdem cum priore ſit temperamenti, ſimiles etiam vires obtinere, veriſimile eſt.

ILLIVS porrò decoctum, hyſſopi modo, ad pectoris vitia efficax eſſe Dioſcorides teſtatur, antidotis miſceri, viſcera omnia ab obſtructionibus & farctu liberare. Addunt recētiores, ejus flores adverſus capitis dolores, & omnes ex frigidâ cauſâ morbos, valde utiles eſſe. *Facultates.*

LAVENDVLA MVLTIFIDO FOLIO.
CAP. XLIII.

PRÆTER Lavēdulas vulgares, quarum una breviore eſt folio & ſpicâ: altera verò lōgiora habet folia, longioremq́; & inflexam ſpicam, florem nunc cæruleum ſive purpureum ferentem, modò etiam albū. Invenitur aliud genus rarum admodum, & à nemine ante deſcriptum.

CVBITALI interdum altitudine id aſſurgit, quadrangulis & hirſutis ramulis, quos multifida tenuitérque inciſa ambiunt folia, lanuginoſa, cinereíque coloris, acris guſtus, & jucundi odoris: flores in ſummis virgulis quadrangulis, nudis & lanuginoſis, ſpicæ inſtar, ut in Lavēdulâ, congeſti, cæruleo colore prædití, odorati: ſpica autem aliquantulum contorta eſt, & in quatuor veluti verſus aut ordines digeſta, alia interdum ex alia naſcens: radicem habet duram, lignoſam, & multis ramulis donatam, quam vivacem eſſe, facilè mihi perſuaſerim. *Lavendula multifido folio.*

Naſcitur circa Malacam Bœticæ urbem, ubi illam primū inveniebam, colle quodam illi urbi vicino, Februario menſe florentē, deinde circa Murciam Martio menſe, nec uſquam alibi. *Natales.*

NEQVE hujus facultates ſunt mihi compertæ. Cùm verò ejus odor multò mitior ſit, & minus caput feriens Lavendulâ, præſertim eâ cui brevior ſpica eſt: credibile eſt, ejus potentiam & vires, eodem caloris gradu, quo illa eſt, non conſiſtere.

VERONICA ERECTIOR.
CAP. XLIIII.

IN ſpicam congeſti ſunt etiam ejus ſtirpis quam vulgus Herbariorum Veronicam rectam appellat, flores: cujus aliquot genera in Noricis, Stiriæ, Auſtriæq́; jugis obſervabam, ab alijs (quod ſciam) nondum deſcripta.

Veronica I. erectior latifol. — Veronica spicata Latifolia B: Pin: 246.



Veronica II. erectior anguſtifol. — Veronica ſpicata angustifolia. B: Pin: 246.



Veronica erectior latifol. & major.

CVBITALES profert caules Primum, interdum etiam ampliores, non valde ramoſos, certè quàm rariſſimis alis, ſed multis nodis, prȩditos, folia contrarijs inter ſe petiolis ad ſingulos nodos naſcentia, duas aut tres uncias longa, unam lata, craſſa, ex atro viridia ſplendētiaque, raris & vix conſpicuis crenis ſerrata, guſtus admodum adſtringentis & exſiccantis, deinde acris: ſummo caule ſpicatim creſcunt multi conferti floſculi, Veronicæ rectæ dictæ floribus forma ſimiles, ſed colore paulò dilutiores, ab infimâ parte ſpicarum explicare ſe incipientes, quemadmodum Teucrij flores, & alij plerique qui ſpicæ in modum cōgeſti naſcuntur: ſemen in planis vaſculis continet, exile, fuſcum: radix craſſa eſt, multíſque fibris donata, ſingulis annis novos ex lateribus caules producens.

2 Eſt alia hujus ſpecies cubitalem altitudinem non excedens, multíſque in ſummo caule ramis prȩdita, cujus folia ſuperioribus non minùs ampla & craſſa ſunt, ſed neque ſplendent, neque adeò atra ſunt.

3. Conſpicitur & tertia ſpecies, ſecundȩ nō valde diſſimilis, cujus folia evidentioribus crenis ſerrata ſunt, ramulíque oblongiore florum ſpica prædita, in reliquis conveniunt: utrique ſapor idem qui in priore.

Veronica erectior anguſtifolia.

FIBROSA etiam eſt Alterius radix, lateribúſque ſe propagat, novos ſingulis annis ſtolones promens cubito non minores, rectos, virides, veluti nodis aut geniculis diſtinctos: folia in ſingulis nodis bina ex adverſo naſcentia, oblonga, ejus Lyſimachiæ quæ cæruleum fert florem pænè ſimilia, ſed craſſiora, & in ambitu minus ſerrata, guſtu primùm adſtringente & ingrato, poſtea acriuſculo: ſummi rami in ſpicas deſinunt cæruleorum floſculorum ſimul congeſtorum, quatuor foliolis conſtantium, in quorum umbilico duo ſtaminula cum exiguo ſtilo: ſemen in bifidis vaſculis, planis quidem, ſed aliquantulum tumentibus & pulvinatis exile admodum, & rufum.

2. Habet etiam ſecundum hoc genus alteram ſpeciem, cui media ſunt inter utrūque genus folia, hoc eſt, iſto paulò latiora, illo tamē anguſtiora, caules minus ramoſi, dilutiorq; florum ſpica: ſapor quidē adſtringit & exſiccat, ſed non adeò vehementer ut in primâ ſpecie.

Natales.

Invenitur utrumque genus cum ſuis ſpeciebus, in multis Pannoniæ ſilvoſis montibus, gaudétque umbra: Stiriacarum verò, & Auſtriacarū Alpium radices, omnes ſpecies alunt. Florent Iulio, aliquando etiam Iunio, in hortis præſertim: ſemen Auguſto & Septembri maturum eſt.

Veronica fruticans.

PEDALIBVS eſt ſurculis Tertium genus, duris, lignoſis, lentis & flexibilibus, humi ſparſis & diffuſis, ac veluti cinctis frequentibus nodis, unde ex adverſo ſemper utrinque ramuli

enaſcuntur

Veronica III. fruticans.

Veronica alpina frutescens B: Pin: 247.



Veronica recta vulgaris major.

Veronica ~~[illegible]~~ B: Pin: 246. ſpicata anguſtifolia.



Veronica recta minima. Veronica ſpicata minor B: Pin: 247.



enaſcuntur vireſcentes, in quibus bina inter ſe oppoſita foliola, viridia, craſſiuſcula, ſplendentia, lõgiuſcula, & minutilis crenis ſerrata, amari ſaporis: extremis ramulis ſeni aut octoni inſident floſculi, ex alarum ſinu prodeuntes, quatuor, ut plurimùm, interdum quinque foliolis conſtantes, cærulei coloris elegantiſſimi, pallente umbilico, & rubro circulo eum ambiente, unde duo ſtaminula prominent, & ex medio veluti umbone ſtilus muſcæ proboſcidi ferè ſimilis, ſemen in latioribus majoribúſq; vulgari veronicâ vaſculis, & compreſſis, exiguum, planum, fulveſcens: radix lignoſa, & multas fibras ſpargens: quin & ipſi ſurculi proximè radicem, atque etiam longius à radice (ſi paululum terrâ operiantur) ad ſingulos nodos fibras & radices agunt.

Provenit hoc in Sneberg & alpeſtribus Stiriæ jugis, ubi Iunio floret: at in hortis etiam Maio, ſemen Iunio ad maturitatem perducit. *Natales.*

NON dubium eſt, quin priora duo genera, ad Veronicæ vulgo vocatæ, præſertim quæ recta cognominatur, ſint referenda. Tertium, ſi quis inter Teucria potiùs recenſere malit, non magnopere refragabor. Nullum verò vulgare nomen hactenus intelligere potui.

CETERVM Veronicæ vulgaris cùm rectæ, tùm ſupinæ, maxima in Pannonijs, Stiriâ, Auſtriâ infra Aniſum, & Moraviâ, eſt copia: nec ullæ ſunt cæduæ ſilvæ, nulli aridiores colliculi & aggeres, qui alterutrum non alant. *Veronica vulgaris.*

Illius verò, quæ recta cognominatur, duæ ſpecies inter ſe diſcretæ inveniuntur. Nam *Veron. vulg. recta.*

altera

altera major eſt,latioráque habet folia,& longiorem florum ſpicam: altera minor,gracilio-rem brevioremque caulem, anguſtiora folia, minoremque ſpicam. Vtriuſque iconem etiam hîc ſubjecimus.

Veronicæ autem ſpecies C.V.Fab.Col.ad Alyſſum Dioſc. referendas putat.

TEVCRIVM. CAP. XLV.

Teucrij varia genera. ALIQVOT ſtirpes varijs in Provincijs obſervabam,quæ, meâ opinione, plurimùm ad Teucrij hiſtoriam accedunt: quas quia à nemine deſcriptas videbam, operæpretium me facturum arbitratus ſum,ſi earum deſcriptionem meis obſervationibus infererem, initium faciens à raro quodam genere quod in Hiſpanijs mihi occurrit.

Teucrium vulgare fruticans,ſive I.

Teucrium B.Pin: 247.



Teucrium fruticans Bæticum,ſive III.

Teucrium peregrinum folio ſinuoſo. C.B.Pin: 247.



Teucrium vulgare. Teucrium autem appello vulgo receptâ opinione,plantam illam fruticantem fragilibus ramis,quadrangulis,quæ folia fert ſecundùm nodos bina ſemper inter ſe oppoſita,latiuſcula,craſſa,in ambitu Chamædryos inſtar inciſa & quodammodo ſinuoſa, ſupernè viridia & ſplendentia,infernè caneſcentia, jucundi (ſi terantur) odoris: flores in ſummis ramis ſpicæ ferè modo digeſtos, majuſculos, hiantes inſtar florum Chamædryos repentis, nullâ tamen galeâ tectos,coloris ex albo palleſcentis:tametſi poſtremò deſcriptæ in hoc capite, propius forſitan ad Dioſcorideam Teucrij hiſtoriam accedant.

Teucrium Creticum. HVIC non valde diſſimile eſt Alterum genus, ſemine natum, & duntaxat mihi obſervatum anno M.D.XCIIII.nam perinde ut illud in fruticem aſſurgit, ramis tamen tenuioribus & incanis, quos ambiunt per intervalla bina ſemper folia contrario ſitu naſcentia, Teucrij quidem vulgaris folijs formâ ſimilia, ſed infernè magis incana, ſupernè minus virentia & ſplendentia,atque etiam minora: flores ex ſingulis foliorum ſinubus prodeunt utriculis incluſi quaterni aut ſeni,floribus Teucrij vulgaris formâ non diſpares, niſi paulò minores eſſent,& colore purpureo:ſemen nigrum rotundum. Tota planta odorata eſt.

Mittebatur ſemen Creta Chamædryos majoris appellatione.

Teucriū Bæticū,ſive III. ILLIS autem prioribus duabus ſtirpibus,valde affinis eſt frutex ille,quem in Bætica obſervabam,proinde à me Teucrium Bæticum appellatus,qui licet humanâ interdum altitudine aſſurgat,plerûque tamen humilior eſt, unico ſtolone minimi digiti craſſitudine, candicante cortice obducto,& in aliquot ramos diviſo,qui tali ſerie digeſti ſunt, ut bini perpetuo ſint invicem oppoſiti, quemadmodum in ſuperiore, incani: folia præcedentis fermè, majora paullò, in ambitu nonnihil ſinuata (quod pictor non expreſſit) externâ parte omnino

omnino incana, internâ verò ex atro virentia, non tamen ſplendentia ut in prmo genere, guſtu perquam amaro: flos candidus eſt, labris infernè prominentibus, nulla galea ſuperius imminente, aliquot oblongis ſtaminibus ſive villis ex medio flore exilientibus. Perpetuo viret, non ſecus ac vulgare Teucrium.

Montibus circa Calpen, ad Herculeum fretum, & Bæticæ maritimis, in ſepibus & inter alios frutices inveniebam: tum etiam Gadibus, eâ parte quâ continenti recens conjuncta tum erat inſula ponte admirabili, vulgo *Puente de Cuaço* dicto, ſed humiliorem, quàm commemoratis locis. Florebat Februario. *Natales.*

Teucrium IIII.

Chamædrys ſpuria major altera ſive fruticoſa C.B. Pin: 248.



Teucrij IIII. tertia ſpecies.

Chamædrys ſpuria major anguſtifolia C.B. Pin 249.



CVBITALES atque etiam ampliores habet Quartum caules, admodum frequentes ex unâ radice prodeuntes, quadrangulos, ſubhirſutos, nodis diſtinctos: folia Chamædryi ferè paria, aut illius folijs quæ à nonnullis Sacra herba exiſtimata eſt (de qua ad ſequentis capitis calcem) ſimilima, bina ſemper inter ſe oppoſita, per ambitū ſerrata, amari ſaporis: ſummi caules in aliquot ramos dividuntur, geſtantes oblongam ſpicam florum cæruleorum quatuor folijs conſtantium, quorum, quod ſuperiorem partem obtinet, latiuſculum ſemper eſt, venisque diſtinctum, duobus intus ſtaminulis & ſtilo, qui marceſcentes integri defluunt: capitella deinde bifida, plana, ut in Veronicę generibus, exiguo ſemine plena: radix fibroſa admodum eſt, & vivax, quotannis novos caules producens, qui infimâ parte ſecundùm matrem fibras etiam agunt, & ſeſe propagant. *Teucrium IIII.*

Creſcit in omnibus collibus & montibus Pannoniæ, ejus etiam quæ ultra Dravum eſt, Auſtriæ, Moraviæ pleriſque & Bohemiæ, petroſis (herboſis tamen) locis, & inter frutices. *Natales.*

Illius genus invenitur inter vepres, non minoris longitudinis virgas ferens, tenuiores tamen humique diffuſas, adeò frequentes, ut magnos ceſpites interdum latè tegant, minoribus folijs & dilutiore flore. *Teucrij IIII. ſpecies 2.*

Tertium præterea in herboſis collium jugis paulò humilius, anguſtioribúſque folijs, in ceteris alioqui cum illis conveniens. Florent tres hæ ſpecies Maio: Prior & Secunda etiam Iunio & Iulio. *Teucrij IIII. ſpecies 3.*

MVLTAS ſtatim à radice fundit Quintum virgulas, dodrantales, purpuraſcentes, humi procumbentes, quas alternatim bina ſemper ex adverſo ſita, amplectuntur folia, Chamædryos folijs forma & colore ſimilia, & eodem modo per oras ſerrata, minora tamen, guſtu linguam exſiccante, deinde amariuſculo: ſummæ virgulæ in ramulos diviſæ, nu- *Teucrium V.*

Teucrium v.

Chamædrys ſpuria minor Latifolia C.B.pin.249



meroſos floſculos in ſpicæ formam naſcentes geſtant, quatuor foliolis conſtantes, eo, quod ſuperiorem floris partem occupat, reliquis majore & latiore, cui circa umbilicum duo ſtaminula inhærent, ſtilúſque è medio umbilico protuberat, integri deinde floſculi, qui ſunt aut cærulei coloris ſaturatiſſimi & elegantiſſimi, aut dilutioris & quaſi cineracei, ſponte decidentes, quemadmodum in Tertio, ſiliquulas relinquunt planas, exili ſubruffo ſemine plenas: radix etiam valde fibroſa & vivax, ſingulis annis, ut Quarta, novas virgulas producens: quin & ipſæ virgulæ nonnumquam ſecundum radicem fibras agunt.

Natales. Naſcitur omnibus fere ſiccioribus agris incultis, herboſiſque aggeribus & colliculis, ſecundum vias publicas inferioris Auſtriæ, preſertim Vienneñſi agro, & apud Neapolim vicinam urbem loci naturâ munitiſſimam. Floret Maio.

Teucr. v. candicante flore. Vnicam hujus generis inveniebam plantam anno M. D. LXXIX. ad radices Montis pago Glaſenfeld imminentis, ſecundo à Neapoli jam memoratâ miliari, quæ florem ex carneo candicantem haberet, circa umbilicum carnei coloris venis diſtinctum, & ejuſdem coloris ſtamina & ſtilum.

Teucriũ VI. pumilum. AT in ſummo Etſcheri jugo, nec uſquam alibi, Sextum quoddam genus obſervabam pumilum admodum, ſemipalmaribus virgulis quadam lanugine pubeſcentibus, quas bina, ſemper inter ſe oppoſita, veſtiunt folia minoris Chamædryos folijs ſatis reſpondentia, inter quæ ſummis virgulis oblongiuſculi naſcuntur è barbatis caliculis flores, à ſuperiorum formâ diverſi, concavi enim ſunt, extremis oris laciniati, latiores, cærulei tamen etiam coloris; è quibus duo ſtaminula cum longo ſtilo exeunt: defluentibus integris floſculis, ſuccedunt craſſiores & majores ſiliquæ, exiguo ſemine plenæ: radix etiam per ſumma ſerpit, tenuibúſque fibris prædita eſt.

Teucrium minimum. Hujus generis & aliam plantulam poſtea inveniebam in ſummo Sneberg jugo, quæ inſtar minoris illius Gentianæ vernæ elegantis, ex eodem radicularum capite, breves ramuſculos in ambitu fundit humi recumbentes, & ſuſtinentes quaterna aut ſena foliola, alternis quidem ſibi oppoſita, ſed adeo arctè congeſta, ut eodem exortu naſci videantur, quorum forma ſuperioris folijs valde reſpondet, ſed longè minora ſunt: inter hæc cauliculus exilit uncialis, nudus, gracilis admodum, ſummo faſtigio binos, inter duo minima foliola, prodeuntes flores ſuſtinens, ſatis amplos, Quinti generis floribus formâ ſimiles, cinerei coloris, qui etiam integri defluunt, ijſque ſuccedunt majuſcula quàm in illo loculamenta.

Tempus. Florent ambo Iulij initio, prioris ſemen maturum Auguſto, quo menſe etiam alterius matureſcere veriſimile eſt: ego plantulam florentem & loculamenta adhuc inania habentem legebam.

Nomina. ΤΕΥΚΡΙΟΝ Græcis, Teucrium Latinis dicuntur hæ plantæ, aut eo nomine donari poſſunt, præſertim quartum genus cum ſuis ſpeciebus, & quintũ. Nam Dioſcorides Teucrium herbam eſſe ait, virgæ referentem effigiem Triſſaginis ſimilitudine, quam & Chamædryn à nonnullis appellari ſcribit: cui etiam Plinius ſuffragatur. Dodonæus 1. Chamædryn aſſurgentem vocavit. Nullum autem vulgare nomen iſtarum ſtirpium intelligere potui.

Diſpiciendum verò an Tertium genus ad Pæderota herbam, cujus Pauſanias in Corinthiacis meminit, referri poſſit. Nam iſtic, Pęderotis folium minus quàm Eſculi, φηγου, majus quàm Ilicis eſſe refert, figuram illi ineſſe querni folij, atque alterâ parte nigricans, alterâ album, cujus color folijs Populi rectè comparari poſſit: certè noſtræ ſtirpis folium averſâ parte incanum, populi albæ folij alteram partem candore valde imitatur. Nihil ſtatuo, ſed preſſius iſta conſiderandi anſam ſtudioſis duntaxat præbeo.

Facultates. TEVCRIO porrò, Dioſcorides has facultates tribuit. Recens cum poſcâ, aut aridi ferveſacti jus, potu lienem potenter abſumit: lienoſis cum aceto & ficis illinitur, item ſerpentium morſibus ex aceto ſolo, ſine ficis.

CHAMÆ-

CHAMÆDRYS. CAP. XLVI.

AFFINES ſunt Teucrium & Chamædrys, atque adeò affines, ut Veteres, Teucrium etiam Chamædryn, contrà, Chamædryn Teucrium appellarint, propter eam quæ inter utramque eſt ſimilitudinem: ſed nec facultates diſſimiles. *Teucrij & Chamædryos affinitas.*

CHAMÆDRYS autem, de qua nobis nunc ſermo, quæque ferè omnibus nota jam eſt plurimis regionibus eſt familiaris: frequentiſſima etiam in Vngariâ, Stiriâ, Auſtriâ, viciniſque Provincijs: nulli enim agrorum paulò editiore loco ſitorum, nulli vinetorũ ſunt margines, qui eâ non abundent: ſed & interdum, ſecundùm publicas vias, gramineis locis naſcitur. Duorum porrò eſt generum. *Chamædrys vulgaris duorum generum.*

Chamædrys vulgaris, ſive II.

Chamædrys minor repens C.B. Pin: 248.



Chamædrys III. ſive montana.

Chamædrys alpina Ciſti flore C.B. Pin 248.



VNA, vegetior & uberior, longioribus, craſſioribúſque virgis, amplioribus & ſucculentioribus folijs, longiore florum comâ, majoribúſque & dilutius purpuraſcentibus floribus. *Major.*

ALTERA, minor, gracilioribus virgis, minoribus folijs, breviore florum comâ, & minoribus ſaturatiúſque rubentibus floribus: vulgatior etiam, ex quâ videlicet in pleriſque Angliæ locis, arearum in hortis ſpatia clauduntur. *Minor.*

Iſtam candido flore variantem, apud Monaſterium Holtzkirche, infra Wirtzburgum, dum Noribergâ Francofurtum anno M. D. LXXIX. proficiſcerer, menſe Iulio obſervatam eruebam. *Chamædrys minor albo flore.*

Omnium autem radix latè ſerpit, lanugine pubeſcunt virgæ, quæ humi diffuſæ, fibras plerumque agunt, & ſerrata ſunt folia.

CETERVM elegans aliud genus invenitur, quod dodrantalibus interdum ſerpit ramulis, colore ex fuſco rubente præditis, duris, lignoſis, folijs nullâ ſerie eos ambientibus, Chamædryos legitimæ folia referentibus, ſed paulò minoribus, & ſubtus incanis, guſtu admodum adſtringente & exſiccante: flores illi in oblongis pediculis hirſutis ſingulares, albi, ſex, ut plurimùm, interdum etiam octonis aut denis (adeò pro loci natalis ubertate aliquando luxuriat) folijs conſtantes, Ciſti feminæ floris pænè magnitudine, multis ſtaminibus in medio præditi, inodori: quibus decidentibus, villoſum ſuccedit ſemen, quale ferè Caryophyllatæ alpinæ aureo flore, libro V. deſcribendæ: radix eſt dura, lignoſa, in diverſa tendens, & quibuſdam nigricantibus fibris ſtipata: quin & interdum, humi procũbentes & ſparſi rami, *Chamædrys alpina.*

Chamædrys quorundam ſilveſtris. Chamædrys spuria minor rotundifolia. Bauh. pin: 249.



fibras agunt, ut integri nonnumquam ceſpites eâ tecti conſpiciantur.

Natales. Frequens eſt in ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis: floret Iunio, nempe ſolutis iſtic nivibus, ſemen ad maturitatem pervenit Auguſto, deinde pediculi omnino exareſcunt. In hortos tranſlata (ubi, umbroſo loco tenuíque ſolo repoſita, aliquamdiu perſiſtit) maturius floret.

Nomina. GRÆCIS porrò priora duo genera χαμαίδρυς, ἢ χαμαίδρωψ, ἢ λινόδρυς, quibuſdam etiam τεύκριον: Latinis Trixago aut Triſſago dicuntur: Italis, *Querciuola*; Gallis, *Germandree* & *Cheſnette*: Germanis, Bathengel: Hiſpanis, *Camedreos*. Herba cervi. Tertiam Geſnerus libello de raris & admirandis herbis, in deſcriptione Montis fracti, Herbam cervi ex quorũdam ſententiâ, ni fallor, appellat: & Ioſias Simlerus Commentario de Alpibus, Hirtzwurtz & Chamædrin alpinam.

Leucas montana. AN verò ad Leucadem, quam Dioſcorides Chamædryi ſubjungit, & ejus duo genera facit, unam ὀρεινὴν, alteram ἥμερον, hæc referri poſſit, in tantâ brevitate certi aliquid ſtatuere difficile eſt. Verum quidem eſt Leucadis montanæ facultates, nonnullis earum reſpondere, quas Chamædrys obtinet: nam has illi tribuit Dioſcorides. Facultates. Recentem in aqua decoctam, potu tuſſibus, indurato lieni, urinæ difficultati, incipientibus hydropicis, auxiliari; menſes ciere, partus extrahere, lienem ex aceto potam conſumere: adverſus ſerpentium venena, ex vino, potu, illitúque efficaciſſimam &c. Leucadi autem, ut ex vino, contra animalium venena, præcipuè marinorum, opituletur.

Chamædrys ſilveſtris. VVLGARIS præterea eſt totâ Pannoniâ, etiam interamni, Stiriâ, Auſtriâ, Moraviâ, Bohemiáque, planta illa Teucrij generibus quibuſdam affinis, quæ paſſim in Hiſpanijs, Galliâ, Germaniâ, Belgicáque herboſis locis naſci conſpicitur, flore cæruleo pulcherrimo, folijs penè Chamædryos & ejus nomine aliquando à vulgo donata, atque etiam in uſum recepta: quam nunc plerique Chamędryn ſilveſtrem appellant.

Ocimum Indicum.

Ocimum latifolium maculatum, vel crispum. Bauh. pin: 225.



OCIMVM INDICVM.
CAP. XLVII.

Ocimum Indicum. PLANE novum eſt hoc Ocimi genus, & ſemine ex Italiâ miſſo primùm in Germaniâ natum, anno nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum.

IN pedalem autem, vel ampliorem altitudinem aſſurgit, caule quadrangulo, ſaturè purpurei, ut plurimum, & quaſi nigricantis coloris, interdum ex viridi duntaxat purpuraſcentis, in plures alas, modò in hac, modò in alterâ parte, ex adverſo ſemper ſitas, diviſo: ad ſingulos nodos ſive genicula, naſcuntur ex adverſo ampla folia, duas uncias aut amplius lata, tres longa, petiolis


petiolis longis innnixa, in ambitu profundius inciſa & ſerrata, pinguia ſive denſa, & ſucculenta, magnâ ex parte ex atro purpurea, interdum purpureis maculis, majoribus & frequentioribus, vel minoribus & rarioribus duntaxat infecta: ſummus caulis in florum ſpicam definit palmum longam, ex atro purpuraſcentem, qui verticillatim per intervalla ſeni eum ambiunt, hoc eſt, ex parvorum foliorum alis utrimque terni, coloris (dum explicati ſunt) albi purpureis venis diſtincti: ſemen in vaſculis, quale in reliquis Ocimi generibus, atrum, rotundum, craſſiuſculum: radix multis capillamentis firmata. Elegans hæc planta eſt, & tota graviter odorata, ut cetera Ocimi genera, illorum etiam inſtar hieme perit: novâ igitur ſingulis annis ſatione adquirenda.

Floret cum reliquis Ocimis, quorum magna eſt varietas.

CLINOPODIVM. CAP. XLVIII.

QVALE ſit legitimum Clinopodium Veteribus deſcriptum, nondum liquet, Neotericis diverſas ſtirpes pro Clinopodio proponentibus. Ad ejus tamen genus aliquod referri poſſe arbitror, quam hîc ſubijciam plantam.

Clinopodium Auſtriacum. Clinopodium montanum C. B. Pin. 225.



DODRANTALIBVS ea eſt cauliculis, tenuibus, quadratis, duris, geniculatis, quos ex intervallis bina ſimul ad ſingula genicula ſemper ambiunt folia, contrarijs inter ſe pediculis diſpoſita, Serpyllo vulgari ferè ſimilia: ſed magis ad Clinopodij vulgo crediti, ſive Acini Fuchſij foliorum formam accedentia, minora tamen, & raris crenulis ſerrata, viridia, non injucundi odoris, ſaporis autem aliquantulum acris, ſicut fermè jam dictum Clinopodium: flores ſummis cauliculis ad ſingula genicula profert Clinopodio vulgari non diſſimiles, ſed multò majores, purpureo ſaturo ſeu violaceo colore præditos (tametſi nonnumquam inveniantur albi) antrorſum maxima ex parte propendentes, & converſos: quibus ſuccedunt vaſcula, qualia in dicto Clinopodio, větrioſa, in quibus terna aut quaterna nigra ſemina, Calaminthę aut vulgaris Clinopodij ſeminibus æqualia: numeroſas habet radices, duras & multis fibris capillatas. *Clinopodium Auſtriac.* *Varietas.*

Creſcit in montibus, Badëſibus thermis imminentibus, & ceteris vicinis ad Danubium procurrentibus: varijs præterea alijs locis. Floret Maio, ſemen Iunio maturum. *Natales.*

NVLLVM vulgare nomen, apud ruſticos illius regionis adhuc invenerat, cùm obſervabam, ego Clinopodium Auſtriacum nuncupabam, quia in ſola Auſtriâ inveniebam: non minùs commodè tamen Acinon Auſtriacum forſitan dixiſſem. *Nomina.*

ILLVD porrò Clinopodium, cujus modò memini, ſive Acinos Fuchſij, vulgare eſt in Pannoniæ, Auſtriæ, vicinarúmque regionum locis aridis. *Clinopodium vulgare.*

PASSIM item in cæduis ſilvis, aut inter fruteta, & ad ſilvarum margines provenit Clinopodium Matthioli: cujus duo genera inveniuntur. *Clinopodium Matthioli.*

1. Vnum enim elatius eſt, majoráque folia, & longiora capitella habet, atque illa ſæpiùs in multas coronas diſpoſita. *Majus.*

Clinopodium vulgare.	Clinopodium Matthioli.
Clinopodium arvense ocimi facie C.B.Pin. 225.	Clinopodium Origano simile. C.B.Pin. 224.
	

Minus. 2. Alterum humilius, minoribus folijs, & brevioribus capitellis præditum eſt. Folia, & quadranguli caules utrique incanâ lanugine pubeſcunt, flos purpuraſcit, radix multis fibris capillata ſerpit. Vtrumque Iunio floret.

Calamentũ inodorum. SVNT qui Calamentum inodorum appellant, tametſi omnino inodorum non ſit cenſendum, quandoquidem interdum odore quodam non ingrato nares perfundat. Non deſunt qui Acinon vocare malint, ſed Dioſcoridei Acini hiſtoria refragatur. *Acinos.*

CETERVM quia in Acini mentionem incidimus, minimè prætermittenda mihi videtur elegans quædam plantula, quam anno M.D.XXCI. menſe Iulio florentem in Angliâ obſervabam, dum commodum navigandi tempus expectans, ad Ill. Dn. de Cobham, Garterij ordinis Equitem, & quinque portuum Præfectum proficiſcerer: nullam enim hactenus videre memini, quæ ad ἀκίνου Acini Dioſcoridis hiſtoriam meo judicio magis accedat.

Acinos Dioſcor fortè. PAVCOS habet illa ramulos dodrantales, tenues, ſiccos, ſubrubentes, quadrangulares, frequentibus nodis cinctos, ad quos bina ſemper ex adverſo ſita foliola naſcuntur, Fuchſij Acino non diſſimilia, ſed minora & ſucculentiora, neque in ambitu ſerrata, Clinopodij Auſtriaci folia valde referentia, grati cujuſdam odoris & Botrym quodammodo referentis, ſed non adeò validi & gravis: ſummos ramulos exornant verticillatim diſpoſiti utriculi, quales in Acino Fuchſij, deinde ſimiles penè floſculi, magis tamen ex cæruleo purpuraſcentes.

Facultates. HAS autem facultates Dioſcorides ſuo Clinopodio tribuit. Bibitur herba, & ſucci ejus decoctum, ad convulſa, rupta, ſtrangurias, ſerpentium ictus: menſes & partus pellit: & penſiles verrucas, quas achrocordonas vocant, eijcit, aliquot diebus potum: alvum ſiſtit decoctum ad tertias, potúmque, ex vino, ſi abſit febris, febrim autem ſentientibus, ex aquâ.

Acino verò iſtas. Menſes & alvum pota ſiſtit: illita, panos, ſacrúmque ignem ſanat.

TRAGORIGANVM. CAP. XLIX.

DVO Tragorigani genera ſtatuit Dioſcorides, quibus binas perſimiles plantas, (niſi judicium me fallit) in Hiſpanicâ meâ peregrinatione videre memini: deinde tertiam, quæ ad Secundum genus reduci poteſt.


Sampſuchus ſive Marum maſtichen Lobel C.B. Pin: 224

Tragoriganum I.



Tragoriganum alterum.

tragoriganum anguſtifolium C.B. Pin: 223



Tragoriganum II. altera ſpecies.

tragoriganum creticum C.B. Pin: 223



PEDALI, aut ſeſquipedali altitudine fruticat Prior, multis tenuibus & lignoſis ſurculis, atque circum illos folia ad ſingula internodia bina ex adverſo reſpondentia habet, minora quàm ſint Majoranæ folia, mediæ inter Origanum & Seryllũ ſilveſtre magnitudinis, omnino incana, odoris jucundi, & acris ſaporis: flores verticillatim extremos ſurculos ambiunt, vel illis etiam inſident exigui, candidi, ſemen minutum in caliculis ſuis occultatum gerentes: radix lignoſa multis fibris capillata. Tota odorata eſt, & ſemper virens. *Tragorig. hiſp. I.*

MINORES ſunt Alteri ſurculi & candidiores, tenuiora longioráque folia, aliquantulum incana, acris guſtus: odor minus jucundus quàm in Priore: flores etiam verticillatim circa ſummos ramulos naſcũtur ex utriculis prodeuntes, majores alijs & galeati, candidi: ſemen obſervare non potui: radix priori ſimilis, lignoſa, dura. multifida. *Tragorig. hiſp. II.*

TERTIA, quæ Secundæ genus, neque formâ, neque magnitudine valde ab illâ differens invenitur, ſurculis tamen nigrioribus, magis hiſpidis & atris folijs, atque flore minore, purpureo. Vtraque etiam perpetuò viret, ſed poſterior hæc longè odoratior, eâ, quæ album florem fert. *Tragorig. hiſp. III.*

Prior multis Hiſpaniæ locis provenit, arido & petroſo ſolo, cum Stœchade permiſta: nunc etiam inquilina facta multorum hortorum, cùm in Galliâ, tum in Angliâ & Belgicâ. *Natales.*

gicâ. Alterius utramque ſpeciem ſolo Valentino agro obſervabam Martio florentem, & ſponte naſcentem. Quæ verò purpureum florem gerit, in Belgicis hortis mihi etiam poſtea conſpecta, & quibuſdam Germanicis, ſed vix iſtic hiemem ferens.

Nomina. Τραγορίγανος Græcis utrumque genus dicitur: Tragoriganum Latinis: Secundum etiam à nonnullis πράσιον, Praſium, quod nomen fortaſſe ſecundæ ejus ſpeciei conveniet. Caſtellani primum *ſarilla* vocant: quo nomine alterum utrumque vulgo appellent, non intellexi. *Clinopodium. Marum. Heleniũ odorat. Theoph.* Non deſunt etiam qui priorem plantã nominent Clinopodium: plerique tamen pro Maro habent, aliqui Helenium Theophraſti eſſe augurantur, cujus ſolũ nomen apud illum Auctorem extat inter odoratas plantas cap. I. & VI. libro VI. Plantarum Hiſtor. *Ambra dulcis.* Iſtius ſemen aliquando communicatum Illmo Cattorum Principi Wilhelmo, Ambræ dulcis nomine, ex quo natæ ipſi plantæ, quarum unam deinde ſiccam cum ſeminis ejus aliquâ parte, Viennam ad me pro ſuâ clementiâ mittebat.


Facultates. TRAGORIGANVM autem excalfacere, urinam ciere, menſes trahere, decocto poto bilem eijcere, lienoſis ex aceto bibi, & contra ixiæ venena ex vino: peripneumonicis, tuſſientibus, ex melle in eclegmate dari ſcribit Dioſcorides. Gratam ac mitẽ eſſe ejus potionem: quare cibum faſtidientibus, & ſtomacho acida ructanti imbecillóque tradi: tumores cum polenta illitum diſcutere.

HYSSOPVS SPICATO FLORE. CAP. L.

Hyſſopi vulgaris varietas. HYSSOPI illius vulgaris qui in omnium hortis alitur, tria inveniri genera, colore floris duntaxat inter ſe variantia, etiam hortulani norunt, vulgatiſſimum, cæruleo; bina alia, vel niveo, aut rubeſcente, quæ ſatione in eum qui cæruleum fert florem ſæpiſſimè degenerant, licet nonnullæ plantæ matris colorem adquirant.

Hyſſop. hiſp. minor. ALVIT aliquando Belgica aliud genus humilius & tenerius, hiſpanico ſemine natum, alioqui formâ non multum differens à vulgari, cæruleis floribus, quod *yſopillo* vocabant, quia nimirum ſemen, ex quo natum, tali nomine inſcriptum fuiſſet. An verò id genus iſtic etiam nunc alatur, me latet.

Hyſſopus anguſtifol. ſpicato flore. Hyssopus angustifolia Spicata. Bauh: 218.



Hyſſop. ſpicato flore. NVNC Quintum quoddam genus invenitur, non quidem à me conſpectum: ſed ejus icon ad me miſſa (cum tenellis ipſius ſtirpis ramis ſpicâ ſuâ florum onuſtis) Hiſſopi ſpicato flore nomine, Londino uſque, ab optimo viro Iacobo Gareto juniore. Valde autem fruticat hoc genus, nec minùs quàm vulgare ſuis virgis ſe propagat, quæ ſeſquipedales interdum ſunt, dura, lignoſa, in multos, virides, tenueſque ramos diviſæ, quos obſident anguſtiora quàm in vulgari folia, viridia, calidi guſtus, alternis & ex adverſo inter ſe naſcentia: ſummi rami deſinunt in ſpicam florum illos verticillatim ambientium, vulgari forma ſimilium, minorum tamen, coloris cærulei: radix dura, lignoſa, multifida, plurimiſque capillamentis firmata, ex quâ etiam plures naſcentes virgæ humi interdum procumbentes, fibras agunt. Tota planta, ſi digitis atteratur, odorata eſt. Similem deinde plantam nactus ſum munere honeſti & optimi viri Wilhelmi Parduyn Middelburgenſis.

Hyſſop. vulg. comoſ. MEMINI & aliud Hyſſopi genus videre in Angliâ, anno reparatæ ſalutis humanæ M.D.XXCI. vulgari non admodum diſſimile, ſed quod ad Quartum illud genus hiſpanico ſemine natum magis accederet, exceptis ramulis, qui in virgarum faſtigio numeroſi in latam comam ſpargebantur: propterea Hyſſopi comoſi appellationem indebam. Id genus tum temporis Viennam transferre volebam, ſed in itinere mihi corruptum.

THYMVM.

Thymus Capitatus, qui Dioscoridis C.B. pin. 219

THYMVM. CAP. LI.

Thymum legitimum.



SVFFRVTEX eſt Thymum, pedem interdum altus, multis ramis lignoſis, tenuibus, & candidis præditus, quos per intervalla ambiunt folia ſibi invicem oppoſita, anguſta, tenuia, candicantia, acris guſtus, quæ quibuſdam locis hieme decidunt: nam ubicumque ſponte naſcentem hanc plantam inveniebam, ſeu hieme, ſeu veris initio, folijs viduam conſpiciebam: ſed utrimque ab exortu & veſtigijs foliorum, prominebant veluti oblonga capitella, inſtar eorum quæ in Origono Oniti ſunt, ex tenellis foliolis viridibus congeſta, adeò confertis & numeroſis, ut unicum longiuſculum folium appareret: ipſa capitella cum floribus in planta virente obſervare non potui, jam enim deciderant, ſed illorum duntaxat veſtigia ſummis virgis ſive ramulis, in omnibus plantis conſpiciebam. Hiſpali autem, ubi maximus eſt ejus proventus (nam aliud Thymum non norunt) magni ejus jam reſiccati faſciculi demonſtrati ſunt cum ſuis folijs & longiuſculis capitellis ſuos purpuraſcentes flores adhuc retinentibus, gratiſſimi odoris: illo enim in aquâ decocto utuntur ad dolia, quibus vinum aſſervatur, eluenda & repurganda: non minoris etiam uſus eſt ad conciliandam odoris gratiam ijs vaſis, quibus conditæ uvæ aſſervari ſolent. *Thymum legitimum.*

Ceterum non modò circà Hiſpalim copioſè naſcitur, ſed Gadibus etiam, quâ parte inſula ponte jungitur continenti, totâ inſuper Bæticâ in maritimis collibus meridiei obverſis. *Natales.*

THYMVM verò vulgare, quod nonnulli durius cognominant, quóque, teſte etiam Plinio libro XXI. cap. X. Naturalis Hiſtoriæ, lapidei campi in Narbonenſi Provinciâ referti ſunt: & mediterraneis (quemadmodum Salmanticenſi agro) & alijs Hiſpaniæ locis, ſponte creſcit gracili & ſalebroſo ſolo, nunc purpureo, quale in Narbonenſi Galliâ, & Aquitanicâ, nunc albicante flore. *Thymi vulg. varietas.*

PRIMVM, Dioſcoridis θύμος eſt, Latinorum etiam Thymus aut Thymum, Bæticis *tomillo* ſimpliciter, mediterraneis Hiſpaniæ ignotum, atque etiam univerſæ Galliæ. Alterum, Plinij thymum nigrius eſſe videtur, & illud quod Dioſcorides cap. de Epthymo durius appellat: nam in hoc, cùm in Hiſpanijs, tum in Galliâ Narbonenſi, cuſcutam illam vulgarem delicatulam rubris filis copioſè naſcentem & capillamentis ſe illi implicantem colligere memini. Caſtellani hoc thymum *tomillo ſalſero*, aut *ſalſero* ſimpliciter: Galli, *du thym*: Itali, *Thymo*: Germani Thimus oder welſcher Quendel appellant. *Nomina.*

DIOSCORIDE autem teſte, thymum cum aceto & ſale pituitam per alvum detrahit: ejus decocti jus prodeſt orthopnoicis, & anhelatoribus, tineas ventris exigit, menſes, partus & ſecundas pellit, atque urinas ciet: cum melle in eclegmate faciliores efficit exſcreationes: recentes tumores diſcutit, cum aceto illitum: concretum ſanguinem diſſolvit; verrucas penſiles tollit cum aceto: iſchiadicis cum vino & polenta impoſitum ſubvenit: hebetibus oculis in cibo prodeſt, &c. Pares illi facultates tribuit Plinius: inſuper addit, dari comitialibus, quos correptos olfactus excitat thymi: viris contra inflationes cum melle & aceto, & ſi venter turgeat, teſteſve, aut veſicæ dolor exigat: articularibus morbis & luxatis, tritum ac lanæ inſperſum ex oleo imponitur: dant & potionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis. *Facultates.*

THYMBRA legitima. Satureia Cretica C.B. Pin: 218 CAP. LII.

Thymbra legitima.



THYMO ſubijciemus Thymbram legitimam, primùm mihi conſpectam & exactè notam anno reparatę ſalutis humanæ nonageſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum, ut quæ mihi illo ipſo nata, ſemine à Doctiſſimo reique herbariæ peritiſſimo viro Honorio Bello è Cretâ uſque miſſo, ubi Cydoniæ Medicam artem exercet.

Thymbræ hiſtoria.

MVLTIS ea ramis ſtatim à radice fruticat, Thymi inſtar, quadrãgulis, ſubaſperâ lanugine obductis, purpuraſcentibus, quibus innaſcuntur alternatim ſemper ex adverſo ramuli, folijs eadem ſerie digeſtis onuſti, Thymi genuini folijs pęnè ſimilibus, ſubhirſutis, odoratis, medij quodammodo inter cunilam & Thymum odoris, acriuſculíq; ſaporis: ſummos ramos verticillatim ambiunt aliquot capitula multis foliolis conſtantia, inter quæ caliculi, è quibus emergunt ſuaviter purpuraſcentes floſculi, Thymi floſculis ſimiles, in quatuor lacinias diviſi, quarum infima latior eſt & repanda, ſuprema etiam lata, ſed brevior, reliquæ duæ minores, prodeuntibus è medio quinque ſtaminulis candicantibus, quorum apices fuſci coloris, & medio ſtilo bifido. Octobri & Novembri duntaxat flores protulit, eã ob cauſam nullum ſemẽ præbere potuit: è quo tamen nata planta, puſillum, nigrum, Thymi ſeminis inſtar: radix dura, lignoſa, quam apud nos perennem futuram, vix mihi perſuadere poſſum, licet rami procumbentes fibras egerint.

Serpillum folio Thymi C.B. Pin: 220

Serpillum ſilveſtre Zygis Dioſc.



Nomina.
θύμβρα.
θυμβρι, θρυβι.

GRÆCVM nomen *θύμβρα*, Latinum Thymbra: Cretenſes etiam num hodie *θυμβρι* & *θρυβι* appellant. Dioſcorides eaſdem illi facultates tribuit quas Thymo, ſi eodem modo ſumatur. Paulus autem, ſiccare & calefacere in tertio ordine ſcribit; hinc oleum in quo decoquitur, rigores febriũ circuitu remeantes diſcutere, flores idem præſtare, quorum decoctum menſes cieat & fœtus extrahat.

Facultates.

SERPYLLVM. CAP. LIII.

Serpyllũ veterũ duplex.

SERPYLLI duo genera Veteres fecerunt Sativũ & Silveſtre. Sativum à ſerpendo dici tradit Dioſcorides: ſilveſtre non ſerpere, ſed in altum creſcere; Plinius contrà lib. xx. cap. XXII. Silveſtre ſerpere ſcribit: Sativum non ſerpere, ſed ad palmi altitudinem increſcere.

Serpyllum Zygis.

SERPYLLVM autem ſilveſtre Zygis appellatum, quale Dioſcorides deſcribit, obſervabam, ni fallor, in Caſtella veteri,

ijſdem

Serpyllum vulgare repens.

Serpyllum vulgare minus B: Pin: 220.



Serpyllum Pannonicum 1.

Serpyllum foliis citri odore B Pin: 220.



ijſdem locis cum Thymo duriore ſive nigro, cui perquam ſimile eſt figura, ramis, altitudine & radice: folia verò paullò latiora habet quàm Thymum, minus odorata, ſed gravius nonnihil olentia, utpote quorum odor ferè ſit inter Abrotonum & Stœchadem medius: in virgis item ramulos, qui floribus verticillatim naſcentibus veſtiuntur, coloris ex albo purpuraſcentis: qua florum diſpoſitione & odore, à Thymo diſcerni penè duntaxat poteſt. Minor eſt præterea ejus acrimonia quàm Thymi, quippe quæ aliquid adſtrictionis admiſtum habeat.

Floret cum Thymo duriore, & perpetuo etiam viret.

CETERVM præter hoc, aliud eſt ſilveſtre, quod vulgariter creſcit in omnium quas *Serpyllum vulg.* adij Prouinciarum nudis collibus, gramineis campis, aut ſiccioribus pratis, viarumque herboſis marginibus. Ejus hiſtoria cùm à pleriſque ſit deſcripta, minimè retexendam ducimus: iconem tamen ſubjicimus, atque tria alia genera mixtim cum illo in Vngariâ, Auſtriâ, & Moraviâ naſcentia, hoc capite deſcribere inſtituimus, quia ab alijs non eſſe obſervata video.

PRIMVM eſt admodum ſimile vulgari in omnibus, ut opinor, Europæ Provincijs oc- *Serpyll. Auſt. citrij odore.* currenti: craſſiora tamen & magis atra habet folia, quæ trita, citrij mali, vel meliſſophylli odorem referunt, & capitella paulò majora, magiſque purpuraſcentia, ſimilibus tamen floſculis prædita: craſſiores ramulos, quadrangulos, palmares, per terram fuſos, ad ſingula internodia fibras agentes: radicem verò lignoſam, multifidam, fibroſámque, numeroſos proferentem cauliculos, ſummâ tellure in orbem ſeſe ſpargentes.

ANGVSTIORA Secundò ſunt folia, paulóque longiora, viridia, glabra, rarius per cau- *Serpyll. anguſto glabróque folio.* liculos ſparſa, bina ſemper ex adverſo, ſed alternis, naſcentia, quemadmodum magnâ ex parte in ceteris ſtirpibus quæ quadrangulo ſunt caule, aut virgis: cauliculi frequentes, tenues, longi, humi fuſi, & ſubinde ad internodia fibris ſeſe firmantes, oblonga, mollia, & veluti ſpicata in ſummo ferentes capitella, floſculis, vulgari æqualibus, referta: radix lignoſa eſt, dura, & multifida. Tota planta aut nucis juglandis foliorum odorem quodammodo

refert,

refert, interdum nullo manifeſto odore prædita deprehenditur: ſoline mutatione, an auræ variantis afflatu id accidat, me latet.

Serpyllum Pannonicum III. Serpyllum anguſtifolium Hirſutum B. Pin. 220.

Serpyll. anguſto lanuginoſoq; folio.



LATE ſerpit Tertium genus, & magnos ceſpites nonnumquam occupat. Nam licet duram & lignoſam habeat radicem, ut præcedentia genera: tenues tamen, quos in circuitu ſpargit, cauliculi, ſubinde fibras agunt, quę temporis ſucceſſu, in radices non minùs duras & lignoſas evadunt, quàm ſit primaria, atque alios deinde fundunt in ambitu cauliculos folijs non minùs quàm proximè pręcedentis, oblongis, & ijs quidem anguſtioribus, præditos, incanâ mollíque lanugine pubeſcentibus: longa in ſummis cauliculis capitella à ſecundi generis longo glabróque folio capitellis non differunt, & ſimilibus floſculis plena ſunt: ſemina in villoſis rufeſcentibus utriculis parva, rotunda, fuſci coloris. Tota ſtirps pineum quodammodo ſive reſinaceum odorem trita refert, & calido guſtu eſt.

Tempus.

Omnia hæc genera eodem tempore florent, menſe videlicet Iunio: natales jam ante diximus.

Nomina.

DIOSCORIDI ἕρπυλλος ἄγριος καὶ ζυγὶς vocatur quod primum deſcripſi: Latinis Serpyllum, & Plinio quidem domeſticum quod ſerpere negat: vulgare autem paſſim naſcens, etiam Serpyllum ab omnibus appellatur: quo nomine, alia quæ ſubjeci in Auſtriâ & vicinis Provincijs naſcentia, donari poterunt: nam, quantum ex temperamento conijcere licet, ſimilibus etiam facultatibus erunt prædita, aut certè non multùm inferioribus.

Facultates.

SILVESTRE autem ſativo efficacius eſſe, magis excalfacere, & ad medendi uſum aptius eſſe teſtis eſt Dioſcorides: proinde menſes trahere, urinam potu ciere, torminibus, ruptis, vulſis, & jocinoris inflammationibus auxiliari; adverſus ſerpentes, potu illitúve: capitis dolores mulcere raſaceo incoctum, & in aceto madefactum: maximè verò lethargicis & phreneticis convenit. Cruentos vomitus ſedat ſuccus drachmis quatuor ex aceto potus. Plinius addit ex aqua bibi ad jocinoris dolores: folia obolis quatuor dari ad lienem ex aceto: ad cruentas exſcreationes teri in cyathis duobus, aceti & mellis.

Dioſc emaculatus.

Ceterùm in Serpylli deſcriptione apud Dioſcoridem, mendum eſſe ſuſpicor in his verbis, φύλλων περίπλεα ὁμοίων πηγάνῳ, legendúmque ὀριγάνῳ arbitror: nam quæ affinitas foliorum Rutæ cum Serpylli folijs? accuratiùs hic locus conſiderandus.

POLIVM.

POLIVM. CAP. LIIII.

PLVRA quàm Veteres tradiderint nunc inveniri Polij genera certum eſt, eáque vel ſurculorum firmitate, vel foliorum amplitudine, vel florum varietate, atque inſuper totius ſtirpis colore inter ſe differentia. *Polium varij generis.*

Polium montanum I.

polium montanum album. B.Pin: 221.



Polium montanum III.

polium montanum Luteum B.Pin: 220.



VNVM, palmares aut ampliores, ex eadem radice lignosâ & durâ producit cauliculos, in multas alas diviſos, humi ſparſos, quos diſpoſito ordine, & ex adverſo, ſemper tenera ambiunt folia, longiuſcula, anguſta, oris in externam partem reflexis, & leviter denticulatis, adeò ut vix, niſi diligenter obſervantibus, denticuli appareant, incanis: è quorum exortu alia numeroſa prodeunt foliola magis tenella & incana: Summis ramulis capitella fert ex multis caliculis caneſcentibus & tomentoſis congeſta (unde flos emergit albus) & quæ ſemen continent per maturitatem nigricans, ſubrotundum, ſatis magnum pro plantæ teneritate. Tota planta ſuaviter olet, cum gravitate quadam non injucundâ. Februario & Martio florentem obſervabam. *Polium I. albo flore.*

MVLTIS Alterum fruticat ramulis, ſuperiore firmioribus, non humi fuſis, ſed erectis, rotundiuſculis, incanis, palmaribus, plerumque etiam longioribus: folia ſuperiore anguſtiora, frequentiora, ex intervallis contrario ſitu ramulos ambiunt, extremâ parte duntaxat dentata, ſed minùs quàm in Primo: majora in ſummis ramis habet capitula longioráque, latiora tamen, neque adeò compacta, in quibus flos etiam albus, deinde ſemen priori ſimile. Non minùs odorata eſt hæc planta, quàm prior. Aprili floret, interdum etiam Maio. *Polium II. albo flore.*

TERTIVM genus mediæ eſt inter primum & ſecundum magnitudinis, minus fruticoſum, minúſque firmis ramulis ſecundo, firmioribus autem primo: nam partim procumbentes eos habet, partim etiam erectiores, omnino incanos, magis etiam quàm primum: folia item utroque ampliora, & tota candida: tenelli tamen ramuli capitella ſua jam protrudere incipientes, cum ipſis folijs flaveſcente lanugine obducuntur, perinde ac ipſa *Polium III. flavo flore.*

integra

integra oblonga capitella, quæ tandem luteum florem proferunt: ſemen autem alijs ſimile, ut poſtea ex eo quod apud Belgas alebatur deprehendi. Florebat verò natali loco Martio menſe, apud Belgas ſerius.

Polium IIII. flore ex albo palleſcente. E X iſtius porrò ſemine in Belgicâ nato, & à Generoſo Viro Ioanne vander Dilft p. m. amico ſingulari, Viennam Auſtriæ ad me miſſo, natæ ſunt mihi iſtic plantæ, quæ, altero à ſatione anno, flores mihi protulerunt, non eos quidem luteos, ſive pallidos, quales mater, ſed modo candicantes, modo interius palleſcentes & foris exalbidos, comámque etiam non minus quàm folia caneſcentem, vel leviſſimè palleſcentem: alioqui, latioribus & in ambitu criſpis incanísque folijs, & candidâ lanugine pubeſcentibus virgulis, matrem referebant, quæ ut plurimum in majorem longitudinem excreſcentes, humi fuſæ erant, minores verò ſurrectæ.

Hoc genus aliquot annis in hortulo, quem Viennæ colebam, conſervavi, leviter adverſus hiemis injurias tegendo tenerioribus abiegnis ramis: ſed aſpera illa anni M. D. XXCVI. hiems corrupit, cum ſelectiſſimis alijs (ut aliquoties memini) ſtirpibus.

Polium montan. v. purpureo flore.

Polium maritimum supinum venetum B: Pin: 221.



Polium V. purp. flo. QVINTVM prorſus tenellum eſt, exilibus & dodrantalibus ramulis, humi fuſis, multâ lanugine candidâ tectis, qui ſubinde ad nodos radices agunt: folia illi ſunt mediæ inter primum & ſecundum genus magnitudinis, breviora tamen, denticulata, valdéque tomentoſa, quæ adeo cauſa eſt ut in tenellis folijs nulla dentium veſtigia conſpiciantur, niſi à diligenter obſervantibus: capitella ſuperioribus paulo minora, totáque tomentoſa, in quibus flos purpureus.


Polium VI. albo flo. SOLA teneritas ſtirpis, & floris varietas inter proximè deſcriptum, & Sextum hoc genus, diſcrimen facit, quod albis floribus eſt præditum. Vtrumque enim genus nihil ferè niſi tomentum ſunt, & odoris ſuavitate reliqua genera ſuperant. Vtrumque ſuis floribus onuſtum Martio reperiebam; nec differentiam animadvertiſſem, niſi floris color, diligentius conferendi ſingulas plantas, anſam præbuiſſet.


Polium VII. albo flo. MVLTAS ex eadem radice promit Septimum Polij genus virgulas, prími generis virgis ſimiles, ſed breviores & magis fruticoſas, ſupra terram ſparſas, folia in his per intervalla, bina ſemper inter ſe oppoſita, Libanotidis coronariæ folijs ferè æqualia, minora tamen, ſupernè viridia, infernè caneſcentia, nullis crenis per oras notata, amari guſtus & iucundi quidem odoris, attamen minus grati, quàm qui in legitimi Polij montani folijs percipitur: florem extremis ramulis gerit copioſum, album, alterius Polij floribus formâ non abſimilem, non tamen ſpicæ inſtar creſcentem, ſed veluti in caput congeſtum: ſemen deinde in vaſculis exiguum, nigricans: radix illi dura, lignoſa, multifida, multis capillaribus fibris prædita.

Quia porrò illius iconi, quam in Pannonicis Obſervationibus exhibui, nulli flores additi fuerant, ſed ſola vaſcula ſemen continentia, aliam iconem adijcere volui, in qua quidem flores

Polium VII. cum flore. Polium Pannonic. VII. cum ſemine.

Polium Lavendulæ folio B: Pin: 220.





Polium montanum repens B: Pin: 221.

Polium montanum VIII.



dem flores benè expreſſi: gravius autem peccatum in foliorum præpoſterâ ſerie, quæ temerè per virgulas ſparſa eſſe non debent, ſed alternatim ut in ceteris generibus diſpoſita.

SED etiam eſt Octavum quoddam genus omnium minimum, duarum unciarum longitudinem vix ſuperans, exilibus ramuſculis, in quibus, non minùs quàm in ſuperioribus ordine & ex adverſo oppoſita naſcuntur foliola duriora, breviora & anguſtiora non denticulata: ramulis inſident terni aut quaterni flores albi, ſuperiori forma ſimiles, ſed minores: hujus ſemen non obſervavi, ſed Septimo generi ſimile eſſe puto: radix etiam fibroſa eſt, & vivax natali ſolo. Nullâ verò odoris gratiâ commendabilis eſt hæc planta. Floret autem ſeriùs, Iunio videlicet. *Poliū VIII. albo flore minimum.*

Neutram harum poſtremarū ſtirpium, licet ſępiùs cum ſuis ceſpitibus in hortum tranſlatam, umquam cicurare potui, ſed conſueto pabulo deſtitutæ, ſemper corruptæ ſunt.

Primum, naſcitur in maritimis Bæticæ, Valentiníque Regni, & Narbonēſis Galliæ. Alterum, non niſi in mediterraneis Hiſpaniæ obſervabam, ſolo exili & petroſo, in collibus creſcens. Tertium, regno Granatenſi & Valentino. Quartum, ſemine Tertij *Natales.*

ne Tertij mihi natum Viennæ Auſtriacæ, ut paulò antè dixi. Quintum & Sextum, Murciano regno duntaxat inter Lorca & Velez el rubio, in acclivitatibus tumulorum arenoſorum. Septimum copiosè invenitur in aſcenſu montis Hamburgenſis, qua parte Auſtriam ſive Septentrionem ſpectat, octo infra Viennam milliaribus: ſed multò abundantiùs in monte Badenſibus Auſtriacis thermis imminente, alijſque montibus ſiccis & ſalebroſis, inter ſaxa, quibus delectari videtur: in tenui tamen ſolo (montium videlicet) unde graminei ceſpites exempti ſunt, longè uberiùs provenire ſolet. Octavum, naſcitur publicâ via agro Viennenſi: id etiam, aut certè illi valde ſimile, in Allobrogum collibus, Lemano lacui vicinis, & meridiei obverſis aliquando obſervare memini.

Nomina. DICITVR hæc planta Græcis πόλιον, Latinis Polium; Primum genus, ad Dioſcoridis montanum, quod ipſe ὀρεινὸν & τεύθριον vocat, referri poſſe videtur: hoc Bætici *oſſuna* appellant. Alterum, ad ejus ſecundum genus, quod fruticoſius priore eſſe dicit, non tamen minus odoratum primo: id Hiſpanis dicitur *altamiza*. Tertij, nullum nomen vulgare intellexi. Quintum & Sextum, incolæ Chamæpityn eſſe putabant: vulgare autem nomen apud incolas erat *çamarilla*. Thermarum accolæ Septimum wilde Roſmarin/ hoc eſt, ſilveſtrem Rorem marinum nuncupabant.

Facultates. CETERVM Polium viſcera obſtructionibus liberat, urinam & menſes ciet, in antidota miſcetur, ſuffitum & ſtratum ſerpentes abigere, illitu vulnera glutinare creditur.

Polij ramuli ut pangãtur. ILLVD porrò rei herbariæ ſtudioſos obiter admonitos volo, omnis generis Polij ramulos in terram umbroſo loco depactos, ſine difficultate radices agere, modò ipſa terra benè ſubacta, & repurgata ſit: ut in aliquot ejus generibus periculum feci.

FINIS LIBRI TERTII.

CAROLI

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER QVARTVS.

SED nec *Scabioſarum & Aſterum, aliarúmque quarundam illis ſimilium, inelegantes ſunt flores: eam ob cauſam, Quarto libro erunt comprehendendæ, cum nonnullis quæ non injucundo, & alijs quæ gravi odore præditæ ſunt. His adnectentur Sedi genera, congeneres illis ſtirpes, & aliæ craſſâ tuberoſáque radice donatæ.*

Scabiosa major squamatis capitulis C.B. Pin: 269.

SCABIOSA. CAPVT I.



MAGNA ſane eſt Scabioſarum varietas: nam nullas Prouincias adire memini, in quibus ejus aliquod peculiare genus non invenerim, ut ex ijs lucubrationibus quas in lucem antea emiſi, atque etiam in hac Stirpium Hiſtoriâ videre licet.

PRIMVM locum dabimus Scabioſę majori Hiſpanicæ, quæ folia, vulgaris Scabioſæ majoris folijs ſimilia habet, laciniata videlicet, altè inciſa, mollia, lanugine pubeſcentia: caules nodoſos, rotundos, interdum cubitales, è quorum geniculis folia inter ſe oppoſita: ſummis ramis capitula inſident è multis caliculis membranaceis & paleaceis compoſita, qui ſingulares flores continent candicantes, quibus deciduis, in medio quaſi ſingulorum caliculorum umbilico, exigua quædam ſtella ſubnigra conſpicitur, quatuor, quinque, aut ſex interdum radiolis conſtans: paulatim verò hi caliculi excreſcentes expâduntur, donec ſemen hirſutum & craſſum (quo caliculi ſuſtinentur) matureſcere incipiat: radix candida, craſſa, vulgari ſimilis. *Scabioſa major Hiſpanica, ſive I.*

Creſcit iuxta Vinearum margines & ſemitas, locisſque incultis agro Salmanticêſi, per reliquam etiam Hiſpaniam, haud dubiè & in alijs calidioribus regionibus. Floret iſtic menſe Iunio. Apud Germanos verò, qui illam ſemine ex Italiâ miſſo interdum natam colunt, ſerius; ſed cùm magnâ ex parte circiter Autumnũ flores præbere ſoleat, plerumque inane ſuccedit ſemen, (licet aliquando benè maturum colligere meminerim) & ſubſequens hiems ſtirpes corrumpit. Vidi tamen qui ramis in terram demiſſis propagare & conſervare ſtuduerunt: ſed operam luſerunt. *Natales.*

ALIA invenitur ei perſimilis, & ſolâ magnitudine differens: eſt enim per omnia minor, folia tenuius inciſa, caliculi & flores minores ex cæruleo purpuraſcunt. *Scabioſa minor Hiſpanica, ſive II.*

Ijſdem cum ſuperiore locis naſcitur, atque eodem etiam tempore floret, & ſemen ad maturitatem perducit.

TERTIAE cubitales ſunt caules, rotundi, nodoſi ſive geniculati, nonnihil hirſuti, concavi, in ſingulis geniculis bina folia ex adverſo naſcentia, non multifida inſtar aliarum Scabioſarum, ſed lata, in ambitu tamen crenata, Vrticæ folijs interdum majora, brevi petiolo *Scabioſa latifol. Pan. rubro flore ſeu III.*

Scabioſa III.

Scabioſa latifolia rubra non laciniata ſecunda C.B. pin: 270.



Scabioſa V.

Scabioſa capitulo globoſo major. C.B. Pin: 270



pendentia,colore viridi dilutiore prædita,amaro & acri ſapore : ex alarum ſinu rami etiam prodeunt foliati, qui ex lateribus pediculos protrudunt, floribus, vulgaris Scabioſæ modo congeſtis,ornatos,coloris rubeſcentis,nullius odoris: deinde ſemina ſimul congeſta,anguloſa,hirſuta, cnici ferè interdum magnitudine, ſtellatâ coronâ inſignita : radix minimi digiti craſſitudinem nonnumquam æquat, longa, nigricans, ſtatim à capite quaſdam fibras ſatis magnas ſpargens,& ſubinde ex lateribus novos caules producens.

Scabioſa latif. Pan. purp. flo. ſeu IIII. QVARTA magnitudine illam ſuperat,majoráque & nigriora habet folia,purpuraſcentem ex nigro florem: in reliquis ſatis conveniunt.

Natales. Provenit utraque in omnibus ferè cæduis ſilvis, juxta ſepes, locisque umbroſis per univerſam Pannoniam, Auſtriámque infra Aniſum. Floret Maio & Iunio,quo tempore ſemen plerumque etiam matureſcit.

Scabioſa mōtana, ſive V. QVINA aut ſena habet Quintum genus folia,humi ſparſa,Scabioſæ vulgatiori, & inter ſegetes naſcenti ferè ſimilia, minimè quidem villis obſita, ſed carnoſa admodum & venoſa,præ viriditate quodammodo ſplendentia, aliquot crenis inciſa, ſapore ſi manducentur lento,& gummoſo,deinde aliquantulum acri:ex horum medio creſcit palmaris caulis, aliquando paulò amplior, gracilis, rotundus, cujus inferiorem partem ambiunt quaterna aut ſena folia, profundis & tenuibus lacinijs diviſa, bina ſemper ex adverſo ſita: extremo cauli inſidet capitulum ut in vulgari ſcabioſâ ferè,è multis floſculis quinque foliolis conſtantibus congeſtum,quorum exteriores majores ſunt, eleganti colore ex cæruleo purpuraſcente præditi, villis quibuſdam nigris ſingulorum floſculorum ſedem ambientibus: radix longa,nigra,craſſiuſculis albis fibris capillata.

Natales. Invenitur in ſummis Sneberg & Snealben Auſtriȩ & Stiriæ alpium jugis in tenui gramine naſcens,ubi floret Auguſto:ſimiliter in depreſſioribus nudiſque circa Viennam collium ſupercilijs,ubi Iunio & Iulio floribus onuſtum legebam.

Scabioſa Indica, ſive VI. CVBITALI aut ampliore aſſurgit Sexta ſcabioſa caule, ſatis gracili, qui in multos tenues ramos dividitur, extimâ parte veluti umbellam floſculorum in caput congeſtam geſtantes,exterioribus floſculis, qui reliquos ambiunt, majuſculis in quinque lacinias diviſis, quemadmodum & interiores floſculi,qui minores:omnes autem coloris elegantis rubri ſaturi,& ad purpureum quodammodo tendentis: his ſuccedunt ſtellata, ut in alijs Scabioſarum generibus,ſemina,in caput metæ formâ congeſta. Folia non abſimilia habet illis quæ conſpiciuntur in ſequente Pannonicâ ὠχρολεύκῳ: ſunt enim ſimiliter inciſa, viridiora tamen,& ſplendentia,caulem atque ramos in ſingulis internodijs ex adverſo amplectentia.

An ra-

Scabioſa VI. Indica.



Scabioſa VII.



An radix vivax eſſet & perennis initio dubitabam, quia anno primum M. D. XCI. florentem obſervabam ſemine mihi miſſo natam eodem anno. Sed ſequens annus annuã eſſe me docuit.

Floret æſtate & Autumno: ſemen ſub Septembris finem, aut Octobris initium maturum fuit.

Accipiebam id ſemen ex Italiâ, Scabioſæ Indicę nomine: quod quibuſdam amicis communicatum, florem variavit, qui fuit, illis referentibus, multo dilutior. Memini etiam Viennam mihi miſſum Scabioſę ſemẽ ex Hiſpanijs, quod flores dedit eodem anno quo ſatum: ſed illi etiam rubri dilutiores.

Scabioſa ὠχρολευκῷ flore, ſive VII.

CVBITALES ſunt Septimæ caules, rotundi, graciles, firmi, virentes, nodoſi, eos ad ſingula genicula amplectentibus binis folijs ex adverſo ſemper reſpondentibus, quæ tenuibus & profundis lacinijs adeò diviſa ſunt ut alata videantur, color ex cinereo vireſcens, ſapor amariuſculus: quæ verò ſecundùm radicem naſcuntur, ante quàm planta in caulem aſſurgat, latiora ſunt, minoribúſque lacinijs diviſa: ex ſummis alis ramulos fert tenues, & nudos, qui ſuſtinẽt plana capitula, è candidis ſive potius ὠχρολευκοῖς (præſertim ante quàm explicentur) inodoríſque floribus ſimul naſcentibus congeſta, qui quinis foliolis (quorum tria inferiora majuſcula ſunt) conſtant, paucis intus ſtaminulis: floribus ſuccedunt hirſuta ſemina vulgaris ſcabioſæ ſeminibus minora, in orbiculare caput congeſta: radix minimi digiti craſſitudinem interdum æquans, multíſque exiguis fibris in lateribus prædita, vivax eſt, & ſingulis annis novos caules profert.

Natales.

Nullum eſt Auſtriæ inferioris pratum ſiccius, editioréve loco ſitum, nullus ager gramineus, nulli ferè arvorum margines, in quibus non naſcatur hoc Scabioſæ genus, adeóque fertile eſt in gerendis floribus & pertinax, ut ſola bruma illius luxuriem coërceat, alioqui Iunio florere incipit: frequens etiam eſt in Moraviâ.

Scabioſa alba.
Scabioſa alba gemino trigeminóve capite.

Memini in Belgicis hortis pænè ſimilem ali ſolitam, cujus tamen flores eſſent candidiores: Aliam præterea latioribus folijs, firmioribus caulibus, & florum niveorum capitulis interdum ſingularibus, plerũque tamen binis aut ternis cohærẽtibus & ſimul naſcentibus.

Scabioſa major Pan. albo flore, ſive VIII.

OCTAVVM porrò genus invenitur quod bicubitali aut ampliore aſſurgit caule, tereti, firmo, rotundo, multis alis prædito, per quem ſub nodis ſparſa ſunt folia, jam deſcriptæ folijs non valde diſſimilia, viridiora tamen & duriora, nec in adeò tenues lacinias diviſa; inferiora verò ijs non reſpondent, ſed latiora ſunt, molliora, hirſuta, & in ambitu duntaxat ſerrata, ut ſi quis naſcentem plantam conſpiciat, aliam pænè à Scabioſa judicet: flores extremis ramulis inſident in caput compacti, alterius floribus ſimiles, uno ſemper (præſertim in

Scabioſa alba Belgicer hortorum.

Scabiosa flore globoso niveo B: Pin: 270.



Scabioſa ix. ſive æſtivalis.

Scabiosa frutic aub Latifolia alba B Pin: 269.



exterioribus orbē efficientibus) majore & ampliore, non tamen ut in præcedente ὠχρολευκοὶ, ſed omnino nivei, ſtaminulis in omnium umbilico eminentibus coloris candidi, apicibus autem ſubcæruleis, quibus deciduis capitula illa ſubrotunda fiunt, & veluti ſquamoſa, continéntque longiuſcula anguloſa ſemina, colorem fuſcum maturitate acquirentia: radix non eſt viuax, ſed hieme perit, ſemine tamen deciduo enaſcuntur novellæ plantæ, quæ ſequente anno flores proferunt.

Natales. Hanc Scabioſam primùm obſervabam anno M. D. XXCII. Auguſto menſe florentem & maturum ſemen proferentem circa Tirnaviam Pannoniæ trans-danubianæ urbem, atque etiam ſecundùm ipſius urbis vallum, quâ Meridiem ſpectat. Semine inde delato in hortis coli cœpit. Memini & ejus ſemen in Belgicam amicis mittere, & ex eo natas plantas matri ſimiles poſtea iſtic conſpicere.

Scabioſa æſtivalis, ſive IX. HVIVS primum naſcentis formam & ſquamata capitula, in quibus flores, valde refert Scabioſa Nona, cujus iconem feliciter ab ipſo (ut & pleraſque alias) delineatam, ad me mittebat octennio poſt, honeſtus vir, & in Stirpium cognitione egregiè verſatus, Iacobus Plateau Tornacenſis civis, Scabioſæ novæ æſtivalis nomine. Nam folia habet illius folijs primùm, ut dixi, naſcentis & inferioribus non diſſimilia, circa pediculum aliquantulum laciniata, deinde ſerrata, caulem tricubitalem aut ampliorem, (ut adſcribebat) rotundum, hirſutum, in multos ramos circa ſummum diviſum, quem alternatim bina ſemper ex adverſo amplectuntur folia viridia, infimis ſimilia, præter ea quæ in ramis, minora enim ſunt illa, non laciniata, non inciſa: ſummis ramis innaſcuntur ſquamata capitula, ſubcæruleis floſculis plena: quibus ſuccedunt longiuſcula albicanria ſemina: ad capitulorum latera naſcuntur utrinque alij ramuli ſimilibus capitulis & floſculis prȩditi, deinde etiam ex illis tertij: radix candicat & fibroſa eſt, ſed non rediviva, nam excuſſo ſemine perire ſolet, veluti ſuperior, & illo deciduo (perinde ut illa) ſingulis annis ſponte naſcitur.

Ex quibus notis facilè mihi perſuadeo, illam ex eo ſemine primùm in Belgicâ natam, quod ad amicos ante miſeram. Illius autem iconem à perito artifice imitatam ſubijcere volui ut ipſius hiſtoriæ adnecti poſſit.

INVENIVNTVR autem in Auſtriâ pleraque Scabioſarum genera alijs etiam Provincijs cōmunia, cùm inter ſegetes, tum in pratis & ſilvis. Provenit & paſſim ſiccioribus agrorum marginibus, & juxta ſemitas Scabioſa major Matthioli, cujus plantas, ad Herrenalſen *Scabioſa major Matth. albo flore.* pagum agro Viennenſi ſitum, albo flore variantes eruebam anno M. D. XXCIIII. Nuſquam verò ſponte naſcentem conſpexi, quæ mihi (ante quàm à Cæſare Maximiliano II. felicis mem. Viennam accerſerer) in cultioribus Belgicis hortis obſervata, floribus ex purpureo

ſubcæruleis

Scabioſa prolifero flore.

Scabioſa prolifera folio latiore C. B. Pin: 270.



Scabioſa x. ſive repens.

Bellis cœrulea montana frutescens C. B. Pin: 262.



ſubcæruleis in caput congeſtis, ad cujus latera in orbem fundebantur multi longiuſculi petioli, è quibus dependebat alij minores flores majoribus colore ſimiles, & ex his interdum etiam tertij, ſed imperfecti: primis floribus ſuccedebant ſemina Scabioſæ v. ſimilia: radix ſubfuſca & multis fibris prædita, ſed non vivax. *Scabioſa prolifera.*

LATE ſerpit Decimum genus, & interdum magnos ceſpites occupat, durâ & nigrâ radice ſeſe per ſummam tellurem ſpargente, & tenuibus fibris firmante: ex quâ multi quaqua verſum expanduntur rami, humi diffuſi, & ſubinde fibras agentes: folia ſatis numeroſa, denſa & carnoſa, lævia, viridia admodum, Bellidis folijs, aut Globulariæ, quam Anguillara Aphyllantem appellat, ſimilia, nullo mucrone prædita, ſed cordis (ut vulgo pingitur) formam potiùs referentia, herbaceum quidpiam, non inamœnum tamen redolentia, oblongo pediculo, guſtu amaro & quidem acriuſculo: aliquot deinde prodeunt inter folia dodrantales cauliculi, teretes, ſinguli ſuſtinentes capitulum Globulariâ majus & planius, multis craſſiuſculis villis aut floſculis hirſutum, Succiſæ, ſive Morſus Diaboli ſimilibus, coloris purpurei, nonnumquam adeò diluti, ut cæruleus quodammodo appareat: ſemen Globulariæ ſemini proximum. *Scabioſa montana repens ſive x.*

Naſcitur in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ montibus glabris & aſperis, inter ſaxa & ſalebras ſparſa, gramineis etiam quibuſdam ſiccioribus incultíſque agris, veluti ſupra Neapolim Auſtriæ. Floret Aprili & Maio; ſemen Iulio & Auguſto matureſcit. *Natales.*

NVLLVM porrò vulgare nomen iſtarum Plantarum intellexi: ne tamen prorſus nomine careant, earum nonnullis Latinum addam, ut eadem opera, à reliquis Scabioſarum generibus, quæ ab alijs deſcripta, diſtingui poſſint. Prior igitur ſit, Scabioſa major Hiſpanica: Altera, Scabioſa minor Hiſpanica: Tertia, Scabioſa latifolia Pannonica rubro flore: Quinta, Scabioſa Alpina: Sexta, Scabioſa Indica rubro ſaturo flore: Septima, Scabioſa Pannonica ὠχρόλευκος: Octava, Scabioſa major Pannonica albo flore: Decima, Scabioſa montana minor repens.

Ceterùm non dubium eſt, quin iiſdem facultatibus ſint præditæ, quibus reliqua Scabioſarum genera: quandoquidem omnium eſt idem temperamentum.

SCABIOSARVM porrò genera, non levibus de cauſis ad Phyteuma Dioſcoridis referenda eſſe cenſet Nobilis idémq; doctiſſimus vir Fabius Columna in ſuo de Plantis libro. *Phyteuma Dioſcorid.*

PASSIM porrò per Auſtriam & Pannoniam in gramineis campis, ſilvis à fruticibus & arboribus paulò liberioribus, interdum etiam graminoſis viarum & ſemitarum margini-

Globularia. Bellis cæruleo caule folioſo B. Pin: 262.



Globularia niveo flore.

bus, copioſè creſcit pumilum illud Scabioſæ genus, quod apud Herbariæ rei ſtudioſos Globulariæ nomen vulgo invenit, Anguillara (ut dixi) Aphyllanthen appellat: Viennenſes matronæ Blau Ruckartza/ hoc eſt, cæruleam bellidem nuncupant, quo nomine etiam in Belgicis hortis culta dicebatur: Gallis *Marguerites bleuës*. Ego Viennenſi agro, niveo flore variantem nonnumquam conſpiciebam.

IACEA. CAP. II.

NVLLVM rei herbariæ ſtudioſum adeò tenues progreſſus in Stirpium cognitione feciſſe arbitror, qui Iaceas vulgo appellatas, ad Scabioſarum claſſem pertinere ſtatim non agnoſcat. Earum nonnulla genera in Pannonicis Stirpium obſeruationibus dedimus, à nemine tunc litteris prodita: ijſdem nunc Scabioſarum Hiſtoriæ proximum caput dabimus.

Iacea ſquamato cap. I. montana. PRIOR igitur numeroſa ab eadem radice promit folia, oblonga, vulgatiſſimæ Iaceæ haud abſimilia, nec tactu minus aſpera, ſapore nõnihil calido, ſubadſtringente tamen: caules plerumque cubitales, ſtriatos, ramoſos, folijs anguſtioribus, & interdum paucis lacinijs ſecundùm pediculum præditis obſitos, ut in vulgatiſſimâ: capitula in extremis ramis craſſiora, non hirſuta, ſed multis ſquamis tenuibus, &, ſi vel digitis leviter attingas, crepitantibus prædita, infernè candicantia, supernè verò, quâ ſe flos explicat, fuſca: flos multis exiguis foliolis ex purpurâ candicantibus, in quinque lacinias diviſis conſtat, è quorum medio purpuraſcens tubulus exilit, in ſummo veluti farina aſperſus, quem ambiunt purpurea majora longioráque foliola, quinque inæqualibus lacinijs etiam conſtantia, uti vulgatiſſima, ſemen Cnico formâ ſimile, ſed exiguum, nigrum, paulo majus quàm vulgaris, ſubadſtringentis guſtus: radix etiam vulgatiſſimæ ſimilis eſt, fibroſa, nigricans.

Floret Iulio & Auguſto, & ſubinde ſemen profert, quod maturum ſtatim è vaſculis reptans, ſiccum florem excutit.

Iacea ſquamato cap. II. montana. ALTERA ferè per omnia ſimilis, paulò tamen humilior, ut quæ rarò cubitalem ſuperet altitudinem, folijs minus aſperis, & aliquantulum incanis, paulò dilutiore flore, ſemine minore, nec nigro, ſed candicante & cineraceo, linguam etiam magis excalefaciente. Maturius plerumque floret, & ſemen Iulio perficit.

Natales. Provenit vtraque copioſè in montanis Pannoniæ & Auſtriæ pratis.

PEREGRINO ſemine, hoc eſt Creta allato, Scabioſæ nomine, nata eſt hæc planta: mihi autem erit Tertium Iaceæ genus, quod, cum reliquis Iaceæ & Stoebes à me deſcriptis generibus, proculdubio ad Scabioſarum claſſem pertinet.

Iacea ſquamato cap. III. Cretica. HABET verò multa longa folia, ſupra tellurem expanſa, inſtar majoris Scabioſæ Matthioli, craſſo nervo prædita, & ſecundùm illius longitudinem, non modò multipliciter laciniata, ſed ipſæ etiam laciniæ in minores alias ſectæ: caulis deinde emergit cubitalis & amplior, ſtriatus, durus, non diſſimilis Iaceæ primo loco, hoc capite deſcriptæ, per quem ſparſa ſunt folia, jam dictis minora, & minus laciniata: finditur deinde in varios ramos, minoribus adhuc folijs, & rarius ſectis præditos: extremi rami ſuſtinent ſquamata capita, quæ producunt deinde florem multis longioribus floſculis purpuraſcentibus, interdum omnino albis, & valde ſectis conſtantem, ex quorum medio exilit ſtilus palleſcens: evanido flori, ſuccedit ſemen non diſſimile prioris ſemini, multa lanugine involutum: radix ſatis craſſa, & fibris quibuſdam prædita, inſtar radicis Stoebes Hiſpanicæ, quæ an vivax ſit, me latet.

Iacea montana villoſo capite, ſive IIII. elatior. VENVSTISSIMA eſt Quarta Iacea, latáque & longa habet folia, ſuperioribus majora, magis albeſcentia, molliora, leviter per ambitum dentata, gummoſo quidem guſtu, ſed amaritudinis non exiguæ: caules plures ex eadem radice promit, cubitales vel etiam ampliores, & interdum minores, anguloſos & ſtriatos; capitula terna aut plura contigua ferè, ex multis ſquamis imbricatim diſpoſitis conſtantia, quarum cuſpides exterius reflexæ, in adeò crebra tenuiáque filamenta, ſive potiùs multifidam barbulam deſinunt, ut ipſa capita elegantiſſimo & tenuiſſimo reticulo incluſa videantur, miro Naturæ artificio: flores Priori ſimiles, purpurei, paulò tamen majores: ſemen maturum cinerei coloris, gracilius oblongiúſque priore, Cyani ſemini ferè reſpondens: radix priori non abſimilis, vivax, & multis nigricantibus fibris donata.

Iacea mont. villoſo cap. humilior, ſive V. QVINTA longè humilior eſt, cubitalem altitudinem vix attingens: alioqui, folijs, villoſis & retis inſtar formatis capitibus, atque adeò floribus magnam ſimilitudinem cum Quarta habet: ſemen variat, quod nigricans eſt, & paulò craſſius.

Natales. Iiſdem, quibus priores duæ locis, etiam hæ naſcuntur. Florent Iulio & Auguſto; ſemen item cum illis proferunt, quod maturitate ſiccum florem è calicibus excutit.

Jacea Latifolia capite hirsuto C.B. Pin: 271. Jacea nigra Laciniata C.B. Pin: 271.

Iacea IIII. Auſtriaca villoſo cap.



Iacea Auſtriaca VI.



Carduus muricatus, vulgo Calcitrapa dictus. Carduus Stellatus foliis papaveris erratici C.B. Pin: 387.



FOLIA Sextæ ſunt vulgari ſimilia, ſecundùm radicem leviter laciniata: caulis cubitalis aut amplior, gracilis, firmus, ſtriatus, nonnihil interdum purpuraſcens, in multas alas inæquales diviſus, per quem, ſub ſingulis alis, ſparſa ſunt folia jam dictis minora, anguſtioráque: flores in ſummis ramis è ſquamato, hirſuto, nigricante capite prodeútes, vulgatiſſimæ Iaceæ floribus omnino ſimiles, & ſuperioribus paulò ſaturatiores: ſemen priori æquale: radix alijs ſimilis. *Iacea mont. hirto cap ſive VI.*

Creſcit permixta cum ſuperioribus, atque eodem etiam tempore flores ejus explicantur.

MOLLIORA ſunt Septimæ folia quàm vulgatiſſimæ, quæ ſecundùm radicem ſunt, laciniata, ad Calcitrapæ vulgo dictæ, ſive Cardui muricato capite folia accedentia: caules cubitales, anguloſi, ſtriati, in multas alas diviſi: capitula hinc inde per ramulos confuſo ordine ſparſa, lógiuſcula, quamplurimis ſquamis conſtantia, quæ in minores tenuioreſque quàm Calcitrapa aculeos, eóſque valde barbatos deſinunt: flos Iaceæ aut Cardui muricati purpureus: ſemen non obſervavi: radix Calcitrapæ, ſive Cardui ſtellati vel rectiùs muricati radicem æmulatur. *Iacea mont. echinato cap. ſive VII.*

Ad montium radices, nonnumquam ſecundùm vias naſcitur in Auſtriâ inferiore & Stiriâ: & Auguſto menſe floret cum Calcitrapâ. *Natales.*

Illi autem non multum abſimilis videtur, quam ante multos annos nobis in Belgicâ natam memini, ſemine ex Italiâ miſſo Hyoſciridis Plinianæ nomine. *Hyoſciris Plinij.*

IACEÆ

Serratula Matthioli. B. Pin: 235



Carduus muricato cap. Hippophaſtũ. Hippophaës.

Serratula Matthioli.

IACEÆ appellatione has ſtirpes indigetavi, propter ſimilitudinem quam habent cum eâ quæ vulgo Iaceæ appellationem obtinuit, quam immutare nolui, donec aptiorem aliquam accommodare poſſimus: certũ tamen eſt, Scabioſis proximas eſſe. Earum autẽ primam, Iaceam montanam ſquamato capite nuncupavi: Tertiam, Iaceã Creticam: Quartam, Iaceam montanam villoſo retiformique capite: Sextæ, hirſuto capite: Septimæ, echinato capite cognomen addidi.

Sed quoniam in Calcitrapæ, ſive Cardui muricato capite (quod Hippophæſtum, ſive Hippophaës Dioſc. eſſe ſuſpicatur Fab. Colum.) mentionem incidimus: creſcit quidem illa nonnullis Stiriæ & Moraviæ locis, verùm non adeò frequens ut in Germaniâ reliquâ, & Belgicæ Galliæ Provincijs. Nuſquam verò non occurrit in ſilvis Pannoniæ & Auſtriæ, atque etiam in plurimis udis pratis, ſilvis contiguis, ea planta, quam Matthiolus Serratulam cognominavit. Vtraque etiam mihi frequens conſpecta Francofurtẽſi agro. Sed cùm ab alijs ambæ ſint deſcriptæ, illarũ hiſtoriam hîc retexere non exiſtimavi neceſſe: non inconſultè tamen me factum putavi, ſi utriuſque iconem ſubijcerem.

IACEA LVTEA. CAP. III.

Iacea Lutea capite spinoso B. Pin: 272.

Iacea luteo flore.



Iacea, ſive Carduus muricatus luteoſl re.

ACANACEI quidem generis capita habet hæc planta, perinde atque Carduus ille muricatus: reliquis tamen notis prorſus ad ſcabioſas & congeneres illis ſtirpes potiùs referenda.

LONGAS, cubitales, majoréſve fert virgas hæc planta, quas ſecundùm radicem folia Centaurij majoris quod multifido eſt folio & laciniato ſimilia amplectuntur, minus tamen ampla, ſuperiora verò quæ per virgas ſparſa ſunt, Iaceæ nigræ ſimilia, duriora aliquantulũ, & candicantia, guſtu utcumque acido: capita in ſummis virgis Cnici ſilveſtris majora, ſpinis horrida, è quibus flos luteus Attractylidis: ſemen in capitibus cineracei coloris, exiguum, multâ lanugine involutum: radix eſt longa, alba, ſucculẽta, dulcis, Eryngij vulgaris inſtar. Flore ſeneſcente & evaneſcẽte, ex medio capite, veluti gummi quoddam rufi coloris flori permixtum protuberat vermiculorum modo convolutum, aut inſtar Tragacanthæ officinarum: inde occaſionem ſumpſiſſe puto Salmanticenſes, ut illam Tragacantham appellarent: in quorum agro frequens naſcitur, ad Vinẽtorum margines & arido ſolo. Floret Iulio, ſemen Auguſto maturum eſt.

Natales.

SVPERIORI non multũ abſimilis abundantiſſimè invenitur agro Granatenſi & Valentino, locis humectis & umbroſis: folijs Seridis candicantibus, ramis cubitalibus & flexibilibus, in quorum ſummo capita ſquamata florem depromentia purpureum: radix valde craſſa eſt longáque & glutinoſa.

Iacea purp. Valentina muricato cap.

GRANATENSIBVS vulgo *Arzolla* dicitur, & proponebant nonnulli, dum iſtic eram,

eram, pro Poterio, cùm tamen ejus deſciptioni tam reſpondeat, quàm quod minimè. Florebat Martio.

Priorem in Belgio aliquando habuimus ſemine natam, quod ex Hiſpanijs ad amicos miſeram: ſed paucis perſtitit annis.

STOEBE SALMANTICENSIS. CAP. IIII.

NEMO ibit inficias, quin & ſtirpes, quas hoc capite deſcribere adgredimur, ad Scabioſarum claſſem ſint referendæ, cùm illarum forma plurimum ad Scabioſas accedat: propterea illas Iaceis ſubijcere volui. Jacea Cyanoides echinato capite B. Pin: 272.

Stoebe Salmantica I.

Stoebe major foliis Cichorei mollibus lanuginosis. B. Pin: 273.



Stoebe Salmantica II.



PRIOR Iaceæ ſimilis, folia humi ſtrata habet, Scabioſæ, Iaceæque folijs latiora, ad Cichorij folia accedentia, mollia, lanuginoſa, & interdum candicantia: aliquot ex eadem radice caules exeunt cubitales aut ampliores, multis alis brachiati, quibus inhærent minora minúsque diſſecta, & mucrone quodammodo ſpinoſo folia: flores naſcuntur in ſummis ramis villoſi, purpurei, ſquamatis capitibus comprehenſi: quos ſubſequitur ſemen ſubrufum Centaurij majoris æmulum, ſed minus: radix eſt longa, candida, digiti interdum craſſitudine, quæ nonnumquam vivax eſt, & plures annos durat. *Stoebe Salmantica I.*

SECVNDA, folia omnia habet mollia & lanuginoſa, Erucæ inſtar laciniata, caulem infirmum, ramoſum, in terram procumbentem, cujus flores ſummis ramis innaſcentes ſuperiore majores, barbulis exterioribus Cyani æmulis, purpureis (quibus intermixti villi quidam lutei) medium florem occupantibus: ſemen ſuperiori ſimile, vel Cyani ſemini: radix digitalis, albicans, non vivax, ſed quam ſubſequens hiems corrumpit. *Stoebe Salmantica II.*

TERTIA, numeroſa promit folia, ſecundùm radicem humi ſparſa, incana, oblonga, magnis & profundis inciſuris, quemadmodum in nonnullis Scabioſarum generibus laciniata: caules plerumque cubitales, locis autem frigidioribus & humidioribus bicubitales aut majores, in frequentes ramos diviſos: folia per ramos ſparſa altè quidem inciſa, ut ea ferè quæ ſecundùm radicem naſcuntur, ſed minora multo, & breviora, inque molles quoſdam aculeos deſinentia: ramorum faſtigijs inſident caliculi argenteis veluti ſquamis ſibi invicem imbricatim incumbentibus compacti, unde flos exilit Cyani forma, ſed purpurę dilutioris, & medio villoſus: ſemen lanugine quadam includitur ut in omnibus Iacearum generibus, & Cyanis, exiguum, nigricans, ſummo capite villoſum: radix ſingularis, craſſa, nonnumquam fibris aliquot, ſed paucis donata. *Stoebe Salmantica III.*

ALEBATVR, ante quàm Belgicâ excederem, in hortis Quartum quoddam genus, ſemine

Stoebe Salmantica III. Stœbe caliculis argenteis C.B. Pin: 273



Stoebe Gallica & Austriaca elatior.

mine nobis è Galliâ miſſo natum, Tertio adeò ſimile, ut ab eo, niſi à peritioribus vix dignoſci poſſet: nam ſolis caliculis, qui tam eleganti argenteo colore non ſplendent, ſecernebatur. Id poſtea, vel certè valde ſimile frequentiſſimum obſervabam Viennenſi agro ad arvorum margines, & ſiccioribus gramineis locis. Hallucinantur ergô illi qui eam plantam cum Cyano minore confundunt, diverſæ enim ſunt: neque enim minore altitudine creſcentem vidi quæ Viennenſi agro naſcitur, quàm quæ Gallico ſemine nata in Belgicis hortis.

Stoebe Austriaca humilis.

Sed in collibus, & montibus Viennenſi urbi vicinis, provenit aliud genus multò humiliùs, magis incanum, tenuioribúsque virgis, quod non multum differre videtur à minore illo Cyano, de quo ſermo.

Natales.

Naſcuntur omnes præter quarto loco deſcriptam, abundè Salmanticenſi agro in arvorum & vinetorum marginibus. Poſtrema autem cùm in Galliâ tum circa Viennam.

Florent omnes Iunio, Iulio, Auguſto, & ſubinde ſemen proferunt. In Belgicâ autem non niſi altero à ſatu anno florent.

SALMANTICENSES primam & tertiam Stoebes nomine inſigniebant, quòd extrema folia utcumque aculeata ſint: Secundam ad Cyani genera referebant, tertiâ etiam pro Scabioſa utebantur. Prior vulgo iſtic *Cabeçuela*, hoc eſt, capitulum dicitur, ex qua ſcopas ſordibus purgandis & everrendis idoneas concinnant, ut apud Belgas ex Betulæ ramis, aut Ericâ.

Centaurium majus I. vulgare.
Centaurium majus folio in lacinias plures diviso C.B. Pin: 117



CENTAVRIVM MAIVS.
CAP. V.

CENTAVRIVM magnum quale à Dioſcoride deſcriptum eſt, vulgaris omnino eſt notitiæ: illius propterea hiſtoriam non dabimus, ſed alterius cujuſdam, à me in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervati. Vtriuſque tamen iconem Lectoris oculis ſubijcere volui, ut diſcrimen tanto faciliùs agnoſci poſſit.

Centaurium majus II. ſive Luſitanicum.

ALTERVM ergo Centaurij magni genus longa habet folia, non in lacinias diviſa ut Primum, ſed Armoraciæ folijs non diſſimilia, & ad Glaſti foliorum humi expanſorum ſimilitudinem plurimum accedentia, per ambitum tamen ſerrata, ſaturæ viriditatis, & amariuſculi ſaporis: caules inter folia prodeunt cubitales aut ampliores, rotundi, circa ſummum bifidi aut trifidi, ſquamata capita ſuſtinentes, Prioris Centaurij majoris æmula: florem villoſum, coloris albeſcentis, inſtar Primi: ſemen Cnico ferè ſimile, ſeu, ut veriùs dicam, Primi, ſummo hirſutum, & molli lanugine involutum: radicem valde craſſam, duram, longam, denſo cortice tectam, foris quidem nigro, internâ verò parte flaveſcente, ſuccúmque croceum reſudante, qui cum amaritudine quadam aromaticus eſt.

Supra



Centaurium majus II. ſive Luſitanic. *Centaurium majus folio non diſſecto B: Pin: 117.*

Natales. Supra Olyſipponem, lapidoſus juxta Tagum collibus duntaxat inveniebam, in Belgicâ peregrinum omnino: nam tametſi radicem ad amicos inde miſerim muſco madido involutam, ut faciliùs cõſervari poſſet, & poſtea etiam Olyſſipone acceperim, numquam tamen iſtic perſiſtere, aut illum aërem ferre potuit. At Primum illud vulgare folijs diſſectis in omnibus hortis conſpicitur.

Nomina. GRÆCI *κενταύριον μέγα*, Latini Centaurium magnum appellant. Luſitani, Tagi accolæ, alterum genus, quod apud illos invenitur, *Rapontis*, hoc eſt, Rhaponticum nominant, vulgarem Pharmacopolarum errorem ſequuti, qui, notius illud Centaurium majus, eo nomine donant.

PTARMICA AVSTRIACA.
CAP. VI.

Jacea Oleæfolio capitulis ſimplicibus B. Pin 272
Ptarmica Auſtriaca.



Ptarmica Auſtriaca. CVBITALI aſſurgit Ptarmica Auſtriaca caule, candicante, Cyani æmulo: folia illi infimâ caulis parte ſecundùm radicem numeroſa, lõngiuſcula, anguſta, ſupernè viridia, infernè molli lanugine incana, acidiuſculi ſaporis, in ipſo autem caule rariora: caulis in aliquot ramos ſe ſpargit ſuſtinentes capitula, è ſquamis veluti argenteis imbricatim ſibi invicem incumbentibus contexta; è quibus emergit flos venuſtus & elegans, duodecim aut quatuordecim folijs conſtans, duris, ſiccis, mucronatis, coloris initio albi, deinde ex cęruleo quodammodo purpuraſcentis, aut illius æmuli qui in Seſamoïdis minoris Matthioli flore elucet, nullo odore commendatus, ſed ſolâ venuſtate gratus, & immarceſſibilis; coloris enim gratiam retinet per multos annos è trabe ſuſpenſus, aut inter chartas repoſitus: in ipſâ verò plantâ (ſi non evellatur) ſeneſcens ſubfuſcum contrahit colorem: ſemen non multum abſimile Seſamoïdi minori, tenuius tamen, & copioſum, inter albam lanuginem latet: radix ſingularis eſt, nigricans, dura, capillaribus quibuſdam fibris ſepta, ſed annua.

Natales. Exit pleriſque aridis locis Viennæ vicinis ſecundùm agrorum margines, omnium autem copioſiſſimè ad Structuram illam magnificam à Cæſ. Maximiliano II. inchoatam, ſed non abſolutam, quam ad Phaſianos cognominant, aut novam Structuram appellant (etiam intra ipſa pomeria in quibus varij generis arbores ſunt conſitæ) atque etiam ſiccioribus quibuſdam gramineis campis, ſingulis annis ſemine deciduo ſponte renaſcens. Floret Iulio.

Nomen. PTARMICÆ nomen huic plantę impoſui, non quòd ſternutamenta moveat, ſed quòd reliquis notis ſatis aptè cum Dioſcoridis Ptarmica conveniat: tenues enim habet virgas, folia oleæ incana, molliora tamen, & Anthemidis pænè florem. Auſtriacam cognominavi, quia primùm in Auſtriâ infra Aniſum flumen, præſertim verò circa Viennam totius Auſtriæ metropolim, ſpontè naſcentem inveniebam; conſpiciebam

ſpiciebam etiam in Pannoniâ transdanubianâ, Tirnavienſi itinere. A mulierculis rhyzotomis Scabioſa appellatur, ſiccáque in totum annum ſervatur, & venalis proponitur.

Sibi autem perſuadent, illius decoctum pueris & infantibus propinatum, adverſus faſcinationes valde utile eſſe.

Ptarmica vulgaris.

Draunculus pratensis serrato folio C.B.: Pin: 98.



Ptarmica vulgaris pleno flore.

Draounculus pratensis flore pleno. C.B. Pin: 98.



Pyrethrum ſive Ptarmica pratenſis.

CETERVM, Ptarmica illa vulgaris notitiæ, in Belgicis pratis naſcens folijs longis, anguſtis, in ambitu ſerratis, flore Anthemidis albo, quam nonnulli Pyrethrum ſilveſtre appellant, paſſim in Germaniæ, Bohemiæ, Vngariæ, Auſtriæ, & Moraviæ pratis ſimiliter creſcit: Creſcit etiam in Angliâ.

AT iſtic etiam in quibuſdam pratis reperire eſt aliud ejus genus elegans, referente honeſto viro Iacobo Gareto Iacobi F. Aromatario Londinenſi, qui ejus iconem, quam hîc cum vulgari expreſſam damus, ad me mittebat.

Ptarmica pratenſis pleno flore.

EX eadem radice, quæ vivax eſt, & plurimis fibris capillata, naſcuntur ſingulis annis plures novæ virgæ, inſtar vulgaris illius, quas nulla ſerie diſtributa ambiunt ſimilia etiam folia, longa, anguſta, in ambitu ſerrata, ex quorum alis frequentes prodeunt rami, tenues, ſimilibus, minoribus tamen folijs ornati, quorum ſinguli in exiles pedicellos deſinunt, ſuſtinentes flores Pyrethro vulgari ſilveſtri quidem concolores, ſed multiplici foliorum ſerie conſtantes & plenos. Quo tempore floreat, non adſcribebat qui iconem mittebat: veriſimile tamen eſt, cum Pyrethro ſilveſtri ſimplici flore, ſuos flores explicare.

ASTER. CAP. VII.

ASTERIS non parva eſt varietas: nam in meis peregrinationibus obſervatæ mihi ſunt elegantes quædam plantæ, quæ ad illius genera referri poſſe videntur. Nos autem illas deſcribemus, initium ab eo Aſtere facientes, quod omnes doctiores legitimû eſſe cenſent.

Aſter atticus legit. ſive 1.

VNICO plerumque aſſurgit Primus Aſter cauliculo, pedali, duriore & quodammodo lignoſo, lanugine pubeſcente, qui ſuperiore parte in ramulos dividitur caulem ſuperantes, quorum extremis ſquamata inſident capitula, folijs quinque ut plurimum longis, hirſutis, rigidiuſculis, & radiatim expanſis ſubtus exornata, in medio verò flos Chryſanthemi, aut Anthemidis, aureus: folia per caulem ſparſa mollia, lanuginoſa, candicantia, ut Lychnidis ferè, ſed anguſtiora: radix durabilis non eſt, ut quæ ſingulis annis pereat.

Frequentiſſimus eſt hic Aſter Granatenſi Regno, & agro Salmanticenſi in arvis, ubi Maio & Iunio floret: memini etiam olim Mompelliano agro, cùm in illâ urbe viverem, ad por-

Aster Luteus foliolis ad florem rigidis C.B. Pin: 266.

Aſter I.



Aſter II. ſupinus.

Aster Luteus supinus C.B. Pin: 267.



Aſter III. Auſtriacus I.

Aster Luteus major foliis succisæ B: Pin: 266.



ad portam D. Ægidij, non procul Auguſtinenſium cœnobio, atque alijs locis urbi vicinis frequenter colligere.

Aſter ſupinus ſive II.

ALTER ſupinus eſt, cauliculis multis ab unâ radice prodeūtibus, donatus, humi magna ex parte ſtratis & diffuſis, hirſutis: folijs numeroſis, ſuperiori pænè ſimilibus, ſed paulò viridioribus: ſinguli rami durum & folioſum ſuſtinent caliculū in quo flos luteus circinatæ rotunditatis, Buphthalmi aut Chriſanthemi æmulus: quo evaneſcente, caliculi in adeò dura & lignoſa capitula evadunt, ut ungue vix frangi poſſint, atque ſemen, quod in ijs continetur & firmiter inhæret, eximi.

Natales.

Invenitur hoc genus quibuſdam Caſtellæ novæ locis: ſemine ex Hiſpaniâ miſſo natum etiam excrevit, & fictilibus aliquot annis obſervatum: ſed poſtea exemptum teſtâ, & horto commiſſum, ſubſequente hieme corruptum eſt.

Aſter Pan. major, ſive III.

TERTIVS, ex radice nigrâ, obliquâ, multis albicantibus fibris capillatâ, & lateribus propagines fundente, multa initio promit folia, Scabioſæ, aut, ut verius dicam, Succiſæ folijs ſimilia, dilutiore tamen viriditate, & tenui etiam interdum lanugine prædita, guſtu aliquantulum acri & amariuſculo: inter quæ prodit caulis cubitalis aut amplior, teres, plerumque rubeſcens, per quem ſparſa ſunt folia, jam dictis anguſtiora, mucronata, & nonnihil dentata: is extremâ parte in aliquot ramulos diviſus eſt, magnos ſuſtinentes

Aſter IIII. Auſtriac. II.



Aſter V.



flores,ex multis quinque foliorum luteis floſculis,atque in orbiculare caput congeſtis conſtantes,quos per circumferentiam ambiunt oblonga,latiuſcula,plana folia , elegantiſſimo colore flavo,nullo autem (aut certè perexiguo) odore prædita : floribus ſuccedens ſemen, inter villoſam quandam in capitulis materiam latet,anguloſum & quaſi triangulare.

Natales. Paſſim ad Alpium Auſtriacarum & Stiriacarum radices aprico loco, nonnumquã etiam umbroſo naſcitur, ubi Iulio floret, Auguſto ejus ſemen maturum eſt : at in Leytenberg, multíſque alijs collibus Viennæ vicinis , ubi etiam frequens creſcit,Iunio flores producit, ſemen Iulio.

Aſter Pan. ſaligñ. folijs, ſive IIII. CVBITALES habet Quartus caules,ſtriatos,firmos,virides, multis folijs Tertio anguſtioribus, ſalignea ferè referentibus,nullâ tamen lanugine pubeſcẽtibus, ſed viridibus,duris, in ambitu tenuiter ſerratis(quod à pictore prętermiſſum eſt) nec acrimoniâ carentibus; pręditos,ſupremâ parte in ternos aut plures ramulos diviſos,ſuſtinentes capita è multis viridibus foliolis ſibi invicem incumbẽtibus compacta, quæ tandem in flores ſeſe explicant non minùs amplos quàm ſuperioris , minore tamen diſco ſive medio orbe, & anguſtioribus cum ambientibus foliolis,in extremo bifidis,lutei coloris:radicem nigricantem,fibroſam,adnatis ſe mirificè propagantem,& ſub tellure ſerpentem.

Natales. Frequens eſt in montanis ſiccioribúſque pratis, cæduis ſilvis, montibúſque Viennæ vicinis,unà cum duabus ſuccedentibus interdum naſcens : etiam in Moraviâ . Florere incipit Iunio.

Aſter lanuginoſo folio ſive V. QVINTVS multis etiam ab unâ radice aſſurgit caulibus,gracilibus,firmis,cubitalibus,virentibus aut purpuraſcentibus , ſubhirſutíſque , quos confuſo ordine ambiunt frequentia folia,longa,ſalignis ſimilia, viridia, tranſverſum digitum lata, ad terram nonnihil reflexa, latâ ſede caules amplectentia,molli lanugine obſita,ſapore ſubamaro & acri: ſummo cauli inſidet capitulum multis foliolis & veluti ſquamis conſtans, orbem ſatis magnum continens,è plurimis luteis, muſcoſis floſculis compactum, nullo odore commendatum, quem numeroſa ambiunt longiuſcula foliola Helenij florem ambientibus foliolis ſimilia , anguſtiora tamen,flaui coloris, ſed dilutioris, quàm medius orbis:circa ſummum caulem , à foliorum exortu, terni,interdum quaterni aut plures exeunt ramuli,ſummum ipſum caulem ſuperantes,ſinguli florem primario ſimilem ſuſtinentes:reſiccatis floribus, ſemen exiguum in ijs capitulis continetur,quod maturum, cum pappo , ſive villoſa ſua cæſarie à vento diſcutitur:radix admodum fibroſa eſt,nigricans , ſubinde novas propagines è lateribus producens,& recentibus fibris ſeſe firmans.

Provenit

Aſter Luteus Linariæ rigido glabro folio C.B. Pin: 267.

Aſter Montanus cæruleus magno flore folijs oblongis C.B. Pin: 267.

Provenit pleriſque locis ad montium & collium radices ſecundùm vias, agro Viennenſi, & cæduis Pannoniæ ſilvis. Floret etiam Iunio: ſemen Iulio maturum. *Natales.*

Aſter VI. Auſtriac. IIII.



Aſter VII. Auſtriac. V.



HVMILIOR eſt ſuperiore Sextus, pedalem altitudinem rarò ſuperans, numeroſas à radice (non minus fibroſâ quàm Quarti, nec pauciores illâ propagines agente) proferens virgas, graciles, duras, virides, quas frequentia, ſed confuſo ordine naſcentia ambiunt folia, ſuperiore anguſtiora, nigriora, duriora, mucronata, Ptarmicæ vulgari ſive Pratenſi, quæ & Pyrethrum ſilveſtre vulgò dicitur, non diſſimilia, minimè tamen per oras ſerrata, amariuſculo ſapore, cui nonnihil acrimoniæ adjunctum ſit: ſummis virgis inſident flores, ſuperiori formâ ſimiles, attamen minores, capite etiam foliato, ſive crebris foliolis imbricato: ramoſæ etiam circa ſummum ſunt virgæ, ſed rami matrem rarius ſuperant: ſemen ſuperiori ſimile. *Aſter anguſtifol. ſive VI.*

In umbroſis montium urbi Viennæ vicinorum pratis, in ipſis etiam collibus herboſis, atque in ſilvulâ ad Danubium ſita paulò ſupra Eberſtorf arcem Imperatoriam, primo cum ſemiſſe ab urbe Viennâ miliari copioſè creſcit. Floret paulò ſeriùs poſteriore. *Natales.*

MVLTA ſunt Septimo generi folia, circa ſedem anguſta, per ſummas oras latiora, cuſpide obtuſa & quaſi orbiculata, Bellidis folijs non valde diſſimilia, ſupernè atque infernè lanugine quadam nonnihil pubeſcentia, guſtu primum exſiccante, deinde amaro: ex horũ medio caulis exit dodrãtalis, folioſus, hirſutus, capitulum in ſummo gerens è numeroſis, mollibus, & purpuraſcentibus foliolis conflatum, & in eo magnum florem, multis tenuibus longiſque ex cæruleo purpuraſcentibus foliolis, flavum orbem vallãtibus, conſtantem, qui maturus in pappum evaneſcit: radix eſt Bellidis aut Scabioſæ, lateribus propagines fundens, & albis fibris capillata. *Aſter alpinus car. flo. ſive VII.*

Oritur herboſis Auſtriacarum alpium jugis. Floret Iulio. In hortos tranſlata, ſub finem Maij & Iunio floruit, ſubſequens deinde hiems abſtulit & corrupit: ex earum enim ſtirpium eſt genere quæ cultura vix miteſcere volunt. *Natales.*


HIS adjiciemus Octavum Aſterem vulgaris notitiæ, qui florem habet conſtantem purpureis ſeu potius cæruleis foliolis orbem luteum ambiẽtibus: nam tametſi à pleriſque alijs deſcriptus ſit, quia tamen multis Pannoniæ & Auſtriæ locis & in ipſa etiam Moravia, naſcentem obſervabam vel latiore folio, vel anguſtiore præditum (duorum enim generum invenitur) latifolium quidem Viennenſi agro, & pleriſque alijs ſiccioribus locis, anguſtifolium verò (cujus & pumilum genus eſt) in quibuſdam montibus & pratis: ſuum locum inter reliqua Aſteris genera illum obtinere volui. *Aſter cærul. Italorum, ſive VIII. duorum generũ.*

GRÆCIS porrò ἀςὴρ ἀττικὸς καὶ βυϐώνιον: Plinio, Aſter & Bubonion, nonnullis Inguinalis. *Nomina.*

Aster Atticus cæruleus vulgaris B:Pin: 267.

Aster VIII. Italorum & Fuchſij.

Oculus Chriſti.



Amellus Virgilij.

nalis. Mompelliani Primum appellabant Oculum Chriſti, quo iſtic vivebam tempore: Hiſpani *Bobas*, quam vocem à Bubonij vocabulo deductam puto, aut quod Inguinum tumoribus, quos illi *bobas* vocant, medeatur: unde etiam Latinis Inguinalis. Reliquorum generum, nullum vulgare nomen intellexi ab incolis earum Provinciarum in quibus creſcit: Secundo autem Supini cognomen poſſet adijci. An Tertius Lobelio Adverſariorum pagina 148. notus fuerit, me latet, cùm ille ſuo unicum florem tribuat, hic plures flores ſuſtineat: illum tamen Pannonicum majorem vocare licebit: Quartum, Aſterem Pan. ſaligneo folio; Quintum, Pan. ſubhirſuto ſalicis folio: Sextum, Pan. anguſtiore folio: Septimus, Virgiliano Amello quodammodo reſpondere videtur, & forſitan Amellus alpinus dici queat: nam in alpinis pratis, ut dixi, naſcitur: Octavus, Italorum & Fuchſij Aſter eſt.

DORONICVM. CAP. VIII.

VARIA Doronici genera in Pannonicis Noricíſque, ſive Stiriacis Alpibus naſcentia obſervabam, ab illis quæ in Belgicis hortis alebantur, diverſa: Belgica verò Auſtriacis (quibus antea ignota) accerſitis meâ operâ è Belgio uſque eorum ſtirpibus, communia facta.

Doronicum latifolium.

Doronicum radice Scorpii B:Pin:184

Doronicum latifolium.



Doronicum anguſtifol.

Doronicum plantaginis folio B:Pin:184

Doronicum II. Auſtriac. minus ſive I.

Natales.

LATIFOLIVM, quale in Belgicis hortis alebatur, in Allobrogicarum Alpium ſcopulis ſupra Lemanum lacum ſponte naſcens colligere memini anno M. D. LIIII. dum è Narbonenſi Galliâ per Helvetios in patriam redirem. Id Lobelij Tertium eſt in Obſervationibus.

EIVS ordine Primum, longiore folio, ad Plantaginis folium quodammodo accedente, munere Pariſienſis cujuſdam hortulani, qui Burdigalæ vicinis locis delatum aſſerebat, primus Petro Coldebergio Pharmacopæo doctiſſimo Lutetiâ rediens communicavi; is tum in Burgenhout vicino Antuerpię pago hortũ alebat.

EORVM autem Doronici generum, quę in Auſtriacis, Stiriacíſq; jugis à me obſervata, Primum (ut à minoribus initium faciamus) caule eſt brevi, pedali duntaxat, molli, hirſuto, ſtriato: folia illi rara, parva, craſſa, longiuſcula, ſupinâ parte admodum viridia, & quodammodo ſplendentia, omnino tamen villoſa, pronâ autem lævia, dilutius virentia, at quæ caulem ambiunt, anguſtiora ſunt, omnia porrò peracris ſaporis: ſummo caule unicũ plerumque fert florem Tertio Lobeliano ſimilem, ſed magis aureum, quo evaneſcente, ſuccedit exiguum ſemen nigricans, lanugine & pappo coronatum, quod levi aurâ excutitur, & venti arbitrio fertur: radix parva, geniculata, & internodijs diſtincta, nigricans, craſſioribus candicantibus aliquot fibris donata, guſtu aromatico.

Primum id obſervabam in Sneberg, deinde in Snealben & Neuberg: nuſquam verò majore copia quàm in ſummo Etſcheri jugo, inter ſaxa, tenui nigráque terrâ leviter tecta. Floret Iulio, nonnumquam etiam Auguſto, quo menſe ſemen ſubinde maturitatem conſequitur.

ALTERVM

Doronicum Longifolium hirsutie asperum B: Pin: 185.   Doronicum radice dulci B: Pin: 184

Doronicum II. Auſtriacum I.




Doronicum III. Auſtriac. II.



Doronicum latifolium flore magno B: Pin 185

Doronicum IIII. Stiriacum.



ALTERVM caulem habet aliquando cubitalem, rotundum, ſtriatum, viridem, intus concavũ, capitulum in ſummo caule magnum, ex multis floſculis luteis cõcavis, & quinque crenis diviſis congeſtũ, quod ab alijs longiuſculis & in extremo crenatis folijs, fulgore auri ſplẽdentibus ambitur, non inodorũ: ſemen ſuperiori ſimile, cum ſuo pappo facilè evaneſcens: folia circa radicẽ longo pediculo inhærentia, orbiculata ferè ſunt, ſenſim tamen à pediculo in latitudinẽ ſeſe explicant, in ambitu dentata & ſerrata, quæ verò caulẽ ambiunt, longiora, & ab ipſa ſtatim pediculi ſede in latũ expanſa, omnia ſaporis acris & amari: radix ex viriditate candicans, minimum digitũ craſſa, geniculata, & quaſi ſquamata, internodijsq; diſtincta, ſed nodis ſurſum tendentibus, non infernè, ex inferiore geniculorum parte longas agens fibras, albas, ſatis craſſas, & propagines in lateribus, guſtu ferè ſucci è glycyrrhizæ radice expreſſi & denſati. *Doronic. III. Auſtriac. alterum.*

Invenitur in Erſcher, Durrenſtain, & quibuſdã alijs Auſtriacarũ, Stiriacarumq. Alpium jugis, inter ſaxa, in profundis ſcrobibus, ubi perpetuæ ſunt nives, ſed illis repercuſſione radiorũ Solis rupes & ſaxa ferientis, ſolutis parte ſaxis vicinâ, & veluti in fornicem cõcameratis, nuſquam tamen abundantius quàm in Durrenſtain. Floret Iulij initio, aut etiam ſerius; in hortos verò tranſlatum, ubi non diu permanet, Maio plerumque. *Natales.*

HVMILIVS plerumque eſt Tertium, & capite floris majore, folijs à pediculo ſtatim pænè *Doronic. IV. Stiriacum.*

orbicula-

Doricum v. Germanicum. Doricum vi. Pannonicum.

Doronicum plantaginis folio alterum C.B.: Pin: 185.





orbiculatis,ut in Cyclamino,alioqui ſuperiori non diſſimilibus:radicum item nodi & propagines neque in hoc,ut nec in præcedente, deorſum tendunt (nodi autem in hoc minus apparentes) aut anſarum inſtar longè à matre ſeſe ſpargunt: ſed quaſi matri contiguæ ſurſum tendunt, & extra terram folia promentes, fibris in tellure ſeſe firmant, ne quis ſine fibris utu trinque anſatas exiſtimet.

Natales. Naſcitur in Veytzalben ſupra Neuberg in Stiria:& eodem quo præcedens genus tempore floret.

DORONICIS etiam adnumero tres ſequentes ſtirpes,quarum Prior in omnibus ferè pratis ſublimioribus ad Alpium radices,tum in ipſis Alpibus Auſtriæ ſitis frequens eſt: præſertim verò in Wechſel,ad cujus radices Maio florebat,in ipſo autem jugo, qua Septentrioné, & Orientem ſpectat, ſerius. Eruebam etiam his proximis annis in cæduis ſilvis ad Mœnum amnem ſitis,circiter mille paſſus infra urbem Francofurtum ad ſiniſtram. Memini etiam in montanis Belgicæ cæduis ſilvis erutam, ad nos Machliniam aliquando adferri, Damaſonij appellatione.

Doronic. v. German. c. EA porrò terna aut quaterna ſumma tellure fundit folia, Plantagini latifoliæ ferè æqualia,longiora tamen,& ad Digitalis, luteum ſeu pallidum florem ferentis, foliorum ſimilitudinem magis accedentia,nervis diſtincta,mollia,viridia, ſupernè nonnihil villoſa, infernè candidiora & læviora,bina ſemper ex adverſo naſcentia, guſtu nonnihil amaro, & acri: caulem habet ferè cubitalem,nudum,rotundum,hirſutum, qui ſuperiore parte in paucos ramulos diviſus, calicem ſuſtinet hirſutum, ex quo magnus emergit orbis multis floſculis luteis in quatuor foliola diviſis, conſtans: eum orbem ambiunt quindena aut plura folia, Doronico latifolio ſimilia,latiuſcula, & per extremum crenata,coloris flavi elegantis: ſemen floribus ſuccedens,ut in Doronici generibus, in pappum evaneſcit: radix minimi digiti craſſitudinem pænè æquat,nodis quibuſdam informibus diſtincta,multíſque fibris donata,lateribus propagines fundens,& ſingulis annis nova germina proferens.

Doronicum Pannonic. ſive vi. ILLI non valde diſſimilem ſatis copioſè naſcentem inveniebã,vicinis Nemethwywar, munitiſſimæ Ill. Balthaſaris de Batthyan arci,cæduarum ſilvarum declivibus: plura tamen ſecundùm radicem habebat expanſa folia, minus nervata & anguſtiora, anguſtiora etiam quæ caulem ambiebant, perinde tamen ut illa ex adverſo naſcentia,quę cũ ſuo caule nonnihil hirſuta erant:ejus ſuprema pars in plures ramulos dividebatur, ſuſtinẽtes hirſutos calices,unde emergebant ſimiles ferè flores,coloris tamen aurei elegantiſſimi, duplici interdum foliorum,medium orbem ambientium, & quodammodo per extremum fimbriatorum ſerie conſtantes:radix gracilior eſt Superiore, non paucioribus tamen fibris adnaſcentibus

tibus

tibus donata, quàm illa. Maio etiam florebat. An porrò hoc genus Montana Doctiſſimi viri Simonis de Tovar, an alterum ſecundo loco deſcriptum?

Doronicum VII. Auſtriac. III. *Doronicum maximum folijs caulem amplexantibus* *C.B. Pin: 185*



SEXTVM genus omnium maximum, bicubitalem interdum aut ampliorẽ habet caulem, minimi digiti plerumque craſſitudine, ſtriatum, hirſutum, ſummo cacumine in aliquot alas diviſum: folia circa radicem orbiculata, longo pediculo inhærentia, rugoſa, & nonnihil hirſuta, quæ verò nullo ordine digeſta caulem ambiunt, ampliora ſunt, mucronata, in ambitu leniter dentata, pediculo nullo, ſed inſtar foliorum Peruäni Hyoſciami latifolij, Tabacum majus vulgo vocati, caulem latiore baſi amplectentia, viridia, hirſuta: flores extremis alarum ramulis inſident magni, vicenis aut tricenis oblongis folijs, & orbem ſatis latum ambientibus conſtantes, lutei coloris, odoris expertes: ſemen ut aliorum Doronici generum, ſtriatum, vireſcentis tamen coloris, quod cum ſuo pappo, auræ leni flatu defluit, initium ab exteriore ambitu faciẽs, quemadmodum & in reliquis Doronici generibus: radix ex viridi candicans, nodoſa, ſquillulæ ſimilis eſt: ſed ubi propaginibus aucta eſt, craſſior fit, & ex multis veluti corporibus in unicum conflatur, & coaleſcit. *Doronicum maximum Auſtriacum, ſive VII.*

Secundùm rivos è montibus labentes, locis umbroſis in deſcenſu jugi Wechſel primùm obſervabam, unde in hortum tranſlatum mihi egregiè propagatum fuit: ſed poſtea longè majore copiâ, declivibus, ſilvoſis tamen, locis Etſcheri & Herren alben inveniebam Auguſto flores proferens, cùm in Wechſel floreret Iunij initio. In hortis cultum Maio flores dat, veluti & in montanis ſilvis ultra Dravum, Pannoniâ interamni, ubi anno M. D. LXXIX. frequentiſſimum etiam obſervabam: ſemen in hortis Iunio maturum. *Natales.*

NVLLVM Primi & Quarti generum in Auſtriacis & Stiriacis jugis obſervatorum vulgare nomen mihi compertum eſt: Venatores, paſtoréſque montani Secundum & Tertium genus Gemſswurtz/ hoc eſt, Rupicaprarum radicem appellant, & adverſus vertiginem non minus commendant, quàm Auriculæ urſi flavo flore radicem, viribúſque firmandis adprimè utilem eſſe ferunt. Quartum genus, ut dixi, Aliſmatis ſeu Damaſonij nomine ad nos miſſum, nec abſimile videtur illi plantæ quàm Matthiolus pro Aliſmate exhibet. Meminit etiam hujus, ni fallor, Ioſias Simlerus ad calcem Commentarij de Alpibus. Mutterwurtz/ ait, à quibuſdam dicta, veluti plantago quædam Alpina, folijs plantaginis, leniter hirſutis, flore Doronici, radice aromaticâ. *Gemſs-wurtz.*

CONYZA. CAP. IX.

TRIPLICEM Conyzam facit Dioſcorides, majorem, minorẽ, mediam: binas priores in calidioribus regionibus ſponte naſcentes obſervabam: poſtremã etiam vidiſſe puto. *Conyza veteribus triplex.*


MAIOR plures ex eadem radice emittit caules, ſeſquicubitales plerumque, aut majores, duros, lignoſos, hirſutos, pingues, obſoleti coloris: folia in his multa, inordinata, alternis caulem amplectentia, duplo quàm Oleæ majora, hirſuta & pinguia, ſeu glutine quodam & pinguedine obſita, ex viridi pallentia: flores ut plurimum extremis ramis ſpicæ inſtar innaſcuntur lutei, rotundi, Senecioni ferè ſimiles, & in pappum, ut illius, evaneſcentes: ſemen exiguum, cinerei coloris: radix craſſa, fibroſa, vivax & multis annis perſtans, quotannis novos pluréſque caules proferens. Tota planta pinguis, glutinoſa, & odorata cum quadam gravitate. *Conyza major.*

Supra Olyſipponem frequentiſſima ad collium Tago flumini imminentium radices, Murciano item Valentinóque regno, atque etiam Narbonenſi agro juxta vias & vinearum margines. Aliquando apud nos in Belgica fictilibus ſata provenit, & egregiè flores protulit, ideóque florentem depingendam curabam: verùm cùm hiems ſubſequens illam abſtuliſſet & corrupiſſet, non potuit radix adulta exprimi. *Natales.*

MINOR

Conyza major.

Coniza major altera C.B: Pin: 265.



Conyza III. Auſtriaca.

Coniza panonica lanuginoſa C.B: Pin: 268



Conyza minor. MINOR rarò plus uno aſſurgit caule, cubitali, plerumque minore, ramoſo, hirſuto etiam & glutinoſo, ſed magis virente quàm ſuperioris: folia ſunt triplo minora, ad Linariæ folia accedentia, villoſa tamen pinguiáque etiam illa: extremi ramuli ſecundùm longitudinem, veluti in Majore, flores ſuſtinent, minores & longè minus ſplendidos, in pappum ſimiliter evaneſcentes: radix (omnium quidem quas obſervavi ejus generis ſtirpium) ſingularis, & annua. Tota planta odoratior eſt Priore.

Natalis. Creſcit autem frequentiſſimè in agris non procul Madritio, via quâ Toletum itur. Memini etiam in Galliâ Narbonenſi ſępe legere infra ſilvulam illam, ſecundùm quam via eſt à Mompelio Peraul, ſtagnis adjacentem pagum, dum ad maritimam herbationem proficiſcerer. Viennæ Auſtriæ etiam mihi nata, ſemine ex Hiſpanijs accepto, aliquot annis in horto perſtitit, ex ſemine deciduo rediviva. Floret autem cum Majore, ſub Autumnum videlicet, & ſubinde ſemen profert.

VERVM C.V. Leonhardus Rauwolfius Doctor Phyſicus, aliud hujus genus circa Tripolim Syriæ obſervavit, quod primo libro ſui Itinerarij deſcribit his verbis.

Conyza minor Rauvolfij, fortè majoris genus. Eo loco conſpiciebam Tithymalum paralium, Conyzæ præterea minoris genus, plures ex eadem radice proferēs cauliculos, circiter pedem aut paulò ampliùs altos, quorum nonnulli ſunt ſurrecti, potiſſima verò pars humi procumbit, nouáſq; fibras agens, ſubinde alios cauliculos producit: longiuſcula habet Oleæ folia, pinguia, ſubhirſuta, ſatis gravis odoris, cui tamen ſuavitas quædam admixta ſit: alioqui floribus & ceteris notis Majore non valde diſſimilis.

TERTIAM autem legitimam nemini adhuc cognitam arbitrabar, cùm Hiſpanicas ſtirpium Obſervationes evulgabam, quia hoc nomine ab alijs exhibita, mihi nō ſatisfaciebat; ſed nec adhuc mihi probari poteſt. Poſtea tamen in Auſtriâ verſans, ſtirpem quandá ſponte naſcentem inveni, quæ non incommode referri poſſe videtur ad Conyzam Tertiam Dioſcoridi deſcriptam, locis non riguis, ipſo aſſerente, creſcentem.

Conyza III. Auſtriaca, legitima fortè Dioſc. PEDALES verò habet interdum caules, rectos, firmos, duros, incanâ lanugine tectos, quibus longa inhærent folia, Conyzæ majoris foliorum amplitudine, mollia, incana, hirſuta, dorſo prominente, longiore, quæ circa radicem ſunt, pediculo, quæ autē ſuperiorem caulis partem amplectuntur, brevi, aut prorſus nullo: ea trita, non injucundum ſpirant odorē, guſtata, amariuſcula & acriuſcula deprehenduntur: flores extremo cauli, & ramulis illi inhærentibus inſident magni, Helenij florum formâ, multis foliolis luteis medium diſcum ſeu orbem palleſcentem ambientibus, nullo odore præditi: radix longa, tenuis, nigricans, ſerpens, ſubinde ad ipſa capita, unde caules prodeunt, multas candicantes fibras undique ſpargens, reſinaceum quidpiam olet, guſtataq; amara & acris deprehenditur, vivax & perennis.

Exit

Conyza media, vulgaris.

Conyza media aster flore luteo. B. Pin. 265.



Conyza Matth. Bacchatis Monſpel.

Conyza major vulgaris B. Pin. 265.



Exit ſponte ſiccis & aridis locis, herbiferis tamen, decliuibus collium ad Zimmerin, qua ad Phaſianorum iter eſt, primo ab urbe Viennâ miliari, ad Badenſes thermas, Radaun, Petronellam, atque ſecundum vias publicas. Floret Iunio. *Natales.*

GRÆCIS porrò hęc planta *κόνυζα* dicitur: Plinius Conyzã vocat, & majoris radicẽ à quibuſdã Libanotim appellari tradit. Theophraſtus ſexu etiam diſtinguit, majorem nominans marem; minorẽ, feminam. Gaza pulicariam vertit, propter eam fortè quam illi Dioſcorides enecãdis pulicibus tribuit facultatem: nam alia eſt Pulicaria dicta ob ſeminis cum pulicibus ſimilitudinem. Hiſpani quidam *yerua pulgera*, nimirum ob ſimiles, quas dixi, vires vocant. *Nomina.*

CETERVM frequentiſſima etiam eſt, in omnibus Regionibus quas peragravi, locis riguis, Conyza illa vulgaris, ab omnibus Tertia Dioſcoridis aut Media credita, quę duorum eſt generum, Major & Minor: utraque pro ratione natalium humidiorum aut ſicciorum, luxurians & uberior, aut retorrida. Hujus nullum vulgare nomen intellexi, nec ejus facultates mihi ſunt compertæ: iconem tamen Lectoris oculis ſubijcere volui. *Conyza vulgaris Maior & Minor.*

QVÆ verò à Matthiolo Conyzæ majoris nomine exhibetur, Conyza eſſe non poteſt: ſed ad Dioſcoridis Baccharim accedere, non ineptè forſitan quis cenſeat, pro qua etiam Mompeliani, cùm iſtic viverẽ, illam habebant: Salmanticenſes verò, neſcio quibus rationibus inducti, Helenium vocabant, nullis tamen notis convenientibus. Radicem porrò ex vino decoctam propinabant quædam vetulæ ad profligandam ſcabiem; in quem uſum & nonnulli monachi ex ejus radice & folijs unguentum parabant. Naſcitur etiam hæc ſponte pleriſque Pannoniæ & Auſtriæ cæduis montanis ſilvis: & illius iconem hîc adijciendam exiſtimavi. *Conyza Matthioli. Baccharis Dioſc. ejus facultates.*

ALIAM autem plantam obſervaſſe in deſcenſu Libani montis ſcribit Rauwolfius, XII. cap. Lib. II. ſui Itinerarij, quæ plurimum ad Dioſcoridis Baccharim accedere ipſi viſa eſt: ex notis tamen, quas illi tribuit, potius ad ea Gnaphalij montani genera referenda videtur, quæ à doctiſſimo Fuchſio & alijs pleriſque Piloſellæ minores appellantur, cum quibus ipſe etiam Rauwolfius magnam (ratione florum) affinitatem habere refert. *Baccharis Rauvvolfij.*

IACOBAEA PANNONICA. CAP. X.

VVLGARIS illa multis Provincijs planta, quæ ab Herbarijs Iacobæa appellatur, etiam in Pannonijs, Auſtriâ, vicinisque Regionibus naſcitur frequentiſſima. Inueniuntur tamen & aliæ ſtirpes, quæ, meo judicio, ad ejus claſſem referri poſſunt. *Iacobæa vulgaris.*

PRIMA, Iacobææ vulgari admodum ſimilis, niſi tota mollior eſſet, caulem habet cubitalem, *Iacobæa Pannonica I.*

Iacobæa montana lanuginosa anguſta non laciniata C.B.Pin. 131.

Iacobæa vulgaris Laciniata C.B.Pin: 131.



Iacobæa II.



talem, ſtriatum, in multas alas inęqualiter diviſum, ſub quibus folia valde laciniata, mollia, & tenella, ſaporis amaricantis & acriuſculi, odoris non injucundi: flores in extremis ramis rariores quàm in vulgari, minoréſque & pallidiores, qui maturi in pappum & lanuginem reſolvuntur, cui ſubeſt ſemen vulgari ſimile: radix, tametſi valde fibroſa, non eſt perẽnis, ſed ſingulis annis perit. Tota ſtirps mollibus villis, & pingui quodammodo lentore eſt obſita.

Natales. Creſcit in Pannoniæ & Auſtriæ cæduis ſilvis, præſertim in Leytenberg: plurimum etiam obſervabam in ſilvâ, Zollonock Ill. D. de Batthyan oppido, vicinâ, haud procul à carbonarijs fornacibus. Floret Iunio, & ſemine deciduo quotannis ſponte renaſcitur.

Senecio fœtidus. Quibuſdam Senecio fœtidus dicitur. Nec multum ab eâ differre videtur, quæ in maritimis Belgicæ aggeribus ſponte provenit: minus tamen craſſa eſt, neque adeò ſucci plena.

Iacobæa Pannon. II. TERNA, quaterna, aut plura habet Altera folia, latiuſcula, in ambitu leviter dentata, caulem cubitalem plerumque, anguloſum, gracilem, per quem inordinata ſparſa ſunt folia, infimis paulò minora, at in ſupremo, anguſtiora, lata baſi ipſum amplectẽtia: in ſummo caule quaterni aut quini, tamquam in umbella naſcuntur flores, Iacobææ vulgaris floribus non multum abſimiles, ante quàm explicentur, ex atro rubeſcentes, ſed ubi aperti ſunt, auri fulgore ſplendentes, quos in ambitu ſtipant quindena aut plura foliola per extremum inciſa, supernè phœnicea, ſubtus verò quodammodo rubentia: ij flores maturi in pappum abeunt, cui involutum eſt ſemen nigricans, oblongiuſculum, vulgaris Iacobææ ſemini non diſpar: radix non valde magna, nigricans, tenuibus fibris candicantibus donata, ſub Autumnum nova denuo folia latiora, ad veteris caulis ſedem ſingulis annis producit. Tota planta mollicula, & quadam lanugine obſita conſpicitur: amaricantis autem eſt ſaporis.

Naſcitur apud Nemethwywar Ill. Balthaſaris de Batthyan, alijſque Pannonię & Auſtriæ inferioris montoſis & cæduis ſilvis. Floret Iunij initio, & ſub ejuſdem extremum finem, ſemen maturum eſt.

Iacobæa Pannon. III. CVBITALI interdum excreſcit Tertia caule, firmo, ſtriato, quem ambiunt folia lata, rugoſa, mucronata, per oras ſerrata, viridia, latiore baſi, & veluti appẽdicibus quibuſdam prædita, infimâ parte quâ caulem amplectuntur, ingrati & nonnihil acris ſaporis: quę verò à radice germinant, rotundiora ſunt & majora, ſed nullas appendices habent, perinde tamen ſerrata atque ſuperiora: ſummus caulis dividitur in aliquot ramulos, qui flores omnino luteos ſuſtinent, Iacobææ vulgari ſimiles, multò tamen majores, & ad Buphthalmi amplitudinem accedentes, maturitate in pappum evaneſcentes: ſemen obſervare non licuit: radix ſatis craſſa & candicans, ſubinde fibras, vulgaris Iacobææ inſtar, in latera expandit.

Natales. Provenit in Auſtriacis Stiriacíſque Alpibus: nuſquam tamen abundantiùs, quàm ſupra Herren-

Iacobæa III. latifolia I. *Jacobæa alpina laciniata flore Buphthalmi C.B. Pin: 131*



Herrenalben, qua longus aſcenſus eſt in Durrenſtein. Copioſè etiam invenitur non procul à Zollonok. Floret Iunio & Iulio, in hortos tranſlata, etiam Maio.

CRESCIT in ijſdem montibus, ſed præſertim juxta rivulos & fluentes aquas, Iacobæa Quarta, longè major, amplioribus & magis mucronatis folijs, prona parte aliquantulum incanis, caule plerumque bicubitali: ceteris notis ferè cum Tertia convenit. Sed maturius quàm illa floret. Iacobæa Pan. IIII. *Jacobæa alpina foliis subrotundis serratis C.B. Pin: 131*

HAS binas poſtremas, initio ἀνωνύμους relinquebam, cùm nullum nomẽ meo judicio ſatis aptum illis tribuere poſſem: à florum tandem ſimilitudine, inter Iacobææ genera referre, & Iacobęas latifolias montanas cognominare placuit.

Geſnerus in deſcriptione Montis fracti, ejus meminiſſe videtur his verbis. Conyzæ alpinæ genus, ſeſquicubiti aut amplius proceritate, corymbis florum luteis, fibris radicum albis pluribus & confertis, ſubamaris: à pecore non attingitur. Paſtorum plerique Boni vocant, aliqui Goldkrut. Hæc eadem Simlerus ad finem Commẽtarij de Alpibus.

Malva folio vario C.B. Pin: 315.



Malva trimeſtris.

MALVA TRIMESTRIS.
CAP. XI.

PEDALI altitudine creſcit hoc Malvæ genus, caule rotundiuſculo, tereti, viridi, lanugine tamen aliquantulum obſito, quem rara & nullâ certâ ſerie diſtributa ambiũt folia, tenella, viridia ſupernè, infernè dilutiora: infimo cauli adnata, circinatę fermè ſunt rotunditatis, in ambitu ſerrata: ſupremum caulem & ramulos amplectentia angulosa ſunt, ad foliorum Althęæ formam pænè accedentia: flores ſummis ramulis inhærẽt ſatis magni, quinque folijs extima parte lunatis conſtantes, purpuraſcentis coloris, unguibus ſaturatiore purpurâ infectis, prodeuntibus ex umbilico ſtaminibus pallidis, villis purpureis: ſemen in foliaceis capitulis planum: radix eſt parva, candicans, tenuibus fibris prædita, annua tamẽ, aut potius trimeſtris, quam ſubſequens hiems corrumpit. Malva pumila.

Hujus ſiccam plantam ſuis floribus onuſtam, & chartæ implicatam mittebat ad me N. V. Ioannes Hoghelandius anno XCII. ſupra milleſimum & quingenteſimum, ex quâ ſubjectam iconem delineari curabam.

ALTHÆA PANNONICA.
CAP. XII.

VVLGARIS per Pannoniam eſt, agroque Viennenſi, Althæa illa Belgicę pratis multiſque Germaniæ locis communis. Althæa I.

ALIVD autem genus obſervabam, & etiam in Moraviâ, quod, licet folijs totâque pænè reliquâ facie cum vulgari conveniat: floribus tamen plurimũ ab eâ differt, quippe Althæa Pannon. II.

qui

Althæa vulgaris. Althæa Dioſcoridis & Plinii C.B.: Pin: 315



Althæa Pan. III.

Althæa Pan. IIII.

Althea arborea Lobelij.

qui ampli admodum ſunt, Alceę floribus etiam majores, colore item illi vel reſpondentes, vel omnino fere candicantes, quibus ſemen vulgari ſimile calicibus incluſum ſuccedit.

TERTIVM quoddam genus eſt, huic formâ non valde diſſimile, ſola in floribus differẽtia, qui minores ſunt, vulgaris tamen floribus aliquantulum majores.

VERVM & Quartum genus iſtic reperitur, cujus folia licet incana & mollia, in tres tamen majores lacinias diviſa ſunt: flores etiam paulo minores ſuperiore, Belgicę ſeu vulgaris floribus magnitudine reſpondentes, ſed colore diſpares, nempe qui toti carnei, ſive incarnati coloris ſunt, multis intus ſtaminibus nigricantibus: ceteræ notæ cum vulgari conveniunt.

Gaudent humidis locis, & ſecundum rivulos ſitis. Florent omnes Iulio.

VNGARI vulgarem *feyer malua*, hoc eſt, albam malvam, & *mazola* appellant.

ALTHAEA FRVTEX. CAP. XIII.

QVAM Doctiſſimus Lobelius Althææ arboreæ nomine exhibet, ea nobis aliquando Machliniæ nata ſemine peregrè miſſo, feliciter provenit, atque ex radice craſsâ lentaque, qualis in Althęa vulgari, duriore tamen & quodammodo lignoſa ſummâ parte, aliquot ſtolones protulit humanæ proceritatis, qui advenięnte bruma marceſcebant, ſingulis deinde annis novo vere plures protrudebant: flores Auguſto demum producentes, ſemen Septembri, quo à ventis excuſſo & deciduo, aliæ etiã ſtirpes ſponte renaſcebantur.

Althæa frutex I. Althæa frutescens folio rotundiore incano C.B.: Pin: 316



Althea frutex I.

SED aliud genus in Hiſpaniã obſervabam, fruticans, aut arbuſculæ inſtar aſſurgens, craſſiuſculo ſtipite, lignoſo, in multos magnoſque ramos diviſo, qui in alios minores, duros etiam, lignoſos & minimè obſequentes, cortice cinereo lentoque tectos, findebantur: ejus folia Althææ folijs ſimilia, minora tamen, magis rotunda, valde mollia, & prorſus incana: flos extremis ramulis, & inter foliorum exortus naſcens dilutè purpureus quinque folijs conſtans, Malvæ vulgaris flori non diſſimilis, & major quàm in Althæâ vulgari: ſemen planum, Althææ ſimile.

Natales.

Illam juxta urbem Horiuelam tantùm, extremis limitibus Valentini Regni, Murciano finitimi, obſervabam Martio florentem, apud Rhamni prioris alteram ſpeciem, de qua libro primo: an verò perpetua eſſet fronde, cùm Hiſpanicarũ ſtirpium hiſtoriam ſcriberem, ignorabam, cùm mihi duntaxat eo, quo dixi, loco eſſet conſpecta. Multis autem poſt annis ex ea ſtirpe, quæ ſemine mihi à peritiſſimo rei herbariæ & diligentiſſimo Ioſepho de caſa bona miſſo, Francofurti ad Mœnum nata eſt, & biennium in teſtaceo vaſe adſervata, perduravit, deprehendi iſtam plantam folia non abijcere, niſi alijs novis enatis, ut pleræque ſtirpes perpetuâ fronde virentes, facere conſueverunt.

Althea frutex II.

NON minus rarum & elegans eſt Tertium Althææ fruticantis genus, non à me quidem obſervatum, ſed cujus iconem ad me mittebat Iacobus Plateau. Fruticis modo aſſurgit,

ſtolonibus

Althæa frutex II.



Alcea fruticoſa Cannabino folio.



ſtolonibus lignoſis, cortice nigricante obductis, quali etiam veſtiti rami in quos ſtolones dividuntur: his nullo ordine diſtributa adnaſcuntur folia, anguloſa, in paucas lacinias diſſecta, in ambitu ſerrata, supernè admodum viridia, infernè quodámodo palleſcentia: ſummis ramis innaſcuntur flores Roſæ inſtar ampli, elegantes, quinque folijs conſtantes, albis, quę multis purpureis venis prædita ſunt: ungues purpurâ floridiore, quàm in Sabdariſæ (de qua paulo pòſt) flore, infecti: ex umbilico prodeunt multa ſtamina flava, & ſtilus albus multifidus: an ſemen apud eum tulerit, me latet, vix tamen puto, quandoquidem ad me ſcribebat, ſub Septembris finem illi demum flores protuliſſe: folia illi decidunt Novembri, extremo Aprili nova denuo germinare ſolent. Facilius fert frigidioris aëris injuriam: nec adeò tenera eſt, ut Sabdariſa.

Nata forſitan hæc planta ſemine, quali me donabat ſuperiore anno Ioſeph à caſa bona, Althææ arboris duorum generū appellatione, recēs ab ipſo in Creta inſula collecto. Vni ex amicis quibus communicabā, provenit planta, quę ſequente anno, nempe XCIII. ſupra M. & D. valde adolevit: nam ramos protulit bicubitales, cortice viridi tectos, cui inſperſa eſt plurima incana lanugo, ſeu potiùs tomentum, ut in priore quod deſcripſi genere: folia etiam habet incana, anguloſa, & per oras dentata, illis tamē majora: flores minores, Althææ vulgaris florum magnitudinem vix ſuperantes, quinque folijs cōſtantes inſtar reliquarum malvarum, coloris rubri valde diluti, & ad carneum (ſi ita vocare licet) inclinantis, multis ſtaminibus ex albo palleſcentibus in oblongiuſculo & craſſiuſculo ſtilo naſcētibus & umbilicum occupantibus: floribus defluentibus ſuccedunt plana capita, ut in vulgari malva, ſemen in orbem ſerie quadam diſtributum continentia.

Althæa frutex III.

ALCEA. CAP. XIIII.

VARIIS quas peragravi regionibus, Vulgarem Alceam ſponte creſcentem inveni: cùm autem ab omnibus qui Plantarum hiſtoriam ſcripſerunt, ejus mentio ſit facta, nō exiſtimavi diutius illi immorandū.

Genus tamen illud, quod ex radicis capite plures craſſas & lentas alias radices Althææ inſtar fundente, multos ſtolones ſeu virgas craſſiores, interdum bicubitales producit, quibus inhærent folia magis laciniata quā ſint vulgaris, ad Cannabina ferè accedentia, & flores innaſcuntur vulgaris floribus majores, pluribus Vngariæ & Auſtriæ locis circa ſepes naſcēs obſervavi: his etiam proximis annis in Haſſiâ & circa Francofurtum ad Mœnum conſpexi: ut autem faciliùs agnoſcant lectores quam intelligam, illius iconem adjiciendam eſſe exiſtimavi.

Alcea fruticoſa.

SED peregrinum quoddam Tertium genus memini nobis in Belgica natum, ſemine à C.V. Alphonſo Pantio Ferraria miſſo, quod à nemine adhuc deſcriptum arbitror. Illud ipſum etiam Viennæ Auſtriæ diu in horto alui, atque etiam Francoſurti & Lugduni apud Batavos.

Alcea peregrina. RECENS igitur natum, folia habet ſilveſtris & erraticæ Malvæ pænè ſimilia, circinatæ quodammodo rotunditatis: deinde à radice minimi digiti craſſitudinem æquante & in ramos devaricatâ, & ſummo capite quaſi nodosâ, exeunt virgæ cubitales aut ampliores, in ramos diviſæ, quibus innaſcuntur folia, ad jam dictæ modum laciniata, ſecundum verò extremos caules & ramos, tenuius inciſa & multifida, ad verbenæ folia fermè accedentia: flores in ſummo caule & ramorum extremis copioſi & conferti, quinque folijs conſtantes, ſatis magni, dilutioris purpuræ colore, & quaſi albicantes, intercurſantibus tamen purpureis venis: floribus ſuccedunt capitula, ſemen planum & compreſſum continentia, alterius quidem ſemini forma ſimile, ſed multo minus & nigrum, quod maturitate decidens, proximo anno novellas plantas producit: vivax tamen eſt hujus plantæ radix, & multos annos perdurat, ſingulis annis novos caules proferens.

ALCEA AMERICANA. CAP. XV.

Alcea indica magno flore B: Pin: 317



Alcea Americana. LICET elegantiſſima hæc planta nunc ſit vulgaris notitiæ: quia tamen video ejus hiſtoriam à recentioribus ſatis leviter adumbratam, atque ejus iconem non fideliter imitatam, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi paulò accuratiùs illam deſcriberem, & iconem felicius expreſſam, qualem à Iacobo Plateau accipiebam, Lectoris oculis ſubijcerem.

CAVLEM autem habet rectum, ſtriatum, purpuraſcentem, binos aut ternos cubitos altum, vel etiam altiorem, ſi in horto, pingui ſolo, ſeratur (in fictilibus ſata brevior eſt) quem ab imo multa ambiunt viridia folia, nulla obſervata ſerie, hinc inde ſparſa, infima ſerrata quidem in ambitu, ſed non laciniata, quæ medio cauli inhærent, in tres lacinias dentatas diviſa, ſuprema autem in quinque, Cannabinorum foliorũ inſtar, diſſecta, ſummo faſtigio, veluti in gemmularum & anguſtorum foliorum ſpicam deſinentem: ſingulares fert in ſingulis alis calices molliter echinatos, è quibus exit flos magnus quinque folijs præditus, coloris ex albo palleſcentis, quorum ungues ſaturâ & nigricante purpurâ, radiatim in folia ſe ſpargente, infecti, ut in Alceę illius veſicarię ſeu Hypecoï Matthioli flore, floris umbilicum occupāt multa ſtamina apicibus flavis prædita, & ſtilus medius ſupremâ parte ramoſus, albus: floribus valde fugacibus (nam ἐφήμεροι ſunt) ſuccedũt brevia, echinata, acuminata capitula pentagona, interius villis albis obſita, ſemen continentia quale fere Stramoniæ: radix quidem multis candicantibus fibris ut plurimum conſtat, ſed non eſt vivax, nam ſequente hieme perit, & ſingulis annis novâ ſatione adquirẽda, apud nos ſaltem, quibus rariſſimè fert ſemen: etenim cùm ſero admodum, nempe ſub Auguſti finem, vel Septembris initio floreat, & frigoris ſit impatiens, primæ pruinæ illam corrumpunt. Solis orientis radijs delectari videtur, & frequenti rigatione.

Sabdariſa. Ex Italiâ primum ſemen ad nos miſſum Sabdariſæ appellatione (neſcio an tale nomen apud quos ſponte naſcitur obtineat) deinde ex Hiſpaniâ, pro genere Malvæ Indicę elegantis: haud dubiè ad Malvæ ſeu potiùs Alceæ claſſem referenda, propterea Alceam Americanam nuncupavi.

ALCEA ÆGYPTIA. CAP. XVI.

Bamia del Cayro. Alcea ægyptia. PEREGRINVM etiam eſt hoc Alceæ genus, ex Ægypti Alexandriâ primùm Italiæ communicatum, inde Germaniæ & Belgicæ, *Bamia del Cayro* appellatione.

ROTVNDO autem aſſurgit caule, recto, vireſcente, ſeſquicubitali: cui inhærent nulla etiam

Alcea Ægyptia. Alcea indica parvo flore B: Pin 317



etiam ſerie diſpoſita folia, circa infimam quidem caulis partē Malvæ folijs pænè ſimilia, angulоſa & in ambitu ſerrata, à medio verò caule ad ſummum, in quinque profundas lacinias, inſtar foliorum Sabdariſæ diviſa, dilutius virentia: flores in alis naſcuntur Sabdariſæ quidem formâ & colore ferè ſimiles, palleſcentes videlicet, minores tamen, ſed non minus fugaces: his ſuccedũt craſſiuſcula, longa, pentagona, villis obſita & mucronata capita, ſemen Orobi, ſeu potiùs Leontopetali ſeminis inſtar continentia, lanugine tamen quadam leviter tecta: radix in aliquot fibras ſparſa, non vivax tamen: nam primæ etiam pruinæ totam plantam corrũpunt, ſic ut non mirum ſit, ſi ad frugem pervenire nequeat. Hujus etiam icon à Iacobo Plateau miſſa, à diligente pictore in ligneâ tabellâ, me curante, quemadmodum & ſuperior, expreſſa eſt.

DILIGENTISSIMVS Proſper Alpinus qui librum de Ægyptiacis plantis ſcripſit, illius etiam meminit, Bammiámq; appellat, & frequentiſſimam in Ægypto naſci tradit. Præterea eam gentem, illius ſeminibus, non ſecus quàm Europęi ex Phaſiolis, piſis, alijſque leguminibus fercula parare ait, frequentiſſimè autē his ferculis veſci in jure carnium paratis: frigida & humida in primo gradu apud Ægyptios cenſeri, haberéque vim reſolventem & emollientem: proinde pectori ac pulmonibus convenire, vētrem emollire, ac lubricum reddere, fomenti vel emplaſtri modo folia appoſita inflammationes reſolvere, dolores mitigare, tumores emollire, concoquere, ac ad ſuppurationē, ſuppurandos, movere. Mulieres ad uteri duritiem, ipſo referente, fomentis, emplaſtris, inſeſſionibus, ex folijs & fructibus procuratis, multa cum utilitate utũtur: in renum verò inflammatione, & calculis ex ijſdem paratum decoctum per os cum ſaccharo candido ſumptum aliquibus diebus pro ſelectiſſimo auxilio habēt: ad ophthalmias etiã, finita fluxione, decoctum collyrij modo uſurpant, atque cum eo fovere latus dolens in pleuriticis ſolent.

Bammia Alpini.

eſculenta:


ejus facultates.

NON dubium eſt, quin illa ipſa ſit planta quam Rawwolfius in ſegetibus naſcentem cum alijs quibuſdã ſtirpibus obſervabat non procul ab Ana urbe ad Euphratem ſita, ut refert lib. 11. cap. v. ſui Itinerarij, & incolis *Lubie Endigi* nomine, hoc eſt, Phaſioli indici, cognitam eſſe aſſerit, ex multis autē notis, Theophraſti ἐρύσιμον eſſe cenſet: quam vocem cur Gaza Trionum latinè reddiderit, cauſam non video.

Lubie Endigi.

Theoph ἐρύσιμον.

Phlomis Lychnitis. verbascum angustis Salviæ foliis B: Pin: 240



PHLOMIS LYCHNITIS.
CAP. XVII.

NON ſum ignarus varias ſtirpes pro Phlomide Lychnitide proponi ab Herbariæ rei Scriptoribus: nulla tamen, meo judicio, ad Dioſc. deſcriptionem propius accedere videtur, quàm quæ à nobis proponitur.

Phlomis Lychnitis Dioſc.

FOLIA autem ſupra tellurem fundit craſſiuſcula, Salviæ tenuifoliæ pænè ſimilia, longiora tamen

Verbaſcum ſil. Matthioli.

Verbaſcum Latis Salviæ foliis B: Pin: 240



ra tamen & anguſtiora, candicantia, inferiore parte denſâ & ferè albâ lanugine prorſus obſita: inter hæc exeunt cauliculi dodrantales plerumque, interdum paulò majores, quadranguli, villoſi & candicantes: è quorum geniculis bina folia longiuſcula, ſuperioribus ſimilia, inter ſe oppoſita alternatim naſcũtur, cauliculorum faſtigia, breviora habẽt, & ſede latiuſcula prædita: flores Lamij, lutei coloris, circa extremos cauliculos verticillatim ex denſa lanugine & quaſi villis quibuſdam pallidis prodeunt, comâ plerumque inflexâ & nutante: radix nigricans eſt & lignoſa.

Natales. Exit hæc collibus, ſicciorıbúſque, & petroſis locis per univerſam Hiſpaniam & Luſitaniam: obſervaveram & antea in Narbonenſi Galliâ.

Floret Maio & Iunio, ſemen autem ſubrufum Verbaſco ſilveſtri Salviæ folio ferè ſimile in vaſculis Iulio profert.

λυχνῖτις. θρυαλλὶς. PHLOMIS hæc Grecis λυχνῖτις, à quibuſdam θρυαλλὶς appellatur: Latinis Lychnitis & Thryallis: Mompelliani, dũ apud eos vivebam, Verbaſcum ſilveſtre vocabant: Caſtellanis *Candilera*, Granatenſibus *Menchera*, eadem prope ratione dicitur, quia ſcilicet ejus folia, non modò ſicca, ſed etiam recentia oleo impoſita ellychnij vicem ſupplere poſſint ſi accendantur, quod etiam illis tribuit Dioſcorides.

Candilera. Menchera.

AN ullas alias dotes habeat, neminem veterum ſctibere memini.

Horminum ſilveſtre I.

Verbaſcum ſil. Matth.

Horminum Sclarea dictum B: Pin: 238



ILLVD verò hîc adijciendum putavi, Verbaſcum Matthioli ſilveſtre Salviæ folio, & quorundam aliorum, magnâ copiâ in jugis illis montium qui Luſitaniam à Bœticâ diſterminant, naſci, ubi ab incolis *Matulera* dicitur: ſunt autem illi montes pars ejus, qui Hiſpanis *Sierra morena* vocatur, hoc eſt, mõs niger, & Veterum Mons Marianus eſſe creditur. Tota etiam Bœtica Silveſtri illo Verbaſco abũdat, quo porrò nomine vulgari Bœtici appellẽt, nõ intellexi.

Matulera.

HORMINVM SILVESTRE. CAP. XVIII.

HORMINI ſilveſtris appellatione, comprehendo Scarleam vulgo Herbariorum nuncupatã, tum eam quæ à nõnullis Colus Iovis vocatur: ſunt enim revera Hormini genera.

Horminum ſil. I. Scarleæ. Horminum ſil. II. Colus Iovis.

Scarleam porrò ſponte naſcentẽ, videre non memini: ſed in hortis dumtaxat cultam, & valde familiarem. Quæ verò præpinguibus & lento humore quomodo perfuſis eſt ramis, flavo flore, Colúſque Iovis cognominatur, per univerſam Pannoniam adeò frequens eſt, ut nihil illâ vulgatius ſit ad collium & montium radices, atque etiam ad ſublimiorum & editiore loco ſitorum hortorum margines, inter ſepes & arbores. Naſcitur & multis Auſtriȩ locis: atque memini ante multos annos ad lacum Lemanum ſponte naſcentem obſervare. Eſt prçterea tertium genus vulgo notum, de quo ſuo loco.

Ceterùm ad Hormini ſilveſtris claſſem referendas etiam cenſeo nonnullas alias ſtirpes, quarum Hiſtoriam hoc capite ſcribere animus eſt.

ALIQVOT

Hormini ſil. II. flores. Hormini ſil. II. caulis cum radice.

Horminum Luteum glutinoſum B:Pin: 238.





Latifolium verticillatum

Horminum ſilveſt. III. Horminum ſylveſtre ~~[struck through]~~ B: Pin: 239.



ALIQVOT habet Prior caules, cubitali interdum longitudine aſſurgentes, quadrangulos, nonnihil villoſos, firmos, geniculatos: folia ampla, hiſpida, mucronata, in ambitu ſerrata, rugoſa, ſingulis geniculis ex adverſo adnaſcentia, Scarleæ folijs haud multum abſimilia, minus tamẽ incana, & odore minus gravi: ex alarum cavis oriuntur ramuli, floribus purpureis (minoribus quàm Scarleæ flores, & Lavendula vix majoribus) verticillatim uſque ad extremum onuſti, inflexam & veluti procumbentem atque nutantem ſpicam efformantes: ſemen in vaſculis puſillum, nigricans: radix illi magna, pollicari craſſitudine, nigro cortice obducta, dura, vivax, ſingulis annis nova germina producens. *Horminum ſil. III.*

Invenitur paſſim Viennenſi agro juxta vias, in montanis pratis circa Mariæ cellã, & S. Crucis Abbatiam, ſupra Badẽſes thermas, & pleriſque Alpeſtribus Auſtriæ atque Stiriæ locis: quinetiam apud Marcomãnos, & apud Hirtzpach pagum ferri fodinis nobilem, ſupra Noribergam Pragenſi itinere reperire memini. Floret Iunio, ſemen Iulio menſe perficitur. *Natalea.*

ILLIVS porrò ſilveſtris Hormini, quod Gallitrichum quidam cognominant, non meminiſſem, quia ab alijs jam exhibita: niſi plures ejus ſpecies & florum colore, & foliorũ formâ nonnihil inter ſe differentes inveniri obſervaſſem. *Gallitrichũ.*

LONGA habet Prior ſecundùm radicem folia, parte inferiore latiora, deinde ſenſim in mucronem deſinentia, nullis lacinijs diviſa, ſed per oras dumtaxat ſerrata, ſupernè viridia, *Hormini ſil. IIII. ſpecies I.*

 & nullis

Hormini ſil. IIII. prima ſpecies.

Hormini pratenſe foliis ſerratis C.B. Pin: 238.



Hormini ſil. IIII. quarta ſpecies.



& nullis villis obſita, rugoſa tamen, infernè autem villoſa, odore reliquorum Hormini generum gravi, & ſapore amaro: caules cubitales, quadrangulos, geniculis diſtinctos, villis obſitos, quos ad ſingula genicula, bina ſemper folia inter ſe oppoſita amplectuntur, ſuperioribus paulò minora: extremus caulis plerumque purpuraſcit, pinguíſque eſt, & deſinit in longiuſculam, præpinguémq; ſpicam florum hiantium, galeáque editiore præditorum, coloris purpurei ſaturatioris elegantiſſimi: ſemen deinde in caliculis, rotundum, nigrum: radix craſſa eſt, nigra, multis fibris prædita, vivax, ſingulis annis nova germina proferens, novóſque caules producens, ſecundùm radicem ſubinde fibras agentes.

Hormini ſil. IIII. ſpecies altera. ALTERA ejus ſpecies, illi quidem ſimilis, ſed floris colore variat, qui prorſus niveus eſt, folia etiam incana, non virentia: in reliquis notis conveniunt.

Hujus unicam ſtirpem Maio menſe florentem primùm obſervabam anno M. D. LXXIX. in ſiccioribus pratis Sopronio Pannoniæ vicinis, & erutam deferebam Viennam in D. Aicholtzij hortum, ubi aliquot annis permanſit, & deciduo ſemine multiplicata eſt, atque alijs communis facta.

Hormini ſil. IIII. ſpecies tertia. TERTIA ſpecies majore altitudine excreſcit, caule quadrangulo, ut reliquę ſpecies, & folijs ad ſingula genicula ex adverſo naſcentibus; ſed ejus extima pars non purpuraſcit, verùm vireſcens eſt: flores tametſi forma ſimiles, dilutioris ſunt coloris: folia inferiora majores habent inciſuras, ut nonnihil laciniata videantur, reliquæ notæ conveniunt.

Paſſim in ſilvis cæduis, montanis pratis, viarúmque marginibus ſpõte naſcitur cum Primâ, non modò in Pannonijs & Auſtriâ. Sed in Bohemiâ, Moraviâ, tota Germaniâ, & alijs pleriſque Provincijs. Floret Maio, interdum etiam Iunio.

Illam in hortis Francofurtenſibus, fructiferis arboribus conſitis, florem variantem conſpiciebam, ut qui neque purpurei coloris ſaturi, neque diluti eſſet, ſed quaſi albeſcentis & cinerei: quæ colorum diverſitas facilius obſervari poterat, quia diverſæ ſtirpes his coloribus præditæ, in eodem interdum horto mixtim naſcebantur.

Hormini ſil. IIII. ſpecies quarta. QVARTAM ſponte naſcentem non vidi, ſed mihi Viennæ nata anno M. D. LXXXVII. ſemine ex Italiâ miſſo. Tertiæ ſpeciei valde diſſimilis non eſt: perinde enim aſſurgit caulibus quadrangulis, geniculatis, in quibus ex adverſo, ut in alijs generibus, naſcuntur folia rugoſa, viridia, ſenſim in mucronem deſinentia: flores verticillatim in ſummo caule & ramis naſcentes, ejuſdem cum præcedentibus formæ, galeatos habet, minores tamen, & coloris rubri, ſemen in caliculis exile, nigrum: radix vivax, ſingulis annis nova germina producit. Florebat mihi Iunio.

SED

Hormini ſil. IIII. quinta ſpecies.

Horminum ſylveſtre Salvifolium minus B. Pin. 239



Hormini ſil. v. altera ſpecies.

Horminum ſylveſtre Salvifolium majus, vel maculatum B. Pin. 239



SED & Quinta ſpecies Hiſpanico ſemine mihi Viennæ Auſtriæ nata, illi non valde diſſimilis: etenim caules habet non minùs altos, quadrangulos, nodis cinctos, villis quibuſdam obſitos, & folia in ſingulis nodis ferè ſimilia, paulò tamen duriora, leviora, anguſtiora, angulosa quodammodo, mucrone magis obtuſo, & laxioribus dentibus prædita, præſertim quæ ſecundùm radicem naſcuntur: è caliculis, in extremo caule ſummiſque ramis verticillatim naſcentibus, & veluti in ſpicam deſinentibus, emergunt flores reliquis ſpeciebus longè minores, Lavendulæ florum ferè æmuli, nec colore ab illis valde differentes: quibus decidentibus, ſuccedit ſemen nigrum: radicem habet ſuperioribus ſimilem: & tota planta ſimili cum reliquis odore prædita. Floret etiam Iunio. *Hormini ſil. IIII. quinta ſpecies.*

Naſcitur & hæc ſponte in Angliâ: nam cùm negotiorum quorundam causâ, anno M. D. LXXIX. in eam inſulam eſſem profectus, & in aulâ, quæ tum Grenwycij, quarto infra Londinum miliari erat, verſarer, ſatis frequentem ad Regiæ arcis Hippodromum inveniebam, Septembris initio cùm florentem, tùm ſemine onuſtam. *Natalis.*

PEDALI plerumque eſt Horminum ſilveſtre Quintum altitudine, quadrāgulis caulibus & geniculatis, reliquorum generum inſtar: folia ad ſingulos nodos bina, ſibi invicem oppoſita, rugoſa, Salviæ foliorum pænè æmula, non tamen incana, per oras nonnihil ſerrata, dura, guſtus exſiccantis & amari, odoris verò, quàm ſuperius deſcripta, jucundioris: flores à medio caule ad faſtigium uſque verticillorum inſtar in orbem naſcuntur è purpureis caliculis exeuntes, Salviæ ſimiles, ſed minores, eleganti colore præditi ex cæruleo purpuraſcente, & quaſi violaceo, interdum etiam dilutiore, nonnumquam verò quaſi cineraceo: ſemen in caliculis nigrum, reliquis generibus minus: radix digiti minimi craſſitudinē aliquando ęquat, nigroque cortice tecta eſt, interiore parte flaveſcente, multos ſingulis annis producit caules, inferiore, & terræ viciniore parte humi procumbentes; atque è nodis radici proximioribus ſubinde fibras agentes. Tota denique planta aſpectu elegans. *Hormini ſil. v. ſpecies prior.*

Vbique circa Viennam Auſtriæ naſcitur, totáque Pannoniâ, ſecundùm vias, in agrorum, vinetorúmque marginibus. Integrâ æſtate floret, & ſubinde ſemen profert.

Eſt hujus generis alia ſpecies longè major, duorum cubitorum altitudinem plerumque attingens, interdum etiam ſuperans: ipſius caules triplo craſſiores, quadranguli tamen, &, uti alterius, geniculati: folia multo majora, & craſſiora, albis maculis magnâ ex parte diſtincta, qualibus & Salviæ cujuſdam, & Menthaſtri folia notata videre memini: ſpica florum longior & craſſior, florum verò formâ, coloréque, atque etiam ſemine, ſatis conveniunt. *Hormini ſil. v ſpecies altera.*

Rarior eſt hæc ſpecies Priore,nec niſi in pratis herboſiſq; locis, ubi gleba uberior, invenitur:& paulò ſeriùs alterâ florere incipit.

Horminum ſil VI. ſive minus ſupinum Cretic.

NEC inelegans eſt Hormini ſilveſtris genus illud minus ſupinum, quod ſemine ex Cretâ primùm allato, deinde Lugdunum Batavorum ad Ioannem Hogelandum miſſo, illi natum eſt anno M.D.XCIII. & ſub extremum ſequentem Iulium flores tulit.

FOLIA autem promit per terram ſtrata, pollicari longitudine minora, ſecundùm pediculum anguſta, deinde paulatim in latitudinem expanſa, rugoſa, per oras crenata: caules ejus aliquantulum anguloſi, in quibus per intervalla naſcuntur bina ſemper folia ſibi oppoſita: quibus in orbem diſpoſiti incumbunt ſeni flores albi, Cattariæ vulgaris floribus formâ, & amplitudine pares. Tota planta inſipida eſt.

Nomina.

SILVESTRIS Hormini, ὁρμίνου τοῦ ἀγρίου, ut dixi, genera videri has omnes plantas, cenſeo: nemini tamen legem imponere volo, ſed cuilibet, quo nomine eas donare velit, liberum relinquo. Mihi verò, Scharlea vulgaris, ſive Sclarea (ut quidam dicere malunt) quam Galli

Oruale

Oruale, Vngari *Zent Ianos fiue*, hoc eſt, S. Ioannis herbam, vocant, Horminum ſilveſtre Primum erit: Colus Iovis luteis floribus, Horminum ſilveſtre Secũdum: licet quidam Galeopſim luteam vocare malint, notis reclamantibus tamen: Quod mihi primo loco deſcriptum eſt, Tertium: Quod ſecundo, Silveſtre Lobelij, Gallitrichum vulgo dictum, Trago verò wild Salbey/ Quartum: cujus quinta ſpecies ſemine ex Hiſpanijs miſſo Baccharis nomine mihi nata, magna autem illa Plantarum hiſtoria, quę triennio poſt evulgatas meas Pannonicarum ſtirpium obſervationes in lucem prodijt, Sideritidem querno folio appellare videtur: Quod autem penultimo loco deſcripſi, mihi Quintum erit: rhizotomæ mulierculæ Auſtriacæ wild Salbey/ id eſt, agreſtem ſalviam nominant, vulgóque venalem proponunt, cum alijs balnearibus herbis. Matthiolus ſecundam ejus ſpeciem, Horminum ſilveſtre vocare videtur: Lobelius inter Verbaſci genera recenſere maluit, & Verbaſcum nigrum ſalvifolium appellat, quod an luteo flore variet, nunquam obſervare memini. Sextum autem erit, ſupinum illud Cretico ſemine natum.

wild Salbey

MENTHASTRVM. CAP. XIX.

Mentha ſylveſtris Longiore folio C.B. Pin. 227.

Mentha ſilveſtris.



NVLLAM Provinciam adire memini, in qua non conſpexerim Menthaſtrum, ſive Silueſtrem Mentham, Græcis ἡδύοσμον ἄγριον dictam, ſponte ſecundùm aquas & riguis locis naſcentem: Binas verò alias, præter eam, plantas obſervabam, partim in Pannoniâ & vicinis locis ſponte naſcentes, partim ſemine peregrè accepto mihi Viennæ natas, quę ad ejus claſſem pertinere videntur.

I. Menthaſtrũ montanum.

CVBITALI, aut ampliore Prima aſſurgit caule, quadrangulo, medullâ pleno, multis nodis conſtante, ex quibus bini ſemper ex adverſo oriuntur ramuli ſimiliter quadranguli, circa quorum extremas partes oblongæ ſpicæ, verticillatim compoſitis caliculis conſtantes, in quibus flores Menthæ ſilveſtris aut illius potiùs Calaminthæ, quam vulgo Cattariam vocant, floribus ſimiles, exalbidi, grati odoris: folia adverſis inter ſe pediculis caulem & ramos ad ſingulos nodos ambiunt, Menthaſtro ferè ſimilia, ſed magis ad Cattariæ folia accedentia, colore tamen minus albicante quàm illa, aut Menthaſtri, ſed potiùs viridi, menthaſtri odorem referentia, acrem & calefacientem ſaporem: radix dura, & lignoſa ex lateribus propagines ſpargit, ut reliquæ congeneres plantæ.

Natales.

Sponte naſcentem hanc plantam inveniebam, primùm ad Auſtriacarum Alpium radices in pratis monaſterio S. Crucis vicinis, & ad Rehenaw Præſulis Neubergenſis arcem, Auguſto florentem: deinde maximâ copiâ in Vngariâ, ad radices ſcopuli, in quo extructa eſt munitiſſima arx Nemethwywar, Germanis Gyſsing dicta, Illris Viri Balthaſaris de Batthyan p. m qui, dum vivebat, hereditarius Archidapifer erat Regni Vngariæ, & S. C. R. Q. Mti à Conſilijs: tum etiam in Leytenberg ſupra Manderſtorff Iunio florentem, quo tempore ſimiliter, in hortos tranſlata, flores producit.

ALTE-

Menthaſtrum II. Montanum. Menthaſtrum III. tuberoſa radice.

Mentha montana verticillata. B: Pin: 227 Mentha tuberoſa radice B: Pin: 227





ALTERA, quæ mihi Viennæ ſemine nata eſt,& alijs quibus id communicabam, acceptum ex Hiſpanijs Calaminthæ tertiæ nomine, cubitales habet caules, quadrangulos, rectos,frequentibus,ut ſuperior,nodis cinctos, ſubhirſutos: folia longiuſcula, rugoſa, in ambitu nonnihil ſerrata,ſuperioris Menthaſtri folijs non diſſimilia, magis tamen incana,non ſuavis odoris, amari & acris ſaporis, ſingulos nodos æquali , ſed oppoſito inter ſe ſitu ambiunt: ſummi rami cum extimo caule,in molles,caneſcentes exilium foliorum ſpicas deſinunt,& inter ea verticillorum ritu compoſiti naſcuntur caliculi,è quibus prodeunt floſculi candidi,Cattariæ florum æmuli:his marcidis,ſuccedit ſemen illi par,exile,nigrum: radix craſſa, ſucculenta, raphano ferè æqualis, foris aliquantulum fuſca, in multos hinc inde ad latera quaſi parvos adnaſcentes napos extuberat,alijſque longiuſculis fibris donata eſt,perennis,& plures ſingulis annis caules proferens: imo ipſi etiam napi à matre abrupti,& terrâ obruti,novas interdum plantas procreant. Floret Iunio. *II. Mẽthaſtrum tuberoſa radice.*

Pictor non ſatis fideliter plantam expreſſit: nam & inferiora folia latiora eſſe debebant, & rugoſa,& adnati in lateribus napi craſſiores & magis tumentes,& fibræ omiſſæ,quas additas oportuit.

EODEM porrò tempore,quo ſemen,ex quo hæc planta nata,ex Hiſpanijs mittebatur, additum erat etiam aliud Calaminthæ primæ appellatione inſcriptum , ex quo pulcherrimum Cattariæ genus enatum,cubitales habens caules, quadrangulos, geniculatos, multis ramis præditos: oblonga,anguſta, per oras crenata & incana folia, odore quàm in Cattariæ vulgaris folijs vehementiore , fervido guſtu : flores ſpicatim in extremis ramis naſcentes, candidos, vulgaris Cattariæ floribus reſpondentes: deinde ſemen in exilibus calicibus nigrum, Calaminthæ ſemini par: radicem duram,fibroſam, perennem , ſingulis annis novos caules proferentem. Floret Iunio & Iulio. *Cattaria tenuifolia.*

MENTHASTRVM montanum Pannonicum appellari poterit Prior: Alteri, tuberoſæ radicis cognomen addi: Cattariæ verò,Hiſpanicæ tenuifoliæ nomen aptari.

MARRVBIVM. CAP. XX.

LEGITIMVM Marrubium multis locis frequens creſcit: at in Auſtriâ & Pannoniâ rarum eſt, & certis duntaxat locis ijſque paucis ſponte naſcitur. Aliud verò genus frequentiſſimum iſtic conſpexi , quod (dum Pannonicarum ſtirpium obſervationes evulgabam,ne- *Marrubium vulgare.*

Marrubium Album vulgare. C.B.Pin: 230.



Marrubium alterum Pannonicum.

Marrubium album latifolium peregrinum. C.B.Pin: 230



bam, nemini adhuc deſcriptum fuiſſe arbitror. Ejus Hiſtoriam hoc capite dabimus: ſed legitimi iconem præponere voluimus, ut utriuſque collatione facta, faciliùs agnoſci poſſit quæ ſit differentia.

Marrubium alterum Pannonicum. MVLTOS verò ex eadem radice profert Pannonicum caules cubitales interdum, quadrangulos, firmos, nodoſos, in plures ramos diviſos: folia ad ſingulos nodos bina, contrario ſitu naſcentia, duas uncias longa, unam lata, in ambitu ſerrata, legitimo Marrubio pænè ſimilia, ſed anguſtiora, nec adeò orbiculata, imò paulatim à petiolo in latitudinem excreſcentia, ſenſimque in mucronem deſinentia, prorſus incana, non injucundi odoris, amaritudinis tamen manifeſtæ, & acrimoniæ: flores candidi, marrubij floribus ſimiles, in mollibus & caneſcentibus caliculis naſcentes, verticillorum inſtar ſummum caulem ſummóſque ramos ambiunt: radice cum legitimo convenit, quæ ſingulis annis novos ſtolones eóſque numeroſiores profert.

Adeò vulgare hoc Marrubij genus eſt toto Viennenſi agro, ut vinetorum agrorúmque margines, ſiccíque & graminei campi eo abundent, imò in ipſius urbis (quæ ab aquis ſunt liberæ) foſſis naſcatur. Nullo tamen, quod ſciam, apud illos in uſu eſt. Floret Iulio.

Natum id apud Belgas, non Hiſpano ſemine (nullam enim ſimilem plantam in Hiſpaniâ videre memini) ſed Auſtriaco.

An porrò, Marva Iantuſa Serapionis, cujus meminit lib. de Simpl. Med. ex plãtis, c. 295?

ALYSSVM GALENI. CAP. XXI.

Ex multis quæ Alyſſi Galeni nomine circumferuntur plantis, nullam prorſus inveni, quę deſcriptioni reſponderet. Sed in meâ Hiſpanicâ peregrinatione quãdam obſervaſſe arbitror, quæ illius delineationi ita exactè quadrare mihi videtur, ut quin illud ipſum ſit, nullum dubitationi locum ampliùs relinqui poſſe exiſtimem.

Alyſſum Galeni. PEDALI verò eſt altitudine, quadrangulo caule, ſtatim à radice in multos ramos diviſo, caneſcentes omnino, & veluti tomento obductos, circa quos, ad ſingula genicula bina folia contrarijs inter ſe pediculis ſemper enaſcuntur Marrubio ſimilia, breviora tamen magíſque criſpa & incana, inodora, amara; calices per intervalla verticillatim ramos ambiunt, quinque plerumque aculeis horridi, candidi, è quibus Marrubij flos exilit, ſed colore diverſus nempe purpuraſcens: ſemen in aculeatis vaſculis ſubrufum, Marrubiano ſemini par: radix dura, multifida, viváxne an annua, iſtic obſervare non potui. Sed ſemine quod ex Hiſpanijs attuli, apud meos Belgas nata, eo quo floruit anno plerumque perijt: ſemine autem ma-

Alyſſum Galeni. *Alyſſon verticillatum foliis profunde incisis. C.B. Pin: 232.*



tem maturo ſponte deciduo ſingulis annis renaſcebatur adhuc, cùm inde exceſſi: atque etiam nunc in quibuſdam Belgicis hortis cōſpici puto.

Vno duntaxat Hiſpaniæ loco (tametſi non dubitem pluribus inveniri) hanc plantam naſcentem obſervabam, ad Elda videlicet pagum, in cœmeterio, quo plurima cœnotaphia Arabicis litteris ſculpta videre licet, Valentino regno, ſeptem ſub Horiuēla (Orceli veteribus dicta) miliaribus, ſive leucis Hiſpanicis, eamque florentem, & ſemine maturo onuſtam, medio Martio. *Natales.*

CETERVM primo conſpectu Marrubium eſſe cenſebam, donec & aculeati caliculi, & flos ipſe, in memoriam mihi revocarent Alyſſon quod Galenus lib. ſecundo de Antidotis in hunc modum deſcribit: Alyſſon herba eſt Marrubio ſimilis, aſperiores tamen & magis ſpinoſos in ſurculorum ſummitatibus orbes habet, florem ad cæruleum vergentem profert. Hanc inter caniculæ æſtus colligere oportet.

Nominis autem rationem, atque ipſius etiam facultates libro ſexto De ſimp. medic. refert. Nuncupata (inquit) eſt hæc herba ἄλυσσον, quod mirificè iuvet demorſos à cane rabido. Sed & rabienti quoque data, ſæpe in totum ſanavit: atque hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit. Dictum prius eſt, talem facultatem ex ſolâ percipi experientiâ, & planè nullâ conſtare methodo. Quod ſi quis ad multa experiatur, cognoſcet facultatem habere mediocriter reſiccantem & digerentem, nonnihil etiam abſtergentem. Hac ratione & vitiliginem, & maculas faciei à ſole prognatas expurgat. &c. *Alyſſum cur ſic dictum.*

PAVSANIAS in Arcadicis eandem nominis rationem aſſignat Alyſſo: eandem etiam Plinius, cujus tamen Alyſſum ab iſto longè diverſum eſt.

MEAM autem opinionem de Alyſſo Galeni reijcere non poſſum, licet multis poſt annis ab evulgatâ meâ Hiſpanicarum ſtirpium Hiſtoriâ, viderim quæ Nobilis idemque Cl. Vir Fabius Columna ſcripſerit de Alyſſo Antonij Coï: nam, ut initio capitis dixi, nullam ſtirpem videre memini, quæ proximius accedat ad illius Alyſſi hiſtoriam, quam hæc. Marrubium certè eſſe non poteſt, quia nec odorem habet Marrubij, nec utriculos lenes ut illud, ſed aſperos & pungentes, floreſque purpuraſcentes, non albos.

GALEOPSIS. CAP. XXII.

NVLLVS Recentiorum quotquot de plantis ſcripſerunt, mihi ſatisfacit in icone Galeopſis hiſtoriæ additâ: nam vel Lamij genus aliquod, vel Scrophulariam vulgarem ſubſtituunt, cùm ad illarum nullam Dioſcoridis deſcriptio aptari poſſit. Legitima tamen ejus Auctoris Galeopſis, eſt adeo frequens multis locis, ut mirum ſit, neminem hactenus in eam animum intendiſſe.

LEGITIMA porrò Galeopſis ex radice fibroſa & ſingulis annis augeſcente, multas interdum fert virgas, quadrangulas, quibus alternis inhærent folia ex adverſo naſcentia, longis pediculis innixa, urticæ folijs adeo ſimilia, ut prima facie imponere poſſint, villoſa quidem, ſed non mordacia: ſummum virgarum faſtigium quodammodo in ſpicam deſinit, verticillatimque ambitur quinis aut ſenis ſimul naſcentibus caliculis in quinque lacinias diviſis, è quibus prodeunt longiuſculi flores inſtar florum Lamij hiantes, ſed longè minores, coloris ex atro purpuraſcentis, propendentibus labellis, albis quibuſdam venis notatis: ſemina in caliculis quaterna, maturitate nigra, ut in Sideritide 1. *Galeopſis vera Dioſc.*

Tota planta gravis odoris eſt, præſertim umbroſis locis nata: ejus verò quæ in apertioribus locis, ut in recens ſuccifis ſilvis, creſcit, remiſſior eſt odor. Floret Iunio & Iulio.

CVBITALI autem eſt Altera Galeopſis caule, interdum etiam majore, quadrangulo, craſſo, ſecundum radicem rubente, frequentibus geniculis prædito, è quibus bina ſemper inter ſe oppoſita naſcuntur folia, Vrticæ folijs haud abſimilia, per oras ſimiliter crenata, ſed lon- *Galeopſis maxima Pannonica.*

Lamium maximum sylvaticum foetidum C. B. Pin. B.

Galeopſis legitima.



Galeopſis maxima Pannonica.

Lamium maximum sylvaticum alterum C. B. Pin. B.



ſed longè majora, palmaremque amplitudinem ſæpiſſimè ſuperantia, hirſuta quidem, ſed non mordacia: à medio caule ſurſum verſus, ad ſingulos nodos, orbiculatim ſeni, octoni, nonnumquam deni naſcuntur flores, non ſimul, ſed ſucceſſivè ſeſe explicantes, Lamij floribus multo majores, ſaturè rubri & tamquam purpurei, galeæ inſtar hiantes, labro inferiore (cujus laciniatæ oræ) bifido, & frequentibus ad latera barbulis prædito, interiore parte purpureis & candidis lineis depicto, quatuor ſtaminibus cum ſtilo ſub galeâ latentibus; odore gravi, & ingrato, uti tota planta, ſi teratur, guſtu etiam inſuavi & amaro: laciniata vaſcula, deciduis floribus, quaterna ſemina continere deprehenduntur Mollucccæ ſimilia: radix craſſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis augeſcens pluresque ſtolones proferens.

Natales. Maximâ copiâ naſcitur in ſilvoſis illis mōtibus, arci Grebén Ill. Balthaſaris de Batthyan, in Pannoniâ interamni ſitæ, vicinis, ſupra Waraſdinum, ubi florentem Maio menſe eruebam anno M D LXXIX. & inde delatam in hortum Viennæ transferebam, in quo multos perſtitit annos mirificè augeſcens, & ſemine deciduo naſcentibus novellis plantis, vicinas areolas & pulvinos implens.

γαλίοψις ἢ γαλεόβδολον. GRÆCIS porrò dicitur Prior planta Γαλίοψις ἢ γαλεόβδολον: Plinius Galeopſim & Galeobdolon appellat, atque ijſdem verbis, quibus Dioſcorides, totius ſtirpis hiſtoriam, ejuſque facultates deſcribit. Alterius nullum nomen intellexi.

LAMIVM. CAP. XXIII.

VRTICAE illius innoxiæ & morſu carentis, quam Plinius Lamium appellat, variæ ſunt genera, cùm foliorum formâ, tùm floris amplitudine, exilitate & colore inter ſe differentia: ea cùm ſint ab alijs propoſita, huc inferre non eſt neceſſe. Sed alias quaſdam ſtirpes in medium adferre lubet, quæ non minorem affinitatem cum Lamio habere videntur, quàm illa.

1. *Lamium Pannonicum 1.* PEDALES & majores interdum habet Prior caules, quadrangulos, hirſutos, Lamij æmulos, quibus, per intervalla, adverſis ſemper pediculis, bina, veluti in Vrticarum genere, innaſcuntur folia, Meliſſophyllo fere ſimilia, rugoſa, atrâ viriditate nitentia, guſtu aliquantulum acri: flores ex ſingulis nodis inter folia terni aut quaterni prodeunt, omnes antrorſum ſpectantes & propendentes, longiuſculi, inodori, Lamij florum quodammodo æmuli, majores tamen, & nullâ galeâ inſigniti, ſolo labro inferiore promiſſo, & reliquis

folijs

Lamium Pannonic.1.verſicolore flo.

Lamimum montanum meliſſæ folio flore verſico lore C.B.: Pin: 231.



Lamium Pannonic.1.albo flo.

Idem flore albo C.B.: Pin: 231



folijs(quę in quibuſdam floribus ex albo purpuraſcunt,aut dilutiore purpurâ nitent) majore.purpurei coloris:utriculi ex quibus flores prodeunt,ſatis laxi & capaces,ex viridi pallentes,ſemen magnum,nigricans,inæquale continent:radix craſſiuſcula, & aliquantulum nodoſa , multas fibras agit , & ſingulis annis nouos caules profert , inſtar Vrticæ , & aliarum ſimilium plantarum.

Copioſè in Leytenberg,monte Badenſibus thermis imminenti,Gumpoſtkirche, Medeling,& alijs editis Auſtriæ & Pannoniæ locis,umbroſis & ſilvoſis invenitur. Naſcitur etiam in editis illis ſilvis Francofurto vicinis ad dextram,Septentrionem verſus. Floret Maio,ſemen maturum eſt Iunio. *Natales.* Reperitur etiam niveo flore,ſed rariſſima. Apud Lauſamiam verò in Allobrogibus , nullam aliam ſtirpem videre memini , quàm quæ album florem ferret, anno videlicet M. D. LIIII. dum è Narbonenſi Galliâ per Helvetios in patriam redirem. *Lamium Pãnonic. I. albo flore.*

2. Ejus in Auſtriâ ſpeciem alteram obſervabam, non valde ab illâ differentem, niſi quod infirmiores haberet caules,frequentiores etiam, ex radice ſingulis annis repullulantes, folia item paulò anguſtiora. *Lamij Pannonici I. ſpecies altera.*

FVCHSIVS & Tragus hanc plantam Meliſſophyllon appellarunt, cùm tamen exiguâ odoris gratiâ prædita ſit, nec apes ejus floribus valde delectentur:& haud ſcio an apta ſit ad alvearia intus confricanda , alliciendarum aut retinendarum apum gratiâ, ut eſt vulgaris meliſſa, quibuſdam citrago, ab odore citrij mali, dicta, quæ omnium Doctiorum judicio verum μελιοσόφυλλον cenſetur. Ego ad Lamij genera potius referendam arbitror. *Meliſſophyllum Fuchſij.* *μελιοσόφυλλον legitimũ.*

II.

EXOTICA eſt Altera,cui,dum primum nata eſt,ſubrotunda ſunt folia,urticæ folijs ſimilima,niſi ampliora ut plurimum eſſent,molli lanugine villoſa, pingui & lento quodam veluti rore leviter aſperſa , dum novella ſunt, in ambitu ſerrata, longis pediculis fulta, inter quæ altero anno emergit caulis vel ſexangulus vel quadrangulus (utriuſque enim formæ naſcuntur) molli lanugine pubeſcens,per quem ex intervallis,æqualiter, ſed adverſo ſemper ſitu, in nodis ſparſa ſunt folia,modò terna,modò bina,ſuperioribus minora,& brevioribus petiolis hærentia,è quorum alis,nunc bini,modò terni,pro foliorum numero, exiliunt pediculi,unciales,tenues, firmi,hirſuti,ternos vel quinos flores ſuſtinentes,concavos,anteriore parte nonnihil hiantes,exiguo labello prominẽte,& tenui ſtilo cum ſtaminulis emergente,præditos,coloris è viridi palleſcentis: floribus ſuccedunt capitula, Lini ferè, aut potius Scrophulariæ vulgaris,mucronata,exili nigro ſemine plena : radix urticæ ſimilis , obliqua & multis fibris capillata, cujus caules hieme pereunt, ſed novo vere, interdum etiam ante hiemem alij plures ex ea ad latus renaſcuntur. *Lamium Pãnonicum alterum ſive exotic.*

DD Hanc

Lamium Pannonic. II. exoticum.



Lamium Pannonic. III.



Hanc ſtirpem primùm florententem obſervabam Viennæ Auſtriæ in meo hortulo ad parietem natam neſcio quo ſemine, anno M. D. LXXVIII. ſubſequens hiems auferebat quidem, ſed deciduo ſemine prognatæ ſunt inſequente anno aliquot plantæ, quæ demùm altero vere flores protulêre. Floret Maio, ſemen Iunio maturum eſt: deinde tota planta radicitus perit. nonnumquam tamen ex radice etiam repullulat.

Si quis me hanc plantam minus aptè inter Lamij genera repoſuiſſe putat, liberum illi eſto, vel ad Galeopſin, vel aliam quampiam congenerem referre.

III. SED & ad Lamium fortè referri poſſit elegans hæc planta, quæ ex radice, vulgari (ut
Lamiũ III. mihi relatum) urticæ ſimili, plures profert cauliculos pedales, teretes, quadrangulos, frequentibus nodis cinctos, ad quos alternatim bina contrario ſitu in longis pediculis æqualiter naſcuntur folia, Lamio, ſive Vrticæ non mordaci vulgari, & fœtidæ, quæ purpureo flore eſt, ſimilia, proximius tamen ad Hederæ terreſtris ſive Chamæciſſi vulgaris folia accedentia, inter quæ caliculi terni, quaterni aut quini, continentes flores, hederæ terreſtris vulgatæ floribus forma proximos, hiantes, nulla ſupernè galea imminente, ſed latiuſculo dumtaxat folio reflexo, mixtis coloribus cæruleo, albo, & purpuraſcente inſignitos.

Naſcentem numquam videre contigit: ſed iconem ſuis coloribus diligentiſſimè expreſſam, mihi dono dabat anno M. D. LXXIX. Ill. Dn. de Batthyan: mutilam tamen & ſine radice, uti hîc expreſſa eſt. Aliquot poſt annis radicem urticæ ſimilem eſſe intellexi.

BETONICA. CAP. XXIIII.

Betonica vulgaris duorum generum. NVLLI ſunt in Pannoniâ, Auſtriâ, viciniſque Provincijs montes herboſi, nullæ ſilvæ, nulláve prata, in quibus non abundantiſſimè proveniat Betonica uſitata flore rubro ſive purpureo: quæ duorum generum eſt. Vna enim breviorem florum ſpicam habet, & maturius floret. Altera autem longiore, molliore, & magis fuſcâ eſt florum ſpicâ, illáque etiam ſerius flores ſuos explicat: ſolet præterea hæc poſtrema in majorem altitudinem excreſcere, quàm prior, licet eodem loco utraque ſponte naſcatur, vel eadem puluino excolatur.

Betonica albo flore. VERVM iſtic mihi obſervata eſt alia Betonica, cui multa ſunt folia rugoſa, ſubhirſuta, in ambitu ſerrata, Betonicæ vulgaris foliorum prorſus æmula, non adeò tamen fuſcâ viriditate nitentia, ſed dilutiora: quadrangulares caules, geniculati, ſubhirti ex illorum medio exeunt,

Betonica. Purpurea C.B. Pin: 235.



exeunt, & in pedalem altitudinem excreſcunt, ſubinde extremâ parte in alas ſeſe dividentes: folia in ſingulis geniculis caulem ęquali ſitu ambiunt, humi fuſis minora, nullo pediculo fulta, odorata, quemadmodum & illa, guſtus amaricātis: ſummi caules & rami in denſam caliculorum ſpicam deſinunt, è quibus flos emergit vulgari formâ ſimilis, ſed coloris omnino albi: ſemen deinde in vaſculis, Betonicæ vulgaris ſemini par, fuſcum: radix non diſſimilis, vivax, ſingulis annis augeſcens, & plures caules producens.

Creſcit in aſcenſu montis Neuberg, Etſcheri jugi & alijs quibuſdam editioribus locis: ſed omnium abundantiſſimè ſupra Zeehof, magno ultra Gamingam miliari germanico, quâ iter eſt in Herrenalben & Durrenſtain. Floret iſtic Iulio, in hortos tranſlata maturius aliquanto, ubi egregiè augeſcit. *Natalis.*

Hujus meminit diligentiſſimus peritiſſimúſque Cordus lib. II. Hiſt. Plant. cap. CLIX.

SIDERITIS. CAP. XXV.

SIDERITIDIS, multa, ab his qui Stirpium Hiſtoriam ſcripſerunt, adferuntur genera, quæ forſitan non omnibus adhuc cognita: quædam tamen in medium adferre eſt animus, quæ ad Sideritidis Primæ Dioſcoridi Heracleæ cognominatæ, claſſem referri poſſe videntur.

PRIOR caules habet quadrangulos, cubitales, hirſutos, geniculatos, folia ad ſingulos nodos bina, ex adverſo naſcentia, rugoſa, villis obſita, Tertiæ folijs majora, per ambitum ſerrata, graviter odorata, guſtus amaricantis & acriuſculi: ramuli ad ſingula pænè genicula naſcuntur minoribus folijs obſiti: flores ſummum caulē verticillatim ambientes in ſpicam deſinunt, galeati aliquātulum, candidi, odorati, hiatum ſive rictum ſanguineis notis conſperſum habentes: ſemen in pentagonis vaſculis inæquale, nigrum: radix dura, lignoſa, ex ſummo capite plures interdum proferens caules. *I. Sideritis vulgaris.*

Sideritis I. Sideritis vulgaris hirsuta erecta C.B. Pin: 233.



Paſſim in Galliâ, Germaniâ, Pannoniâ, Auſtriâ, ſiccioribus agrorum & ſilvarum cęduarum marginibus obvia eſt, hæc Sideritis. *Natales.*

HVMILIOR eſt Altera, neque pedalem excedit altitudinem, in raros diviſa ramulos, folijs priori ſimilibus, mollioribus tamē: flores ampliores, albi, palleſcente labro, & paucis rubris punctis aſperſo, verticillatim in utriculis caulem ſupremóſque ramulos ambientes, breviorem quàm in ſuperiore, & quaſi mutilatam ſpicam conficiunt, ut in Prunellâ vulgo dictâ. *II. Sideritis II.*

Nuſquam non occurrit in agris, & inter ſegetes multis Pannoniæ & Auſtriæ locis: circa Triebswinckel autem frequentiſſima. Floret Iulio.

LONGIORE eſt Tertia folio quàm Marrubium, ſatis ad Salviæ folium accedēte, minore tamē, querni ferè folij diviſura, ſcabro, *Sideritis III.*

Sideritis III.

Sideritis hirſuta procumbens C.B. Pin: ABB



Sideritis IIII.



Sideritis V.

Sideritis hirſuta procumbens altera (minimum crenata) C.B. Pin: ABB.



villis quibuſdam prędito, nec injucundi guſtus nec odoris: caules fundit quadrangulos, palmum ut plurimum excedétes, interdum procumbentes, duros, hirtos, candicantes, quorum ſummitates per intervalla verticillati orbes coronant, ut in primo genere, orbes vaſculis conſtant, in quibus flos priori par, ex candido nonnumquam purpuraſcés, quo evaneſcente, ſemen in vaſculis nigricans reperitur: radix dura, lignoſa, vivax.

Natales. Frequens occurrit aridis & petroſis Caſtellæ veteris locis, æſtate florés, quibuſdam etiam locis, in Autumnum uſque floribus onuſta conſpicitur.

Sideritis IV. ALIQVOT habet Quarta ramos procumbentes, quadrágulos, tenues, villis quibuſdam obſitos, quos per intervalla contrario ſemper ſitu bina cingunt folia, Primę ferè ſimilia, paulò tamen minora, à medio ad extremum ſerrata, nonnihil etiam villoſa: ſummos ramos verticillatim ambiunt vaſcula in quibus flores, prioribus formâ ſimiles, quantum ex delineatione colligere potui, propterea de colore nihil pronuntio, neque de ſemine, quod ſuperiorum ſemini par eſſe veriſimile eſt: radix nó videtur vivax, ſed eoanno, quo planta flores protulit, perire.

Sideritis V. QVINTA, medium caulem habet ſurrectum, quadrangulum, deinde, ſtatim à radice, multos in latera ſpargit ramos, humi fuſos, quadrangulares, quibuſdam villis pubeſcentes,

beſcentes,

Sideritis VI. Pannonica.

Sideritis hirſuta pallido flore C.B. Pin: 233



Sideritis VII.

Sideritis alpina hyſſopifolia. C.B. Pin: 233.



beſcentes, geniculatos, quos bina ſemper inter ſe oppoſita, ad ſingulos nodos, amplectuntur folia, præcedẽtis folijs pęnè ſimilia, minus tamen ſerrata, inter quę, ab imo ad ſummum uſque, verticillorum ritu naſcũtur in vaſculis flores, ſuperioribus etiam formâ ſimiles, quorum color (ni fallor, nam in arvis Belgicæ illam olim obſervaſſe puto) albus: nec hujus radix vivax eſſe videtur.

Harum duarum poſtremarum, cum illius quæ ſeptimo loco deſcribetur, icones ad me mittebat Iacobus Plateau anno M. D. XC. ipſius manu elegãter expreſſas (quemadmodum & pleræque aliæ ab eo acceptæ) quarum priores nudæ omnino, ſolo duntaxat Sideritidis alterius nomine adſcripto: tertiæ autem quædam notæ adjectæ.

SEXTA pedalem non ſuperat altitudinem: caulis illi quadrangulus, ab radice ſtatim ramoſus: folia ſecundùm radicem, priori genere non breviora, eodem modo venoſa, ſive nervis quibuſdam excurrentibus prædita, ſed molliora, nec in ambitu ſerrata, at, quę ſummum caulem & ramos ambiunt, breviora: floſculi ſtatim à ramorum exortu, ipſos & caulem, in caliculis quinque lacinijs conſtantibus verticillatim ambiunt, primis longè minores, & è vaſculis vix prominentes, formâ tamen illis ſimiles, fuſci coloris, labello autem parte interiore pallido: ſemen ſuperiorum ſemine minus, nigricans: extremos porrò ramos caulémque, foliolorum palleſcentis coloris coma occupat, totáq; adeò planta molli lanugine prædita eſt: radix albeſcens, lignoſa, aliquot fibris hirta, ſed non vivax, quippe quam maturo ſemine ſubſequens hiems penitus tollere ſolet, non minùs quàm Alteram & Quartam. *Sideritis VI.*

Frequentiſſima eſt in Pannonię Auſtriæq; inferioris arvis & inter ſegetes, macro & ſterili ſolo. Floret Iunio & Iulio, ſemen ſubinde maturum etiam Iulio. *Natales.*

PLVRES ex eadem radice promit Septima caules, pedales, quadrangulares, lignoſos, ſurrectos, in quibus, ad ſingulos nodos, bina naſcuntur folia, ſibi invicẽ oppoſita, anguſta, hyſſopi vulgaris foliorum quodammodo æmula, ſaturatius virentia: flores Quintæ, minores & Lavendulæ floribus non valde diſſimiles, nonnihil palleſcentes, in orbem naſcentes, inter latiuſcula, brevia, ſerratáque folia ſummos caules ambiunt, & illa extremorum foliorum coma flaveſcit: radix longa eſt, dura, lignoſa, palleſcentis fuſco infecti coloris, aliquot annis perdurat, frigoríſque patiens hiemem in horto ferre poteſt. Floret Iulio & Auguſto. *Sideritis VII.*

DICITVR Græcis σιδηρῖτις ἢ ἡράκλεια, Latinis etiam Sideritis. Prima vulgo Herbariorum in Galliâ & Germaniâ, Tetrahil & Herba Iudaica: Tertia etiam apud Hiſpanos Tetrahil. Prima Vngaris *Tiz tös fiu*, id eſt, nobilis herba dicitur. Prima & Sexta rhizotomis Viennenſibus mulierculis Fuco peer kraut. Quartam & Quintam (ut dixi) Sideritidis alterius nomi- *σιδηρῖτις ἢ ἡράκλεια. Tetrahil. Herba Iudaica. Fuco peer kraut.*

ne accipiebam: Septimam verò pro Alpinâ, ſive montanâ Sideritide: ea aliquid affine habere mihi videtur cum Sideritide montanâ Lobelij.

Facultates. Sideritidis illita folia, referente Dioſcoride, ſuapte vi, vulnera ſine inflammationis periculo jungunt. Primam & Sextam in uſum deſiccatam adſervant rhizotomæ mulierculæ, Nam preterquam quod adverſus capitis dolorem, quem Stiri Fuce peer appellant (unde herbæ nomen) ipſum decocto illius lavari utile cenſent, à neſcio quo indocto empirico edoctæ: earundem etiam decocto pedes & alios artus defatigatos, aut alioqui rigentes, utiliter foveri prædicant. Hoc equidem ſcio, quoſdam ad crurum eryſipelata (Belgæ de rooſe/ Germani die rote appellant) curanda, Primæ recens collectæ & adhuc virentis decocto non ſine felici ſucceſſu uſos eſſe, crura fovendo, aut decocti fumo leniendo.

OCIMASTRVM VALENTINVM. CAP. XXVI.

Marrubium nigrum rotundifolium B: P in: 231

Ocimaſtrum Valentinum.



APPELLABANT hanc plantam Doctiores in Valentinâ Hiſpaniæ Academiâ, Ocimaſtrum, tametſi Dioſcoridis deſcriptioni exactè non conveniat: malui tamen hoc nomen illi relinquere, quàm aliud aliquod indere incertum, aut plantæ cuipiam à Veteribus deſcriptæ minus reſpondens. Nam quòd nonnulli, ex ſolo picturæ intuitu conjecturam facientes, hanc meam iconem, quam ex verâ plantâ exprimi curabam, Marrubio aptare maluerint, cauſam non video, quandoquidem hujus folia, tametſi frequētibus venis prædita, Marrubij folijs ſunt multò molliora, & minùs craſſa, neque ulla odoris gratiâ, qualem illi ſuo Marrubio tribuunt, commendantur.

VTVT tamen nominare libeat, pedali eſt altitudine, ramis quadrangulis, villo obſitis: folia illi ad ſingulos nodos ex adverſo ſita, Ocimi medij, formâ & magnitudine, guſtu adſtringente: circa ſummos ramos flores proveniunt in orbes diſpoſiti, Marrubij inſtar, Ocimi floribus ſimiles, in vaſculis pungētibus: ſemen, quale Marrubio, nigrum: radix Vrticæ aut Lamij radicum æmula, an verò perennis aut annua, nihil pronunciare poſſum.

PROVENIT copioſè circa rivos ex flumine *Guadaluuia* vulgo appellato, id eſt, album flumen ductos, ad urbem Valentiam in Hiſpanijs, ubi eam initio Aprilis florentem & ſemine prægnantem obſervabam, nuſquam alibi mihi conſpectam.

ὠκυμοειδὲς. φιλεταίριον. ὠκυμοειδὲς porrò, quod quidam φιλεταίριον cognominant, ſemen in vino potum, viperarum, ceterarúmque ſerpentium morſibus medetur, teſte Dioſcoride: & cum melle, vino, myrrha, & pipere Iſchiadicis datur.

PRVNELLA ET BVGVLA. CAP. XXVII.

DIXIMVS in Pannonicarum & Auſtriacarum ſtirpium Obſervationibus, eadem Prunellæ, & Bugulæ genera apud eas gentes inveniri, quæ alijs Provincijs cōmunia ſunt: nonnulla tamen etiam iſtic naſci, quæ ab alijs minimè obſervata eſſe agnoſcebam, de quibus peculiare caput inſtitueramus. Cùm autem in eadem nunc etiam ſim ſententiâ, illud ipſum caput hîc repetere voluimus.

Prunella I. non vulgaris. HABET autem illarum plantarum Prior, caulem quadrangulum molliter hirſutum, geniculatum: folia in ſingulis geniculis bina, ex adverſo ſita, nonnihil villoſa, vulgaris Prunellæ folijs fermè reſpondentia, guſtu amaricante: capitula in ſummis caulibus craſſiora quàm in vulgari: flores illius floribus formâ quidem ſimiles, ſed longè majores, nec ingrati odoris, ventre (quod pictor non obſervavit) laxiore, galeáque ſaturatiùs plerumque purpuraſcente, tametſi inveniantur aliquando dilutiores, & quaſi exalbidi, interdum etiam ſubcinerei coloris: ſemina in ſingulis vaſculis, ut plurimum quaterna: radicem nigram, multis craſſiuſculis & candicantibus fibris præditam, noviſque propaginibus ſeſe, annis ſingulis, augentem.

Natales. Eam primùm in Vngariâ & Auſtriâ, deinde etiam multis alijs Provincijs naſcentem inveniebam,

Prunella I.

Brunella caeruleo magno flore. C.B.Pin: 261.



Prunella II.

Brunella folio laciniato C.B.Pin: 261.



Bugula carneo flore. Consolida media pratensis purpurea C.B.Pin: 260.



veniebam, editioribus & gramineis locis, minus tamen uberem & luxuriãtem, quàm quæ in Auſtriâ creſcit. Floret Iunio, Iulio, & Auguſto, ſemen Iulio & Auguſto maturum eſt.

ALTERI dodrantales ſimiliter & quadranguli ſunt cauliculi, villis obſiti, ramoſi, è ſingulis nodis bina cõtrario ſemper inter ſe ſitu proferentes folia, non ut vulgaris ſubrotunda, ſed longa, & in aliquot profundas lacinias diviſa, guſtu, queádmodum in vulgari, adſtringente: flores ſummo caule ſummíſque ramis ſpicatim, ut in vulgari, naſcẽtes, à quibus quidem formâ non differunt, ſed color ſubinde variat: nam vel niveus eſt, vel cineraceus, vel carnei coloris, vel purpureus, quali colore etiã Mompelliano agro, poſt monaſterium Egremont nuncupatum, ad ſilvulę marginem Septentrioni oppoſitũ olim colligere memini: ſemẽ alteri perſimile: radix fibroſa eſt, ex qua prodeuntes ſingulis annis novæ virgæ, fibras plerumque agere ſolent. *Prunella II. non vulgaris, albo flore.*

Gaudet & hęc herboſis & gramineis locis, licet & alijs quæ à fluminibus nonnumquam inundantur, inter ſaxa invenerim. Floret maturius ſuperiore, nempe Maio, tametſi etiam Iunio.

TERTIA, non differt ab eâ quam vulgo Bugulam & Conſolidam mediam vocãt, vel formâ, vel viticulis ſummâ tellure repẽtibus, quæque nunc flore cæruleo, interdum cinereo, atque etiã omnino niveo invenitur: illis *Bugula carnei coloris.*

tamen

tamen hæc paulò tenerior eſt, floreſque habet ab ijs quos enumeravi, colore diverſos, ſunt enim in hac rubri diluti, ſive carnei.

Florentem cum alijs congeneribus primùm obſervabam anno M.D.LXXVII. non procul Zollonock, in acclivi nemoroſi cujuſdam collis: deinde iterum ſubſequente anno, ad monaſterium Maurpach è prato quodam aliquot ejus plantas eruebam: conſpiciebam denique anno M.D.XCI in exculto horto Philippi Stephani Sprengeri Palatinalis Pharmacopæi etiam Maio florentem, qui mihi referebat illam frequentem naſci circa Heidelbergam, unde tranſtuliſſet quam in ſuo horto alebat.

CETERVM quæ Bellis media à Matthiolo, major autem à Lobelio nuncupatur in Obſervationibus, & à vulgo ex Conſolidæ minoris generibus cenſetur, frequentiſſima eſt in Alpinis pratis, unde illam ſæpius in hortum tranſtulimus, cùm Viennæ agerem.

PARIETARIA SILVESTRIS quorundam. CAP. XXVIII.

CVR hanc nonnulli Parietariam ſilveſtrem appellent, cauſam non video, cùm neque ad parietes, neque ad macerias ſponte naſcatur, imò potiùs loca culta fugiat, & ſilveſtribus gaudeat. Quia tamen aliquam affinitatem cum proximè deſcriptis habere videtur, proximum illis locum dare viſum eſt, & illam in tres ſpecies diſtinguere.

Parietaria ſilveſtris I.

Melampyrum caerulea coma B. Pin: 234



Parietaria ſilveſt. II.

Melampyrum luteum latifolium B: Pin: 234.



Parietaria ſil. quorundam I.

QVADRANGVLO Prior aſſurgit caule, pedali, nodoſo, villis quibuſdam hirto, in quo alternatim ad nodos bina ſemper ex adverſo naſcuntur longa folia, ſecundùm pediculum lata, & ſenſim in mucronem deſinentia, aliquantulum villoſa: ſummus caulis & rami deſinunt in foliorum comam ſuperioribus minorum, ad pediculum laciniatorum, mollíque lanugine pubeſcentium, coloris purpurei, nunc dilutioris, modò ſaturatioris elegātiſſimi & violacei: inter quę bini ſemper inter ſe oppoſiti flores naſcuntur longiores, concavi, aliquantulum hiantes, ſuperiore labro nonnihil reflexo, & villoſo, inferiore latiuſculo, & deorſum propendente, coloris initio lutei, deinde omnino aurei, omnes tamen, licet alternis contrario ſitu naſcentes, antrorſum exporrecti & ſpectantes, quod pictor nō obſervavit: radix candicans eſt, quam ſubſequens hiems corrupit.

Parietaria ſil. quorundam II.

ALTERA caulem etiam habet pedalem, rarò ampliorem, quadrangulum, nonnihil interdum purpuraſcentem, ſtatim à radice in ramos diviſum, qui alternatim, æquali ſemper, attamen contrario, ſitu naſcuntur: ſub his expanduntur folia oblonga prioribus ferè ſimilia, virentia, ingrati & aliquantulum acris ſaporis: flores in ſummis ramis inter pinnata & anguſta

Parietaria ſilveſt. III.

Melampyrum purpuraſcente coma C.B.Pin: 234.



Verbena vulgaris.

Verbena co̅is cæruleo flore C.B:Pin: 269



anguſta folia naſcuntur, ut in priore, minores, lutei coloris, qui tamẽ in marceſcentibus exalbeſcit, rictu manente luteo: radix cum ſuperiore convenit.

Creſcunt in ſepibus & ſilvarum marginibus, umbroſiſque locis Vngariæ, Auſtriæ, Moraviæ, Bohemiæ, atque etiam Germaniæ. *Natales.*

Ad has referenda eſſe videtur, quę in omnibus ferè Provincijs inter ſegetes naſcitur. Etenim ſuperioribus quodammodo ſimilis eſt, licet anguſtiora habeat folia, &, quæ comam efficiunt, tenuius etiam laciniata, totáque rubra aut carnei coloris: flores item prioribus formâ ſimiles, coloris tamẽ varij: nam labrum inferius cum galeolâ & extremâ caudâ, purpuraſcunt, media pars, quæ circa rictum turget, lutea eſt: ſuccedunt in caliculis vaſcula fuſcum ſemen continentia. *Pariet. ſil. quorum. III.*

Sunt omnes annuæ, & maturo ſemine perire ſolent: florent autem Maio & Iunio.

Qvo nomine hæ donari debeant, me ignorare fateor: ſunt tamen qui priorem ſilveſtrem Parietariam appellaverint, neſcio qua ratione ducti. Alteram Cratæogonum: Tertiam, triticum vaccinum, & Melampyrum & σελέφυρον Theoph. lib. de Plantis VII. cap. X. quem & ſequutus Plin. lib. XXI. cap. XVII. inter ſpicatas recenſet: nec deſunt qui Alopecurum Plinij eſſe putent. Plinij tamen Alopecuros, ſi quis diligenter perpendat, à Theophraſti Alopecuro, haudquaquam differre comperietur: Atrebates mei à comæ colore *rouge herbe*, id eſt, rubram herbam cognominant. *Cratæogonũ. Melampyrũ. σελέφυρον Theoph. Alopecuros nonnullorum. rouge herbe.*

Nullum, quod ſciam, in medicinâ uſum obtinuerunt: ſed plerumque negligi ſolent. Poſterioris autem ſemen, in Occidentali Flandriæ parte, ubi copioſiſſimè inter ſegetes (ruſticorum plerũque negligentiâ, qui eam tempeſtivè non evellunt) naſcitur, panem vitiare ſolet, & magis atrum reddere: quinimo ijs qui eo veſcũtur, caput gravedine plerumque tentari ſolet, non ſecus atque ſi lolio victitaſſent.

VERBENA. Cap. XXIX.


Commvnem Verbenam in omnibus, quas perluſtravi, regionibus naſcentem conſpexi: ſed aliud elegans gènus in meo per Hiſpanias itinere obſervabam, cujus hiſtoriam hîc damus.

Qvaterni aut quini ſunt illi cauliculi, anguloſi ſive quadranguli, quales vulgaris Verbena habet, tenuiores tamen, ſupini, & in terram procumbentes, nodoſi ſeu geniculati: ad ſingulos nodos naſcuntur ſub ramulis folia, colore quidem à vulgaris folijs non differentia, ſed multò magis inciſa, & multifida: flores in ſummis ramulis ſpicæ in modum congeſti naſcuntur, ut in vulgari, etiam ex cęruleo purpuraſcentes, minores tamen: ſemen illi æquale eſt, nec radix diſpar. *Verbena ſupina.*

Salmanticenſi agro frequens, & quibuſdam alijs Caſtellæ locis, juxta ſemitas, ubi minor, exſucca & retorrida, tum etiam declivibus,

fluminúm-

Verbena ſupina. (Verbena tenuifolia C.B.: Pin: 269.



fluminúmq; ripis, præſertim verò ad fluvium Thormim, qui Salmanticam & Albam urbes alluit, ubi major & vegetior.

Florebat iſtic Iulio & Auguſto, & ſimul ſemen ferebat, quo in Belgicam delato, & terræ commiſſo, natæ ſunt nobis aliquot plantæ, quæ cùm ſeriùs flores dediſſent, illarum ſemen non potuit excoqui & perfici, atque ita nobis perijt illud genus: annua enim eſt planta, quę ſemine producto, perire ſolet natalibus etiam locis.

ἱερὰ βοτάνη. περιστερεὼν ὕπτιος.

GRÆCIS ἱερὰ βοτάνη, id eſt, Sacra herba, & περιστερεὼν ὕπτιος, hoc eſt, Verbenaca ſupina dicitur, præſertim ſecundum genus: nullum vulgare illius nomen intellexi.

Ejuſdem cum vulgari eſt temperamenti, proinde ad eadem utilis erit proculdubio, & aliquanto fortè efficacior.

HELIOTROPIVM MAIVS.
CAP. XXX.

Heliotropium majus.

HELIOTROPII majoris hiſtoria, ab omnibus, qui de re Herbariâ ſcripſerunt, eſt tradita: quia tamen illius aliud genus, à nobis obſervatum, hoc capite deſcribere cupimus, primi vulgaris iconem illi præponere voluimus.

Heliotropium ſupinum.

EST verò genus illud quod obſervabam, Majori perquàm ſimile, minus tamen: graciliores enim fert ramulos, in multas alas diviſos, aliquantulum lanuginoſos, humi ſtratos: folia majori, ſapore, colore, formâ ſimilia, minora tamen, & Ocymi folijs proxima: extremi ramuli ſcorpionis caudæ inſtar etiam incurvantur, eiſque ordine inſident (ut in majore) candidi floſculi, quibus ſuccedit ſemen, non quadrifariam, ut in illo, diviſum, aut quaterna ſimul juncta, ſed unicum ferè ſemper, interdum geminum, illo majus & oblongius, fuſcum, quodam cortice ſive membranâ tamquam pericarpio incluſum: ſub folijs aliquando etiam latent pedicelli, terna aut quaterna dumtaxat ſemina ſuſtinentes: radix parva, foris nigricans, hieme perit, & deciduo ſemine ſingulis annis novæ plantæ renaſcuntur.

Heliotropium majus. Dioscoridis C.B.: Pin: 253



Natales.

Ad quorundam agrorum margines, præſertim ubi Melopepones ſeri ſolent, Salmanticæ reperiebam: Florebat ſub finem Iulij & Auguſto, quo menſe, & interdum Septembri, ſemen ejus ad maturitatem perduci ſolet.

σκορπίουρος. ἡλιοτρόπιον. Helioſcopiū. Verrucaria.

PROCVLDVBIO Heliotropij majoris genus eſt, licet nonnulli cerebroſius aſſerere malint Heliotropium minus eſſe: minus quidem eſt altero, ſed aliud minus proximo capite dabimus. Græci σκορπίουρον, quòd ramuli cum floribus ſcorpionum caudæ modo inflectantur, & ἡλιοτρόπιον, quòd ejus folia cum ſole circumagantur, appellant. Plinius etiam Helioſcopium & Verrucariam vocat: mihi Heliotropium ſupinum erit.

Facultates.

CETERVM, ut ejuſdem cum majore eſt temperamenti, iiſdem etiam viribus pollere veriſimile eſt. Dioſcorides porrò ſcribit, decoctum her-

Heliotropium ſupinum. minus B:Pin:253




ctum herbæ ex aquâ, faſciculo manus plenę, potu, pituitam, bilémque per alvum extrahere: contra ſcorpionum ictus ex vino potum, & illitum prodeſſe: adalligari ad conceptus arcendos: folia infantium deſtillationibus, quas ſyriaſeis vocant, podagris, luxatiſque, utiliſſimè illini: menſes ciere: partus, tritam & impoſitam, pellere: illitum ſemen formicantes verrucas penſileſque & thymos, & epinyctidas exſiccat: præterea, aiunt, inquit, per horam unam ante acceſſiones, ſeminis grana quatuor cum vino, quartanas: tria verò, tertianas finire. Plinius autem addit Magi Heliotropium quartanis quater, in tertianis ter alligari jubent, ab ipſo ægro: in pleriſque alijs facultatibus Dioſcoridi ſuffragatur.

HELIOTROPIVM MINVS TRICOCCVM.
CAP. XXXI.

MINVS Heliotropium unico aſſurgit caule, pedali, ramoſo; illius folia ſuperiorum folijs diſſimilia, nonnihil ad Xanthij, plurimum verò ad Solani ſomniferi folia accedunt, mollia & candicantia: flos puſillus, racematim cōgeſtus, luteolus, inutilis, quippe qui ſine ſemine perit; veluti flos Ricini, & quarundam aliarum ſtirpium, quæ ſua ſemina è floribus non producunt: ex alarum tamen cavis dependent ex longis petiolis, ſub folijs quaſi occultatæ, ſine flore enatæ ſiliquę triangulæ, quales Tithymalorum, ſed aſperiuſculæ, ſcabræ, nigricantes, in quibus ſemen cineracei coloris, quod dehiſcentibus ſiliquulis exilit, quemadmodum Tithymalorum & Ricini ſemina: hæc capita ſive ſiliquæ pannis affricatæ, florido viridi colore eos inficiunt, qui temporis momento in cœruleum, eúmque elegantem, mutatur: radix inutilis, nec vivax: ut quæ ſingulis annis, uti priores, pereat, & novæ plantæ, ſemine deciduo renaſcantur. *Heliotropium minus.*

Heliotropium minus Tricoccum.
Heliotropium tricoccum B:Pin: 253



Salmanticenſi agro frequentiſſima eſt hęc planta, multiſque alijs reliquæ Hiſpaniæ locis: naſcitur etiam copioſè in Galliâ Narbonenſi. Iulio & Auguſto floret, & ſubinde ſemen etiam matureſcit. Nobis in Belgio, atque Viennæ Auſtriæ ſæpius ſata, & aliquoties nata, ad frugem numquam pervenit. *Natales.*

Ἡλιοτρόπιον μικρὸν Græcis, Heliotropium minus Latinis dicitur: Plinio etiam Tricoccum, qui ejus hiſtoriam cū Scorpioide Dioſcoridis cōfundit: Caſtellanis *Tornaſol*, Narbonenſibus *Tornesol*: quæ voces à Græco nomine deductæ videntur. *ἡλιοτρόπιον μικρόν.* *Torneſol.*

DIOSCORIDES ait, herbam cum ſuo ſemine potam, adjecto nitro, hyſſopo, naſturtio, & aquâ, latas tereteſque tineas excutere: penſiles verrucas, achrocordones vocatas, cum ſale illitam, tollere. *Facultates.*

PHYLLVM.

PHYLLVM. CAP. XXXII.

PHYLLVM duplex eſt Veteribus, qui tamen in ejus deſcriptione diſſentire videntur. Nam quod Theophraſtus marificum facit, id Dioſcoridis feminificum videtur. Præterea Theophraſtus Phyllo Ocymi folia tribuit, Dioſcorides Oleæ. Nos ex ipſis veris & legitimis plantis quas frequenter vidimus & collegimus, utriuſque generis deſcriptionem concinnabimus.


Phyllum marificum.

Phyllon teſticulatum B: Pin: 122.



Phyllum feminificum.

Phyllon ſpicatum B: Pin: 122.




Phyllum marificum. MARIFICVM (Theophraſti enim ſententiam potiùs ſequemur) pedali, ut plurimum, cubitali interdum eſt caule, quadrangulo, firmo, ramoſo: folia illi Oleæ, ſeu veriùs Ziziphę Cappadociæ, incana, lanuginoſa, mollia, bina ſemper certo ordine & per intervalla (ut in omnibus pænè quadrangularem caulem habentibus plantis animadvertere licet) diſpoſita, acidi & ſalſi guſtus: inter quæ, iuxta ramulos, naſcuntur bini globuli, uni & eidem pediculo inhærentes, ut in Mercuriali mare, vel (ut Theophraſtus ait) fructus ſicut oliva, cùm primum ex muſco, ſive flore, emergit, geminus, teſticuli hominis inſtar, quo continetur ſemen Tithymali ſemini non diſſimile, rotundum, cinerei initio coloris, qui tandem ad cyaneum vergit: radix minimi digiti craſſitudinem & longitudinem nonnumquam æquat, duráque eſt, lignoſa, candida, in multos ramos fiſſa.

Phyllum feminificum. FEMINIFICVM, quod Dioſcoridis eſt Marificum, ſuperiori prorſus eſt ſimile: altius tamen plerùmque aſſurgit (licet infirmioribus caulibus) & numeroſiora habet folia: præterea, flos oleæ mòdo muſcoſus & ex herbaceo palleſcentis coloris, longis tenuibúſque inter folia petiolis inſidet (quem in Marifico vix obſervare licet, fructu ſtatim ex alarum cavis enaſcente) ſeménque raròadmodum perficit, quod globulis etiam, nunc binis, modò pluribus eidem pediculo inhærentibus continetur. Puto tamen ex prioris ſemine utrumque plantæ genus naſci, quemadmodum in Mercuriali, Spinacijs, Cannabi, alijſque nonnullis plantis accidit.

Vtraque calidioribus regionibus, in quibus ſponte provenit, tota incana eſt, & quodammodo tomentitia, longéque minoribus folijs, quàm in frigidioribus, ubi raròvivax eſt. Illud etiam utrique commune cum Mercuriali, Cynocrambe, & Heliotropio minore, ut erutæ radices, temporis ſucceſſu cæruleum colorem contrahant.

Natales. Naſcitur utraque multis Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis locis, ſecundùm vias, ubi Aprili, interdum etiam maturius floret: in Belgicâ verò, non niſi æſtate nobis flores dabat, & ſingulis annis, ex ſemine deciduo novas plantas producebat.

Cantabrica quorundam. Convolvulus linariæ folio Bauh: 295.



GRÆCVM nomen huic plantæ eſt φύλλον & ἐλαιόφυλλον: Latinum, Phyllum: & primũ quidem genus ἀῤῥενογόνον, alterũ θηλυγόνον Theophraſto: cõtra verò Dioſcoridi, ut diximus. Hiſpani agro Salmanticenſi utramque vocabant *Yerua de Santa Guiteria*, Granatẽſes verò, *Carra*. *φύλλον ἢ ἐλαιόφυλλον ἀῤῥενογόνον. θηλυγόνον.*

Arrhenogoni potu maſculi ſexus fieri partus, ut Thelygoni feminei, Theophraſtus & Dioſcorides ſcriptum reliquere. Salmanticenſes utriuſque decoctum, quibuſcumque animalibus à cane rabido demorſis, propinabant, magno, ut inquiebãt, ſucceſſu. Granatenſibus, Mauritanis præſertim, ad muliebres morbos, frequenti in uſu erat. *Facultates.*

CANTABRICA quorundam.
CAP. XXXIII.

MVLTIS tenuibus, adeóque junceis ex eadem radice prodeũtibus ramulis, prædita eſt hæc planta, humi procumbentibus, pedalis, interdum cubitalis longitudinis, duris, flexibilibus tamen, lanuginoſis, qui in ſummo aliquot flores proferũt purpuraſcentes, inodoros, convolvoli æmulos, minores, unico folio conſtãtes, ſed ita implicato, ut quinque videantur, florum oris in totidem angulos deſinentibus, &, dum clauduntur, complicatis: folia per ramulos nullo ordine ſunt ſparſa, longa, anguſta, tenui lanugine obducta, ſalicis folijs haud abſimilia, gũmoſa ſi quis mordeat, & aliquantulum amara: radix candicans, ſingularis, infimâ parte ramoſa eſt, & vivax. *Cantabrica Plinij qui buſdam.*

Convolvulus argenteus Althcæ folio. Bauh. 295.



Frequens eſt multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis, mihi ante in Galliâ Narbonenſi obſervata. Poſtea illam etiam inveniebam in colle Thermarum urbi, vulgo Baden, imminenti, quarto ab urbe Viennâ Auſtriacâ miliari. Floret Maio & Iunio, nonnumquam & Autumno. Apud Belgas, ſemine ex Hiſpanijs accepto nata, non niſi Iulio & Auguſto, ubi nullum ſemen perficere obſervabamus, tametſi magnâ diligentiâ teſtaceis conſervatam: calidioribus autem locis, in quibus ſponte naſcitur, ſemen fert in vaſculis convolvolo nõ abſimilibus, minoribus tamen, fuſcum, anguloſum, inæquale. *Natales.*

SVNT qui hanc Cantabricam Plinio lib. XXV. cap. VIII. appellatam putent. In eadem, inquit, Hiſpaniâ, inventa eſt Cantabrica, per Divi Auguſti tempora à Cantabris reperta. Naſcitur ubique, caule junceo, pedali, in quo floſculi oblongi, velut calathi: in his ſemen perquam minutum. Et eodem capite, ejus, cum Dictamno & radice Ariſtolochiæ, drachmam in vini hemina ſæpius bibendam jubet, contra ſerpentium morſus. *Cantabricæ Plinij.*

CONVOLVVLVS Altheæ folio.
CAP. XXXIIII.


FLORIS cum Conuolvulo ſimilitudo facit, ut hanc plantã, alioqui non cõgenerem ſuperiori, nec forma illi reſpondentẽ, ſubnectã.

VEPRIBVS atque fruticibus adnaſcitur hæc planta, illiſque convolvitur, alioqui ſi adminiculis caret humi jacet, nec ſeſe attollit: nam infirmioribus eſt cauliculis ſeu viticulis, gracilibus, *Convolvulus Althaa folio.*

cilibus, pedalibus aut cubitalibus, villis quibuſdam obſitis: folia habet inordinata, Hederæ, aut Altheæ folijs ferè reſpondentia, minora, incana, in ambitu criſpa, nonnumquam ſerrata, & aliquantulum laciniata, gummoſa ſi guſtetur, ſubacria, & ſubamara: flores ex alarum ſinu promit longis pediculis inhærentes, convolvuli floribus ſimiles, unico folio inſtar calathi aut campanulæ conſtantes (ſed ita implicato, ut ex pluribus folijs conſtare videatur) ex purpureo candicantes, interdum omnino purpuraſcentes: radix tenuis, exilis, fuſca, per ſummos ceſpites repit, & ſubinde alias plantas producit.

Convolvulus minor.

Convolvulus minor arvensis 295.



Natales. In collibus juxta Tagum flumen læto ſolo, in Bæticâ, plurimiſque alijs Hiſpaniæ locis naſcitur. Floret Martio & Aprili. Ad Tagum autem, etiam Decembri florentem inveniebam.

Iaſio: e Plinij. A D quam ſtirpem Veteribus deſcriptam referri hæc planta, cui, à viticulis, vicinis fruticibus aut herbis ſe implicantibus, Convolvuli nomen indidi, poſſit, ignoro: niſi quis fortè, Iaſionem, cujus Plinius lib XXII. cap. XXII. meminit, eſſe exiſtimet. Valentini convolvolum folio Althææ, Hiſpani vulgari nomine *Campanilla*, id eſt Campanulam, Luſitani *Verdezilla* appellabant; & ad vulnera curanda efficaciſſimam eſſe tradebant.

Volubilis minor. VOLVBILEM porrò illam minorem (quandoquidem in Convolvuli mentionem incidimus) quam Dodonæus Smilacem lævem minorem nominat, paſſim in cultis arvis naſcentem, frugibúſque ſe convolventẽ & implicantem, nonnumquam etiam in incultis, & ad agrorũ margines creſcentem, florem valde variare agro Francofurtenſi obſervabam: Nam vel omnino niveus erat; vel albus quidem, ſed in quo ſecundùm quinque complicationum longitudinem ſubpurpuraſcẽs color elucebat, umbilico etiam albo, aut omnino purpureo: vel prorſus purpureus, radijs ſecundùm complicationes albis: vel medio inter utroſque colore: vel radijs craſſioribus, ſaturatiùs purpuraſcentibus, reliqua parte albis.

Lyſimachia lutea communis.

Lysimachia lutea major, quae Dioscoridis B: Pin: 245.



LYSIMACHIA. CAP. XXXV.


Lyſimachia vulgaris magna varietas. PRÆTER Lyſimachias vulgares, quarum hîc icones proponimus, hiſtoriam autẽ non tradimus, quia ab alijs ſatis luculẽter eſt deſcripta: luteam videlicet, purpureã, ſiliquoſas cognominatas, quarum aliæ annuæ dumtaxat, aliæ vivaces longè lateque ſerpente radice donatæ ſunt, & inter has quæ à C. V. Conrado Geſnero Chamænerion vocata, flore niveo interdum à me reperta, tum quæ cæruleo eſt flore (nam & hæ omnes in Pannoniâ, & vicinis Auſtriâ atque Stiriâ regionibus, vel ſecundùm rivos, vel in montanis pratis ſponte naſcuntur) duo alia genera, dum Viennæ Auſtriæ vivebam, minimè ab alijs deſcripta obſervabam.

Lyſimachia lutea II. CVBITALI plerumque aſſurgit Primum caule, interdum etiam ampliore, firmo, duro, lanuginoſo, & villis obſito: hunc ambiunt ordinatâ quadam ſerie quaterna plerumque ſimul, nonnumquam etiam terna adverſis inter ſe pediculis, folia, mollia, aliquantulum incana, primæ, quæ luteo flore eſt folijs minora, acidi initio ſaporis, deinde ſalivam cientis, infernâ parte nigris punctis diſtincta: circa ſummum caulem, ex ſingulorum foliorum ſinu prodeunt vel ramuli aliquot floribus onuſti, cum ſingularibus ali-

quot

Lyſimachia purp. communis, major.

Lyſimachia ſpicata purpurea, forte plinii B: Pin: 246.



Lyſimachia ſiliquoſa major.

Lyſimachia ſiliquoſa glabra major. B: Pin: 245.



Lyſimach. ſiliq. III. Chamęnerion Geſn. *Lyſimachia chamaenerion dicta angustifolia B: Pin: 245.*



quot floribus, vel ſingulares duntaxat flores, prȩſertim ſummo caulis faſtigio, lutei, cum quadam gravitate odorati, veluti quinis mucronatis folijs conſtantes, ſed qui tamen infima ſede cohærent, & ſimul defluunt, cum totidem ſtaminibus flavis: radix geniculata, ex ſingulis ut plurimum geniculis novas propagines producens, & ſubinde fibras agens, quibus telluri firmiter inhæret.

Creſcit in Alpium Auſtriacarum, aliarúmque vicinarum regionum convallibus, & pratenſibus locis plurima, atque etiam in cȩduis quibuſdam ſilvis, quæ ad montium radices ſunt: obſervabam præterea non procul Viennâ pleriſque locis ſecundùm aquas. Floret Iunio. *Natales.*

HVMILIVS eſt Alterum genus, vulgari Rubrâ ſive Purpureâ, cubitalem altitudinem rarò ſuperans: caules illi teneriores, graciliores, quadranguli, cacumine in plures ramulos, ex adverſo inter ſe naſcentes, diviſi: folia vulgari minora, & anguſtiora, ſibi invicem etiam oppoſita, ſi mordeantur, lenta & quodammodo gummoſa, deinde nonnihil acrimoniæ & amaritudinis exerentia: quæ in ſummis ramulis naſcuntur, confuſum habent ordinem, neque ſeriem ullam ſervant: inter quæ caliculi emergunt rariores, minores, neque adeò barbati, aut verticillorum inſtar caulem ambientes ut in Purpureâ vulgari Lyſimachiâ, plerumque hexagoni, ex quibus prodit flos ſex foliolis conſtans, colore rubro, aliquot ſtaminulis ex umbilico prodeuntibus: radix dura, lignoſa, non repens ut ſuperior, *Lyſimachia purp. II. ſive minor.*

Lyſimachia cæruleo flore.

Lysimachia spicata coerulea C.B. Pin: 246.



Lyſimachia lutea II.

Lysimachia Lutea minor, foliis nigris punctis notatis C.B. Pin: 245.



Lyſimachia purp. II. ſive minor.

Lysimachia rubra non siliquosa C.B. Pin: 246.



Lyſimachia lutea III. ſive minor

ſed ex eodem corpore multos caules ſingulis annis proferens, & ſubinde lateribus ſe propagans, multiſque fibris inhærens.

Provenit multis Pannoniæ locis, in humidis pratis & Danubij inſulis, frequentiſſimè verò, ultra Poſonium, vulgo Presburg dictum, itinere Tirnavienſi. Floret cum vulgari Iunio & Iulio.

NON dubium eſt, quin ad Lyſimachiæ genera utraque hæc planta referri debeat: adeò illi facie ſunt ſimiles.

SED nec à Lyſimachiarum claſſe forſitan reijcienda elegans plantula, cujus ſiccam ſtirpem, cum pleriſque alijs Kaufburno ad Alpes ſito ad me mittebat Francofurtum anno M. D. XC. Doctiſſimus vir Rudolphus Schlickius Doctor Medicus, poſteaquam Heidelbergâ, ubi Profeſſoris publici munere fungebatur, ad illam urbem evocatus eſt, ut πολίατρος eſſet. Is, dum vicinos montes (quãtum negotia permittebant) ſtirpiũ perquirendarum gratiâ adit & luſtrat, plurimas (ut ex ijs quas ad me miſit deprehendi) illis ſimiles quas in Auſtriacis & Stiriacis Alpibus obſervatas, in Pannonicarum ſtirpium hiſtoriâ deſcripſi, invenit, & inter reliquas etiam hanc, cujus hiſtoriam quàm exactè fieri poterit, & iconem fideliter expreſſam, hîc ſubijciam.

HABET autem illa pedalem caulem, tenuem, ſtriatum, cavum, multis nodis ſeptum,

ab imo

Lyſimachia lutea III. ſive minor.



Lyſimachia lutea altera Lobelij.



Lyſimachia bifolia flore globoſo Liteo B: Bm: 295.

ab imo brevibus binis folijs, vel potius vaginulis, ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus cinctum, quę circa medium caulem naſcuntur, longiora ſunt, anguſta, tenella, ex viridi palleſcentia, tenuibus quibuſdam venis obliquè ſecta, ex quorum ſinu, enaſcuntur unciales pedicelli, tenues, ſuſtinentes florũ muſcoſorum, & quinq. flavis foliolis conſtantium (prodeuntibus ex medio longiuſculis tenuibus ſtaminulis cum apice aureo) veluti ſpicã: radice nititur longâ, hac illac ſe ſpargente, ad cujus internodia frequentes creſcunt tenues, & quaſi capillares fibræ, qualibus pleræque aquaticæ ſtirpes donatæ ſunt: adnatis ſe propagat.

Naſcitur hæc, Schilickio referẽte, riguis locis ad Alpium Kaufburno vicinarum radices.

EANDEM eſſe puto, cum illa, aut certè illi valde ſimilem, quam noſter Lobelius, in Appendice ad calcem Stirpium hiſtoriæ Teutonico idiomate evulgatæ, ſic deſcribit, exhibita etiam ipſius icone, quam nos etiam adiecimus, licet radices & infima caulis pars, non ſatis ſcitè expreſſæ mihi videantur.

ANTE quinquenniũ, inquit, Alterum hoc genus Lyſimachię luteę frequens inveniebam in humentibus foſſis circa Gandavum, è regione palatij Principis, deinde inter Tenermundam & Gandavum: anno autem M D XXCI. in Hollandiâ circa Amſtelrodamum magna copia inter harundines è quibus ædium prætexta conficiuntur. Radix fibroſa, rubris maculis infecta, hac illac repit vulgaris Lyſimachiæ inſtar, caulem ferens pedalem, quem ambiunt bina & bina folia, communis Lyſimachiæ folijs anguſtiora, ex viridi pallentia, inter quæ floſculi naſcuntur in longa capitula congeſti, mollibus illis ſalicis capitellis luteo flore præditis non diſſimilia.

GALERICVLATAE Lyſimachiæ ſatis luculenter à Lobelio deſcriptæ non meminiſſem, niſi alteram illi congenerem videre mihi contigiſſet, lectam in Itinere à Doctiſſimo Medico Gulielmo de Mera ex Italiâ redeunte, & in ſportulis adſervatam. Lobelianę porrò bini illi flores ex foliorum, contrario ſitu in cauliculis quadrangulis naſcentium, ſinubus prodeuntes, ſemper in anteriorem partem propendent adeo æqualiter, & contigui, ut ex eodem ſinu orti videantur, quod pictor in unico duntaxat nodo & geniculo obſervavit, plantam delineando. Naſcitur etiam illa copioſè in Vngariâ, Auſtriâ, Stiriâ, Moraviâ, Bohemiaque, ſecundum rivos è montibus defluentes, ruſticis neglecta. *Lyſimachia galericulata Lobelij.*

AT quam à Mera accipiebam, dodrantalis eſt altitudinis, ſtatim ſecundum radicem ramulos in latera fundens, graciles, virides, frequentibus foliolis, anguſtis inſtar foliorum lini, ſed brevioribus, obſitos, inter quæ naſcuntur ſingulares, interdum gemini caliculi *Lyſimachia rubra minima.*

 longiuſcu-

Valeriana Indica.

Valeriana peregrina purpurea albave C.B.Pin: 164.

Valeriana Indica.



Valeriana annua altera.

Valeriana foliis calcitrapae C.B.Pin: 164.

Valeriana æſtiva.



longiuſculi, quales ferè in Lyſimachia rubra minore, è quibus emergit floſculus quinis foliolis conſtans ex purpura cęruleis: quibus defluentibus, ſuccedunt capitula membranacea caliculis incluſa, exili ſemine candicante plena: radix longiuſcula, fuſca, aliquot fibris donata.

VALERIANA INDICA. CAP. XXXVI.

SEMINE ex Italiâ miſſo Valerianæ Indicæ nomine, nata eſt hæc nova, & paucis abhinc annis Europæ cognita elegans planta, quæ primum ex terrâ emergens, non valde abſimilis eſt illi quam Belgæ veldt-croppen/ id eſt, campeſtrem lactucam, appellāt, Lugdunenſis plantarum hiſtoria, Polypremnum Caſſiani in Geoponicis eſſe, aſſerere videtur, Lobelius Phu minimi appellatione donavit. Inter media folia caulem promit pedalem, nōnunquam cubitalem, concauum, tenellum, anguloſum, nodoſum, & ad ſingulos nodos in bina brachia, ut plurimum, diuiſum, adnaſcentibus utrimque ex adverſo ſingularibus folijs, binas uncias plerumque longis, unam latis, mollibus, craſſiuſculis, ſinuoſis interdū, & in lateribus aliquantulum inciſis, inſipidi fere guſtus: ſingula deinde brachia ex geniculis prodeuntia, in breves alios ramulos dividūtur, ferentes ſummo faſtigio multos in caput congeſtos floſculos, longiuſculos, extremâ parte apertos, & in quinque lacinias diuiſos, quarū duæ ſuperiores, breviores & latiores, inferiores autem tamquam labra pendulæ, & media reliquis lōgior, coloris omnes vel carnei, vel prorſus nivei, odoris expertes: ſingula deinde capitula in longitudinē & latitudinem augeſcunt, ſemenq; oſtendūt craſſiuſculum, fungoſum, nigricās: radix parva eſt, cādida, quam ſubſequente hieme perire, ipſa experiētia docuit.

Floret interdum Maio & Iunio maturius ſata: ſubinde tamen in hiemem uſque flores & ſemen proferentem vidimus.

VALERIANA ANNVA, ſeu Æſtiva. CAP. XXXVII.

HAEC ſtatim à radice multa folia promit humi diffuſa, viridia, inſtar foliorum Calcitrapę vulgò appellatę, ſive Cardui muricato capite, laciniata, inter quæ prodeunt aliquot caules rotundi, cavi, ramoſi, binos cubitos fere alti, virentes, quem ad ſingulos nodos utrinque ex adverſo amplectuntur folia inferioribus minora, laciniata etiam, Valerianæ ſilveſtris vulgatioris foliorum æmula: ſummis ramis extimoque caule ſuſtinentur tamquam umbellæ florum quinque folijs conſtantium, non diſſimilium floribus Valerianę Indicę anteriore capite deſcriptæ, coloris rubri dilutioris ad carneum tendentis: in ramulos excreſcunt tandem illæ veluti umbellæ, & ſemen ferunt quale pænè Valerianæ rubræ, ſed minus: radix alba, & ſatis lignoſa,

Valeriana ſilveſtris. I.

Valeriana Sylveſtris major C. B. Pin: 164.



Valeriana ſil. II. minor.

Valeriana paluſtris minor C. B. Pin: 164.



Valeriana ſil. alpina I. latifolia.

Valeriana alpina altera C. B. Pin: 164.



lignoſa, quam tamen ſubſequẽs hiems corrumpit. Floret ęſtate, & ſubinde in Autumnum uſque floribus & ſemine onuſta conſpicitur.

Nata eſt Francofurti ad Mœnum in exculto horto Ioannis Myleri Pharmacopæi diligentiſſimi & rei herbariæ ſtudioſiſſimi, ſemine illi communicato, quod è Belgicâ acceperam à Iacobo Plateau, anno, ni fallor, MDXC.

VALERIANA ALPINA & Saxatilis. CAP. XXXVIII.

NON minus vulgaria ſunt in Auſtriâ, Stiriâ, viciniſque Provincijs duo illa Valerianę ſilveſtris genera à Neotericis prodita, quàm in universâ Germaniâ, & alijs pleriſque regionibus. Verùm duo alia in Stiriacis & Auſtriacis Alpibus obſervaſſe exiſtimo, quæ alibi mihi conſpecta non fuêre: quibus vulgarium icones præfigendas cenſuimus, ut ex collatione diſcrimen facilius agnoſci poſſit.

PRIMVM aſſurgit palmari cauliculo, interdum etiam pedali, terete, rotundo, viridi, quem ambiunt oblonga folia in binas aut ternas crenas profundiores nõnumquam diviſa: alia verò majora ex radice prodeunt, ad hederæ tracheliíve formam accedentia, minora tamen & teneriora, amari guſtus: flores in ſummo caule quaſi umbellatim naſcuntur, ut in alijs Valerianæ generibus, puſilli, albi, quibus ſuccedit exiguum ſemen, forma alioqui alijs ſilveſtribus Valerianis ſimile: *Valeriana Silveſtris alpina I. latifolia.*

radice

Valeriana alpina nardo celticæ ſimilis B: Pin: 165.

Valeriana fil. alpina II. ſaxatilis.



Nardus mont. primùm germinans.

Nardus montana radice olivari B: Pin: 165.



radice ſerpit nodoſâ, albicante, odoratâ, & cum aliquâ adſtrictione amariuſculâ, ex quâ aliquot capillares fibræ dependent.

Natales. Creſcit in ipſis Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, locis umbroſis, inter ſaxa: nuſquam tamen uberius quã in Durrenſtein, in quo omnes alpinę plantę magis luxuriare & adoleſcere vidẽtur. Floret Iunio & Iulio, deinde ſemen paulatim matureſcit.

Valeriana fil. alpina II. ſive ſaxatilis. ALTERI bina aut terna à radice exeunt folia, Bellidis montanæ foliorum pænè æmula, è quorum medio caulis aſſurgit pedalis, gracilis, rara habens folia inter ſe oppoſita, anguſtiora, & minora: ſupremus caulis in ramulos finditur, qui floſculos ſuſtinent albos, reliquis Valerianæ ſilveſtribus ſimiles, ſemen, quod ſubſequitur, non etiam diverſum: ejus radix aliarum Valerianarum Alpinarum modo in ſaxorum fere commiſſuris ſerpit, nec minus odorata eſt ſuperiore.

Provenit inter ſaxa ad flumen Myrtz quod monaſterium Neuberg alluit, qua ex eo monaſterio iter eſt in Hohenbergerin & Spital. Invenitur & in alijs locis, ſed iſtic primum obſervabam. Floret ſub Iunij finem, & Iulio, interdum maturius, nonnumquam ſerius, pro cæli & aëris naturâ atque temperie.

DE Valerianis conſulendum cenſeo Fabium Columnam virum acerrimi iudicij.

MONTANAM Nardum in illis montium iugis invenire non contigit, tametſi ſummâ diligentiâ perquiſiverim. Verùm anno M D XCII. eam ad me mittebat Neapoli doctiſſimus vir Ferdinandus Imperatus è monte Virgineo erutam, ex quâ numeroſas poſtea nactus ſum plantas: quin & ſemine deciduo pleræque felicitur natæ in meo horto.

Nardus mõtana. TVBEROSAM porrò habet ea radicem quæ quotannis adnatis alijs valde ſe propagat, multiſque & quaſi capillaribus fibris infimâ parte & ſummo capite prędita eſt, ex quâ ſtolones oriuntur folijs ex atro virentibus ſupernè & ſplendentibus, nec in ambitu ſerratis infimâ parte, onuſti, deinde alijs in lacinias diſſectis, uti pænè Valerianæ majoris folia, ſed minora, quoque ſtolones magis adoleſcunt, eos magis diſſecta veſtiunt folia, ex adverſo ſemper ſita: ſummo caulis faſtigio confertim naſcuntur flores Valerianæ ſilveſtris floribus non diſſimiles, odorati, minus tamen quàm radix, quæ ſilveſtris Valerianæ radicum odorem valde æmulatur.

Hujus autem quam proponimus iconem, non ex adultâ, ſed ex primùm germinante plantâ, altero poſt quam illam accepiſſem anno, Francofurti exprimi curabam.

NARDVS

NARDVS CELTICA, ſeu ALPINA. CAP. XXXIX.

MINIME dubium eſt, quin hæc plantula ad ſilveſtrium Valerianarum claſſem ſit referenda, adeò illas odore, & nonnihil etiam formâ, præſertim ſaxatilem modò deſcriptam, refert.

Nardus alpina. Nardus celtica dioſcoridis B: Pin: 165.



INTEGROS interdum ceſpites occupat ſerpendo, & latè ſummâ tellure ſeſe inter muſcum diffundēdo: oblongi procumbenteſque humi ramuli, tenues, plurimis veluti foliolis, aut ſiccis ſquamis circumſepti, ſubinde fuſcas & nōnihil capillatas fibras agunt, ſummâ parte in unicum, aut bina ternáve extuberant capitula, aliquot longis, ſecundùm caput anguſtis, deinde in latitudinē paulatim ſeſe laxantibus folijs, ſatiſque craſſis & ſucculentis plena, colore, dum primùm emergunt, viridi, deinde ſub Autumni initium, aut Æſtatis finem, flaveſcente, guſtu amariuſculo: palmaris aut dodrantalis, nonnūmquam etiam major inter iſta emergit cauliculus, ſatis firmus, ut in minutioribus Valerianis ſilveſtribus geniculatus, bina ad ſingulos nodos inter ſe oppoſita habens exigua foliola, cui, circa ſummum, ex ſingulis alis enaſcuntur pedicelli, binos aut ternos floſculos coloris pallidi ſuſtinētes, quibus ſuccedunt ſemina, Valerianæ ſilveſtri Alpinæ, ſaxatili præſertim, ſecundo loco ſuperiori capite deſcriptæ, proxima, paulò tamen minora. *Nardus alpina, ſive Nardus Celtica.*

Tota plantula aromatica eſt, & radicum Valerianæ ſilveſtris odorem æmulatur.

Copioſè naſcitur in Iudenberg ſummo Stiriacarum Alpium jugo inter muſcum, ſaxoſis locis, unde plantas cum ſuis ceſpitibus erutas, & pleraſque alias elegantes ſtirpes referebat anno M. D. LXXVI. C. V. Doctor Ioannes Aicholtzius Medicus ac Profeſſor Viennenſis, vetere amicitiâ mihi conjunctus, quarum nonnullas ſuo horto aliquot annis aluit. Naſcitur & in Tyrolenſibus atque Saltzburgenſibus montibus, teſte C. V. D. Ioachimo Camerario, Inclytæ Reipublicæ Noribergenſis Archiatro. *Natales.*

Menſe Auguſto floret ſub ipſis ferè nivibus: folia deinde promit cùm illæ diſſolvi & diffluere incipiunt. Legitur autem ab incolis ſub Auguſti finem, & Septembris initium, cùm folia flaveſcere incipiunt: tum enim ſummam habet odoris gratiam, quâ caret dum folia primùm promit, & adhuc viridis eſt.

INCOLÆ Speick appellant, nomine è latinâ voce deſumpto: Pannones, quibus frequens ejus uſus eſt in capitis lotionibus, *Bechy fiu*, hoc eſt, Viennenſem herbam nominant, quia Viennâ copioſè ad eos transfertur. *Speick. Bechy fiu.*

SEDVM MAIVS LEGITIMVM. CAP. XL.

TRIVM Sedi generum hiſtoriam Dioſcorides nobis reliquit, majoris, minoris, & tertij, cujus facultates à reliquis generibus ſunt diverſæ. Majoris deſcriptionem hoc capite dabimus, minoris proximè ſequente.

MAIVS, frutex eſt potiùs, quàm herba, duorum cubitorum nonnumquam altitudine, brachiali verò craſſitudine multos ferens ramos pollicaris craſſitudinis, aut majores, qui in multas alas dividuntur digitalis craſſitudinis, ſummo faſtigio veluti in orbem definentes, multis folijs confertim & imbricatim ſibi mutuo incumbentibus conſtantem, perinde ac in Sedo majore vulgari, ſive Cotyledone alterâ Dioſc. Carnoſa ſunt autem ea folia, ſucci plena, & linguæ inſtar efformata, hoc eſt, ab infimâ ſede paulatim in latum ſeſe dilatantia, in ambitu, crebris & minutis veluti dēticulis adeò leviter ſerrata ut vix appareât, guſtu paululum adſtringente: cortice denſo, carnoſo, ſucculento totus frutex cinctus eſt, cujus membrana exterior ſubfuſca, maculiſque, ſeu potiùs ſedis foliorum veſtigijs reſperſa, ut in Tithymalo characiâ. Interdum ſummis majoribus ramis emergit craſſus & veluti folioſus *Sedum majus legitim.*

quidam

Sedum majus legitimum.

Sedum majus arboreſcens floſculis albidis C.B. Pin: 282.



quidam pediculus, tanquam thyrſum gerens multarum gemmarum, quæ ſucceſſu temporis in flores ſeſe explicant ex flavo palleſcentes, ſtellarum inſtar in aliquot folia diviſos, cum ſuis ſtaminulis. Iam matureſcere incipientibus floribus, & ad ſeminis efformationem properantibus, gracileſcit hic pediculus: ſemen exile eſt & nigrum. Semper viret hæc planta: nam ante quàm vetera folia abijciat, nova ſemper producit: & facilè ramulis pangitur.

Natales. Conſpectus mihi eſt primùm hic frutex in Royuëlos Luſitaniæ oppidulo, dum Madritio Vlyſſipponem proficiſcerer, deinde Vlyſſippone & vicinis locis frequentiſſimũ in ædium tectis & muris inveniebam, ſponte etiam naſcentem prærupto & ſcopuloſo colle, non procul à Scyntri arce regiâ, quinto ab Vlyſſippone milliari. Denique Hiſpali in fictilibus. Naſcitur & in Italiâ: habeo enim ſeſquicubitalem fruticem ex ramulo dodrantali ad me miſſo natum. Is mihi nondum floruerat dum hæc ſcriberem: ea de cauſa nihil de ejus flore pronunciare poſſum, ſítne candidus, ut quidam ſcripsêre, an ejus, qui in Luſitania creſcit, colorem referat. Apud Belgas, Luſitaniâ uſque à me miſſum aluerunt aliquot annis in fictilibus, rei herbariæ ſtudioſi: ſed tandem periiſſe exiſtimo, vel negligentiâ (nam non vulgari curâ indiget) vel hiemis inclementiâ, hiemis enim injuriam ferre nequit frigidioribus regionibus, nec cellæ cameratæ aërem concluſum patitur, ut bis aut ter meo damno expertus ſum: propterea in vaporario cõſervare ſolebam cum Opuntiâ vulgo creditâ, quæ à nonnullis Ficus Indica cognominatur, Hiſpanis verò *Tuna* dicitur, & Canna Indica. Florebat Vlyſſippone Decembri & Ianuario: apud Belgas numquam florere voluit.

ἀείζωον τὸ μέγα. LEGITIMVM id eſſe Sedum aut Sempervivum majus, Dioſcoridi *ἀείζωον τὸ μέγα* dictum, nemo eſt qui inficias ire poſſit, ſi in Stirpium cognitione mediocriter verſatus ſit. Nam quod hactenus pro Sempervivo majore habitum eſt, & adhuc à quibuſdam habetur, nihil aliud eſt, quàm Cotyledon altera Dioſcoridis. Sedum autem majus Luſitani *Enſayon* voce nonnihil veterem Sedi appellationem referente, Hiſpani *Yerua puntera* (communi cum Cotyledone altera nomine) vocant.

Enſayon. Yerua puntera.

Facultates. VETERES Sempervivi majoris folijs ad eryſipelata, herpetes, & phlegmonas uſi ſunt, etiam ad ambuſta & podagras per ſe vel cum polentâ illitis: epiphoris etiam folia impoſita vel ſuccum inunctum prodeſſe tradunt, & pleraſque alias facultates tribuunt, quas apud ipſos Auctores requirere licet: Luſitanicæ mulieres ad detergendos capillos, & repurgandos dentes uſurpabant.

SEDVM MINVS. CAP. XLI.

Sedum minus duorum generum. MINVS Sedum in duo genera diſtinguit Dioſcorides. Primum, quod temperamento & facultatibus majori eſt ſimile: alterum quod vi acri eſt præditum. Prioris variæ ſunt ſpecies ab alijs exhibitæ: nos aliquot, à nemine proditas ante quàm meas Obſervationes evulgarem, addemus, interpoſitis tamen quarundam imaginibus quæ ab alijs ſunt deſcriptæ, quia in ijs Provincijs, ubi hæ naſcuntur, etiam admodum ſunt vulgares.

Sedi minoris I. ILLARVM igitur Prior quarum icones ſunt depictæ, quæ & mihi Sedum minus Primum futurum eſt, vulgaris illa eſt in muris editíſque aridioribus & ſabuloſis naſcens, vulgo vermicularis cognominata, à teretibus, brevibúſque, vermiculorum modo folijs, albo flore.

Sedum minus II. ALTERA, cujus pænè ſimilia ſunt folia, ſed frequentiora & denſius in caule ſtipata, in muris & macerijs etiam naſcens, ſed priore minus frequens, humi procumbens & fibris ſubinde ſe firmans. Sit mihi hæc etiam Secundum genus Sedi minoris.

Sedum minus III. ſive paluſtre. DODRANTALEM habet Tertium genus Sedi minoris (quod in Pannonicis obſervationibus ſecundo loco mihi deſcriptum) cauliculum, ſubrubrum, ſucculentum, tenerum: foliola


Sedum minus I.

Sedum minus tereti folium album C.B. Pin: 283



Sedum minus II.

Sedum minus tereti folium alterum C.B. Pin: 283.



Sedum paluſtre ſubhirſutum purpureum C.B. Pin: 285.

Sedum minus III. ſive paluſtre.



liola longiuſcula, ſubhirſuta, ſucci plena: floſculos in ſummis cauliculis quinis foliolis conſtantes, purpuraſcentes, aut carnei coloris, cum aliquot internis ſtaminibus: totidem ſuccedũt cornicula quot fuerunt in ſingulis floſculis foliola, initio viridia, deinde purpuraſcentia, ſemen exile continentia: radix exigua eſt & inutilis, ſecundùm quam, ex infimo caule, ſurculorum propagines in orbem humi diffuſæ ſunt, multis exiguis foliolis Sempervivi minoris fervidi (quod Octavum genus erit) ferè ſimilibus, minoribus tamen, anguſtioribus, & obtuſiore mucrone præditis, cinctæ, ſaporis inſipidi & aquei.

Florens hoc genus obſervabam uliginoſis locis apud oppidulum Freying, qua Pragâ iter eſt Noribergam, ſub finem Iunij, cùm anno M. D. LXXIX. in Belgicam & Britanniã proficiſcerer.

Sedum minus Dioſc. I ſive mihi IIII.

TERTIA verum Dioſcoridis Sedum minus eſt, teretibus, craſſis, ſucco plenis & mucrone præditis folijs, flavis floribus. Vulgo in hortis alitur, atque ejus folijs ſolent Galli in acetarijs quemadmodum Portulacæ folijs uti: ſed & ſponte naſcitur in Hiſpanijs in muris & macerijs. Ejus verò duo ſunt genera: Vnum cujus ſummus caulis in ramulos diviſus ſeſe inflectit inſtar ſummitatum Scorpiuri ſive Heliotropij majoris, id mihi Quartum Sedi minoris genus erit: Alterum cujus ramuli ſummo faſtigio non incurvantur, quod mihi Quintum Sedi minoris genus eſto.

Sedum minus V.

Sedum minus VI.

SEXTVM Sedi minoris genus, in Pannonicis Obſervationibus primo loco poſitum, affine

eſt jam

Sedum minus luteum ramulis reflexis B: Pin: 283

Sedum minus IIII.



Sedum minus V.

Sedum minus luteum folio acuto B: Pin: 283



Sedum minus VI. ſive alpinum I.

Sedum alpinum flore pallido B: Pin: 284



eſt jam memoratis: nam ſummâ tellure ſerpit, ut illa, numeroſiſque & ſucculentis ramis prędιtum eſt, quos ambiunt longiuſcula & mucronata foliola, Secundo Dioſcoridis Sempervivo, quod Galli *Triquemadame* appellant, & illis in uſu eſſe jam dixi acetarijs conficiendis, haud multum abſimilia, minus tamen craſſa, planiora, & guſtu valde exiccante: flores in cauliculis palmaribus numeroſi, majuſculi, quinque folijs conſtantes, ex luteo colore aliquantulum palleſcẽtes: radicem habet in crebros ramos diviſam, qui, per terram ſparſi, tenues fibras agunt.

Creſcit in Sneberg alijſque Stiriacarum Alpium jugis, in Tauro monte Carinthiæ & Iudenberg: & Montibus Kaufburno vicinis. Floret ſub finem Iulij, & Auguſto.


Sedum minus VII.

In rupibus veteribúſque muris naſcitur Septimum genus cùm in Hiſpaniâ & Luſitaniâ; tùm in Galliâ Narbonenſi præſertim Mompelij ubi id obſervabam quando iſtic vivebam in muris ſuburbiorum, ad portas urbis protenſis. Non valde abſimile eſt Sempervivo tertio Dioſcoris: ſed folia paulò craſſiora ſunt, candidiora, teneriora, nec, ut illa, fervidi guſtus, ſed viribus Secundo reſpondentia & frigida: flos item ejus candidus, qui in Tertio Dioſcoridis luteus: ſemen exiguum eſt, & ſubruffum. Floret Iunio, ſemen Iulio maturum.

Sedum minus VIII. ſive Dioſc. III. ἀνδράχνη ἀγρία. Illecebra.

OCTAVVM genus, eſt Dioſcoridis Tertium, quod ab aliquibus ἀνδράχνην ἀγρίαν, & τηλέφιον vocari aſſerit, à Romanis illecebram. Habet id craſſa & ſucculenta etiam folia, frequentia, ſibi invicem ferè incumbentia: flores luteos. Vulgaris eſt notitiæ: nam paſſim in tectis, muris & petris naſcitur, etiam in aggeribus, ſalebroſis & aridis locis quæ tenui gramine obſita:

Sedum minus VIII. cauſticum.
Sedum minus vermiculatum acre B: Pin: 283



Sedum minus IX. ſive alpinum III.
Sedum alpinum album foliis compactis B: Pin: 284.



ſita: adeò autem vivax, ut tenuiſſima ramulorum fragmenta facilimè radices agant. Vim habet excalfactoriam, acrem, & exulcerantem, teſte Dioſcoride, & ipſa experientiâ.

NONVM, quod Tertium eſt in Pannonicis Obſervationibus, compactis & ſibi invicem inſidentibus eſt foliolis, valde exiguis, craſſis, cinerei coloris ad cæruleum quodammodo tendentis, ut tota planta (quæ acidi ſaporis eſt) nihil ferè niſi muſcus quidam videatur: pedicelli è medio foliorum exiliunt, duas pænè uncias longi, graciles, juncei, in quibus terni plerumque floſculi, quinque foliolis conſtantes, candidi coloris, cum aliquot intus luteis ſtaminulis: cùm in ſemen abeunt flores, cauliculi aliquantulum excreſcunt. Mirum in modum propaginibus ſerpit & radices agit alterius Cotyledonis ritu, integros ceſpites, cujuſdam muſci inſtar, interdum occupans. *Sedum minus IX.*

Præruptis Snealben jugi locis, atque inter ſaxa naſcitur, quâ deſcenſus eſt ad Monaſterium Neuenberg, atque etiam in Sneberg. Invenitur & in monte Fracto, teſte Geſnero. Iulio & Auguſto floret.

DECIMI folia paulò majora ſunt & longiora, craſſiuſcula, in ambitu villis obſita, guſtu etiam primùm acido, deinde amariuſculo & excalfaciente: adnatis ſe propagat, atque è medio foliorum, hirſutum pediculum profert, longitudine cum præcedente parem, in quo ſeni plerumque velut in umbellâ diſpoſiti ſunt candidi floſculi, quinque foliolis conſtantes, umbilico luteo. *Sedum minus X.*

Invenitur in Sneberg & vicinis jugis. Sub finem Iunij & Iulio iſtic floret.


VNDECIMVM longiora nonnihil habet folia, graminis modo anguſta, dura, viridia, lęvia, ſubacidi initio ſaporis, deinde ingrati: unicus aut alter inter folia erumpit cauliculus lęvis, gracilis, iunceus, trium ferè unciarum longitudinis, rarò major, in quo unicus, interdum bini ſunt floſculi, ſuperiore majores, candidi, medio lutei, quinque foliolis, cordis, ut vulgo pingitur, formam referentibus, præditi. *Sedum minus XI.*

Serpit & hoc reliquorum inſtar, ijſdémq; cum Decimo locis creſcit, atque eodem cum illo tempore floret.

SVNT etiam Duodecimo anguſtiora folia, rigidiora, aliquantulum hirta, ab imâ ſede in circuitum ſeſe expandentia, Cotyledonis alterius, & reliquorum montanorum Sedi minoris generum modo, guſtu quidem adſtringente, nonnihil tamen amaro: ex horum medio unciales exeunt pediculi, firmi, nudi, qui ſummo faſtigio quinque aut ſex floſculos coloris lutei geſtant: deinde craſſiuſculas mucronatáſque ſiliquulas, ſemen exile, planum, fulveſcens continentes: radix craſſiuſcula eſt, longa atque candicans, quæ, ex ſummo capite, multas plantulas adnatas & ſimul junctas producit. *Sedum minus XII.*

Sedum minus XI. alpin. IIII.

Sedum alpinum hirſutum lacteo flore B: Pin: 284.



Sedum minus XII. alpin. VI.

Sedum Alpinum hirſutum luteum B: Pin: 284



Natales. In ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis, inter ſaxa provenit. Memini dum olim è Narbonenſi Galliâ per Helvetios in dulciſſimam patriam redirem, in Allobrogum Alpibus cum alijs pleriſque venuſtis ſtirpibus eruere.

Hujus etiam obiter meminit Geſnerus in deſcriptione Montis Fracti, Hiſtoriam verò tradunt Pena & Lobelius Adverſariorum libro: cùm autem in ſupra memoratis Alpibus frequẽter etiam collegerim, huic capiti, cum reliquis Sedi minoris generibus (tametſi fortè non per omnia ejus facies reſpondeat) inſerere libuit.

Sedum minus XIII. NVMEROSA habet Decimum tertium genus foliola, ternis profundis inciſuris laciniata, ut Ajugæ ferè folia, minora tamen & viridiora, neque ullâ lanugine veſtita, quorum ſapor admodum adſtringens & exſiccans: cauliculi aſſurgunt exiles, binos tranſverſos digitos, ſive ſeſqunciam longi, ſinguli ſingulares ſuſtinentes floſculos ex herbaceo palleſcẽtes, quinque foliolis conſtantes: radice ſerpit multis exiguis fibris capillata, & multas propagines è lateribus generãte, ut integros ceſpites interdũ occupet, muſcúmq; quendam ementiatur.

Creſcit in ſummo Sneberg jugo, inter ſaxa recenter à nivibus libera. Floret Auguſto.

QVO nomine à montanis paſtoribus & venatoribus omnes illæ plantæ in Auſtriacarum Alpium jugis naſcentes, quas hîc ordine deſcripſi, donatæ ſint, hactenus intelligere nõ potui: & haud ſcio an illis ullum nomen indiderint, ſolent enim ejuſmodi minuta negligere. Ego Sedi par vi generibus adnumerandas eſſe cenſeo. Si cui autem mea ſententia minimè placet, alioq; nomine inſignire malit, per me ſemper licebit. Septimum porrò, Dalechampius, ſive quiſquis is fuerit qui Generalem illam Plantarum Hiſtoriam Lugduni expreſſam *ἀείζωον δασύφυλλον.* ſcripſit, ἀείζωον δασύφυλλον cognominare videtur: quæ ſanè appellatio omnibus Sedi generibus quorum folia ſunt craſſa & denſa nõ minus quàm, illi peculiariter, convenire poteſt. Illud verò mirum, quod Duodecimum genus non inter Sedi genera recẽſeat, tametſi ejuſdem temperamenti eſſe aſſerat, ſed Phyllum Arrhenogonum Dioſcoridis eſſe velit. cujus quæ cum hac plantâ ſit affinitas, Doctioribus, qui in Stirpium cognitione verſati ſunt, diſpiciendum relinquo.

CETERVM Dioſcorides ſimiles facultates tribuit Sempervivo parvo, quibus pollet ma- *Facultates.* gnum præcedente capite deſcriptum: Tertium autem genus, quod in hoc capite Octavum eſt, illitum cum axungia, ſtrumas diſcutere ait. Niſi quis ſuppoſititias eſſe has facultates dicat, & Dioſcoridis textui inſertas, ut non ſine judicio cenſet Fab. Columna, qui vulgarem illam Sedi quam Octavo loco repoſui ſpeciem, nõ ἀείζωον nominat (ſimiles enim ſunt om- *Dactylus Plinij 2. 3.* nium Sempervivorum facultates) ſed facie ἀείζωον referre dicit, & Plinij alterum vel tertium dactylum, quem poſtremo cap. lib. XXIIII. Natur. Hiſtor. deſcribit, eſſe ſuſpicatur, cui opinioni acquieſco.

COTYLEDON. CAP. XLII.

VMBILICI VENERIS, ſive Cotyledonis hiſtoriam alij tradiderunt: mei tamen inſtituti eſſe putavi (quandoquidem alteri ejus generi peculiare caput damus) hoc capite brevem illius deſcriptionem retexere.

Vmbilicus veneris. HABET autem multa folia à radice prodeuntia, ſumma tellure confertim ſtipata, in acetabuli formam tornata, hoc eſt, orbiculata, & in medio, umbilici inſtar, depreſſa, ſucculenta, tenera, inter quæ exit caulis non valde firmus, aliquot folijs præditus, non orbiculatis ut inferiora, ſed longiuſculis, & extremâ parte quæ latiuſcula eſt, craſſaque & ſucci plena, in tres

Cotyledon, Vmbilicus Veneris. Coty ledon (major C. B. Pin: 285



tres plerumque crenas diviſis; ex quorum ſinu procedunt interdum ramuli, qui, cum caule, à medio ad ſummum faſtigium multis floſculis ſunt onuſti longiuſculis cōcavis & propendētibus inſtar puſillorum tintinnabulorum, coloris ex herbaceo candicantis, qui firmiter inhærentes, unà cum caule ſiccantur, & tandem pereūt: maturi floſculi occludunt parvas ſiliquulas plenas exili fuſco ſemine, quod ſponte decidens, numeroſas circa matrem, & in vicinis, ſi quæ adſunt, vaſis fictilibus, generant plantulas: radix eſt tuberoſa, non bulbi modo efformata, ſed potiùs orchidis pleniorem radicem referens, modò orbiculata, interdū tuberis aut Aconiti hiberni radici ſimilis, ut illius inſtar confringi, & fragmentis pangi poſſit.

Sponte verò naſcitur non modò in muris veteribus & parietinis: ſed etiam in tectis, muris ſive parietibus, ex argilla formaceis, ſaxis & rupibus, humi interdum ſolo fertili, ad Olearum, Chamæriphes, & Corrudæ radices, atque etiam in annoſis Suberi arboribus ſponte creſcētem obſervabam pleriſque Hiſpaniæ & Portugalliæ locis. *Natales.*

Græcis hæc planta κοτυληδὼν dicitur, ab aliquibus σκυτάλιον, ab alijs κυμβάλιον Dioſcoride referente; Latinis Vmbilicus Veneris. Galli Latinos ſequuti *Nombril de Venus* appellant; Salmanticenſium vulgus *Vaſillos*, id eſt, acetabula aut vaſcula nuncupabant à cava folij capacitate acetabulū referente. *κοτυληδὼν, σκυτάλιον, κυμβάλιον.* Nombril de venus. Vaſillos.

Sacris ignibus, ſtrumis, inflāmationibus, pernionibus, illitu auxiliari, ſtomachi ardorem refrigerare, folia cum radice cōmanducata, calculos frangere, & urinam ciere, atque hydropicis ex melle dari, auctor eſt Dioſcorides. *Facultates.*

Cotyledon altera I. Sedum vulgare. Sedum (majus vulgare C. B. Pin: 283



COTYLEDON ALTERA. CAP. XLIII.

ALTERIVS Cotyledonis nomine intelligo Sedum majus vulgare, ex Dioſcoridis mente, cujus in Auſtriæ montanis alia inveniebā genera nulli ex Neotericis Scriptoribus, quod ſciam, obſervata, quæ hîc ordine deſcribemus. *Cotyledon altera Dioſc. Sedum majus vulg.*

PINGVIA, craſſa, numeroſáque habet Primum folia, circa radicem denſa, Acetabulo alteri, ſive Sempervivo vulgari majori (cujus iconem præfiximus, ut differentia conſpici poſſit) ſimilia, minora tamen, & in ambitu leviter dentata, ſucculenta, & guſtu acido: inter quæ multa in ambitu capita è ſimilibus ſed minoribus folijs cōgeſta exoriuntur, longis pediculis inhærentia, quæ tandem aucta in novas plantas efformātur: ex ipſius matris umbilico emergit caulis dodrantalis, folioſus, rectus, ferē in ramulis florem alterius Cotyledonis inſtar albicantem, magnum, ſex folijs cōſtantem, cui ſuccedunt ſiliquæ, ſeu vaſcula totidem angulis diſcreta, ſemine exili plena: radix Sempervivo vulgari majori ſimilis, minus *Cotyledon alteræ I.*

 tamen

tamen craſſa, candicans, ſubinde novas plantas præter jam dictas è lateribus fundens.

Natales. Frequens eſt in omnibus jugis urbi Viennæ vicinis, atque in Auſtriacis Stiriacíſque Alpibus. Floret Iulio.

Altera ſpecies. 2. ILLIS ipſis locis invenitur aliud genus huic valde ſimile, per omnia tamen minus, & cujus etiam folia magis ſunt dentata.

Cotyledon altera III.

Sedum majus montanum foliis non dentatis floribus rubentibus C.B. Pin: 283



Cotyledon altera IIII. ſive Matth.

Cotyledon media foliis ſubrotundis C.B. Pin: 285



Cotyledon altera III. CONFERTIS, frequentibus, pinguibuſque ſive craſſis, atque in orbem digeſtis eſt etiam Tertium genus folijs, Superiore tamen minoribus, nec dẽtatis in ambitu, tametſi aliquantulum hiſpida appareant, ſub quibus, è radicis capite, aliæ ſimiles plantæ craſſis fibris præditæ, in orbem ſeſe propagant, & radices agunt: è matris umbilico, palmaris, nonnumquam etiam dodrantalis, exilit caulis, ſucculentus, rubeſcens, multis craſſis ſuccíq; plenis & mucronatis folijs cinctus, anguſtioribus quàm ſuperiora, & mucrone purpuraſcẽte, qui ſupremâ parte in ramulos dividitur, multis floribus ſuperioris Cotyledonis alterius floribus formâ ſimilibus onuſtos, minoribus tamen, duodeniſque, ut plurimùm, anguſtis, mucronatis, ſtellæque inſtar decuſſatis folijs conſtantibus, coloris ex rubro purpuraſcentis, totidem ſiliquulis in caput aut veluti coronam compactis, floris umbilicum occupantibus, & vicenis quaternis ſtaminibus eam ambientibus: ſemen illis ſiliquulis ſive loculis adeò exile, ut oculorum aciem propemodum effugiat: radix mediocriter craſſa & fibroſa eſt, alterius Cotyledonis modo. Plantæ quæ florem tulerunt, cùm in hac tum in ſuperiore intereunt, perinde atque in Cotyledone alterâ, ſive Sempervivo majore vulgari, ſuccedentibus matri reliquis in orbem prolibus.

Natales. Creſcit in Taurinarum Aſpium jugis non procul Saltzburgo: ubi floret Iulio, in hortis autem, in quos tranſlata fuit cum reliquis ejus generibus, etiam Maio.

Cotyledon altera IIII. HVIC etiam numeroſa & conferta ſunt folia, oblongis ligulis ſimilia, craſſiuſcula, mucronata, nonnihil per ambitum crenata, candicãtia, acido & ſubadſtringente guſtu: è quorum centro, ſeu medio foliorum exortu caulis interdum cubitalis, ut plurimum autem pedalis duntaxat, aſſurgit, ſuperiore parte hirtus, brevioribus folijs inordinatim naſcentibus ſeptus, ſummo faſtigio ex ſingulis foliorum alis pedicellos emittens, quibus inſident bini aut terni flores colore albi, è quinque foliolis compoſiti, internè veluti ſanguineis guttis aſperſi, umbilico pallido & ſplendente decem ſtaminulis cincto: ſemen continetur in capitulis exile, nigrum. radix ſubeſt fuſca, tenuis, fibroſa, cui, ſecundùm matrem, multæ aliæ in orbem adnaſcuntur plantæ, ut integrum ceſpitem aliquando tegant, vulgaris Sedi majoris inſtar.

Naſcitur

Naſcitur non modò in Sneberg, ſed & in reliquis Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, ſaxis & ſcopulis inhærens: in quibus floret Iunio & Iulio: at in hortos translatum, Maio: ſemen profert Iulio, aut maturius. *Natales.*

Iſtius Quarti generis Cotyledonis alterius deſcriptionem prætermittere non potui, licet à Matthiolo & alijs ejus hiſtoria ſit prodita, quia meo judicio ſuccinctior apud eos eſt quàm oportebat.

QVINTVM etiam genus invenitur affine Quarto, ſed mollius, anguſtioribus & longioribus folijs, non dentatis, ſed alba duntaxat lanugine hirſutis, minus etiam incanis, breviore craſſioreq; pediculo & multis folijs ſepto, quæ plerúque tam ſupernè quàm infernè nonnihil hirſuta ſunt: paucioribus floribus hinc inde ſecundùm caulem ad ſingulas alas ſparſis. *Cotyledon alter V.*

Obſervabam hoc genus in Etſcherianis jugis, menſe Iunio ſuis floribus onuſtum. *Natales.*

GRAECIS vocatur ἑτέρα κοτυληδὼν ea planta quam vulgus Herbariorum hactenus pro Sempervivo majore habuit: Latinis Cotyledon altera. Eandem licentiam ſibi ſumpſit in Quarto hujus genere, quam in Duodecimo Sedis minoris genere, qui Hiſtoriam illam Generalem Plantarum ſcripſit; vult enim Phyllum Thelygonum Dioſcoridis hoc eſſe, quemadmodum illud Arrhenogonum. *ἑτέρα κοτυληδών.*

DIOSCORIDES porrò Cotyledonem alteram ſcribit ad eadem utilem eſſe, ad quæ Sempervivum commendatur. *Facultates.*

RHODIA RADIX. CAP. XLIIII.



MEDIAM quandam naturam obtinere quodammodo videtur Rhodia radix, inter Cotyledonis alterius priora genera, & Telephium vulgo nuncupatum: ſed Telephio magis affinis judicari queat. Propterea illi peculiare caput inter utramque ſtirpē dare voluimus: non quod ejus hiſtoriam tradere habeamus in animo, vulgaris enim eſt notitiæ, atque ab alijs deſcripta. Quia tamen aliquoties ſponte creſcentem conſpexi & erui, facere non potui, quin illius mentionem facerem. *Rhodia radix.*

Illam autem maximâ copiâ naſcentem obſervabam in ſcopulis jugi Durrenſtain, cujus in hac Stirpium hiſtoriâ crebro meminimus, & florem variantem menſibus Iulio & Auguſto: nam quædam plantæ illum palleſcentem habebant, aliæ veluti rubeſcentem: ſemen in exiguis vaſculis, quemadmodū in Telephio, exile, quaſi ſcobis inſtar. Quæ in hortis ali ſolet, maturius floret. *Natales.*

VOCATVR porrò hæc planta Græcis ῥοδία ῥίζα, Latinis Rhodia radix, quòd reſiccata ejus radix, roſam redoleat: eodē nomine Officinis nota. Montani paſtores, ubi ſponte naſcentem obſervabam, etiam ab odore roſæ, illam appellare noverant Roſen wurtz. *ῥοδία ῥίζα.* *Roſen wurtz.*

DIOSCORIDES capitis doloribus utiliſſimam eſſe tradit, ſi roſacei momento commixta, fronti & temporibus imponatur. *Facultates.*

TELEPHIVM. CAP. XLV.

NON ignoro ambiguum eſſe, an quas hoc capite deſcribam plantas, commodè ad Telephij hiſtoriam accommodari poſſint: cùm tamen illarum pleræque, apud rei Herbariæ ſcriptores tale nomen obtinuerint, malui illud retinere, quàm nullo nomine donatas eas relinquere.

HABET autem Prima, duos, tres, pluréſve caules ex radice prodeuntes, cubitales, ſucculentos, in latus ſe inclinantes, in quibus ordinata ſunt folia, hoc eſt, ex intervallis bina ſemper adverſis pediculis naſcentia, craſſa, ſucci plena, ut in Craſſulâ majore, ſed majora, & magis carnoſa; flos in extremis ramis quaſi umbellatim naſcitur, quemadmodum in Craſſulâ majore, pallidus: radices illi plurimæ, glanduloſæ, Craſſulæ vulgari ſimiles. *Telephiū I. ſive Hiſpanicum.*

Naſcitur in Hiſpaniæ umbroſis quibuſdam locis: unde ad Belgas delata, facilè comprehendit & aucta eſt: valde enim vivax eſt, ut etiam rami in terram depacti ſtatim radices *Natales.*

 agant:

Telephium I, Hiſpanicum. Telephium II, vulgare.

Telephium Latifolium peregrinum C. B. in 287. Telephium vulgare C. B. in 287





agant: eam ob cauſam, pauci apud Belgas erant horti, cùm illinc excederem, in quibus non aleretur. Floret cum Craſſulâ.

Telephium Auſtriac. Illi omnino ſimilem, modo eadem non ſit, ad Auſtriacarum Stiriacarumque Alpium radices, locis umbroſis ſponte naſcentem inveniebam.

Telephium vulgare ſive II. ALTERA, quæ vulgo Fabaria & Craſſula à foliorum craſſitudine dicitur, promit etiam plures à radice caules, ſucculentos, pedales aut ampliores, ſatis fragiles, & folia in illis inordinata, ſive hinc inde ſine ordine per caulem ſparſa, craſſa quidem & ſucculenta, Hiſpanici Telephij folijs tamen minora, frequentiora & magis conferta: flores in ſummis caulibus congeſtos, coloris albi; radix nodoſa eſt, & multis veluti napis conſtans, ut ſuperior: cum quâ etiam floret.

Alitur hæc in hortis, ſponte etiam in veteribus muris Septentrioni expoſitis naſcentem obſervabam.

Telephium III. purpuraſcente flore. TERTIA huic non valde diſſimilis, à me conſpecta ad agrorum margines inter vepres naſcens, viâ cavâ & umbroſâ non procul à Rotenburgo Haſſiæ oppido ad fluvium Fuldam ſito, cui rariora tamen erant folia; flores etiam ſuperioribus colore diſſimiles, qui ex purpurâ rubeſcentes erant.

Telephium IIII. QVARTAM obſervabam anno MDXC. in montibus illis Francofurto vicinis, &, quâ Septentrionem ſpectat, oppoſitis; eam in hortum transferebam, ubi mihi ſingulis annis egregiè floruit, aliarum tempore.

Ex radice autem craſſiuſcula, & bulbis inſtar parvorum naporum, multisque etiam fibris prædita, aliquot ſingulis annis (nam vivax eſt) produxit caules cubitales, quibus innaſcuntur folia ſatis frequentia, inordinata Secundæ folijs pænè ſimilia, craſſa, ſucculenta, in ambitu tamen nonnihil crenata & veluti ſinuoſa: ſummæ virgæ comam, umbellæ inſtar, floſculorum quinque foliolis conſtantium, ferunt, coloris gratiſſimi ex rubro purpuraſcentis, quibus evaneſcentibus, ſuccedunt capitula pentagona, in quibus tenuiſſimum, inſtar ſcobis, ſemen, fuſcum: ingruente hieme marceſcunt illi caules & pereunt.

Telephium V. HVIC non valde diſſimilis videtur, quam Lobelius exhibet purpureo flore præditam, niſi radicem huberet paucioribus (ut mihi quidem videtur) napis conſtantem.

Telephium VI. PEREGRE ad nos mittebatur, dum Machliniæ commorabar, Sextum genus, non Telephij, ſed alterius plantæ nomine: ſi quis tamen accuratiùs obſervabit, aſſerere auſim, iudicaturum nullam ex prædictis proximiùs ad Telephij à Dioſcoride nobis propoſiti hiſtoriam accedere, quàm iſtam: *Dioſc. forte* habet enim cauliculos humi procumbentes inſtar Portulacæ, folia illis fere paria, coloris ærugineum quodammodo referentis: flores in extremo caule

confertim

Telephium v. purpureo flore.

Telephium purpureum majus C.B. Pin: 287.




Telephium vi. Cepæa Pancij.

Telephium repens folio deciduo C.B. Pin: 287



Telephium repens folio non deciduo C.B. Pin: 287.

Telephium legitimum Imperati vii.



confertim naſcentes inſtar florum Craſſulæ ſive Fabariæ, coloris purpuraſcentis: multas habet radices fibroſas, atque ipſi etiam caules procumbētes facile fibras agunt, perinde ac Semperviva illa prima minora. Hoc autem peculiare habet iſta plāta, quod nulla hiemis injuriâ offendatur, ſed brumam & pruinas contemnens, perpetua in ſuo vigore & viriditate permaneat.

SEPTIMVM Telephij genus, mihi Viennæ Auſtriæ natum anno M D XXCV. ſemine Florentia miſſo à Ioſepho de Caſa bona: poſtea etiam Francofurti ad Mœnum crevit Ioanni Mylero Pharmacopæo ſemine, quod acceptum Neapoli à Doctiſſimo humaniſſimoque viro Ferrante Imperato Telephij legitimi nomine ipſi cōmunicabam: ex cujus Myleri horto plantam unam eruebā, quam pictori exprimendam darem. Siccam verò hujus plantam etiam ad me Francofurtum mittebat cum alijs ſtirpibus Ampliſſimus vir Iac. Anto. Cortuſus, Ignotæ adſcriptâ notâ, quam tamen apud eos frequentem in hortis naſci aſſereret.


MVLTAS autem à ſummo radicis capite producit tenues virgas, ſummâ tellure diffuſas, pedales, interdum breviores, aliquando lōgiores, non ſunt enim omnes æqualis longitudinis, quas incōdito ordine ſepiunt multa folia, præſertim novellas, & quæ nondum florem ferunt (nam quæ flores dant, rariora plerumque habent folia) minora quàm reliquorum generum, minus craſſa, neq; adeo ſucculenta, *Telephium VII ſive legitimum Imperati.*

culenta, neque adeo fragilia, coloris quidem viridis, cui ærugineum quidpiam admixtum ſit: extremæ virgæ, multis floſculis quinque foliolis albis conſtantibus, & confertim naſcentibus, onuſtæ, quibus marceſcentibus ſuccedunt anguloſa vaſcula exili, fuſco ſemine plena: radix minimi digiti craſſitudinem interdum adquirit, lenta, candicans, in aliquot ramos diviſa, & quibuſdam fibris donata, vivax, & ſingulis annis plures novas virgas producens, veteribus corruptis. Floret cum Craſſulis.

Nomina. PRIMVM genus vocabant Telephium Hiſpani: Craſſulis ſive Fabarijs adnumerandum: nam facie & facultatibus reſpondent, priora quatuor genera. Non ineptè tamen ad Telephij claſſem referri etiam poſſint, præſertim Sextum, ut dixi, genus, nobis, ante multos annos in Belgicam miſſum à C. V. Alphonſo Pancio Ferrarienſi Medico Cepeæ nomine, Germani Secũdum, & Tertium genus knabenkraut/Wundkraut/Fetthenne/Schmerwurtzel. Quartum knabenkraut weible appellant: Galli ſecundum *Orpin*. Græcis Telephium dicitur τηλέφιον.

Facultates. TELEPHII autem folia, teſte Dioſcoride, ſenis horis illita, vitiliginem ſanant, ſed poſtea locus hordeaciâ farinâ illini debet: peruncta ex aceto in ſole, idem quoque præſtant, ſed ubi inaruerunt, abſterguntur. An porrò Telephij genera hoc capite deſcripta, ſimilibus facultatibus ſint prædita, me latet. Hoc autem obſervavi, priora duo genera, ab erucis non minus plerumque infeſtari ſolita, quàm Braſſicas.

Cepæa Matthioli. B: Pin: 288.



Cepæa. SED quoniam in Cepææ mentionem incidimus, frequens in Belgicis hortis ali ſolebat, ſemine ex Italiâ miſſo nata plãta illa, quam Matthiolus pro Cepçâ propoſuit, cauliculo dodrantali, ex parvâ & inutili radice prodeunte, in terram procũbente atque in multos ramulos fiſſo, cui ad ſingulas alas adnaſcuntur folia craſſiuſcula Portulacę folijs minora & anguſtiora: ſummis deinde ramulis albi floſculi quinque foliolis conſtantes, quibus ſuccedunt tenuia, ut in Craſſulis, capitula exili, ſcobis inſtar, ſemine plena. Annua autem eſt, ſingulis annis deciduo ſemine ſponte reſurgens. Sítne verò legitima Dioſcoridis Cepæa nec ne, hæreo, atque aliorum acriori judicio relinquo.

Facultates. CETERVM Dioſcorides, ſive Cepææ folia, in vino pota, urinę ſtillicidio, & veſicæ ſcabie laborantibus opitulari ſcribit, maximè autem id præſtare, ſi cum decocto aſparagi quem μυάκανθον, hoc eſt, corrudam vocant, bibatur.

BISTORTA. CAP. XLVI.

Biſtorta major. AD Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium juga, acclivibus locis & circa ſcopulorum radices ſponte naſcitur Biſtorta illa major quæ vulgo in hortis ali ſolet, folijs pænè Rumicis, infernè incanis, nodoſo caule, ſpicato flore ſubpurpureo, quæ fortaſſe non incommodè Dioſcoridis Britannica cenſeri poſſit. *Britannica Dioſc. forte.* Ejus iconem hîc ſubjunximus, quia de altero ejus genere pumilo nobis, in hoc capite, erit ſermo.

Biſtorta alpina minor. CAVLICVLVM autem promit dodrantalem interdum, ſed ut plurimum palmarem, tenuem, geniculatum, gerentem ſummo faſtigio exiguam candicantium floſculorum ſpicam: folia vulgaris Biſtortæ majoris folijs multò minora, unguis humani latitudinem raro excedentia, nonnumquam tamen paulò majora, longa, dura, venoſa, per oras reflexas venulis quibuſdam ita diſtincta, ut ſerrata videantur, ſuperne virentia, infernè verò incana, non ſecus ac majoris folia: excuſſo flore, qui albus eſt, paulo grandior fit ſpica, quæ plerumque ſimili, quo major, ſemine onuſta eſt, non raro tamen, ſeminis loco, multa foliola brevia & viridia in capitula congeſta profert, quibus ſponte decidentibus, plantulas ejuſdem generis in eadem in quâ alebatur areolâ, & vicinioribus natas ſæpe vidi: radix vulgari longè minor, contorta tamen & geniculata, foris nigricans, intus alba, multis tenuibus fibris capillata, guſtu, uti tota planta, adſtringente.

Natales. Naſcitur in ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis tenui gramine veſtitis: floretque Iulio. In hortos verò tranſlata (ubi formam & magnitudinem non immutat) maturius.

CERTVM

Biſtorta major.

Biſtorta major radice minus intorta. B: Pin: 192.



Biſtorta minor.

Biſtorta alpina minor B: Pin: 192



CERTVM eſt iiſdem facultatibus eſſe præditam, quibus major: de quâ multa alij Scriptores, quæ non eſt operæpretium hîc repetere.

Βρεταννικὴν porrò Britanicam, vim habere adſtringentem, privatim depaſcentibus oris & tonſillarum ulceribus accommodam, & valere ad reliqua quibus adſtrictione eſt opus, ſcribit Dioſcorides. *Britannicæ facultates.*

RVMICIS autem, qui huic plantæ congener videtur, non minus varia genera obſervare memini in jugis illis Alpium Auſtriacarum & Stiriacarum, quàm in alijs Regionibus inveniuntur.

AT ὀξαλίδος, Oxalidis genus in jugo Wechſel obſervabam, ſativo multò majus, folijs valde amplis: cui hoc peculiare erat, ut in caulis nodis & geniculis, ſubinde veluti tubera quædam adnaſcerentur, è quibus folia tandem ſeſe explicarent: quæ tubera tellure obruta (periculum enim feci) ſui generis plantas protulerunt. *Oxalis maxima mõtana.*

NASCITVR etiam in omnibus illis jugis, præſertim circa humidiora illa loca, ad quæ armenta, ſtationem iſtic habentia æſtivis menſibus aquationis gratiâ convenire ſolent, frequentiſſimè, magnum illud Lapathum amplis & circinatis quodammodo folijs, nonnullis perperam Rha æſtimatum. Sed non habet radicem qualis vulgo pingitur, Raphani aut Hippolapathi modo in terram profundè demiſſam: imò ſummâ tellure Acori fere & Iridum inſtar jacet, brachiali interdum craſſitudine, fibris ſubinde ſe firmans, anterius ut Acorum, & Polygonata augmentum ſumens & progrediens, intus ex luteo purpuraſcens. Ea reſiccata, Rha ſubſtantiam æmulatur, nec minus eo inficit. *Rumex latifolius vulgò Rha æſtimatus.*

ARISTOLOCHIA. CAP. XLVII.

TRIA Ariſtolochiæ genera Dioſcorides conſtituit, rotundam, longam, Clematitin: Plinius quartum addit, piſtolochiam.

ROTVNDÆ unicam ſpeciem veteres faciunt, Anguillara plures inveniri ſcribit, ego binas dumtaxat obſervavi.

Prior multis ex una radice germinibus, cubitalibúſq; interdum palmitibus conſtat, quadrangulis, quibus, ex intervallis, folia inhærent, mediæ inter malvæ & hederæ folia magnitudinis, mollia, venoſa, colore ex viridi nigricante, brevi pediculo: his incumbunt oblongi flores, cavi tubæ inſtar, ex purpura nigri, teſte Dioſcoride, quorum labrum prominulum, ſeu extima pars, latior eſt, quàm in longæ aut clematitidis flore, & tota nigricans: his ſuccedit fructus rotundus, parvi Melopeponis forma, qui multa grana continet ordine diſpoſita, *Ariſtolochia rotunda I.*

lata,

Ariſtolochia rotunda I.

Aristolochia rotunda, flore ex purpura nigro C.B. Pin: 307



Ariſtolochia longa I.

Aristolochia longa vera C.B. Pin: 307



lata, nigricantia, intercurſantibus quibuſdam membranis, & materiâ etiam fungosâ, albâ, ſingulis granis interpoſita, quod reliquis Ariſtolochiæ generibus commune eſt: radix eſt ampla, tuberoſa, rugoſa, foris fuſco, intus buxeo colore prædita, cortice craſſo, & (ut Theophraſtus ait) carni adhærente.

Natales. Creſcit pingui ſolo, in pratis & humidioribus agrorum marginibus Hiſpaniæ, Narbonenſis Galliæ, &, ſicut intelligo, etiam Italiæ. Floret calidioribus regionibus ineunte Vere, in Germaniâ & Belgicâ non niſi Maio & Iunio.

Ariſtolochia rotunda II. Altera ramulos ſeu palmites habet prioris, ſed frequentiores & breviores; folia longæ quidem formam & colorem æmulantia, ſed majora, longioréque pediculo quàm ſuperioris fulta: florem ex albo purpuraſcentem, interius fuſcum, Longæ flori pænè ſimilem: ejus fructus priore longior, pyri in modum turbinatus, graciliore quàm in illa meta: ſemen planum, minus priore & rufum: radix ſuperiori ſimilis, cortice tamen magis flavo.

Floret paulò maturiùs ſuperiore, omnéque ſemen ferè abjecit, quando prioris matureſcere incipit. Hanc non niſi campeſtribus & inter ſegetes ſponte naſcentem conſpiciebam, deinde cultam in horto Pharmacopæi cujuſdam Viennenſis, cui, atque etiam ipſis Doctoribus, ignotum erat primum genus, quemadmodum & cetera Ariſtolochiæ genera, præter Clematitin primam. Superiore firmior eſt, & injuriarum hiemis tolerantior.

Ariſtolochia longa I. LONGE cauliculi etiam quadranguli, duos palmos longi, interdum longiores, in multos ramos diviſi, humi, uti Rotundę, diffuſi: folia quàm illius minora, firmiora, dilutioris coloris, longiore pediculo fulta. Soldanellæ foliorum pænè forma: flos ſimiliter oblōgus, concavus, ex viridi candicans, Rotundæ alterius florum effigie, ſed extimâ parte, coloris magis herbacei, intus, ut reliquorum, villis obſitus: fructus pyri in morem turbinatur, ſed nō adeò tenui metâ, ut alterius rotundæ fructus, qui maturitate dehiſcens ſemen oſtendit latum, rufum, & tandem fuſcum. Hujus radix digiti craſſitudine eſt Dioſcoridi, & dodrantali longitudine, quod de triennibus & junioribus plantis intelligendum autumo: nam adultarum longè amplior magnitudo, etenim multas eruere memini, quæ craſſitudine brachium, longitudine pedem æquarent. Adultæ verò omnes plerumque extrema parte obtuſæ ſunt, & æqualis ferè per totam longitudinem craſſitudinis, ſubinde tamen cuſpide ramoſa: juniores gracileſcunt, multaſque fibras habent.


Natales. Provenit campeſtribus locis inter ſegetes, & quibuſdam vinetis in Narbonenſi Galliâ: memini & novo vere florentem eruere in inſula medijs in ſtagnis ſitâ, ubi templum Magalona nuncupatum, olim Epiſcopi Mompelliani ſedes, circa oppidulum Villa nova nominatum, ſecundo à Mompellio miliari.

Quædam

Ariſtolochia Clematitis vulgaris.
Ariſtolochia clematitis erecta B: Pin: 307.



Ariſtolochia Clematitis Bætica.
Ariſtolochia clematitis serpens B: Pin: 307.



Quædam etiam differentia in Ariſtolochiâ longâ obſervari poteſt: nam illius quam in Hiſpaniâ obſervabam (tametſi Gallicæ fere per omnia ſimilem) flos à diligentius inſpicientibus nonnihil differre deprehendetur, quippe cujus extima pars interiore parte purpurei coloris ſit, qui in alia herbaceus: Hiſpanicę item radix extremâ parte non eſt gracilis in novellis plantis, ut altera, ſed plerumque obtuſior, & ipſa radix brevior. *Ariſtolochia longa II.*

Naſcitur in Hiſpanijs inter vites, regno Valentino frequentiſſima, ubi Martio florentem & jam ſemen perficere incipientem eruebam: Vtraque autem cùm in Germaniâ, tum in Belgicâ frigoris eſt impatiens, & diligenti curâ adſervari debet. Aliquoties Viennæ periculum facere volui, an hiemem in horto ferre poſſet, etiam abietis frondentibus ramis tecta, ut reliquæ, quas hac ratione conſervare ſolebam, plantæ: ſed operam luſi, & ſemper corruptæ ſunt. Itaque accepto damno prudentior factus, in vaſis fictilibus poſtea ſemper alui. *Natales.*

CLEMATITIS præcedentes magnitudine ſuperat, caulem habet firmiorem, rotundum, ſtriatum, ſupra cubitalem altitudinem aſſurgentem: hujus folia reliquarum folijs multò ampliora, ex viridi palleſcentia, longo pediculo fulta, formâ Longæ, vel potius Rotundæ alterius folia referentia: flos pallidus, copioſus in ſingulis alis, qui in alijs generibus ſingularis, longæ floris formam quodammodo referens, quo evaneſcente ſuccedit fructus reliquarum fructu major, exigui mali magnitudine, ſemen continens quale eſt reliquarum Ariſtolochiarum, ſed majus. Hujus radix, quæ reliquis cum gravitate quadam eſt odoratior, tenuis & ad minimi digiti craſſitudinem nunquam accedens, longè lateque ſerpit, & altiſſimè ſub terrâ mergitur, adeo vivax, ut etiam fruſtulatim conciſa, facilimè renaſcatur, & magna difficultate eruatur: quâ de cauſâ ſubinde moleſtiam ijs adfert, qui illam ſemel in ſuos hortos receperunt. *Ariſtolochia Clematitis vulgaris. I.*

Editiora amat loca, & nonnullis Narbonenſis Galliæ vinetis adeo frequens eſt, ut vina ab illius odore vitium contrahant. Invenitur & in pleriſque alijs Gallię, Hiſpaniæ, Vngariæ, Germaniæ ſuperioris & inferioris, locis. Floret cum reliquis. *Natales.*

ALIVD Ariſtolochiæ genus circa Hiſpalim itinere Olyſipponenſi, plurimiſque alijs Bæticæ locis, in dumetis, vepribus, & vetuſtis quibuſdam oleis ſponte naſcens obſervabam, quod ad Clematitin meritò referri poſſe videtur.

Id longa, ramoſa, tenuia, ſtriatáque habet ſarmenta, quibus vicinas ſepes & interdum arbuſculas ſuperat, ijs ſe cōvolvens & implicans Convolvuli aut Lupuli modo. Folia illi reliquarum Ariſtolochiarum folijs ſimilia, ſeu potius generis illius Apocyni, quod in maritimis naſcens, Mompelliani Scammoneam meo tempore appellabant, extremo mucrone acumina- *Ariſtolochia Clematitis Bætica.*

acuminato, ſupernè lævia & viridia, infernè ex purpurâ albicantia; longo pediculo innixa: flos Ariſtolochiæ longæ incurvus, oblongus, ex purpurâ nigricans, intus tenui lanugine plenus, longiſſimo omnium pediculo inſidens: fructus (ut ex illius rudimento colligere licuit) reliquarum Ariſtolochiarum fructui ſimilis, tale etiam eſſe ſemen, ex eo quod Doctiſs. Vir Simon de Tovar mittebat obſervavi, fructus verò æque magnus ac in Clematitide vulgata, & à pediculo dehiſcens: radix prælonga, ſarmenticia, Smilacis aſperæ inſtar (cum cujus craſſioribus fibris magnam habet affinitatem) nunc per ſumma ſerpens, mox altè ſub terrâ ſe condens, pallidi coloris, non ingrati ſaporis, guſtata enim, aliquantulum adſtringens deprehenditur, & manifeſtæ acrimoniæ. Tota planta odorata eſt.

Natales. Naſcitur pingui ſolo, ijs quæ commemoravi locis, ſemper iſtic virens & Ianuario Februarioque florens: etiam circa Cordubam mihi obſervata.

HVIVS neminem facere mentionem ſcripſi, cùm Hiſpanicarum quarundam Stirpium Hiſtoriam publici juris facerem, præter unum Petrum Bellonium, qui eam in Cretâ obſervaſſe ſcribit lib. I. Obſervationum cap. XVII. Idem nunc denuo aſſero: nec me movet, quod, qui Generalem illam Plantarum Hiſtoriam Rovilianis typis Lugduni expreſſit, ſcribat. Hujus neminem meminiſſe ait Cluſius præter Bellonium &c. Dodonæus tamen eandem Clematitidis nomine depinxit &c. Fatetur Cluſius, ſed à ſe acceptam, & totam adeo Ariſtolochiarum hiſtoriam, cùm Purgantium hiſtoriam meditaretur Dodonæus, ipſi liberaliter (ut & pleraque alia) communicaſſe ait. Sed & ipſe Dodonæus iſtic expreſsè refert, circa Hiſpalim plurimiſque alijs Bæticæ locis, in dumetis & vepribus Carolum Cluſium offendiſſe: addit Cluſius toto etiam decennio, ante quàm ille Purgantium Hiſtoriam evulgaret. Et unde quæſo hæc hauſiſſet Dodonæus, qui tum temporis pedem è Belgicâ numquam extulerat, quàm ab his qui peregrinas luſtraſſent regiones? Sed ea eſt quorundam ſupina negligentia, ne dicam, ſocordia, ut ſolâ iconum inſpectione contenti, tantum otium non ſumant, ut ipſarum Stirpium hiſtoriam legere dignentur. Sed de his ſatis: redeamus ad Ariſtolochiarum Hiſtoriam.

Piſtolochia.



Piſtolochia. PISTOLOCHIA cauliculos magna ex parte pedales habet, nonnumquam majores, anguloſos, ſtriatos, &, ut Ariſtolochia Longa, ramoſos, tenuiores tamen: folia Longæ folijs non diſſimilia, nigriora, minora, magis rugoſa, & aliquantulum in ambitu ſinuoſa: florem Rotũdę priori formâ æqualem, minorem tamen, & aliquando nigrum, interdum ex herbaceo flaveſcentem: fructum Rotundæ primæ fructus effigie, verùm minorem: ſemen etiam ſimile: denſis eſt radicis capillamentis, junci, ut rectè Plinius ait, plenioris craſſitudine, buxeo colore.

Natales. Oritur in Olivetis, & petroſis Hiſpaniæ Galliæque Narbonenſis locis. Serius floret reliquis Ariſtolochiarum generibus: ac hoc peculiare ejus fructus habet, ut, dum maturuit, eâ, qua pediculo adhæret, parte, dehiſcat ut in Bætica Clematitide: longæ verò, & reliquarum, ab extremâ.

Ariſtolochia peregrina Rauvvolfij. NOVVM autem & peregrinum Ariſtolochiæ genus circa Halepum Syrię inter oliveta obſervabat C. V. Leonhardus Rauwolfius Auguſtanus Medicus, cujus meminit Lib. I. ſui Hodæporici cap. IX. ab incolis *Rhaſut* & *Rumigi* appellatum.

Rhaſut, Rumigi. Id odore quidem præditum, ſed illo ingrato. habebat quatuor cauliculos albicantes, prope radicem fili inſtar graciles, quibus circa ſuperiorem partem utrinq. inhærebant ſeptem vel octo folia ſibi invicem objecta, tenella, cinerei coloris, magnitudine & inciſuris floriferæ Filicis folijs valde ſimilia, niſi quod infimâ parte & cauliculis proxima, rotundas veluti auriculas adnatas haberent, ut in minori Salviâ: inter inferiora verò folia, quæ paulo majore interſtitio ab invicem diſtant, flores Ariſtolochiæ, aliquanto tamen majores, colore magis fuſco, & longiore pediculo ſubnixi: radix ſatis profundè demiſſa, noſtro Pyrethro plane ſimilis, guſtu amara, unde colligere licebat, eam ſiccare, & nonnihil calefacere.

Nomina. HÆC porrò planta Græcis ἀριςολοχία nuncupatur, quod, ut refert Dioſcorides, ἄριςα ταῖς λοχείαις,

λοχείαις, id eſt, optima puerperis exiſtimetur: Romanis Plinio teſte, Malum terræ. Sed id nomen rotundæ potius convenit, quæ Græcis ἀριϛολοχία ϛρογγύλη, ἢ θήλεια, Ariſtolochia rotunda & femina vocatur. Secunda ἀριϛολοχία μακρὰ ἢ ἄῤῥην, Ariſtolochia longa & mas appellatur, item à nonnullis δακτυλῖτις, dactylites. Tertia κληματῖτις, Clematitis, quaſi Sarmentitia cognominatur: & primum quidem ejus genus, à pleriſque, pro legitimâ Longâ uſurpatum, Gallis *Sarraſine*, Narbonenſibus *Fauterne* dicitur, Germanis Oſterlutzey. alterum autem ejus genus Bœticæ ruſticis ineptè *çarça parilla*, quaſi rubus viticula. Quartam Plinius Piſtolochiam vocat, quam nonnullos à numeroſis radicis capillamentis πολύῤῥιζον cognominare ſcribit lib. xxv. cap. viii.

Malũ terræ. ἀριϛολοχία θήλεια. ἀριϛολοχία ἄῤῥην. δακτυλῖτις. κληματῖτις. Sarraſine. Fauterne. Oſterluzey. çarça parilla. πολύῤῥιζον. *Facultates.*

CETERVM Ariſtolochiæ radix teſte Galeno lib. vi. de Simp. Med. facult. multo eſt ad medicationes utiliſſima, amara & ſubacris. Sed ex illis omnium ſubtiliſſima eſt rotunda: Longa minus quidem tenuitatis obtinet, quàm Rotunda, abſtergens ac digerens, ſed non minus calfaciẽs, imò forſan plus etiam. Itaque in quibus uſus eſt modicæ abſterſionis, commoda eſt longa: at in quibus craſſum humorem validius extenuare oportet, illic uſus eſt rotundæ. Quæ Clematitis appellatur, fragrantior eſt, itaque eâ ad unguenta utuntur unguentarij, ſed ad ſanationes infirmior.

Paulus Ægineta Ariſtolochiam Clematitin inter medicamenta ſimplicia quæ bilem purgant, recenſet. Aëtius Tetrabibli primæ ſermone tertio, pituitam ac bilem evacuare teſtis eſt.

Clematitidis autem primæ, ſive vulgatioris folia, inter plana ſaxa confracta & trita, ligneas aſſulas, ſpináſque corpori infixas adpoſita, valenter extrahere, inflammationes ſubſequutas curare, experimento didicerat doctiſſimus vir D. Michaël Lingelius, Medicus & Profeſſor Viennenſis.

Plinius, Piſtolochiam convulſis, contuſis, ex alto præcipitatis, radice potâ ex aquâ, utiliſſimam eſſe tradit.

ARISARVM. CAP. XLVIII.

DVORVM eſt generum Ariſarum, tametſi Veteres unici hiſtoriam poſteritati reliquerint.

Ariſarum latifolium I. *Ariſarum latifolium alterum B: Pin: 197*



VNVM, Hederæ aut Smilacis ferè folia habet, tria aut quatuor, viridia, mollia, ſatis tamẽ carnoſa, acris ſaporis, oblongo pediculo innixa, anteriore parte, qua pediculo adhærent, utrimque pinnata, Ari foliorum inſtar, ſed obtuſioribus & quaſi orbiculatis angulis: inter quæ pediculus duas uncias longus, multis rubris maculis diſtinctus emergit, cui oblongus flos inſidet, monachalis cuculli ſive Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extremâ parte fuſci coloris qui deorſum radiatim tẽdit, in ceteris albus, caninum olens, piſtillum obtuſum, incurvum, & veluti ex cucullo proſpiciẽs continens, ut pictura demonſtrat, quæ ex illâ, quam ipſe cũ pleriſque alijs in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervatis exprimebam, fideliter delineata eſt: radix rotunda, globoſa, Aro minor, foris nigricans, intus alba, aliquando etiam tuberoſa & oblonga, initio dulcis, deinde acris, minùs tamen Ari radice (licet veteres contra ſentiãt) fibris aliquot ſupra eam expanſis, ut in Orchidibus.

Ariſarum latifolium I.

Aliud ejus genus etiam invenitur paulò amplioribus folijs & rotundioribus aliquantulum atque mollioribus, pluribus tuberculis ſe propagans, oblongáſque & craſſas radiculas ſæpius in latum & obliquum ſpargens.

Ariſarum latifolium alterum.

ALTERVM diverſâ prorſus eſt formâ: nam ejus folia longa ſunt, & anguſta inſtar ferè Plantaginis anguſtifoliæ foliorum, viridia, ſplendentia, quina, aut ſena, poſt quę flos ſeu cucullus longior & mucronatus, retrorſum inflexus & albicans prodit, è cujus rima oblongus veluti vermis exilit, ſpithamæ interdum longitudine, inflexus, coloris aut purpuraſcentis, aut ex purpureo vireſcentis, non ille quidem obtuſus extima parte, ſed mucronatus: fructus racemi inſtar confertus, albus (non ruber, ut quidam, qui non obſervarunt, prodidêre) vix terrâ emergens ſuo tempore ſubſequitur.

Ariſarũ anguſtifolium.

Ariſarum anguſtifolium.



Natales.

Latifolium in collibus Luſitaniæ frequẽs ſalebroſo & lapidoſo ſolo, in ſepibus & juxta vias: ubi Novembri & Decembri floribus ſuis præditum eruebam, atque etiam nonnullis Beturiæ locis ſolo fœcũdo & pingui, ſecũdùm publicas vias & hortorum aggeres, ubi Ianuario & Februario. Alterum autẽ illius genus umbroſis locis naſcebatur ad Olearum radices pone urbem Vlyſſiponem. Inde in Belgicam tranſlata, numquam florere voluerunt: imò niſi magnâ diligentiâ & curâ, fictilibus, ut pleræque alię plantæ ex ferventioribus regionibus delatæ, adſerventur, pereunt.

Anguſtifolium ſponte naſcens non vidi, ſed ad nos peregrè delatum, in hortis alebamus cùm in Belgicâ, tum Viennæ Auſtriæ: florebat Vere: Iulio & Auguſto ſine folijs fructum proferebat. Vivax magis hoc eſt, neque tanta curâ indiget. Illud anno M. D. XCII. accipiebam ab Imperato, Neapoli miſſum.

ἀρίσαρον, ἢ ἀρίς. Ariſarum, & Aris.

GRÆCVM hujus plantæ nomen eſt *ἀρίσαρον ἢ ἀρὶς*: Latinum, Ariſarum: ſed & Aris Plinio dicitur, qui eam duplicem facit, albam gemino caule, alteram uno tantum. Luſitanis *Iaro* dicebatur, quod nomen etiam Aro commune eſt. Amatus Luſitanus *Fraililloſ*, id eſt, fraterculos Hiſpanis appellari aſſerit, quia, fortè, ejus flos monachalem cucullum æmulatur.

Iaro. Fraillillos.

Arum Byzantinum.



Facultates.

ILLITV nomas ſiſtere tradit Dioſcorides, & ex radice collyria fieri ad fiſtulas efficacia. Amatus addit Germanos inferiores contra peſtis contagia uti: quod ſatis mirari non poſſum, quandoquidem ejus tempore Ariſarum toti Belgicæ fuerit incognitum, & anno demum M. D. LXV. quo illud Antuerpiam ad amicos Olyſippone mittebã menſe Ianuario, iſtic innoteſcere ceperit Latifoliũ. Anguſtifoliũ verò poſt meum ex Hiſpanijs reditum ex Italiâ primùm accipiebamus.

ARVM BYZANTINVM.
CAP. XLIX.

Arum Byzantin.

CVM ante aliquot annos hujus Ari tuber cum alijs tuberibus bulbíſq; Conſtantinopoli allatis, Viennæ acciperem, hærebam, utrum ad Ari, an Ariſari genus referrem: deinde cùm folia proferre cepit, primis duobus annis pro Ariſaro latifolio habui, ducente me in eam ſententiam foliorum quadam ſimilitudine. Nam ea conſpiciebam ſatis ad Ariſari latifolij folia accedentia, nec valde mucronata, ſed potiùs orbicularem figuram referentia: nec radicem valde diſſimilem. Verùm poſtquam ea augeri cepit, digitalem longitudinem adquiſivit, multis tuberculis inæqualem, & uncialem aut ampliorẽ craſſitudinem, multáſq; proles adnatas habuit: folia item protulit longè majora, ad Ari foliorum formam plurimum accedentia, nec illis minus ſplendentia supernè & infernè: ejus autem florem dumtaxat videre contigit anno

M.D.XCVI.

M.D.XCVI. licet toto octennio ante aluiſſem, ſingulis annis novo vere emergentem, atque interdum etiam ante brumam. In vernis tamen folijs quandam differentiam obſervabam, non quod ad formam & figuram attinet, ſunt enim illa prorſus ſimilis formæ, ſed inæqualis magnitudinis & (quod valde mirabar) in quibuſdam plantis, licet ex eadem matre abruptis (unicum ſiquidem tuber Conſtantinopoli accipiebam) folia erant nigris aliquot exilibus maculis diſtincta, alia minimè: tum etiam flos colore variat, nam plantæ maculis nigris notata folia habentes penicillum purpureum folliculo incluſum habuerunt, aliæ verò candicantem Maio menſe anni M.D.XCVI. atque poſtrema folia ante brumam plerumque germinare ſolent, alterius novo vere dumtaxat.

COLOCASIA. CAP. L.

Arum maximum Ægyptiacum, quod Vulgo Collocasia B. Pin: 195.



QVATERNA aut quina habet folia, carnoſa Nymphææ foliorum modo, ſed nervoſa admodum, & pluribus venis ſive fibris eminẽtioribus exteriore parte contexta, incanáque ampliſſima, ut plerumque Perſonatię folia magnitudine ſuperẽt, numquam madentia, etiam ſi aquis immergantur, longis, craſſis, firmíſque pediculis ſubnixa: radice craſſa, magnâ, duplici ut plurimũ, & lagenulæ inſtar efformata (tales certè eruebam pleraſque radices ad Monaſterium Pera longa, & ex illis hanc iconem ipſe iſtic exprimebam) quæ alijs ad latera adnatis ſe propagat, & fibris aliquot nititur. *Colocaſia.*

Frequens eſt multis Luſitaniæ locis circa rivos, ex Africâ, ut intelligebam, primum eò delata. Videbam etiam omnium maximam, & ampliſſimis folijs Hiſpali in arcis Regiæ horto: ubique tamẽ vel florem, aut fructum ferre negabant: percõtabar enim ſerio, quia nullum in omnibus plantis florum rudimentum aut veſtigium conſpiciebam. *Natales.*

LVSITANIS Mauritanos ſequutis *Inhame* perperam dicebatur, Bæticis *Alcoleaz*, quæ vox proculdubio à Colocaſia deducta eſt, Caſtellanis *Manta de nueſtra Señora*, id eſt, Chlamys D. Virginis (à folij nimirum amplitudine) quæ tamen appellatio, illi etiam Tuſſilaginis generi, quod vulgo Petaſites æſtimatur, communis eſt. Cùm verò hæc planta pleraſque notas cum veterum Colocaſiâ communes habeat, nihil aliud mihi perſuadere poſſum, quàm illam ipſam eſſe, quæ Græcis *κολοκασία* dicitur: nec me movet quod alij Arum Ægyptium appellare maluerint. Nam per Luſitaniam valde à mancipijs Æthiopibus expetitur, eáque crudâ & coctâ veſcuntur. Inhame. Alcoleaz. Manta de N. Señora. *κολοκασία.*

BELLONIVS lib. II. Obſervationum cap. XIX. refert Colocaſiam Alexandriæ, urbibúſque & pagis vicinis frequentiſſimam in foro venalem inveniri, Ægyptióſque rarò cibum ſumere, quin Colocaſia adponatur cum carnibus cocta: propterea magnum ejus vectigal per univerſam Ægyptum eſſe. Capite autem XXVIII. ejuſdem lib. negat eam aut florem aut fructum ferre. Ejus verba hîc ſubijciam, quia Veterum de Fabâ Ægyptiâ ſententiam ſuſpectam habet. *Natales.*

AGRI, inquit, plurimis locis, Oryzâ, Papyro, Musâ arbore erant conſiti, interdum etiam Colocaſiâ. Quia verò hujus Colocaſiæ, quæ etiam Lotus & Faba Ægyptiâ appellatur, fructum, magnâ diligentia fruſtra perquiſivimus, illiuſque inquiſitione Cairi incolis ridendos nos præbuimus, occaſionem ſumpſimus inquirendi, cur Veteres eam Fabam Ægyptiam nominarint, cùm fabas non ferat: tandem hanc erroris originem eſſe deprehendimus. Herodotus auctor vetuſtiſſimus, duarum Stirpium in Nilo naſcentium meminit, quarum altera ſit rotunda radice (quæ Colocaſia eſt) altera quidpiam olivarum nucleis ſimile, quodam capite ferat. Reliqui poſt eum auctores, alter alterius verba ſequuti, ad arbitrium deinde deſcripſerunt. Nam quod Theophraſtus ſpinoſam illi radicem tribuit, rem aliter ſe habere, ipſa experientia docet. Dioſcorides de Faba Ægyptia agens, Theophraſti verba ferè expreſſit, & utrumque interpretatus eſt Plinius. Hæc Bellonius. Quo loco etiam addit ſponte naſcentem ad rivulos in Cretâ ſe inveniſſe, Ægyptios verò magnâ curâ & diligentiâ colere. *Faba Ægyptia.*

VERVM evulgatâ Hiſpanicarum Stirpium Hiſtoriâ, meam & Bellonij ſententiam con-

firmabat Mag^cus & Generoſus vir Hieronymus Beck à Leopoldstorff, Liber Baro Auſtriacus, Bellicæ annonæ per Vngariam Præfectus, Cæſari à Conſilijs, idemque multis peregrinationibus clarus, qui aſſerebat hanc plantam ab Arabibus *Colcas* appellari in Ægypto, iſticque adeo frequentem eſſe, ut nullus ſit ruſticus, qui magnos ejus acervos non habeat. Ejus radice coctâ, veſci illos, perinde atque Germanos rapis, quibus tamen minus grata ſit. Nullam verò aliam ejus ſationem intellexiſſe, quàm è nucleis ad latera adnatis: quos vel avellanæ, vel nucis juglandis magnitudine luto vel argilla involutos, in flumen ſecundum ripam demittant. Has poſtea creſcere, & novam meſſem generare.

Colcas.

SED & doctiſſimus Rauwolfius, qui illam toto anno venalem Tripoli Syriæ conſpexit, ut quâ incolæ frequenter veſcantur, & tantâ copiâ in Halepo coli aſſerit, ut ejus radice non minor numerus hominum alatur, quàm in Germaniâ rapis licet illis, & flavâ paſtinacâ non careant: addit in rivulis ſponte naſcentem obſervaſſe, florem autem vel fructum numquam vidiſſe.

POSTREMVM omnium, ad confirmandam meam de Colocaſiâ ſententiam, accedat teſtimonium C. V. Proſperi Alpini, Medici Itali, qui aliquot annis Medicam artem in Ægypto exercuit. Is in eo Libro quem de Plantis Ægypti ſcripſit, cap. XXXIII. in quo de Colocaſiâ, ſic ait.

Culcas. NVLLA planta magis nota Ægyptijs, Colocaſiâ, quam illi *Culcas* (pronuntiandum u, ut ou, Italorum & Germanorum more) vocant, neque magis in uſu, quando omnes, hujus plantæ radices in jure coctas, atque alijs multis modis in cibis paratas aſſiduè eſitent, non ſecus, quàm noſtri rapas. Agri Colocaſijs pleni ibi ſpectantur, atque, quod mirabilius videtur, nemo illorum aliquam ipſarum plantarum floribus vel fructibus uſquam præditam vidit. Ego ex innumeris illis viventibus à me ſæpe inſpectis, nullam unquam florentem, aut cum aliquo fructu, vel aliquo caule videre potui. Ex quo dubitandum videretur, eam plantam eſſe Græcorum Fabam Ægyptiam. Planta hæc ibi ſpectatur folijs Nenupharis, longioribus, Ari proximis, ſine caule, flore, aut fructu: ejus radix magna, craſſa, Chinæ radicibus ſimilis cernitur, ſapore ſubamaro, & acri cum aliqua viſcoſitate, quæ cocta dulceſcit: quotidie paſſim toto anni tempore per urbem innumeræ radices venduntur, viliori pretio. Hinc ſane multum ſemper miratus ſum Dioſcoridem, Ægyptiæ fabæ flores atque fructus tribuere, & eam Colocaſiam eſſe prodere: quam tamen nuſquam, ut dixi, floruiſſe, nullumque fructum dediſſe viderim, aut aliquem vidiſſe unquam audiverim. Sed hanc litem alijs dirimendam libentiſſimè relinquo. Eam tum crudam, tum coctam, avidiſſimè veneri indulgentes mandunt, quia putant ſemen multum gignere, & libidinem prævalidè movere. Hæc Alpinus.

Dioſcoridis lapſus.

Facultates.

FACESSANT igitur, qui eam quam exhibeo plantam, Colocaſiam ſive Fabam Ægyptiam eſſe negant, quia flore & fructu caret; ſed Arum Ægyptium eſſe, cerebroſè & pertinaciter contendunt.

Faba Aegyptia, ſive Colocaſia, non eſt Arũ Aegyptium.

QVIA porrò Dioſcorides Lotum Ægyptium quibuſdam notis cum Faba Ægyptia ſive Colocaſiâ convenire ait; audiamus quid idem Alpinus de eo ſentiat: nam ſubſequente ejuſdem libri capite ſic ſcribit.

Lotus Aegyptius. Nymphaa. Nuphar.

PROXIMO de Colocaſiâ cognito errore, hîc alius de Loto Ægyptio animadvertitur, quando hæc planta planè eadem ſit, quam noſtri Nymphæam, Arabes *Nuphar* appellant. In toto quidem flumine Nilo Ægyptia loca lambente, nulla alia planta eſt inventa, quæ notas Loti præ ſe ferat, quam Nymphæa ipſa, quæ profectò ſimilis eſt (ut de Loto affirmat Dioſcorides) Colocaſiæ, ſeu Fabæ Ægyptiæ, floremque fert album (loquor de majore Nymphæa) Lilio valde ſimilem, quem clarius expreſſit Theophraſtus, qui dixit: & flos candidus, lilijs foliorum anguſtia proximus: verè enim hic majoris Nymphææ flos eſt, qui Sole occidente clauditur & ſub aqua occultatur, oriente verò ſupra aquam aſſurgit, foras exit, & aperitur. Quod non modo in Ægypto, verùm in multis Italiæ locis in hac plantâ obſervatur. Et quid? nonne etiam ex flore caput producitur, Papaveris capitibus valde ſimile, in quo multa ſemina minuta, qualia verè milij exiſtunt, continentur, radixque craſſa eſt? Non poſſum non vehementer admirari Theophraſtum, Dioſcoridem & alios omnes, qui diſtinctiſſimis capitibus Lotum Ægyptium à Nymphæâ ſejunxerint, cum utraque unum atque idem planè ſit, & mirandæ ad Solem converſiones de Loto celebratæ, eædem ſint, quæ in communi Nymphæâ ab omnibus animadvertuntur.

Veterum erronea perſuaſio de Loto Aegyptio.

Ægyptij caules crudos cum ſuis capitibus, per æſtatis calores mandunt: ſubdulces enim ſunt, atque humidi, valdeque refrigerant & humectant: eos appellant *Raſelnil*.

Raſelnil.

Vtuntur præterea floribus & folijs contuſis ad omnes calidas inflammationes, & ſucco, præſertim ad demulcendos dolores à cauſa calidâ obortos, lacte atque roſaceo oleo mixto: eodem itidem modo, oleo quod ex floribus parant, ad calidos dolores, inflammationes, exuſtiones, ulcera, & dolores capitis in febricitantibus, vigilijs, tum exterius folia contuſa applicant, tum ejus ſucco cum oleo & aceto frontem & tempora illinunt: ad conciliandum autem ſomnum, ſyrupum ex eo paratum uſurpant, & tum ſeminum tum radicis pulverem ægrotis cum ejus decocto exhibent. Vſus radicis, ſeminumque ſecreti loco habetur

Loti Aegyptij, ſive Nymphaa facultates.

apud

Nymphæa alba. Lotus Ægyptia Alpini.

Nymphæa alba major. B: Pin: 193



Nymphæa lutea major. B: Pin: 193.



apud multos, ad gonorrhæam, & in mulieribus ad album profluvium firmandum, & ad dyſenteriam. Multi verò ab hujus plantæ uſu abſtinent ejus loco alia potiùs uſurpantes, metuentes ne & Veneris deſiderium & vires imminuantur: apud eos enim omnes compertum eſt, ſeminum & radicis uſum, homines reddere valde frigidos & ad Venerem tardos: eam ob cauſſam multis ibi ſanctis heremitis in uſu eſſe audio, ut faciliùs cælibem vitam ducere queant. Hæc Alpinus.

Verùm, ut demus, pleraſque notas quas Dioſcorides & Plinius Loto Aegyptio tribuunt, Nymphææ etiam convenire: radix tamen diſſimilis eſt. Quia autem ea Alpini eſt opinio, nos Nymphææ utriuſque iconem addere hîc voluimus, illius nempe quæ florem album habet, cujus radix quæ alioqui affabrè delineata fuerat, neſcio qua incuriâ fuerit corrupta, & alterius cui flos eſt luteus.

BATATAS. CAP. LI.

TRIA hujus plantæ ſunt genera, quæ Bæticam peragrans obſervabam, colore externo inter ſe differentia, etiam guſtus ſuavitate: nam aut cortex externus quodammodo rubeſcebat, ſive purpuraſcens erat (& hoc genus præſtantiſſimum judicabatur) aut palleſcebat, aut albus erat: ſingula tamen genera albam interius carnem habebant.

PRODVCVNT autem illa Cucumeris ſilveſtris modo ſarmenta humi diffuſa, ſatis craſſa, ſucculenta, lævia, quibus inhærent folia utcumque carnoſa, ex viridi caneſcentia, Batatas. Ari folijs, ſeu potiùs Spinachij haud diſſimilia: florem an fructum ferat, à nemine intelligere potui, radice autem fit ſatio: ea plerumque dodrantalis eſt, grandis raphani nonnumquam amplitudine (nam memini Londini me ineunte anno M. D. XXCI. recentes admodum, & optimi quidem generis emere, quarum una libram & amplius pendebat) inæqualis, cui raræ & breves adnatæ ſunt veluti fibræ: binæ autem, ternæ, vel plures ex eodem tamquam capite dependent aliquando radices, Siſeris radicum inſtar, vel etiam ſingulares, imâ parte obtuſiores, deinde ſurſum progrediendo graciliores.

Sponte naſcitur in novo orbe, viciniſque inſulis, unde primùm in Hiſpaniam delatam ferunt: nunc in multis Bæticæ maritimis locis ſeritur, vel integra, vel in talleolas ſecta: principatum autem obtinet Malacæ nata, quæ & Gades, & Hiſpalim, imò Vlyſſipponem etiam uſque deferri ſolet. Habuimus etiam aliquoties in Belgio ſatis recentes, ſed quæ germinare noluerint, imò brevi corruptæ ſint, frigidiore nimirum regione. Sed & quas

Batatas. Bi. Pin. 91.



Inhame Luſitanorum. Rapum Braſilianum ſive americanum alterum B: Pin: 90.





Londini emebam, diuturniore morâ (nam Viennam deferre volebam) ante quam telluri committere poſſem, corruptæ ſunt.

Camotes. Amotes. Ajes.

AN Veteribus fuerit cognita hæc planta, hæreo, propterea nullum nomen græcum aut latinum addo: Hiſpani *Batatas*, nonnulli autem *Camotes*, aut *Amotes*, quidam etiam *Ajes*, tametſi nonnihil, ut aiunt, inter ſe differant, ſitque Batatas radix longè tenerior & ſuavior.

Vſus.

Eſtur verò ab ipſis incolis, aut cruda, aut cocta: nunc Hiſpanis etiam in delicijs ob ſaporis gratiam & teneritatem, præſertim ſi ſub cineribus cocta, & exteriore tenello cortice repurgata, deinde in orbes conciſa, ex pauxillo vino, ſtillatitijque roſarum liquoris & ſacchari momento edatur. Sunt qui ex oleo, aceto, & ſale eſitent: nec deſunt qui radices recentes coctas & repurgatas ſaccharo condiant, & in uſum ſervent. Sed & radix non cocta, dum corrumpi incipit, ſi cultro ſecetur, non ſecus roſam olet, quàm ipſa Rhodia radix.

QVI plura de hac radice volet, conſulat C. V. Iulij Scaligeri Exercitationem CLXXXI cap. XVII. lib. XV. de Subtilitate ad Cardanum: inprimis verò cap. IIII. lib. VII. Primæ partis Hiſtoriæ generalis & naturalis Ferdinandi Oviedi.

LECTORI porrò non ingratum facturum exiſtimavi, ſi *Batatas* hiſtoriæ, alterius cujuſdam craſſæ radicis deſcriptionem ſubijcerem, quandoquidem Indiæ Occidentalis & inſularum quarundam incolis familiari in uſu eſt.

Igname *ſive* Inhame *hiſtoria.*

VARIÆ autem interdum eſt formæ radix illa, & *Igname*, ſive *Inhame* appellatione ex D. Thomæ inſulâ, ſub æquatore ſitâ, non procul à provinciæ *Manicongo* continente, delata anno M.D.XCVI. Nam munere honeſtiſſimi viri Willelmi Parduyn civis Middelburgenſis in Walachria Zelandiæ inſulâ, deinde doctiſſimi viri Thobiæ Roëlſij ejuſdem urbis Medici, radices habui, quarum nonnullæ pedalem aut ampliorem longitudinē æquabant, brachialem autem craſſitudinem, vel etiam quarum diameter eſſet quatuor unciarum: pleræque dodrantalem longitudinem vix attingerent, nec earum diameter binas uncias excederet, aliquot etiam breviores ſed craſſas, & in aliquot quaſi breves napos infimâ parte protuberantes

berantes

berantes, tectas omnes ſcabro & inæquali cortice, ut Ariſtolochiæ longæ legitimæ radices, & multis exiguis fibris ſparſim naſcentibus præditas: ipſa radicis ſubſtantia alba, lenta, & ſucculenta eſt, atque veluti grumoſa, tenera tamen, nec ingrati ſaporis (crudam enim guſtabam) exiguo autem poſt momento nõnihil aſperi & acriuſculi: aſſa verò (nam & guſtare volui, ut certius obſervare poſſem) tenerior eſt caſtaneâ, & pyri inſtar, cui grumoſa ſubſtantia, edulis. Qualem caulem, aut folia habeat, non intelligebam, unam tamen radicem cum germine accipiebam, ſed vecturâ abrupto, quale in eadem tabellâ cum radice, quàm commodè potui, exprimebam.

D. Thomæ inſulanos eâ aſsâ & elixâ veſci intelligebam, ejúſque rei gratiâ Luſitani quidam, qui multos iſtic cùm viros, tum feminas & pueros emerant, ut Vlyſipone pro mancipijs venderent, iſtas radices in naves intulerant in miſerorum alimentum, præterea nuces quaſpiam, quibus cum radicis cujuſdam farinâ veſcerentur. Omnes autem illæ naves eodem anno in Walachriam delatæ. *Natales.*


SED & aliam ab eodem Wilhelmo cum ſuperiore accipiebam, nec formâ, nec colore, nec magnitudine ſuperiori diſſimilem, quam *Igname* etiam vocabat Luſitanus, qui illam ipſi dabat, licet aliud genus eſſe non inficiaretur: ſed totius radicis cortex magis inæqualis erat, & veluti quibuſdam tuberculis obſitus: è quibus tenues fibræ emergebant, præterea radix ſummo capite, paullo craſſioribus, duríſque & pedalis ſive palmaris lõgitudinis fibris, ſeu verius viticulis, magnâ ex parte ſpinoſis erat prædita. Nonnulli *Ycam Peru.* *Igname genus aliud.*

ARACHIDNA THEOPH. fortè; Papas Peruânorum. CAP. LII.

Solanum tuberosum esculentum



Arachid. Theoph. fortè, Papas, radix.



ESCVLENTA etiam eſt radix hujus novæ, & ante paucos annos Europæ primum cognitæ plantæ: veteribus tamen, meo judicio, non ignotæ, ut poſtea ex ijs quæ in medium proferemus, apparebit.

PRIMVM autem ex bulbo (qui Aprili plerumque ſerendus apud nos, non maturius) paucis diebus à ſatione, folia promit ex atro purpuraſcentia, villoſa, quæ deinde explicata, viridem contrahunt colorem, quina, ſeptena aut plura in eadem ala naſcentia, à Raphani folijs non valde aliena, impari ſemper numero, interjectis alijs minoribus folijs, & impare extremam alam ſemper occupante: caulis pollicari craſſitudine, anguloſus eſt, lanugine obductus, quinos aut ſenos interdum cubitos longus, πολυϐλαςής, & in multos ramos diviſus, longos, infirmos, & niſi ridica aut alijs adminiculis ſuſtineantur, pondere ſuo in terram procumbentes, & latè ſe ſpargentes: ex ramorum alis prodeunt pedales, craſſi, anguloſi pediculi, denos, duodenos, aut plures flores ſuſtinentes, elegantes, uncialis amplitudinis aut majores, *Papas hiſtoria.*

majores, anguloſos, ſingulari folio conſtantes, ſed ita complicato, ut quinque folia diſcreta videantur, coloris exterius ex purpurâ candicantis, interius purpuraſcentis, radijs quinque herbaceis ex umbilico ſtellæ inſtar prodeũtibus, & totidem ſtaminibus flavis in umbonem coëuntibus, ſtilo prominente ſubviridi: floribus, qui Tiliæ florum odorem referunt, ſuccedunt orbiculata mala, Mandragoræ fructui non diſſimilia, ſed minora, initio viridia, maturitate alba, humida pulpa plena, quæ multa plana grana continet, ficuum granis haud majora: radices habet, vel unã ſingularem, vel binas aut tres craſſiores rectas, in profundum ut plurimum deſcẽdentes, & aliquantulũ ramoſas, deinde à ſummo radicũ illarum capite naſcentes alias tenuiores albas in latera ſe ſpargentes, & ſatis procul à matre aliquãdo terrâ emergentes, foliáq; ſive novellas plãtas producẽtes, è quibus propẽdent craſſiuſculę & longæ fibræ, quibus (dum menſe Novembri poſt primas pruinas eruitur ipſa Planta) inhærere deprehenduntur variæ magnitudinis tubera, inæqualia, veſtigijs quibuſdam notata, unde germina ſequente anno ſint emerſura: tuberum autem, quorum plura quinquaginta ex unicâ ſtirpe colligere memini (adeò fœcunda eſt) alia majora, ut interdum unciam aut etiam binas pendant, rubeſcente vel ad purpureum colorem vergẽte ſunt exterius cute, alia minora ut quæ nondum matura, magnâ ex parte albicantem habent cutem, quę tenuis valde eſt in omnibus tuberibus, caro autem ipſa firma & candida. Omnia autem iſta tubera vel cum fibris quibus inhærent, vel illis detracta, in fictili aut alio vaſe terrâ ſiccâ pleno reponuntur, & ſub tectum inferuntur, in ſpem futuræ inſequente anno ſationis, tametſi & nuda ſicco loco, calido tamen, conſervari poſſint: radices autem hieme corrumpuntur ſi in horto hæreant, niſi fortè paulò calidioribus regionibus, & altè defoſſæ, terrâ exemptæ, areſcunt & inutiles redduntur. Ex ſolis igitur tuberibus expectanda eſt generis conſervatio, & ex ſemine, quo natæ plantæ etiam eodem anno flores tulerunt, ſed colore à matre diverſos, ut ab alijs intellexi, numquam periculum feci. Certè mihi amicus N. Vir Ioannes Hogelãdius ad me ſcribebat natas ipſi ſtirpes ſemine à me miſſo, quæ albos omnino flores dederunt, quas cùm eodem tempore erueret quo è tuberibus natas, nulla tubera generaſſe agnovit, ſtirpibus fortè nõdum ſatis maturis. Illud obſervabam, tuber ex quo planta nata, cùm eruitur, inane prorſus interdum reperiri, aliquando integrum adhuc & firmum.

Tempus. Floret Iulio, & ſubinde in Autumnum uſque, vel etiam ad primas uſque pruinas (à quibus facilè offenditur) flores & fructum ferre non deſinit.

Vnde primũ hãc plantam nactus. PRIMAM hujus ſtirpis cognitionem acceptam fero N.V. Philippo de Sivry Dn. de Walhain & Præfecto urbi Montium in Hannoniâ Belgicæ, qui ejus bina tubera cum fructu, Viennam Auſtriæ ad me mittebat ſub initium anni M. D. XXCVIII. ſequente autem anno rami ejus cum flore picturam. Is à familiari quodam Legati Pontificis in Belgio ſe accepiſſe ſcribebat anno præcedente, *Taratouffli* nomine. Mittebat deinde ad me Iacobus Garetus junior, integræ ſtirpis iconem Francofurtum: verùm neutram hîc exhibere volui, ſed aliam quam duabus tabellis ex vivâ planta exprimi curavi, alterâ flores atque fructum repræſentante, alterâ radices & tubera ſuis fibris inhærentia. (Taratouffli.)

Vnde primum nacti ſint Itali, ignorant: certum autẽ eſt, vel ex Hiſpanijs, vel ex Americâ habuiſſe. Mirari autẽ ſubit, cùm tam vulgaris & frequens eſſet in quibuſdã, ut aiunt, locis Italiæ, ut ejus tuberibus cũ vervecinâ carne coctis, non ſecus ac rapis, & paſtinacæ radicibus veſcerentur, imò etiam ſuibus in pabulũ cederent, hujus ſtirpis notitiã tam ſerò ad nos perveniſſe: illud autem magis mirum, Patavinæ Scholæ fuiſſe ignotam, ante quàm amicis, qui Patavij Medicæ arti operam dabant, Francofurto ejus tubera mitterem. Nunc verò pleriſque Germaniæ hortis ſatis vulgaris eſt facta, quandoquidem adeò fœcunda eſt.

CETERVM non dubium eſt, quin ſit ea Planta, quam Petrus Cieça cap. XL. Primæ partis Chronici ſui deſcribit Hiſpanico ſermone: ego Latino ſic reddebam.

Papas Petri Cieça. Locis Quito vicinis, præter Mayzum, habent incolæ duo alia, quibus magnâ ex parte vitam ſuſtentant, *Papas* videlicet, radices tuberibus ferè ſimiles, nullo putamine, aut oſſiculo tectas, quæ coctæ, teneram inſtar caſtanearum elixarũ habent pulpam: Sole ſiccatæ *Chumo* vocantur, & in uſum ſervantur. (Chumo.) Producit hic fructus ſtirpẽ Papaveri [condonanda eſt hæc comparatio militi] ſimilem. Alterũ eſt *Quinũa*, planta humanam altitudinẽ æquans, folijs Bliti Mauritanici, ſemine puſillo, albo, vel rubro, ex quo potionem parãt, aut elixo veſcuntur ut nos oriza: meminit & alijs locis. (Quinũa.) *Papas* etiam mentionem faciunt Auguſtinus Çarate, atque Gomara in ſua Generali Hiſtoria Indiarum. Quibus non valde abſimiles videntur eæ radices, quas Virginienſes *Openawk* nominant. (Openavvk.)

CONSIDERANDVM porrò an hæc Planta Veteribus fuerit cognita. Theophraſt. lib. I. Hiſt. Plant. cap. XI. Arachidnæ meminit, quæ cũ hac perbellè cõvenire mihi videtur, præſertim radicis hiſtoria. Nam *ἀραχίδνην ϗ ὅμοιον τῷ ἀράκῳ* fructum ferre aſſerit nõ minorem eo qui in ſupernis plantæ partibus naſcitur: & radicem quidem unam carnoſam & craſſam, quę in altum demittitur, ceteras (in quibus fructus) teneriores, ſummo ceſpite, & quaqua verſum diffuſas. (*ἀραχίδνα ϗ ὅμοιον τῷ ἀράκῳ.*) Neutrum tamen folia habere dicit, aut folijs quidquam ſimile, ſed quaſi utrimque fructum edere, quod mirum, inquit, videtur. Sed mihi facilè perſuaſerim, utriuſque plantæ hiſtoriam, Theophraſto ſua commentanti, parum integrâ fide recitatam: primo etiam ejuſdem libri capite, illam reponit inter ſtirpes quæ ſub terra fructum ferunt. Diligenter expendant Peritiores, & forſitan ad meam ſententiam accedent.

His

Quinuä, ſive Blitum majus Peruänum. Amaranthus maximus B: Pin: 120



Canna Indica. Arundo indica latifolia B: Pin: 19



HIS caſtanearum aut paſtinacæ in modum paratis, veſcebatur, ut intelligo, Legatus, ad firmandas vires, quia erat valde imbecillâ valetudine: non minùs autem alere puto quàm caſtaneas & paſtinacas, flatulentas tamen eſſe, propterea, ad proritandam Venerem, nonnullos uti. Ego elixas, deinde, epidermide verius quàm cute purgatus, facilimè enim cedit, & inter binas lances, naporum aut raporum pinguiore vervecis juſculo maceratas deguſtabã: & ſanè non minùs ſapidas & palato gratas deprehendebam, ipſis napis. Crudas verò, nimis aſperas & flatulentas eſſe æſtimo.

QVINVA, ſive BLITVM MAIVS Peruänum. CAP. LIII.

QVID porrò ſit *Quinua*, cujus Petrus Cieça, ut diximus, meminit, tamquam tertij alimẽti, quo ſe ſuſtentant Quito incolæ, operæprecium eſſe duxi, hîc explicare; licet jam multo tempore univerſæ Europæ fuerit vulgaris, ſed hoc nomine ignota.

NIHIL igitur aliud eſt *Quinua*, quàm majus illud Bliti genus, humanã altitudinem interdum ſuperãs, caule craſſo, firmo, in multos ramos inæqualiter naſcẽtes diviſo, vulgaris Bliti folijs, ſed amplioribus & longioribus, ſummo caulis faſtigio multas ferens ſpicas, ſive paniculas, palmum & amplius longas, nutantes, extremâ nõnumquam parte latiuſculas & quodammodo criſtatas, inſtar comæ Amaranthi criſtati, coloris coccinei obſoletioris & degeneris, quæ maturæ, multa granula alba rotunda continere conſpiciuntur. Quod grana rubra fert, numquam vidi, ſed alba grana ferentis iconem Lectorum oculis ſubijcimus. *Quinua. Blitum majus Peruänum.*

CANNA INDICA. CAP. LIIII.

HVIC plantæ unus primùm, deinde plures ſtolones ex eadem radice prodeunt, cubiti unius, interdum duorum altitudine, digiti verò craſſitudine, harundinis modo nodoſi: quem circa ſingula genicula ambiunt ampla folia, nervoſa, & firma quidem illa, foliorum Muſæ inſtar, ſed tenuia, herbaceâ viriditate palleſcentia, extremo mucronata, quæ, dum primum erumpunt, chartaceorũ cucullorum in morem circumvoluta conſpiciũtur, guſtata autem herbaceum quendam ſaporem initio habent, cui paulò pòſt nonnihil acrimoniæ conjunctũ deprehenditur: extremo cauli, inſidẽt aliquot flores, Gladioli floribus formâ non valde diſſimiles, ſed elegãtiſſimi minij florido colore nitentes, & capitulo inhęrẽtes cuidam hirto, quod cum ſuo flore nõdum aperto Suillæ fluviatilis ſive marinæ coctæ chelam quodammodo refert: deciduis aut marcidis floribus, augentur iſta capitula, fiũntque triangula & molliter echinata, capitulorum Ricini ferè inſtar, in quibus continetur ſemen rotundum, Fabæ veterum, ſive fructus Loti arboris magnitudine, plenâ maturitate nigerrimum: radix nodoſa, & craſſioribus fibris ſtipata, alios radicis nodos adnaſcentes habet, qui ſtolones etiam matri ſimiles proferunt. *Canna Indica.*

Luſitaniæ

Luſitaniæ quibuſdam monaſterijs valde frequentem videbam, ſub ſtillicidijs ad muros ſatam, etiam ipſa brumâ florentem: nunc paſſim à rei herbariæ ſtudioſis alitur in fictilibus, ornatus gratiâ, rarò tamen apud Belgas ad frugem pervenit, quòd ſerò admodum germinet, nec hiemem ferre iſtic potis ſit, ut in ſequentem annum ſervetur. Viennæ autem Auſtriæ multis annis in fictili alebamus, ſingulis annis flores proferentem, & probum ſemen interdum dantem, licet non adeò nigrum, ut quod in calidioribus regionibus creſcit, ſed fuſci dumtaxat coloris, mirificè etiam ſeſe radice propagantem, adeò, ut alternis annis fictili eximere, & nodos divellere cogeremur, eâ ratione, plures plantas ex unâ adquirentes: verùm hieme in hypocauſtum ſeu vaporarium recipienda erat, & proximo feneſtrę vitreæ loco, ut aëre externo per rimulas ingrediẽte nonnihil refici poſſet, frigidioris aperti aëris, atq; etiam cameratæ cellæ impatiens: ſemel autem, aut bis ad ſummum, ſingulis hebdomadibus, adfuſa leniter aquâ, riganda. Illud etiam in hac plantâ obſervabam, è vetuſtis ſtolonibus, cùm marceſcentes in vaporario præſcinduntur, lacrymam exſtillare albam, tragacanthæ æmulam, ſubdulcem & lentam; atque in ipſis folijs iſtic etiam ſeneſcentibus, tenue quoddam excrementum nitri ſapore.

QVO nomine Veteribus dicta ſit hæc planta, me ignorare fateor ingenuè. Nonnulli hac ætate, quia illius flos nondum apertus, cancri vulgo dicti chelas, formâ & colore, ut diximus, referat, florem Cancri nuncuparunt: alij Cannam Indicam, quia ex Americâ primùm delata ſit, & ejus ſtolones cannarum ſive harundinum modò nodoſi ſunt, appellare maluerunt: Hiſpani & Luſitani *Cuentas* dicunt, à numero, quòd ex hujus granis ſpherulæ ad numerandas preces idoneæ, fieri ſoleant, non ſecus ac ex tenellis malis arantijs.

Flos Cancri. *Cuentas.*

LIMONIO CONGENER. CAP. LV.

Limonium peregrinum foliis forma flore ariſtolochiae

Limonium peregrinum.



PEREGRINA prorſus, & elegans eſt hæc planta, cujus iconem & reſiccatũ folium, Lutetiâ uſq; ad me mittebat humanus vir & diligẽtiſſimus Pharmacopæus, Claudius Gonier, qui ſiccam eã, & confracto caule mutilã, Vlyſſipone, veluti ad me ſcribebat, acceperat.

SVNT verò huic plantæ (Claudio teſte) folia novem, decem, aut plura, à ſummo radicis capite prodeuntia, quorũ forma, ab omnium quas unquam viderim ſtirpium folijs diverſa eſt, quia cava ſunt, florũ Ariſtolochiæ inſtar, tumente alvo & veluti paleari prędito, gibbo dorſo, infima parte anguſto, ſenſimq; in laxitatẽ creſcente, ſupremâ parte laxiore & aperto, quaſiq; in hemicyclum formatâ: totũ folium durum eſt, & tãquam cutaceum, ſuprema folij pars aperta, internè multis craſſis venis ex atro purpureis diſtincta: inter folia prodibat caulis confracti, ut pictura referebat, pars inferna: radix nõ valde magna, & in quoſdã ramos diviſa: quales flores, quódve ſemen proferat, non fuit adſcriptũ, natales non indicati, neque quo tempore flores det, notatum.

Ad quam porrò ſtirpium claſſem hanc referre debeam, hæreo: foliorum tamen craſſitudo, vel (ſi ita loqui licet) carnoſitas, & aliæ quædam notæ, me ferè compellunt, ut ad Limonij Matthioli genus aliquod referendam cenſeam: poterítque (mea opinone) Limonium peregrinum tantiſper nuncupari, donec aliud magis proprium, ex totius plantæ diligentiore obſervatione, inveniat.

Ne autem in noſtris Stirpium Obſervationibus locum non haberet, ad illarum Quarti Libri calcem, ejus hiſtoriam rejecimus.

Limonium Parvum Bellidis minoris folio C. B. Pin. 192.

Limonium pumilum, & ejus Natales. CETERVM, quandoquidem in Limonij Matthioli mentionem incidimus, quod ubique in maris littoribus, præſertim autem Mediterranei, frequens eſt; circa Valentiam Hiſpanię pumilum aliud genus obſervabam multis exiguis foliolis, Bellidis minoris pænè foliorum inſtar, è ſummâ radice prodeuntibus præditum, inter quæ cauliculi prodibant frequentibus, elegantibúſque floſculis onuſti: ejus radix betæ radici perſimilis erat, minor tamen & ſubrubra. An illi ſimile alterum pumili Limonij genus, quod Doctiſſimus Lobelius apud Colceſtriam ſe obſervaſſe anno M. D. XCVI. ad me ſcribebat?

FINIS LIBRI QVARTI.

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER QVINTVS.

SCABIOSARVM, *aliarúmque non inelegantium florum Hiſtoriâ abſolutâ, Quintum librum adgrediemur, quem à Narcoticis auſpicabimur: illis ſubijciemus deleteria facultate præditas, aliáſque quarum folia, inciſuris earum formam imitantur: deinde acri guſtu donatas, molles præterea quaſdam & aculeatas: poſtremò aliarum ſtirpium congeriem.*

HYOSCYAMVS. CAP. I.

Hyoſcyamus niger vulgaris.

Hyoſcyamus vulgaris vel niger C. B. Pin: 169



Hyoſcyamus Aegyptius.

Hyoſciamus cauliculis ſpinoſiſſimis ægyptiacus C. B: Pin: 169



NIGER Hyoſcyamus, vulgaris eſt notitiæ, cujus hiſtoria ab omnibus qui de re herbariâ ſcripſerunt eſt tradita: quia verò de ejus ſtirpis alijs quibuſdam generibus hoc capite ſumus acturi, non præter rem me facturum exiſtimavi, ſi Nigri iconem præponerem, & Albi etiam adderem, ut differentiæ eò faciliùs dignoſci queant. I. *Hyoſcyamus niger vulg.*

PRIMVS autem eorum generum quæ deſcribere volumus, peregrinus eſt, & cubitalis altitudinis, minimíque digiti craſſitudinis caulem adquirit in hortis, firmum, molli incanáque lanugine præditum, per quem hinc inde ſparſa ſunt folia, vulgaris folijs nō valde abſimilia, ſed minora, & frequentibus lacinijs diviſa, tenuíque (dum adhuc tenella ſunt) & II. *Hyoſcyamus Aegyptius rubello flo.*

longâ

longâ lanugine pubeſcentia: ſummus caulis in aliquot ramos nutantes & inflexos dividitur, qui alternatim inter anguſtiora, minoráque, nec laciniata folia, caliculos ferunt vulgari ſimiles, in quinque cuſpides ſatis firmas deſinentes, in quibus flores colore quodammodo ſimiles vulgari, hoc eſt pallentes, & purpureis venis diſtincti initio naſcuntur, ſed deinde in paulò majorem amplitudinem excreſcentes, in elegantem ex rubro purpuraſcentem colorem mutantur, ſaturatioribus tamẽ venis, nec umbilico purpureo, ut vulgaris nigri flores, ſed candicante, ſtilóq; purpuraſcente, & quinque ſtaminibus exornato: floribus ſuccedunt bullata, quemadmodum in vulgari, capitula, ſemen etiam ſimile continentia.

Nobis is primùm natus eſt anno M. D. XXC. ſemine quod doctiſs. vir Bernardus Paludanus Friſius (nunc πολιατρὸς Enchuſianus) ex Syriacâ, Ægyptiâque peregrinatione redux, Patavio ad me miſerat *Benze* nomine.

Natales. Is fortè eſt, cujus Bellonius cap. LXXV. & LXXXVIII. lib. II. Obſervationum meminit, & in Ægypto frequentem eſſe aſſerit: quem etiam apud Halepum obſervaſſe ſcribit C. V. Rauwolfius lib. I. cap. IX. ſui Hodæporici.

Hyoſcyamus albus, vulgaris.

Hyoſcyamus albus minor C. B. Pin: 169.



Hyoſcyamus albus, Creticus.

Hyoſcyamus creticus luteus minor C. B. Pin: 169



III. *Hyoſcyam. alb. vulg.* TERTIVS ordine erit is, qui Hyoſcyamus albus appellatur, frequens & ſpontaneus in calidioribus regionibus: at in frigidioribus, non niſi in eorum hortis qui re herbariâ delectantur conſpicuus, candidioribus mollioribúſque nigro folijs, nec ita laciniatis, ſed potiùs quodammodo ſinuoſis, brevioribus, ſatis craſſis, longiore pediculo fultis: flores illi albi, minores, calices læviores.

IIII. *Hyoſcyam. alb. Cretic.* QVARTVS etiam peregrinus, nec mihi adhuc conſpectus: ſed iconem ad me mittebat honeſtus vir Iacobus Plateau, quam imitatus erat ex plantâ, ipſi, ſemine Cretâ accepto, natâ. Scribebat autem totam plantam eſſe molliorem & teneriorem Hyoſcyamo albo jam memorato; folia longo pediculo nitentia, molli lanugine prædita, latiuſcula, magis ſinuoſa quàm Albi folia, & vitiginea, minora tamen, & teneriora, in ambitu quodammodo denticulata habere: ramos candidiore lanugine pubeſcentes: flores prorſus aureos, internè circa umbilicum violacei coloris: radicem ſatis craſſam, napi ferè inſtar. Perennis ne eſſet, an non, nihil ſignificabat.

IOANNI ab Hogelande, ſemine Cretâ allato, quod illi mittebam, natum eſt anno M. D.

V. *Hyoſcyamus Cretic. alter.* XCIII. Quintum quoddam Hyoſcyami genus non minùs peregrinum, cubitalis aut majoris altitudinis, multis ramis præditum molli lanugine obſitis, teretibus, per quem, alternatim ſparſa fuerunt folia mollia, lanugine obſita, longiore pediculo fulta, in ambitu, nunc majoribus, modò minoribus lacinijs ſecta, viridia, acriuſculi (ſi mandantur) ſaporis: ex quorum alis

rum alis longiuſculi naſcuntur petioli, lanugine obducti, ſuſtinẽtes longos calices, in quinque lacinias ſupernâ parte diviſos, in quibus flos cavus, quinquefariam ſectus, ut quinis folijs conſtare videatur, quorum terna ſuperiora, majora & flavi coloris ſunt, inferna duo pallent, umbilicus nigrâ purpurâ nitens ſenſim evaneſcit, ex quo quina ſtamina emergũt purpuraſcentia, quorum apices flaveſcunt, deinde ſtilus oblongior ejuſdem coloris, initio rectus, deinde nutans: flori deciduo ſuccedunt bullata capitula, ſemine exili, inſtar vulgaris plena.

Animadvertebat porrò in hac plantâ Hogelandus, omnes ramos protuliſſe flores Soli adverſos, verùm, quum marcidi eſſent, illi averſos, in eâ caulis parte quæ Septentrionem aſpiceret.

DE Hyoſcyami Peruãni utriuſque genere, in noſtris ad caput de Tabaco ſcholijs, lib. Nicolai Monardis de Medicament. ſimplicibus ex Occidentali Indiâ delatis, ſatis abundè loquuti ſumus. *Hyoſcyam. Peruanus.*

CETERVM ὑοσκύαμον Græci, Apollinarem & fabam ſuillam Latini, Iuſquiamum Officinæ, *Iuſquiamo* Itali, *Veleño* Hiſpani, *Hanebane* Galli, Pictones verò & Andegavenſes, vernaculo ſermone, *l' Herbe aux tignes*, quaſi dicas herbam adverſus pruriginem: ſolent enim illarum Provinciarum ruſtici iſtam plantam jam maturam, & ſemine onuſtam, in camino ſuſpendere, deinde hieme cũ illis manus frigore tument, citinos ejus carbonibus inſpergere, fumúmque exhalantem manibus excipere: iſto enim vapore non modò tollitur manuum tumor, ſed etiam prurigo illa moleſta, frigore contracta: ut me docuit Cl. V. Ioſephus Scaliger, magni illius Iulij Scaligeri F. Bilſen kraut Germani, Bilſen kruyt Brabanti appellant hanc plantam, Vngari *Belend*: quæ vox Hiſpanicæ valde affinis. *Nomina.*

HYOSCYAMVS omnis refrigerat, ſoporifer eſt, & dolores ſedat: adverſus acres calidáſque defluxiones oculorum aliarúmque partium prodeſt: ſanguinis eruptiones & muliebria profluvia compeſcit, & ad teſtium aliarúmque partium inflammationes adhibetur. *Facultates.*

SOLANVM SOMNIFERVM. Verticillatum C.B. Pin. 166. CAP. II.



HVIC Solano plures ex eadem radice prodeunt caules, cubitales aut ampliores, ſatis craſſi, rotundi, in aliquot ramos candicantes & lanuginoſos diviſi: quibus inhærent numeroſa folia, bina ſemper ex adverſo ſita, mali cotonei folijs ſimilia, denſa, mollia, lanuginoſa, & guſtu aliquantulum calida: flores terni aut quaterni inter folia, pallidi, longiuſculi, quadrifariam diviſi, caules & ramos ambiunt, quibus ſuccedũt acini, in molli lanugine pubeſcentibus folliculis, maturitate vel rubri coloris, vel ex rubro crocei: radix ſubeſt longa, craſſa, dura, fuſci coloris cortice donata. *Solanũ ſomniferum.*

Naſcentem videbam hanc plantam in inferiore arce urbis Malacæ, vulgo *Malaga* dictæ, ad mare Mediterraneum in Hiſpaniâ ſitæ, loco petroſo, & inter rudera: florentem & ſemine maturo prçditam Februario. Iſtic vivacem, & plures annos perdurare certum eſt: nam ſuperiorum annorum caules adhuc retinentem conſpiciebam: apud Belgas, atque etiam in Germaniâ ſingulis annis ſerenda eſt: neque enim ad frugem pervenire, neque hiemem ferre poſſe didici, aliquoties facto ejus rei periculo. *Natales.*


DIOSC. στρύχνον ὑπνωτικὸν & ἁλικάκαβον appellat: Theophraſtus στρύχνον ὑπνώδην: Latini Solanum ſomniferum. Plinius etiam Halicacabum vocat & Morion. Malacenſes *Orvale* dicebant. *Nomina.*

RADICIS cortex, teſte Dioſcoride, in vino, drachmæ pondere potus, ſomnificam vim habet, Papaveris ſucco mitiorem, & ejus fructus vehementer urinam cit. Verùm, ut rectè Plinius, auxilia ejus non ſunt tanti, ut ijs commemorandis diutiùs inhærendum ſit, præſertim tantâ copiâ innoxiorum. *Vires.*

SOLANI porrò genus illud quod lethale vocant, & Theophraſti Mandragoras eſſe, à quibuſdam non ineptè fortè cenſetur, apud vulgus Italorum *Bella donna* nomen obtinuit, *Solan. leth. Mandragoras Theoph.*

Solanum lethale. *Bella donna.*

Solanum melanocerasus C.B. Pin: 166



Christophoriana.

Aconitum racemosum C.B. Pin: 183



Nomina. apud Germanos Dollwurtz & Dollkraut/apud Belgas Groote naſcape & Dulle beſien: multis Pan-
Natales. noniæ & Auſtriæ ſilvoſis montibus ſponte provenit: nuſquam verò frequentius unquam videre memini, quàm in ſilva illa Zollonok Ill. Dn. de Batthyan urbi vicina, tumulo quodam, qui ab urbe circiter germanicum miliare abeſt.

Solan. leth. duor. gener. Id autem duorum generum eſſe deprehenditur. Vnum amplioribus folijs, breviore pediculo pendentibus, flore majore. Alterum minoribus folijs & magis atris, longiore pediculo fultis, minore flore. De Altero Solano manico, conſule Fabium Columnam, & mea in caput de Datura Chriſt. à Coſta, ſcholia.

Chriſtophorianæ. FREQVENS eſt & pleriſque earundem Provinciarum ſiluis quæ vulgo Chriſtopho-
Actæa Plinij. rianæ nomen obtinuit, & à quibuſdam Actæa Plinij eſſe cenſetur, cujus meminit cap. VII. lib. XXVII. & gravi foliorum odore, caulibus aſperis, geniculatis, ſemine nigro, ut Hederæ, baccis mollibus naſci aſſerit in opacis & aſperis, aquoſiſque Dari acetabulo pleno interio-
Aconitum bacciferum. ribus feminarum morbis. Nonnulli aconitum bacciferum nominant, quia non minus exitialis ac noxia fertur, quàm Aconitum.

MANDRAGORAS. CAP. III.

Mandragoras femina. MANDRAGORÆ Feminæ folia anguſtiora, minora, & nigriora ſunt quàm Maris, magis etiam rugoſa, criſpaque, viroſa & graveolentia, & humi expanſa: inter quæ longi pediculi exiliunt per terram ſtrati, quibus inſident flores, Melopeponum floribus forma fere ſimiles, coloris ex cæruleo purpuraſcentis: quibus ſuccedunt fructus, non turbinati inſtar pyri, ſed rotundi, Veſicariæ fructu triplo majores, initio virides, maturitate palleſcentem ex luteo colorem adquirentes, odorati, ſucci pleni, ſemine abundantes plano, ut maris fructus, ſed minore nigrioreque: radix pedalem aut ampliorem longitudinem æquat, interdum bifida, intus alba, foris vero fuſca, cui aliquot fibræ adnaſcuntur.

Natales. Supra Gades, itinere Hiſpalenſi, non procul ab urbe Xerez de la frontera dicta, ad arvorum margines quæ ſecundum flumina ſita ſunt, & quibuſdam alijs Bæticæ locis uliginoſis florētem obſervabam initio Februarij anno ſexageſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum: & paulo poſt, eodem videlicet menſe, fructum maturum colligebam inter Calpen & Malacam, nimirum toto illo maritimo tractu ſupra fretum Herculeum ad Meridiem converſo, & valde aprico, propter montes, uno aut altero miliari à mari diſtantes, qui in mediterraneis, uſque ad fretum continuâ ſerie producuntur. In Belgio nunquam videre

Mandragora femina. (Mandragora flore subcoeruleo purpurascente C.B.: Pin: 169.



dere memini, nec de ſemine quidem, quod ex Hiſpanijs deferebam, germinare unquam voluit: ut nec in Auſtriâ, quod aliquoties ex Italiâ poſtea accipiebam.

Μανδραγόρας μέλας Græcis dicitur, & θριδακίας à foliorum Lactucæ ſimilitudine: Latinis Mandragoras niger & femina. *μανδραγόρας μέλας ἢ θριδακίας. Mandragoras niger.*

HABET Mandragoras, ut ſcripſit Galenus libro VII. Simpl. medic. vincentem facultatem refrigeratoriam, adeo ut tertij ſit ordinis refrigerantium: in pomis nonnihil caloris & humiditatis ineſſe ait, proinde ſoporem conciliandi vim habere: & radicis corticem, cum ſit valentiſſimus, non tantum refrigerare, ſed & deſiccare. *Temperamentum.*

Apocynum Syriacum. Apocynum ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis C.B.: Pin: 303.



APOCYNVM SYRIACVM forte. CAP. IIII.

PRIMO Libro non incommodè reponi potuiſſet hæc Stirps, capite de Apocyno, ſi frutex eſſet longis viticulis præditus, quas Dioſcorides & Plinius Apocyno tribuunt, licet hederaceo non ſit folio. Cùm autem multas notas habeat Apocyno non diſpares, non ineptè, meo judicio Apocynum nuncupare poterimus ſive Syriacum, ſive Palæſtinum, & forte etiam Ægyptiacum: quandoquidem in Ægypto, ut poſtea dicemus, creſcit.

ASSVRGIT autem, referente Doctiſſimo viro Chriſtophoro Weixio Medico (qui illam circa Hierico naſcentem ad flumen Iordanem obſervabat & legebat) ad duorum cubitorum, vel etiam ampliorem altitudinem, ſatis craſſo ſtolone, in aliquot ramos diviſo, qui multo ſucco ex candido palleſcente abundant. Quantum verò ex reſiccatæ plantæ parte (quam ipſe Weixius ex Aegyptiacâ, Syriacâ, & Conſtantinopolitanâ peregrinatione redux, mihi Viennæ Auſtriæ communicabat cum uno fructu, & alijs exoticis) colligere potui, ſtriato eſt caule, cui alternatim bina ſemper, contrarijs inter ſe pediculis innaſcuntur folia ſatis magna, craſſa, & quodammodo cutacea, ex viridi palleſcentia, aliquot nervis, ex mediâ coſtâ ſatis craſſâ ſe ſpargentibus, prædita, obtuſo mucrone, gravis odoris, te- *Apocynum Syriacum fortè.*

ris, tenella folia extremis ramis adnaſcentia prorſus incana ſunt: ex foliorum alis alternatim emergunt craſſi & longi ramuli bifidi, ſuſtinentes aliquot flores longiuſculis petiolis innitentes, unico quidem folio conſtantes, ſed quinque profundis inciſuris diviſo, inſtar florum Apocyni, Aſclepiadis, & multorum aliorum, coloris, quantum conijcere licebat, foris palleſcentis, internè obſcurè & obſoletè purpuraſcentis, quibus ſuccedunt ſingulares, binæ, aut ternæ craſſæ, incurvæ, binas uncias longæ ſiliquæ, quibus hiſcentibus, ſub ſummâ ſiliquæ cute, incluſa apparent membranacco involucro, frequentia & quaſi imbricatim diſpoſita grana plana, qualia fere Aſclepiadis, & Apocyni vulgaris ſemina, quorum extremæ & anguſtiori parti inhæret candidiſſima & molliſſima quædam villoſa materia.

Sitne perennis an non, nihil affirmare poſſum. Qualem autem à Weixio accipiebam plantam, ut commodiùs deſcribere poſſem, paululum in aquâ macerabam, deinde craſſâ minervâ delineabam, obſervatâ in fructu addito eâ proportione, ut dimidio minorem exprimerem, quàm ille qui à Weixio mihi donatus. *Beidſar* autem ab incolis appellari dicebat. *Beidſar.*

NON dubium eſt quin ea ſit, quam doctiſſimus vir Proſper Alpinus Medicus cap. xxv. Libri quem de Plantis Ægyptiacis evulgavit, & circa Alexandriam Ægypti obſeruatam deſcripſit *Beidelſar* nomine, fruticoſam, multis ſtolonibus ab radice rectis, ſurſum ad duorum cubitorum altitudinem ſeſe attollentem, folijs longis, latis, craſſis, & candidis, ex quibus diſſectis, lacteus ſuccus emanet, fructum habentem in quo lanugo, & ſemina parva, lata. *Beidelſar.*

Facultates. EIVS autem facultates eſſe ait, ut folia contuſa, cruda, & in aqua cocta, emplaſtri modo apponantur, frigidis tumoribus & doloribus: ex lanugine parent cubilia in ſuum uſum, eáque tamquam eſca idoneâ & pabulo, ad ignem ſilice excuſſum excipiendum, ac fovẽdum utantur: lacteum ejus ſuccum calidiſſimum & exurentis facultatis eſſe, quẽ plerique quibuſdam vaſis excipiant ad depilanda coria, nam aliquãto tempore in eo macerata, pilis nudari. Lac quoque ſiccatum præſtanter corpora ſolvere, dyſentericos autem fluxus lethales facere: præſtantiſſimum verò æſtimari remedium, ad impetiginem curandam, & alias corporis maculas tollendas, ſi eo partes illinantur.

DE hac porrò planta, conſule Honorij Belli viri doctiſſimi Tertiam ad me epiſtolam, in quâ multa diligenti obſervatione digniſſima.

HACHAL INDI, SIVE ADMIRABILIS PERVANA.

CAPVT V.

Admirabilis Peruana. HVIVS Stirpis iconem ante aliquot annos dabam, atque qualemcumque hiſtoriam adumbrabam in Notis ad Aromatum Garciæ Hiſtoriam, paulò pòſt quàm noſtræ Europæ innotuit. Eam poſtea in Pannonicarum Stirpium Obſervationibus auctiorem faciebam. Nunc licet adeò vulgaris ſit notitiæ, ut nullus ferè ſit hortus, in quo culta non reperiatur, etiam à rei herbariæ imperitis, ob florum elegantiam: ejus tamen deſcriptionem hoc loco repetemus, nonnullis additis, quæ interea circa illam obſervavimus.

I. Admirabilis verſicolore flore. PRIMVM igitur emergit Ocymi, quod cereale nonnulli cognominant, aut Circeæ Lutetianæ ferè modo: deinde caulem promit cubitalem, aut bicubitalem, vel etiam interdum ampliorem, pollicari craſſitudine, ſucculentum, firmum, ex viridi flaveſcentem, frequenter, uti Balſaminæ feminæ caulis, geniculatum, & in multos ramos, eóſdemque ſimiliter nodoſos diviſum; qui ex ipſis prodeunt, non bini utrimque, & ex adverſo oppoſiti, ſed ſingulares dumtaxat, alternatim modò in unam, modò in alteram partem vergentes, & quem primùm ſervarunt ordinem aut ſeriem, perpetuò ferè retinentes, hoc eſt, ut tertius, quintus, & ſeptimus ramus in eandem partem ſpectent, quam primus: quartus verò, ſextus, & octavus (ſi modò tot primarijs ramis planta ſit prædita) eodem latere naſcantur quo ſecundus: folia in ſingulorum ramorum nodis bina adverſis pediculis ſemper naſcentia, Siliquaſtri folijs pænè ſimilia, viridia, ſatis carnoſa, ſucculenta, circa pediculum ampla, extremo mucronata, quæ trita, Siliquaſtri gravem odorem, guſtata verò, ingratum ſaporem, & tandem illius, vel foliorum Tabaci etiam acrimoniam propemodum referunt: flores in extremorum ramulorum alis ſinguli, longi, concavi, in quinque ſinus, antequam aperiantur, complicati, explicati verò Tabaci floribus non valde diſſimiles, non tamen in mucronatos angulos, ut illi, deſinentes, ſed in obtuſos, Convolvuli florum inſtar, Tabaci etiam floribus ampliores, elegantiſſima interdum purpurâ, ſive kermeſino colore nitentes, nonnumquam lateritij, aliquando flavi,

Summa colorum in flore varietas.

do flavi, aut pallentes, interdum prorſus albi, vel exalbidi duntaxat, nonnumquam obſoletè rubentes aut flaveſcentes, ſæpiſſimè binis coloribus ſimul eluceſcentibus, vel purpureo mediam floris partem occupante, vel virgatim totum florem intercurſante, aut radijs modo flavis, modo purpureis alternatim totum diſtinguentibus, vel interdum magnis, nonnumquam exiguis purpuraſcentibus maculis vario ſitu & mixtura per totum florem vel flaveſcentem palleſcentémve, aut album, candicantémve, vel obſoletum, aſperſis, odoris ſatis ſuavis, & Narciſſinum quidpiam referentis, ſex oblongis ſtaminulis, ſtiloque paulo longiore è medio flore emergentibus: valde autem caduci ſunt hi flores: nam cùm noctu explicari incipiant, poſtridie ſub horam octavam antemeridianam (per æſtus præſertim) ſeſe contrahere incipiunt, florum convolvoli modo: at temperatiore aurâ, integro nonnumquam die expanſi permanent, & ſub noctem dumtaxat contrahuntur: ſingulis tamen diebus alij recentes aperiuntur, qui ſi integri cottidie decerpantur, & inter chartas reponantur (diu enim colorem retinent) atque deinde inter ſe conferantur, ijſdem quidem coloribus conſtare deprehendentur: at eorundem ſitu & mixtione, inter ſe variare, quiſquis diligẽter obſervaverit, animadvertet. Quæ ſanè inſignis varietas, quotquot iſtum florem obſervant, in ſummam admirationẽ, non immeritò rapere debet: etenim diutiſſimè viret, & à Iulio menſe ad Octobrem uſque (niſi pruinæ interveniant) numeroſâ florum ſobole luxuriare ſolet. caliculi flores amplectẽtes in quinq; mucronatas lacinias ſunt diviſi, virides & quaſi membranacei, in quibus unicum ſemen, nullâ membranâ ſive pericarpio incluſum, mucrone, cui flos inſedit, obtuſo, infima verò, qua caliculo adhæret, parte, tamquam exigua corona ornatum, pentagonum ferè, baccæ myrti propè magnitudine, initio viride, maturitate fuſcum, & quibuſdam veluti tuberculis obſitum, ſponte, vel tenui vento, vel leviſſimâ commotione decidens, nucleúmque continens album, qui tritus in candidiſſimam, & amyli inſtar niveam friabilémque pulpam reſoluitur: radix ſatis craſſa, & ῥαφανώδης eſt, intus alba, foris nigra, aliquot fibris prædita, guſtu nonnihil acri, cui admiſta ſit ſuperficiaria quædam dulcedo. Eam licet annuam initio cenſeremus (nam ſingulis annis nobis erat ſerenda, hieme radicem in horto relictam corrumpente) vivacem tamen eſſe, ab optimo & peritiſſimo viro Sebaſtiano Wolmario Ill^mi Ducis Wirtembergici Pharmacopæo, & horti Medici tum temporis Præfecto, nunc verò Senatore Eſlingenſi candidè ſumus admoniti. Is enim cùm ſub Autumni exitum aliquot plantas eruiſſet, & caule præciſo, ex illis unam, propter formę elegantiam exiccandam ſervaſſet, initio autem Martij ſequentis cuidam amico oſtendere vellet, eam ſucculentam & quaſi revireſcentem deprehendẽs, terrâ in fictili obruit, & paucos poſt dies folia proferre cœpit, deinde circiter Kal. Iulij etiam flores. Cujus rei poſtea nos etiam aliquoties periculum fecimus, atque etiam alij noſtro exemplo. Sed exigui momenti eſt compendium illud conſervandarum hieme radicum: nam novo Vere terræ commiſſæ, forſitan flores proferent quindecim diebus ante, quàm illæ plantæ, quæ ſemine terræ eodem tempore credito, ſunt natæ.

Admirabilis Peruana rubro flo.

Solanum mexiocanum flore magno C.B. Pin: 168



II. Admirabilis rubro flore.

ALIVD autem genus habuimus, quod licet à ſuperiore, caulis magnitudine & craſſitudine, ramorúmque ſitu & foliorum formâ non differret, color tamẽ ſtolonis & florum diſſimilis eſt: nam dum primùm terrâ emergit, cauliculi foliorúmque pediculi, uti betæ rubræ jam recens naſcentis, purpuraſcunt, manétque is color in adultæ etiã caule & ramis: flores verò rubente nitidiſſimáque purpurâ infecti videntur, ſex etiam tenuia ſtamina longiorémq; ſtilum continentes, ejuſdem cum ſuperiore odoris. Hi verò non mutantur, ſed unius perpetuo ſunt coloris, & quem primi habuerunt, reliqui deinceps retinent: ſemina in caliculis ſingularia, ſuperioribus reſpondentia: radix non diſſimilis.

Hoc genus è ſuperioris ſemine, cui rubri flores inſederant, originem trahere non eſt dubium, quia proximo anno & alijs ſubſequẽtibus, utriuſque generis ſemina ſeorſim terræ mandavimus, ut diligentiùs iſtam varietatem & colorũ diſtinctionem obſervare

poſſemus, & comperimus ex rubri floris ſemine nullas alias ſtirpes prognatas, quàm eas, quæ rubros flores darent.

Admirabilis flavo flore. Admirab. albo flore. Idem periculum fecimus de granis flavo flore genitis,è quibus provenire obſervavimus, quę nullos alios flores darent,quàm flavos:ſimile etiam de alborum florum ſemine factum periculum, ex quo natæ plantæ, albos quidem initio flores dederunt: ſed qui ſub Autumnum primum explicabantur duorum colorum evadebant, commixtis in eodem flore albo & purpureo, minus tamen quàm in verſicolore primùm deſcripta.

Illud præterea obſervabam in iſtâ diſtinctâ ſatione, ex ſolis plãtis rubræ ſemine natis,ſtatim ab exortus initio agnoſci poſſe,quos flores ſint daturæ: ex verſiculorum autem, flavorum & alborum ſemine provenientibus,nullum certum indicium, ſi mixtim ſint ſatæ, ſumi pôſſe,quia ejuſdem omnes ſunt coloris in tenerâ ætate.

III. Iaſmin roſſo.

Admirabilis Peruāna albo flo.



ALIVD porrò Rubræ genus mihi Viennæ natum,ſemine ex Italiâ allato *Iaſmin roſſo*,hoc eſt,Iaſmini rubri nomine: in fictilibus quidem natæ plantæ,puſillæ & humiles erãt, latè nihilominus ramos fundentes: quæ autẽ in horto ſatæ, ſuperiori generi rubros flores gerenti longè ampliores, & latiſſimè ramos ſpargentes,eadem ſerie quâ in ſupra deſcriptis alternatim naſcentes, eundémq; ordinem ſervãtes, ut videlicet alternis in idem latus ſemper vergerent,atque ſpectarent, ipſi ſimiliter cum ſuo caule admodum ſucculenti,& frequentibus nodis ſive geniculis prędi- ti,atque magnâ ex parte purpuraſcentes: folia in hoc genere magis atra,magis ſplendentia,interdum majora,alterâ parte magis prominula, & inferiùs ſuum exortum in nervo habentia, ſimilis tamen cum ſuperioribus & odoris, & ſaporis: flores alijs forma pares, eodemq; modo ex poſtremarum alarum ſinubus naſcentes,oblongiores tamẽ, tenuiores, & colore dilutius rubente, extremâ etiã parte minus ampli, ſex ſimiliter ſtaminula cum ſtilo in meditullio continentes, ſuavemque odorem ſpirantes: ſemẽ in caliculis rubro alteri ſimile, hoc eſt, anguloſum & tuberculis obſitum,ſed brevius & magis craſſum: radix etiam brevior & craſſior altera, interdum in binos aut ternos ramos craſſos diviſa.

Magis ſerotina eſt reliquis,& niſi ſolẽ valde apricum habeat, vix ad frugem pervenit in frigidioribus regionibus. Ex radicibus tamen,per hiemem in fictili, ſiccâ terrâ pleno, conſervatis loco calido,plantas Viennæ habui,quæ maturũ ſemen protulerũt: ſed cùm per meam abſentiam,ex horto nõ eſſent erutæ ſævâ illâ hieme anni M.D.XXCVI.corruptæ ſunt, & genus illud mihi intercidit: Lugduni verò apud Batavos ſemine peregrè accepto, denuò natum M.D.XCV. Sed illud mirum in omnibus his plantis & obſervatione dignum, quòd, cùm tabeſcere incipiunt, primùm folia, deinde integri ramorum articuli ſimul decidant, & circa nudos jam remanentes nodos, candida quædam efflorеſcentia interdum adnaſcatur, quæ temporis ſucceſſu concreta, ſalis guſtum referat: cujus poſtremæ notæ C.V.D. Ioachimus Camerarius pro noſtrâ amicitiâ primus me admonuit.

Nomina. CETERVM peregrina & venuſta hæc planta,varia, pro regionum diverſitate obtinuit nomina: etenim ex Hiſpanijs ſemen primũ miſſum eſt *Marabillas del Peru* appellatione, propter admirabilem florum in eadem ſtirpe varietatem: deinde *arreboleras* nomen inditũ: ex Italiâ nunc Indici, nũc Mexicani *Iaſmini* nomine ob ſuavẽ videlicet ejus florum odorem: Belgæ *Solanum odoriferum*, à foliorũ cum Solani folijs ſimilitudine, & florum odoris gratiâ

Hachal indi. vocarunt: Peruānos,à quibus initio ſemẽ ad Hiſpanos pervenit, *Hachal indi*,craſsâ & in palato formatâ pronuntiatione nominare intelligo: Mulierculę Viennenſes,apud quas etiam in delicijs eſt, Geſcheckt Indianiſche blumen/id eſt, verſicolores Indicos flores nuncupant.

AN apud quos ſponte naſcuntur hæ ſtirpes,medico in uſu ſint,nondũ intelleximus: magis autẽ elegantiæ,& hortos ſuâ venuſtate exornãdi causâ,ab omnibus ali arbitror, quã facultatum ratione. Scribebat tamẽ ad me Patavio uſq; ampliſs. vir Iacobus Antonius Cortuſus, ejus,quæ vario eſt flore,radicis binas drachmas intus ſumtas, egregiè aquas educere. An ita ſit,nullũ feci periculum: herbarũ tamẽ cognitione ſeſe oblectãtes de eâ re admonere volui.

PAPAVER

PAPAVER CORNICVLATVM. CAP. VI.

PRÆTER vulgare corniculatum Papaver quod flavo eſt flore, & omnibus maritimis *Papaver cor-*
ferè locis calidiorum regionum ſponte naſcitur, duo alia genera obſervabam, ab alijs, *nicul. fla-*
qui ante me Plantarum Hiſtoriam ſcripſerunt, nondum prodita. *vo flore.*

Papaver corniculatum flavo flo.

Papaver corniculatum Luteum C. Bin: VI.



Papaver cornutum phœniceo flo.

Phœniceum hirſutum C. Bin: VI.



VNVM folio eſt, Erucæ foliorum inſtar, laciniato & altè inciſo, vulgari minore, tenuiore, non adeò incano, ſed hirſuto: caules interdum vulgari non minores, teneriores tamen & graciliores procumbunt in terram: flores quatuor etiam folijs conſtantes, minores, nonnumquam intenſo colore rubent, & illi primi ſunt, quos planta florere incipiens producit, interdum languidiore, & quodammodo pallente colore, medijs folijs ad phœniceum tendentibus, qualis ferè in altero floris genere qui à vulgo herbariorum Adonis flos dicitur, nimirum quando mediam ætatem ſuperãs planta, jam deficere incipit, & hirſutia illa in caule & folijs dilabi: alioqui ſi quis vigentem & flores primùm producentem plantam conſpiciat, deinde jam adultam & ſeneſcentem, ex florum colore & caulis, ramorum, foliorum hirſutiâ, vel glabritiâ facilè quis diverſas eſſe ſtirpes ſibi perſuadeat, atque ut verum fatear: id mihi, dum Salmanticæ viverem, impoſuit: prælonga autem floribus ſuccedunt cornicula, quibus inſident latiuſcula quædam veluti opercula vel capita, ſemen in his nigrum, rugoſum, Papavere majus: radix longa eſt, alba, ſatis craſſa, & in ramos interdum diviſa, quæ tamen perennis non eſt, ſed plerumque, prolato ſemine, perire ſequente hieme ſolet.

I. Papaver cornic. rubro flo.

Naſcitur agro Salmanticẽſi ſecundùm vias & agrorum marginibus, ubi florebat Iunio, ſemen autem Iulio proferebat. In Belgicâ ſatum, non niſi Auguſto & Septembri florere voluit, interdum etiam ſeriùs, nec niſi altero à ſatione anno, ut plurimum. Viennenſi etiam agro, & per Moraviam atque Bohemiam ſponte naſcens etiam obſervabam & flores proferens Iunio menſe, in arvis avenâ conſitis, præſertim ſecundùm vias publicas. Omnibus autem ijs locis croceum in illa planta ſuccum videre mihi non contigit: tametſi non deſint, qui ſimili ſucco turgere eam plantam putent.


Natales.

ALTERI folia ſunt multo minora, teneriora, valde minutim diſſecta, non candicantia, ſed viridia: cauliculi tenelli, ſubhirſuti: flos ſuperiore non minor, quatuor etiam folijs conſtans, coloris ex purpureo cærulei exſaturati, & nigræ violæ pænè æmuli, fugax admodum, & qui læviſſimâ aurâ excutitur: huic ſuccedunt cornicula digitali duntaxat longitudine prædita, plerumque etiam breviora, exilia, duriuſcula, rigidioréque hirſutiâ prædita, in quibus continetur ſemen valde exile, coloris ex cineraceo nigricantis: radix tenuis eſt & inutilis, nec ſupra annuum ſpatium perdurat.

II. Papaver cornic. cæruleo flore.

Invenitur

Papaver cornic. phœnic. palleſc. flo. Papaver cornicul. violaceo flo.



Natales. Invenitur hoc multis Hiſpaniæ locis, ſed non niſi inter ſegetes: Maio menſe floret: Apud Belgas ſatum, multo ſeriùs, quod tardè admodum germinet: iſtic tamen, & in Auſtriâ nonnullis hortis ſatum, ſemen ad frugem pervenit, & in terram ſponte decidens, novas plantas producit: ſed longè minores & teneriores, quàm ubi in arvis ſponte naſcitur, quod contra evenire ſolet in reliquis ſemine Hiſpanico natis, quæ plerumque ob multi alimẽti copiam, frigidiore nimirum cœlo, & humidiore ſolo, valde adoleſcunt. Memini etiam olim colligere agro Narbonenſi in agris a vena conſitis, non procul Laterâ, ſecundùm flumen Ledum, paulò infra Mompellium.

Nomina. GRÆCIS hæc Planta *μήκων κερατῖτις*, Latinis Papaver corniculatum dicitur. Nomen vulgare non intellexi: Caſtellani tamen, genus illud quod cæruleo ſive violaceo eſt flore, *Roſetta*, nonnulli *Amapolas moradas*, ideſt, Papaver erraticum purpureo flore, à ſucci mororum colore appellabant: nam erraticum papaver, Hiſpani *amapolas* vocant. Mompeliani, cùm apud eos vivebam, inter Anemones referebant.

Facultates. PAPAVERIS autem ceratitis radici vim eam ineſſe Dioſcorides tradit, ut in aquâ decocta ad dimidias, coxendicum & jocinoris affectus potu ſanet, proſitque his qui craſſa quædam, aſpera, aut araneoſa cum lotio reddunt: ſemen leniter alvum purgare, acetabulo in aquâ mulsâ poto: cruſtas emarginare illita ex oleo folia, floreſque, & argema ac nubeculas jumentorum perunctas, abſtergere.

PAPAVER SPINOSVM. CAP. VII.

Papaver ſpinoſum. PERELEGANS & planè novum eſt hoc Papaveris genus, nemini, quòd ſciam, adhuc deſcriptum. Cubitalem verò aut ampliorem adquirit caulem (plantam autem quam apud Ioannem Mülerum Pharmacopæum Francofurtenſem in horto penſili natam vidi, deſcribo) digitalis craſſitudinis, rotundum, infernè candicantem, quibuſdam ſpinis obſitum, per quem inordinata naſcuntur folia, nullo pediculo illi inhærentia, ſed medium quodammodo amplectentia, ſinuoſa & lacinijs aliquot diviſa, ipſis lacinijs & crenis oras foliorum ambientibus in ſpinas deſinentibus, infernè caneſcentia, ſupernè viridia, albis tamen venis per foliorum & laciniarum longitudinem excurrentibus, inſtar foliorum Cardui B. Mariæ vulgo nuncupati, minùs autem ampla: ex horum alis naſcuntur rami ſpinoſi ſimilibus folijs prædíti, ſed minoribus, in quorum & caulis faſtigio naſcitur capitulum triangulare, ſpinoſum, in tres majores firmioreſque ſpinas deſinẽs, quo dehiſcente & defluente, flos ſe-

Papaver ſpinoſum. B: Pin: 171



flos ſeſe oſtendit ſenis folijs conſtans colore flavis, corniculati papaveris vulgatioris floris inſtar, odorem Chelidonij majoris quodammodo referens, caducus admodum, in cujus medio ſeſe exerit capitulum ſpinoſum pentagonum, multis ſtaminibus flavis id ambientibus, quod ſummâ parte rubeſcit dum tenellum eſt, maturum verò & vetuſtum nigricat, & pollicaris eſt craſſitudinis ſeſcuncialis longitudinis, frequentibus firmisque ſpinis obſitum, ſemina continens rotunda, rugoſa, nigra, ſeminis Papaveris ceratitis rubello flore inſtar, cui & perſimilem habet radicem: quæ an vivax ſit, me latet. Tota planta flaveſcente ſucco, inſtar Chelidonij majoris, abundat. Florebat Iulio & Auguſto anno M D XCIII.

Hvivs plantę capitulum reſiccatum cum pauco ſemine, Londino uſque primum ad me mittebat Iacobus Garetus junior, nullo addito nomine: nam cum alijs rebus navi allatis acceperat. Id ſemen terræ commiſſum, non germinavit: quod verò Londino attulit Ioachimus, magni illius Ioachimi N. Ioachimi archiatri Noribergenſis F. Camerarius anno M D XCII. iſtic eodem anno natum, fertile fuit, & hanc quam deſcribo plantam protulit. Nominabat autem *Fico del inferno*, hoc eſt, Ficum infernalem.

Hypecoum legitimum. B: Pin: 172



HYPECOVM LEGITIMVM. CAP. VIII.

FOLIA ſunt huic plantæ multis inciſuris diviſa, figurâ, colore, & aſpectu Rutæ folijs valde ſimilia, molliora tamen, & interdum longiora: cauliculi aliquot, qui in multos ramulos diviſi, puſillis floribus onuſti ſunt flauis, ſatis odoratis, ſenis folijs conſtantibus, ſed mirandâ figurâ, & à reliquis floribus diverſâ: nam duo folia habet reliquis majora, nervo viridi foris extremâ parte (quę obtuſior eſt, & veluti compreſſa) prædita, quatuor alia perexigua ſunt, & vix, niſi flore expanſo, conſpicua: cornicula ſuccedunt in ſingulis ramulis quaterna, aut plura, longa, plana, articulis diſtincta, & falcis inſtar incurva: ſemen in ſingulis internodijs nigricans, longiuſculum, quod difficulter admodum eximi poteſt, continentia: radix ſingularis, ſubflava, interdum bifida, annua tamen, nec vivax: tota planta ingrati admodum ſaporis. *Hypecoum legitimum.*

Primùm iſtam plantam obſervabã in Galliâ Narbonenſi anno M D LII. ſupra Nemauſum urbem, inter Aimargues & Vover, Arelatenſi itinere: deinde valde copioſam inter ſegetes, agro Salmanticenſi, totaque Caſtellâ, Granatenſi item Murcianoque Regno. Florebat iſtic Martio & Aprili, ſemen Maio maturum erat. Apud Belgas & Viennenſes ſata, provenit quidem, ſed longè tenerior, quàm ubi ſponte naſcitur, veluti papaver illud corniculatum violaceo flore, cujus paulo *Natales.*

ante

ante meminimus: ſerius etiam florebat: ſemen tamen plerumque ad plenam maturitatem perveniebat.

Nomina. CVM initio hanc plantam obſervabam, ilicò mihi viſa eſt ad Hypecoi hiſtoriam plurimum accedere, quod Græcis ὑπήκοον & ὑπόφεον dicitur: & certè nulla mihi hactenus cõſpecta, etiam illarum quæ hoc nomine à Rei herbariæ ſcriptoribus proponuntur, quæ ad Dioſcoridis Hypecoum magis accedat, meâ quidem opinione. Non deſunt tamen, qui ad Cuminum ſilveſtre alterum Dioſcoridi deſcriptum referre malint, licet facultates ſint diſſimiles. Vocatur autem hæc Granatenſibus & Murcianis *çadorija.*

DIOSCORIDI, Plinio, Galeno, natura ejus eadem quæ Papaveris ſucco.

ACONITVM LYCOCTONVM. CAP. IX.

Aconitum lycocton. vulg. luteo flo.

Aconitum Lycoctonum Luteum C. B. Pin: 183



Aconitum lycoct. flo. Delphinij 1. Sileſiac.

Aconitum cæruleum hirſutum flore conſolidæ regalis C. B. Pin: 183



Aconit. lycoct. luteo flore. PRÆTER vulgare Aconitum Lycoctonum, quod pleriſque Auſtriæ & Stiriæ montibus umbroſis ſponte provenit (præſertim verò quodam jugo ſupra Petelſtorf ad Septentrionem obverſo, ſecundo fere à Viennâ miliari, ubi copioſiſſimè) varia alia naſcuntur in ijſdem Provincijs Lycoctoni genera, nuſquam alibi mihi conſpecta, quæ omnia hoc nono capite Quinti Libri deſcribemus, nonnullis etiam additis, quæ, aliunde miſſa, in hortis aluimus. Initio autem, vulgaris flore luteo iconem præfigendam cenſuimus, ut tanto facilius reliquorum ab eo diuerſitas obſervari poſſit: proximè hiſtoriam dabimus illius peregrini, quod foliorum ſimilitudine maximè ipſi reſpondet, & florum elegantia inſigne eſt.

I. Lycoctonum flo. Delphinij cæruleo, Sileſiac. CVBITALI igitur aut ampliore aſſurgit peregrinũ illud Primum genus caule, firmo, lævi, intus cavo, foris ex purpurâ vireſcente, & quaſi farinæ polline leviter aſperſo, ſive eo coloris flore, qui in prunis, & pleriſque alijs fructibus, Tuliparumque folijs & caule, nondum manu tactis eluceſcit, leviſſimoque tactu detergitur: folia longis pediculis inhærentia, inordinatè caulem ambiunt, longè ab ejus Lycoctoni, quod flore Delphinij vulgo cognominatur, cujusque iconem huic ſubijciemus, folijs diverſa, ſubhirſuta, minoribusque & minus profundis inciſuris diviſa, Lycoctoni luteo vel pallido flore folijs ſimilia, supernè tamen magis atra: ſummum caulem exornat oblonga florum ſpica, qui pediculis inhærentes, antequàm aperiantur, locuſtas aut parvos lacertas æmulantur, longiuſculis caudis & ſub extremum incurvis inſignes, expanſi verò, quinis folijs, quemadmodum aliorum aconitorum flores, conſtare deprehenduntur, duobus ad latera, binis infernâ parte, & ſuperiore quinto, quod in oblongum corniculum rugoſum, & extimâ parte inflexum deſinit, omnibus folijs

externè

externè rugoſis purpureíſque, internè lævibus & elegantiſſimo cæruleo colore præditis, ſingulorum oris anteriore parte introrſum nonnihil reflexis, coloréq; è viridi palleſcente: medium florem occupant quatuor alia foliola fuſca & nigricantia, quorum bina ſuperiora dura, & quaſi in vnum coëuntia, fornicem referunt, duo alia infernè propendent, molliora, luteo partim villo, partim albo hirſuta, multis ſtaminibus capillaceis ſubtus deliteſcẽtibus: excuſſo flori ſuccedunt trigona ſiliquoſa capita ſimul cohærẽtia ut in alijs Aconitis, in quibus ſemen inæquale, fuſcum, rugoſum: radix craſſa, tuberacea, inſtar radicis alterius Lycoctoni flore Delphinij, quod apud Belgas alebatur, nigra, rugoſa, nonnihil concava, graviter olens, multis tenuibus, fuliginoſáque lanugine pubeſcentibus fibris prædita, ad cujus latera ſecundùm infimum caulem, ſingulis annis nova germina repullulant.

Naſcitur referente doctiſſimo viro Achille Cromero Medico, qui ejus plantas anno M.D.LXXVIII. Viennam Auſtriæ ad nos mittebat, frequens in montibus territorij Freywaldenſis in Sileſia, & ab incolis Wolſwurtz/ hoc eſt, Lupina radix appellatur, ubi in tricubitalem interdum altitudinem excreſcere & Auguſto florere aiebat: quod ab eo certè miſſum, in horto colebamus Viennæ, Iunio florebat, & ſeſquicubitalem altitudinem primo anno non ſuperavit, at ſubſequentibus bicubitalem, aut majorem attigit. *Natales.*

Aconit. Lycoct. flo. Delphinij II.

Aconitum cæruleum glabrum flore consolidæ regalis B: Pin: 183



Aconit. Lycoct. IIII. Tauricum.

Aconitum violaceum, seu Napellus secundus B: Pin: 183



Hvic ſubijcimus vulgare in Belgicis hortis genus illud Lycoctoni flore Delphinij alterum, cujus folia longè tenuius inciſa, & multifida flores purpuraſcentes. *Lycocton. flo. Delph. purpuraſc. flo. II.*

Folia Secundo peregrino, ſive Quarto Lycoctono emergunt ineunte Vere ſatis craſſa, quinque inciſuris uſque ad ſummum pediculum diviſa, & in multas deinde profundas lacinias diſſecta, minus tamen quàm Napelli vulgaris folia, atrâ viriditate ſupernè prædita, non infernè, utrimque tamen ſplendentia: quæ alternatim caulem ambiunt, tenuius aliquantum inciſa ſunt, eodem tamen modo ſplendent: caulis cubitalis, aut ſeſquicubitalis plerumque, firmus, medulloſus, lævis, ſplendens, ſupernâ parte in aliquot ramos dividitur, paucos flores ferentes, vulgaris Napelli floribus formâ ſimiles, quatuor videlicet folijs conſtantes & humili caſſide illa tegente, coloris violæ ſaturatiſſimi & elegantiſſimi: ſuccedunt deinde, quemadmodum in vulgari, tria cornicula fuſca, anguloſum, rugoſum, nigricans ſemen continentia: radix exigui napi magnitudine, multis longis fibris, tenui, fuliginoſíque coloris lanugine pubeſcentibus prædita eſt, in lateribus alios ſimiles napos promens, qui ſingulis annis novos & recentes caules proferunt. *Lycoct. præcox Tauric.*

Invenitur in Tauricis montium jugis, non procul à Salisburgo, in quibus floret Iulio, in cultis *Natales.*

cultis verò multò maturius, imò reliquis Lycoctoni generibus præcocius, nempe Maio interdum menſe.

Aconitum Lycoct. v. Neubergenſe.

Aconitum purpureum ſeu Napellus ſecundus C.B. Pin: 183



Aconit. Lycoct. vi. Napellus vulgar.

Aconitum coeruleum, ſeu Napellus primus C.B. Pin: 183



III. *Lycoctonum Neubergicũ.* LATIORA vulgari Napello habet Tertium genus peregrinum, ſive Lycoctonum Quintum, folia, licet ſimiliter inciſa & laciniata, magis atra ſimiliter & ſplendentia: caulem rectum, firmum, rotundum, trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos ramulos ſuperiore parte ſæpenumero diviſum, qui flores, ſpicæ inſtar congeſtos, ferunt, colore purpureos, Napelli vulgaris floribus planè reſpondentes, hoc eſt, quatuor folijs conſtantes, quinto veluti galeola ſupereminente, & bina circumvoluta, inſtar Litui, cornicula occulente, ſtaminum tamen media congeries magis fuſca eſt: florum ſpica in extremo caule naſcens, reliquis oblongior eſt, & magis expanſa: ſingulis floribus terna ſuccedunt cornicula, interdum quaterna & quina in caput unum congeſta, ſemen atrum & inæquale continentia: radix illi vulgaris Napelli inſtar, parvo napo ſimilis, cui in lateribus adhærent alij napi fibris præditi, quibus ſe propagat.

Natales. Creſcit in montis Neuberg Ducatus Stiriæ jugo, ad vaccarum, iſtic æſtivis menſibus paſcentium, ſtabula. Floret paulò poſt vulgarem, videlicet Iulio.

Napellus vulg. Natales. VVLGARIS porrò Napellus frequentiſſimus eſt in Snealben, & aliorum quorundam montium jugis, ubi ternis illis æſtivis menſibus Iunio, Iulio, & Auguſto, boves ac vaccæ ſua ſtabula habent in quæ nocte recipiantur, ſic ut fimi pinguedine, & bubuli ſtercoris illâ eluvie, cum præcedente delectari videatur.

IIII. *Lycoctonum Lyncæanum.* MEDIVM quodammodo inter vulgarem Napellum, & genus Aconiti illum præcedens, Lycoctoni Quartum peregrinum genus, ſive ordine Septimum eſt: folia enim illis ſimilima obtinet: caulis inter illos medius, infirmior tamen, & ſupernâ parte aliquantulum nutans: flores utriuſque floribus prorſus reſponderent, niſi caſſis ſupra quatuor folia eminens, magis ſublevaretur & hiaret, roſtroque magis mucronato eſſet: ſemina in ternis corniculis ſimul junctis ſimilia: radix etiam non multum variat.

Natales. Miſſum fuit Viennam hoc genus à C. V. D. Stopio p.m. è Lincæanis montibus erutum, quod poſtea in horto cum reliquis generibus aluimus. Floret cum ſuperioribus, aut paulò etiam ſeriùs. Proximè accedere videtur ad id Aconitum (ſi ex icone judicium ferre licet) quod Matthiolus ſeptimo loco depingit.

V. *Lycocton nutante coma.* TRIVM nonnunquam cubitorum altitudine aſſurgit Quintum genus peregrinum ſive Octavum Lycoctonum, caule tamen ſatis gracili, rotundo, ſuperiore parte in multos ramos diviſo & nutante: ſummo caule longam florum ſpicam fert, Lycoctoni cærulei vulgaris

garis

Aconit. Lycoct. VIII. coma nutante.

Acconitum inflexa coma maximum B: Pin: 183



Aconit. Lycoct. IX. Iudenbergenſe.

Aconitum cæruleo purpureo flore maximo sive Napellus quartus B: Pin: 183



garis ſive Sexti Napelli dicti floribus ſimilium, ſed paulò dilutiore purpurâ ſplendentium, quorum ſingulis (ut in alijs Lycoctoni generibus) ſuccedunt terna longiuſcula cornicula ex eodem pediculo naſcentia, ſemine inæquali, fuſco plena: folia ampla & oblonga, in multas tenues profundáſque lacinias magis dividuntur, quàm in ullo alio Lycoctoni (præter id quod à Belgis flore Delphinij nomine alitur) genere, quæ ſupernè atrâ quidem viriditate prædita ſunt, non ſplendent tamen: radicem habet craſſam & longam, napi ferè magnitudine, foris nigricantem, & per intervalla multis fibris donatam, ac ſuperiore parte in multa capita extuberantem, è quibus caules emergunt: ſubinde tamen recentes exiguos napos ad latera adnatos habet, quibus ſe propagat.

A C. V. Friderico Sebizio Medico primùm ex Italiâ Viennam delatum eſt, & nobis communicatum. Floret Iulio. fortè Matthioli IX. *Natales.*

HABET etiam Sextum peregrinum genus, ſive Lycoctonum Nonum folia in quinque lacinias altè diviſa, & illas denuo in ambitu conciſas, Thoræ Italicæ folijs interdum adeo ſimilia, ut ſi quis plantas, ante quàm in flores abeant, conferat, nullum fermè diſcrimen deprehendere queat, niſi Italicæ Toræ folia ſplenderent, hujus minimè: caulem bicubitalem nonnunquam, rotundum, non valde craſſum, firmum tamen & rectum, ex viridi purpuraſcentem, ſupernè quinos aut ſenos ferentem flores inter omnia Lycoctoni genera maximos, quatuor folijs ut reliquorum generum, conſtantes, ſupereminente galeâ longè majore, & uncialis aliquando longitudinis, elegantis ex cæruleo purpurei coloris, ſub quâ bina longa cornicula extimâ parte latiora, & litui Veterum Romanorum fere inſtar inflexa, coloris dilutius purpuraſcentis teguntur, ſtaminibus nigris medium florem occupãtibus: floribus ſuccedunt tria, ut plurimùm, cornicula conjunctim ex eodem pediculo naſcẽtia, interdum quaterna & quina, ut in Tertio peregrino genere, ſed longè majora, ſemen inęquale, fuſcum continentia: radix parvi napi formam æmulatur, nigricãtibus fibris prædita: alias præterea ſimiles radices lateribus adnatas habet, tenuioribus adhuc fibris præditas, quæ ſingulis annis recentes caules proferunt: ſed etiam infimi caulis nodis adnaſcuntur tubercula, non ſecus ac in Italicâ Thorâ. *VI. Lycocton. Iudenbergenſe.*

Sponte provenit in Iudenberg, altiſſimo totius Stiriæ monte, ubi Spica celtica legitur, & plurimæ aliæ elegantes ſtirpes naſcuntur: Floret iſtic Auguſto, in hortis ſub extremum Iulium, ſerius reliquis ſuperioribus. Anno autem M.D.LXXXV. copioſè inveniebam in alio Sneberg jugo, quâ difficillimus eſt aſcenſus, cum Alectorolopho alpinâ, & alijs raris plantis. *Natales.*

ITALICA Thora (quo nomine aliquando ad nos in Belgicam mittebat C. V. Alphonſus Pantius Ferrarienſis Medicus) huic (ut ante dixi) admodum ſimilis, florem minorem & *Thora Italica.*

I I dilutiorem

Aconit. Lycoct. x. Thora Italica.

Aconitum caeruleum minus, sive Napellus minor B: Pin: 183



Anthora vulgaris.

Aconitum salutiferum seu Anthora B: Pin: 184.



dilutiorem habet, nec ejus galea, licet ceteris altior, ad Sexti peregrini floris longitudinem & amplitudinem accedit. Erit autem nobis Lycoctoni Decimum genus.

Natales. Vbertim naſcitur ad Monaſterium Neuberg, ſecundùm torrentem qui Monaſterium alluit, & proximè altiſſimum illum lacum, magno Germanico miliari ſupra Gamingam, ad Zeehof villam (quæ ab ipſo lacu nomen ſumpſit) ſitum. Floret iſtic Auguſto.

Forſitan Aconitum Octavum Matthioli erit, malè depictum.

VII. Lycoctonum autumnale. SEPTIMI peregrini, ſive Lycoctoni Vndecimi folia, media quodammodo ſunt inter Thoræ Italicæ, & Tertij generis peregrini folia, Thoræ quidem Italicæ foliorũ quaſi æmula, nonnihil tamen ad Tertij generis peregrini foliorum formam accedentia, nec illis minus ampla, atrâ viriditate ſplendentia supernè: caulis illi bicubitalis, craſſus, firmus, ſtriatus, vireſcens & ſplendẽs, ſummo faſtigio florum ſpicam, Tertio peregrino generi fere ſimilem geſtans; quibus etiam ſuccedunt pares ſiliquæ ſeu capita, & ſimile ſemen: radix illius etiam radici par, perennis, & multis ad latera adnatis ſe propagans.

Alebamus hoc genus in Belgicâ, à Petro de Ouerſtraete diligẽti Pharmacopolâ Bruxellenſi primùm communicatum, deinde meâ operâ Viennam delatum, ejus urbis elegantiores hortos ornare cœpit. Florebat ſeriùs, nempe Auguſto, eam ob cauſam Napellum Autumnalem appellare ſolebamus.

Illius non meminiſſem, niſi à noſtris Belgis, qui Stirpium hiſtoriam ſcripſerunt, neglectum animadvertiſſem.

Anthora. LYCOCTONI generibus valde affinis eſt, quæ vulgo Anthora dicitur, cujus caulis cubitalem interdum altitudinem attingit, numeroſis folijs tenuius inſectis quàm in ullo Lycoctoni genere, ſeptus: flores Lycoctoni floribus perſimiles, colore pallidi: ſemen in ſimilibus capitulis, illius ſemini par: radix etiam illius radici non valde diſſimilis. Quæ omnia cùm diligenter conſidero, Anthoræ hujus uſum valde ſuſpectum mihi reddunt, præſertim tantâ copiâ aliorum remediorum, quorum facultates jam ſunt exploratæ.

GERANIVM. CAP. X.

LYCOCTONIS Gerania ſubijciemus, quia nõnulla horum genera magnam foliorum ſimilitudinem habent cum Aconiti Lycoctoni 1. quod luteo eſt flore, & Sileſiaci folijs: Noſtri tamen non eſt inſtituti, omnes Geranij varietates deſcribere: multorum enim generum hiſtoria ab alijs jam eſt contexta: ſed ea duntaxat in medium adferemus, quæ alijs antea

antea obſervata non memini, præter unum aut alterum, quæ huc inferenda cenſui, quia ſponte naſcentia obſervabam in ijs regionibus quas adij, cùm in Belgicæ cultioribus hortis duntaxat alantur. Initium autem faciemus ab eo genere quod folia habet primis duobus Lycoctoni generibus non diſſimilia.

Geranium I. pullo flore.

Geranium batrachioides hirsutum flore atrorubente B: Pin: 318



Geranium II. βατραχιῶδες minus.

Geranium batrachioides folio aconiti B: Pin: 317



CVBITALES frequentéſque ex unâ radice producit Primum caules, firmos, geniculatos, virides, ſanguineis tamen veluti guttis aſperſos, lanugine pubeſcentes, in aliquot ramos diviſos: in quorum faſtigio, ad ſingula genicula longi enaſcuntur pediculi, in quibus bini flores, quinque laciniatis (præter reliquorum Geraniorum uſitatam formam) foliolis conſtantes, colore ſaturatius rubente, & quaſi atro, medium florem occupantibus multis ſtaminulis circumvolutis cum ſtilo prominente: ſemen deinde ſuccedit in valvulis mucronatis (quæ maturitate, ut in reliquis Geranijs, diſſiliunt, & circumvolvuntur) fuſcum: folia illi ex radice multa, ampla, mollia, lanugine obducta, externâ parte nervoſa; Geranij βατραχιώδεος folijs ſimilia, quinis, ſenis aut ſeptenis profundioribus inciſuris diviſa, nõ tamen uſque ad umbilicum, deinde per ambitum ſerrata, qualia etiam ad ſingulos nodos ſub ipſis ramis naſcuntur (minora tamen) atque ſubinde ad ſingulas inciſuras nigricantibus maculis inſignita: radice nititur magnâ, in multa craſſa rubentiáque capita, & multas fibras ſpargentia, extuberante, ſingulis etiam annis augeſcente & novos ſtolones producente. *I. Geranium pullo flore.*

Invenitur in Stiriæ alpibus, ubi ſilvæ deſinere ſolẽt: & floret Iunio: in hortis verò, in quibus feliciſſimè provenit & luxuriat, Maio. Anno item M.D.LXXIX. maximâ copiâ obſervabam Maio menſe ſuis floribus onuſtum in ſilvoſis illis montibus Pannoniæ inter Dravum & Savum ſitæ, & propterea, Interamnis cognominatę. Semine autem Viennâ ad amicos in Belgicam miſſo, natis ex eo plantis iſtic innoteſcere cœpit. *Natales.*

ALTERVM prodeuntibus è radice frequentibus longóque pediculo nitentibus folijs præditum eſt, Ranunculi platyphylli, aut Aconiti Lycoctoni pallido flore, folio reſpondentibus ferè, rugoſis, ſubhirſutis, in aliquot profundas lacinias diviſis, deinde in ambitu ſerratis, quæ guſtata initio adſtringere, & linguam exſiccare, deinde nonnihil calfacere deprehenduntur: caule cubitali ut plurimùm, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diviſo, quibus ſubnaſcuntur folia ſuperioribus minora, paucioribúſque lacinijs diviſa, perinde tamen in ambitu ſerrata: ſummi rami in oblongis pediculis flores geſtant quinque folijs conſtantes, Geranij batrachiodis quod in Belgicis hortis alitur, floribus forma pares, paullò tamen minores, nec, ut illi, cærulei, verùm ex purpurâ rubentes, decem ſtaminulis cum ſtilo ex umbilico floris prodeuntibus: deinde oblonga erectáque roſtra, non inflexa aut inclina- *II. Geranii βατραχιῶδες alterum.*

Geranium Batrachiodes, Gratia Dei Germanorum B. Pin. 318

Geranium III. βατραχιῶδες majus.



Geran. IIII. bulboſum Pennæi.

Geranium radice grumosa B. Pin. 318.



ta, quinis utriculis ad eorum baſim turgentibus & ſemen continentibus, quod maturitate exilit, aliorum Geraniorum more: radix ſuperiori ferè reſpondet, & ſummâ tellure in plura craſſa, internéque rubentia capita extuberat, quæ fibras etiam agentia, ſingulis annis augentur.

Natales. Creſcit hoc in Pannonicis Stiriacíſque alpibus, nuſquam tamen abundantius, quàm ſupra Gamingam, in illo aſcenſu ex Herrenalben jugo ad ſublimes ſcopulos Durrenſtain. In quibus floret Iulio & Auguſto, in hortis autem Maio.

III. *Geran. Batrach. primū. Natales.* GERANIVM autem illud Batrachiodes majus, cæruleo flore, quod in Belgicis hortis alebatur, ſponte provenit abundè in pratis ad Corenneuburg non procul à Danubio, binis ſupra Viennam milliaribus, alijſque Auſtriæ pratis, tum etiam maximâ copiâ in pratis Brunnæ Moraviæ urbi vicinis, atque etiam Bohemiæ, non procul ab oppido Werawn, tribus milliaribus à Pragâ diſtanti, viciníſque Francofurto pratis & hortis gramine conſitis.

IIII. QVARTI, quod foliorum ſimilitudine Secundum refert, iconem mihi anno M. D. LXXXI. communicabat Londini C. V. Thomas Pennæus ejus urbis Medicus, cum hac deſcriptione.

Geran. bulboſ. Pennæi. Geranium bulboſum, radicem habet ex multis parvis & longis bulbis conſtantem, verſus ſummum fibratam, caulem cubitalem, geniculatum, juxta radicem & genicula parum rubentem: è ſingulis geniculis duo folia longiuſculis pediculis nitentia, in quinque præcipuas partes diſſecta, quarum ſingulæ in ambitu inæqualiter inciſæ ſunt: è ſingulis juncturis, juxta foliorum exortum quinque foliola mucronata exoriuntur: flores in ſummis ramulis conjugatim parvis pediculis inſiſtentes roſei, ex quinque folijs conſtantes, colore ex purpureo rubeſcentes, Geranij cæruleis floribus ſimiles, ſed paulò minores.

Natales. In Daniâ provenit agro Hafnienſi, unde doctiſſimus & mihi amiciſſimus Turnerus, Medicus Anglus attulit & mihi dono dedit.

V. *Geran. nodoſum Plateau.* ALIQVOT à radice promit Quintum folia, ſatis firma, in quinque lacinias altè diviſa, inter quæ bini aut terni caules aſſurgunt pedales, graciles, ex fuſco purpuraſcentes, geniculati & nodoſi, bina ad ſingulos nodos ſeu articulos ferentes folia ex adverſo ſita, in tres duntaxat lacinias ſecta; deinde è medijs alis longiores pediculos, in quibus bini ſemper flores conjugatim naſcentes, quinque folijs bifidis (ut malvacei) conſtantes, purpurei coloris, ſed quibuſdam ſaturatioribus venis diſtincti, protuberante in medio rubro umbone, ſummo faſtigio in quinque partes fiſſo, qui in longiuſculum deinde roſtellum tranſit, quod infernâ parte in tumentibus utriculis ſemen continet, maturitate, ut in reliquis generibus ſponte

exiliens

Geranium v. nodoſum Plateau.

Geranium nodoſum B: Pin: 318.



Geranium vi. tuberiferum Plateau.

Geranium nodoſum B: Pin: 318



exiliens: radix nodoſa eſt & geniculata, aliquot præterea fibris donata. Floret Maio & totâ deinceps æſtate in Autumnum uſque flores, & ſemen, ferre non deſinit.

Hanc plantam unà cum icone, Francofurtum Mœno flumini impoſitam urbem Imperialem, ad me mittebat honeſtiſſimus vir, & in Stirpium cognitione egregiè exercitatus Iacobus Plateau, quæ ſemine ſponte decidente ſatis feliciter deinde ſeſe propagavit.

VI. Geraniũ tuberiferum Plateau: quod idẽ eſt cum Quinto.

PRÆCEDENTI non valde diſſimile erat Sextum genus: nam caules nodoſos, circa genicula rubentes, folia etiam in caule nata tribus duntaxat lacinijs diviſa habebat, radicis item caput multis craſſis fibris, fuſco colore rubeſcente permixto infectis, perinde firmatũ. Huic tamen folia è radicis capite naſcentia majora erant, & in quinque lacinias ſecta: flores in ſummis ramulis, non bini, ſed plures, tres videlicet aut quatuor ſimul naſcentes, à ſuperioris floribus formâ & colore non diſcrepantes: quibus ſuccedebant longa, ut in illo, roſtra, ſemen in utriculis, quod maturitate exiliebat, continentia. Illud autem ſingulare habebat, ut ex ipſius Plateau litteris (qui hujus etiam iconem ſuis coloribus eleganter expreſſam Francofurtum ad me mittebat anno M.D.XCIII.) intellexi, quòd productis floribus & ſeminibus, circa Septembrem & Octobrem adnaſcerentur in radicum ſuperficie, caulibus & ramis, multa veluti tubera, albi initio coloris, inſtar florum Braſſicæ floridæ, ſive Cypriæ, qui tamen ſupervenientibus pluvijs eluatur, tubera etiam dureſcant. A tuberibus autem illis occaſionem ſumpſerat Plateau, Geranium tuberiferum cognominandi. Inſequente tamen Septembri ſcribebat idem Plateau, hoc Sextum genus à Quinto non differre: ſed unum genus eſſe, quod diverſis temporibus fuiſſet delineatum: nimirum, cùm ipſum monuiſſem idem genus mihi videri, nulla verò in ea planta quam ad me miſerat conſpecta fuiſſe tubera. Iconem tamen jam expreſſam addere volui.

VII. Geranium αἱματῶδες.

SEPTIMO, Multi ſunt caules admodum ramoſi, & frequentibus nodis cincti, villis obſiti, ſupernè, quâ Solem ſpectant, purpuraſcentes vel rubentes, folia, ad ſingula genicula, bina, contrarijs pediculis naſcentia, Geranij columbini alterius folijs haud multum abſimilia, in quinque lacinias ad umbilicum ferè diviſa (quæ magnâ ex parte in tres alias minores lacinias inciſæ ſunt) lanugine pubeſcentia, ſupernè virentia, infernè nonnihil caneſcentia, guſtu linguam exſiccante: ex ſuperioribus alis oblongi naſcuntur pediculi, unicum ſuſtinentes ſinguli florem, inter reliqua Geranij genera maximum, quinque folijs conſtantem, Ciſti maris flori fermè parem, colore eleganti rubro, decem intus ſtaminulis: deinde capita mucronata, ſeu roſtra pentagona, ſemen (uti reliqua) in tumeſcentibus utriculis continentia, quod maturum cum ſonitu exilit, circumvolventibus ſe (quemadmodum in ceteris generibus) utriculorum mucronibus: radix ſatis craſſa, rubeſcens, aliquot fibris donata, novas

Geranium VII. αἱματῶδες.

Geranium ſanguineum maximo flore B: Pin: 318



Cariophyllata vulg. Geum Plinij.

B: Pin: 321



ſub terram propagines ſingulis annis ad latera ſpargit, quæ nõ modò ſimiliter fibras agũt, ſed etiam craſſioribus radicibus interdum ſeſe firmant.

Natales.

Naſcitur in omnibus Pannoniæ, & Auſtriȩ infra Aniſum, cæduis montanis ſilvis, editioribúſque gramineis locis: mons præterea arci Grebén imminens ultra Dravum in Pannoniâ interamni, totus ferè eo Geranij genere conſitus, quâ parte Occidentem ſpectat. Silvæ etiam Francofurto ad Mœnum vicinȩ eo abundant. Floret Maio, & plerumque totâ ſubſequente Æſtate.

Geran. αἱματώδες alterũ.

2. Simili quidem flore, diſparibus tamen folijs & Batrachiodis Geranij foliorum potiùs æmulis, invenitur aliud genus ad pratorum margines umbroſos & inter vepres, ad pagum Calzeret, ſupra Noribergam itinere Pragenſi.

VIII. Geranium Salmantic. roſtratum.

PERPVSILLVM aliud Geranij genus, Salmanticæ agens, obſervabam in vicinis ultra Thormim amnem collibus nudis ferè & petroſis, aut ſaltem tenui gramine tectis; cum puſillâ illâ Lychnide ſilveſtri VI. mihi hujus hiſtoriæ Tertio libro deſcripta: & Colchico montano, cujus iconem & deſcriptionem libro Secundo inter Colchici genera dedi. Id autem, Ranunculi ferè folia habebat, purpureum exiguum florem, & longiſſima, craſſiſſimáque (pro ſtirpis tenuitate) capitula roſtrata, Geranij Cretici (quod Mompeliano agro etiam ſpõte naſcitur) roſtris pænè æqualia: ſemen obſervare non licuit: radicem verò valde exilem.

Geranium Cretic.

TRAGO Septimum genus non ignotũ fuiſſe videtur: ſed ab eo Blutwurtz appellari cẽſȩo. Reliquorum hoc capite deſcriptorũ nullum vulgare nomen mihi cognitum. Vngari vulgare Geraniũ, tenuiter inciſis folijs *Varyu laba* id eſt, Cornicis pedem nũcupant, ut Columbinũ *Golia korem*, hoc eſt, Ciconiæ unguem. Germani Stozck ſchnabel/ id eſt, Ciconiæ roſtrum; Galli *Bec de Gruë*, hoc eſt, Gruis roſtrum; Hiſpani, *Pico de Cigueña*, quod ſignificat, Ciconiæ roſtrum.

Nomina.

SLAVONICÆ mulieres Sexti decoctũ ex profluente aqua, mirificè cõmendant in capitis gravedine, ſi ſyncipput, ubi dolor eſt, eo abluatur, deinde herba decocta ſuperimponatur, poſtremò (quod ſuperſtitione non caret) in profluentem, unde aqua hauſta, abijciatur.

Empirica facultat.

Dioſcorides Geranion nullius in medicinâ uſus eſſe ait: Plinius autẽ tradit in vino albo potum, profluvia feminarum ſiſtere, quod verò rotũda eſt radice, ejus radicem reficientibus ſe ab imbecillitate, utiliſſimam.

Facult. Veterum.

CARYOPHYLLATA MONTANA.
CAP. XI.

Geum Plinij.

GEVM radiculas tenues habere, nigras, benè olentes, tradit Plinius. Recẽtiores, qui non infeliciter in Plantarum cognitione verſati, nõ abs re vulgarem Caryophyllatam eſſe cenſent. Ad illius genera referri debent aliæ etiam ſtirpes in montanis naſcentes, quarum qui-

rum quidem radices, odoris gratiâ cum illius radicibus non ſunt comparandæ, ſed reliquis notis ſatis conveniunt. Illarum hiſtoriam hoc capite deſcribemus.

Caryophyllata montana. I.

Caryophyllata aquatica (nutante flore) B: Pin: 321.



Caryophyllata montana II.

Caryophyllata alpina lutea B: Pin: 322



PRIMVM radicem habet digitali, aut pollicari, interdum craſſitudine, ſummâ tellure creſcentem, craſſo & purpuraſcente cortice tectam, impensè adſtringentem, nodorum veſtigijs quemadmodum in Acori radice alternis diſtinctã, anterius (illius inſtar) progredientem, & multis nigricantibus fibris, non injucundi prorſus odoris, ſed aliquantulum ad Vulgaris radicum odorem accedentibus, firmatam, ſupremâ parte in aliquot capita diviſam: è quibus longæ, ut in Eupatorio, emergunt foliorum alæ, multis minoribus virentibus & in ambitu ſerratis folijs, modò æqualiter, modò inordinatè naſcentibus, utrinque conſtantes, extremâ alâ in majora tria folia, aliquantulum per oras laciniata, & inſtar aliorum in ambitu ſerrata, ſemper deſinente, quorum tertium (quod & poſtremum) reliquis majus eſt, & magis orbiculare, guſtus exſiccantis: inter has alas, emergunt pedales, interdum etiam majores caules, firmi, rotundi, brevioribus minoribúſque foliorũ alis latâ ſede eos amplectentibus obſiti, ſupremâ parte purpuraſcentes, in aliquot ramulos ſimili colore præditos, & deorſum inflexos ſive nutantes diviſi, qui propendentes ſuſtinent flores, quinque, ut plurimum, folijs, nonnumquam etiam ſenis aut ſeptenis, ſuaviter rubentibus & orbiculatis ferè, conſtantes, oblongiore tamẽ & anguſto ungue, numquam ſe explicantibus, aut caliculum ſuperantibus, ſed quodammodo ipſo incluſis, medium occupante villosâ congerie luteis ſtaminulis obſitâ, quæ paulatim purpuraſcentem colorem contrahit, & tandem ſeſe erigens & explicans, maturitate ſemen cui inhæret, ut in vulgari Caryophyllata oſtendit. Tota planta cum ſuis etiam caliculis lanugine pubeſcit. *I. Cariophyllata alpina nutante flore.*

Creſcit media ferè montium regione, locis udis & riguis, cum eo Saniculæ montanæ genere, cui lactei ſunt flores, veluti ſanguineis maculis aſperſi, & Ranunculo illo platyphyllo, ſub ipſis arboribus. Floret iſtic Iunio: in hortos tranſlata, Maio, aliquando etiam maturius. *Natales.*

SIMILI etiam propemodum ratione ſerpit Alterius radix, ſuperiore non minor, at rarò in tam multa capita extuberans: è quibus ſimiliter multæ foliorum alæ naſcuntur, ſuperioribus non breviores, ſed frequẽtioribus minoribus folijs, in ambitu ſerratis, utrinque ornatæ, unico duntaxat, & quodammodo circinato folio, in tres tamen plerumque lacinias diviſo, & in ambitu ſerrato, extremam alam occupante, quæ ſplẽdet, & dilutius viret quàm in primo genere: naſcuntur etiam inter eas foliorum alas pedales caules, graciliores quàm in ſuperiore, minoribus, magíſque laciniatis folijs ornati, qui ſingulares plerumque, nonnumquam etiam plures, caliculos ſuſtinent, in quibus flores aurei, quinque folijs vulgari majoribus *II. Cariophyllata alpina aureo flore.*

Caryophyllatæ montanæ II. flores.



Caryophyllata montana III.

Caryophyllata aquatica altera B: Pin: B: Pin: 322.



majoribus prædití, floris Ciſti feminæ amplitudinem interdum æquantes, medium occupant multa lutea ſtamina, inter quæ latet villoſa quædam congeries, quæ excuſſo flore ſeſe explicans mollior eſt ſuperiore, & ſemen planum adnatũ oſtendit, quod maturitate fuſcum fit. Tota etiam planta lanugine obſita, & adſtrictionis particeps.

Natales. Hoc genus in ſummis duntaxat Alpium jugis, nec in omnibus tamen, ſed inter gramen, vel ſub fruticibus naſcitur. Floret iſtic Iunio, ſemen Auguſto maturum: in hortis maturius omnia cum ſuperiore.

Geum aquaticũ Geſneri. MERITO his conjungenda eſt elegans alia planta, quam quidem naſcentem nunquam conſpexi, nec is qui iconem ſuis coloribus depictam mihi communicabat Pennæus noſter: ſed ex C. V. Conradi Geſneri depicto herbario deſumpſiſſe fatebatur.

Folia quidem Caryophyllatæ ſunt, ſed an lanugine pubeſcant, ex picturâ colligere non licuit, quemadmodum nec quâ ſit radice prædita, nec qualia ſint quę ex eâ prodeunt folia: ſoli enim caules cum floribus unóque aut altero folio cauli inhærente depicta fuere: flores ſanè elegantis & ſanguinei ſunt coloris, veluti Byzantinus Ranunculus. Duorum autem videtur generum: nam alterius flos multiplici foliorum texturâ & ſerie conſtat: alterius verò, ſimplici tantum: utriuſque tamen medium occupat villoſa congeries, non ſecus ac in aliarum Caryophyllatarum floribus.

Nomina. NVLLVM vulgare nomen iſtarum ſtirpium intelligere potui: ſed ſecundũ genus à Matthiolo, Commentarijs in IIII. lib. Dioſcoridis, Caryophyllatæ montanæ nomine deſcribitur: picturâ tamen non valde feliciter expreſsâ. Tertiæ iconi adſcriptum erat, Geum aquaticum flore ſimplici & multiplici. Vulgarem autem Caryophyllatam, officinæ Garyophyllatam appellant, quòd ejus radices Caryophyllos aromaticos nonnihil redoleant, nonnulli Benedictam, ex qua voce Galli ſuum *Benoitte*, Germani Benedictenkraut & Benedictenwurtz mutuati ſunt.

Gei facultates. QVAS habeant facultates binæ illæ hoc capite deſcriptæ à montanis paſtoribus nõ licuit intelligere. Geum autem ſcribit Plinius nõ modò pectoris doloribus aut lateris mederi, ſed & cruditates diſcutere jucũdo ſapore. Similibus pænè facultatibus præditam ajunt Recentiores ſuam Garyophyllatam. Ejus decoctũ ex aquâ, aut vino aquâ diluto, grumos ſanguinis diſſolvere, internáque vulnera curare prædicant, ſi bibatur, externa etiam vulnera ſi eo eluantur. Decoctum ex vino, ventriculum roborare, concoctionem juvare, jecoris obſtructiones aperire, pectus mundare & purgare ab humoribus craſſis & pituitoſis. Radicem ſiccam ex vino ſumptam adverſus venena, & coli dolores utilem eſſe.

QVINQVE-

QVINQVEFOLIVM. CAP. XII.

COPIOSE naſcuntur per Pannoniam & Auſtriam varia Pentaphylli genera, multis *Pentaphylli varia eſſe genera.* alijs Provincijs etiam vulgaria; quæ, cùm ab alijs deſcripta eſſent, ſupervacaneum ducebamus, Pannonicarum Stirpium obſervationes ſcribentes, eorum hiſtoriam illis inſerere. Propterea de ijs peculiari capite duntaxat egimus, quæ à nemine (quantum quidem intellexiſſemus) adhuc erant evulgata. Nos igitur, ea quæ tum commentati ſumus, hoc capite repetemus.

Quinquefolium. I. majus albo flore.

Quinquefolium album majus alterum B: Pin: 325.



Quinquefol. II. minus albo flore.

Quinquefolium album minus alterum B: Pin: 325.



VNVM, multa folia habet Quinquefolio vulgari ſimilia, in quinque partes uſque ad pediculum diviſa, in ambitu minimè ſerrata ut illa, ſed extremis duntaxat foliorum oris, ſubtus incanâ quadam lanugine pubeſcētia, guſtu initiò gummoſo & emplaſtico, deinde nonnihil amaricante: aliquot ſub his exoriuntur cauliculi, exiles & tenues, dodrantales, humi procumbentes, in ſummo ternos aut quaternos flores proferentes, Pentaphyllo vulgari ſimiles, ſed prorſus albos: quibus excuſſis, apparet calix lanugine obductus, ſemen continens planum, ſeminis ranunculi ferè æmulum, in rudimentum fragi congeſtum: radix craſſiuſcula, nigricans, in ambitu ſeſe diffundit, & multis fibris hirſuta eſt. I. *Pentaphyllum majus albo flore.*

Provenit non modò in colle illo nemoroſo ſupra Manderſtorf oppidulum tepidarum *Natales.* aquarum ſcaturigine nobile: ſed etiam in omnibus illis mōtoſis ſilvis, quæ à Danubio procurrentes, ad Alpes uſque pertingunt. In ſilvis item ſupra Nemethwywar, & Zollōnock, apud Entzeſtorf, & pleriſque ſiccioribus pratis, uno ab urbe Viēnâ miliari: in Moraviâ præterea, atque in montibus ultra Dravum amnem, Pannoniâ Interamni. Floret Aprili & Maio, interdum denuo Autumno.

ALIVD, ex eadem radice, quæ nigra eſt, multos plerumque cauliculos proferre ſo- II. let, confeſtim naſcentibus, ſecundùm radicem, incanis foliolis, formâ ſuperiori ſimilibus *Pentaphyl. minus albo flore.* onuſtos, graciles, non humi fuſos & procumbentes, ſed rectos, & ſummo faſtigio multos floſculos priori ſimiles. Superioris genus videtur, ſed per omnia minus.


Eruebam hoc inter ſaxa & ſcopulos, ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis. *Natales.* Floret ſub finem Iunij, interdum etiam Iulio & Auguſto, prout juga illa maturius aut ſerius à nivibus ſunt libera.

TERTIVM, ex radice fibroſa & nigricante, ramos promit humi ſe ſpargentes, & ſubin- III. *Pentaphyl. aureo flore.* de oblongas alias fibras agentes: qui ſummo capite, multa folia proferūt Pentaphyllo vul-

gatiori

Quinquefol. III. aureo flore.

Quinquefolium minus repens alpinum aureum B: Pin: 325.



Quinquefol. IIII. flavo flo. I. ſpecies.

Quinquefolium minus repens Lanuginoſum Luteum B: Pin: 325.



Quinquefol. IIII. flavo flo. II. ſpecies.

Quinquefolium minus repens Luteum B: Pin: 325



gatiori ferè ſimilia, in quinque profundas fiſſuras diviſa (quarum ſingulæ inſtar vulgaris Quinquefolij per oras ſerratæ ſunt) molliora tamen, aliquantulum incana & ſplendentia, adſtringētis guſtus: ex horum medio cauliculi exeunt palmares, multifidi, qui pro ſtirpis exilitate ſatis magnis floribus pręditi ſunt, eleganti & planè aureo colore, multis intus croceis ſtaminibus: ſemen aliorum Pentaphyllorum more, in fragi rudimentum congeſtum, fuſcum, exile.

Natales.

Creſcit hoc ſimiliter in ſummis Auſtriacarum Alpium jugis, quæ tamen herboſa ſunt, & ſub Iunij finem floret, in hortis autem Maio.

IIII. *Pentaph. repens minus luteo flore.*

QVARTO, multa exeunt ab unâ radice capita ramoſa, humi fuſa, aliquot folijs Pentaphylli vulgaris & elatioris formâ ſimilibus prædita, hoc eſt, quæ quinque foliolis in ambitu ſerratis, mollique lanugine pubeſcentibus conſtant, ſed non, ut illa, incanis, guſtu initio exſiccante, deinde nonnihil linguam vellicante: ex ijs capitibus prodeunt dodrantales interdum cauliculi, ſimilibus, ſed minoribus, folijs ornati, geſtantes in ſummo multos flores luteos elegantiſſimos, quinque folijs, ut ſuperiorum, conſtantes, medium florem occupantibus multis luteis ſtaminulis: ſemen in caput, & veluti fragi rudimentum congeſtum, fuſcum: radix longa, dura, ſatis craſſa, foris nigricans, & tenuibus fibris donata eſt: ſed & rami illi humi fuſi plerumque fibras agunt, & vicina loca occupant.

Nihil illo vulgatius ſecundùm vias, locis ſiccis & nudis Pannoniæ, Auſtriæ inferioris, Moraviæ,& Bohemiæ. Florere incipit ineunte propemodum Vere. *Natales.*

2. Cum eo naſcitur atque etiam floret, minus tamen frequens, aliud hujus genus humi ſimiliter fuſum, cujus cauliculi non virent ſed purpuraſcunt, & graciliores ſunt, folia anguſtiora, magis villoſa, & illorũ oræ altius ſerratæ: flores etiam magis aurei: ceteris cõveniunt. *Pentaphyl. repens minus aureo flore.*

Quinquefol. v. fragiferum.

Quinquefolium fragiferum B: Pin: 326.



Pentaphyl. ſupin. quorundam Potentillæ facie.

Quinquefolio fragifero affinis B: Pin: 326.



QVINTVM, habet, quinque, ſex, aut plures foliorum alas à radice prodeuntes, hoc eſt, longas coſtas rubentes, quibus quinque, ut plurimùm, folia, interdum etiam ſeptem inhærent, contrario inter ſe foliorum exortu naſcentia, uno, quod extremæ alæ inſidet, imparem numerum faciente: ſunt autem ea rugoſa, villoſa, per oras ſerrata, ſupina parte virentia, dorſo aliquantulum incano, Fragariæ vulgaris foliorum pænè inſtar, minora tamẽ, adſtringentis aliquantulum ſaporis: aſſurgit deinde caulis gracilis, firmus, pedalis aut amplior, rubeſcens, in quo ſparſa ſunt rara folia infernis minora, quinque tamẽ ut illa numero, ſed arctius conjuncta, ſummo autem faſtigio, ubi in quoſdam ramulos dividitur, terna tãtùm uni pediculo inhærentia: ferunt verò ij ramuli, ſive virgulæ, albos flores, vulgaris fragariæ floribus prorſus ſimiles, niſi paulò minores eſſent, quinque foliolis, ut illa, conſtantes, & in medio lutea ſtamina obtinentes: quibus ſuccedit fructus frago nõ diſſimilis, minor tamen, nec ullâ ſaporis gratia cõmendabilis, qui in exigua ruſeſcentia, & facilè diffluẽtia ſemina tranſit: radix ſatis craſſa, longa, dura, lignoſa rubeſcit, & nigro adſtringente cortice tecta eſt. *V. Pentaphyl. fragiferum.*

Naſcitur in Leytenberg, locis vmbroſis, ad arcem in media ſilvâ ſupra Manderſtorf ſitam, quo loco primũ, & aliquot deinde annis duntaxat obſervabam. Sed anno M.D.LXXIX. copiosè naſci videbam inter Rabam, Muram, & Dravum Pannoniæ flumina, omnium autem abundantiſſimè circa Sakturnya Illris Comitis de Zrinio arcem munitiſſimam, quę ſita eſt inter Muram & Dravum: creſcit verò iſtic non modò in cæduis ſilvis, ſed etiam gramineis campis. Anno autem illum ſequente etiam reperiebam aliquot ejus ſtirpes in ſilvis ſupra Petelſtorf, ſecundo ferè à Viennâ miliari. Floret Maio, fructus paulò ſerius matureſcit, effluúntque, ut dixi, ſemina, quemadmodum in reliquis Quinquefolijs. *Natales.*

PRIORIS meminiſſe videtur diligentiſſimus Anguilara, opinione XII. Alterum fortè deſcribit noſter Lobelius in doctiſſimis adverſarijs: noſtrum tamen flores habet fragariæ floribus magnitudine non inferiores. Poterit autem eodem nomine, quo ille ſuum vocavit, inſigniri, Pentaphyllon minimum & petræum. Tertio, Pentaphylli alpini flore aureo nomen indidi: licebit verò pro arbitrio nomẽ mutare. Commodè Quartum dici poterit Pentaphyllon repens minus. Quintum Plinio forſitan non incognitum: nam lib. XXV. cap. IX.

Natural.

Quinquefolium Plinij. Natural.Hiſt.ſic ſcribit. Quinquefolium nulli ignotū eſt, cùm etiam fraga gignēdo commendetur. Vulgaris certè fragaria tria duntaxat folia habet, nec veriſimile eſt ejus ſtirpis formam à Pliniano tempore mutatam, quare ad eam plantam, cujus Plinius jam dicto loco meminit, minimè referri poſſe arbitror: hujus verò fructus eſui nō aptus, facit, ut Quinquefolium Plinij eſſe, noſtrum hoc quintum, aſſerere n.5 auſim. Niſi fortè eo loco Plinius lapſus ſit, & Fragariæ hiſtoriam cum Pentaphyllo confuderit: quæ enim poſtea addit, ad Quinquefolium vulgare proculdubio pertinent. Vtut ſit, hoc meum Pentaphyllon fragiferum tantiſper appellabo, donec aliud aptius nomen mihi aut alijs ſuccurrat.

Pentaphyl. ſupin. Potentillæ facie. NEMINEM porrò exiſtimare velim, hoc meum idem eſſe cum Pentaphyllo ſupino Tormentillæ facie, cujus iconem & hiſtoriam Lobelius in ſuis Obſervationibus exhibet; nam illud etiam frequens eſt agro Viennenſi, in extremis pratorum marginibus, ſecūdùm ſilvas: *Anſerina Tragi.* & nonnihil affinitatis cum Anſerinâ Tragi, ſeu Potentillâ Fuchſij, habere potiùs videtur, quàm cum Pentaphyllo, tametſi neque incana ſit planta, neque repat, ſed humi duntaxat diffuſa ſit.

MVLTAS facultates tribuunt Veteres Quinquefolio, quas ex ipſorum libris petere poterunt ſtudioſi. An verò quas hoc capite deſcripſi ſtirpes ſimilibus viribus ſint præditæ, me latet: omnes tamen adſtrictionis participes, ex quâ qualitate colligere poſſumus, in quibuſdam, cum Quinquefolij facultatibus convenire.

Tormentilla alpina folio ſericeo B: Pin: 326

HEPTAPHYLLON. CAP. XIII.

Alchimilla vulgaris. B: Pin: 319





Heptaphyllon. BINI aut terni, huic Plantæ, ramuli ab eadem exeunt radice, teretes, firmi, pedales, ut plurimum, aliquot geniculis donati, cū quibus etiam folia, ſex, ſeptem aut pluribus diviſuris inſecta ad pediculum uſque, tota incana, & veluti argentea, adſtringētis & reſiccantis, ut & tota planta, guſtus: ex geniculis ſimilia etiā prodeunt folia, ſed minora: circa extremos & ſummos ramulos glomeratim naſcūtur numeroſi floſculi, Oleę floribus perſimiles, parvi, ſtellati & albi: radix illi ſatis craſſa, foris nigricans, dodrantalis.

Natales. Provenit in Pyrreneis jugis apud Cantabros: memini & ante in Allobrogum Alpibus ſeriùs florentem videre, cùm apud Cantabros Maio floreat.

QVO nomine aut Veteribus, aut Neotericis, aut etiam à vulgo appelletur hæc planta, mihi incompertum eſt. Heptaphylli nomenclaturam indidi, quòd plerumque ſeptenis folijs ex eodem pediculo dependentibus, aut folio ſeptifariam vel in ſeptem lacinias diviſo conſtet. Hiſtoria illa univerſalis Plantarum, quæ poſt mearum Hiſpanicarum Obſervationum evulgationem in lucem prodijt, Tormentillam candidam vocat. *Tormentilla candida.* Ego ad Alchimillæ vulgo

vulgo dictæ (quam etiam albo flore variantem aliquando videre memini) genus aliquod potiùs referendam eſſe cenſerem, tametſi Alchimilla folia non habeat tam altè diſſecta: qualitates tamen non ſunt diſſimiles. *Alchimilla albo flore.*

PLANTAGO. CAP. XIIII.

PLANTAGINIS varia ſunt genera, ſatis vulgaris nunc notitiæ, quorum cùm ab alijs tradita ſit hiſtoria, ab ijs deſcribendis abſtinebimus: quædam tamen videre memini, quorum mentionẽ, nemo, quod ſciam, hactenus fecit. Ea hoc capite comprehẽdere volui.

Plantago major incana. Plantago peregrina latifol. Gareti.

Plantago Latifolia incana B. Pin: 189 Plantago Latifolia incana spicis varijs B. Pin: 189





IN collibus Salmanticæ vicinis, alijs item Caſtellæ locis aridis, dum iſtic vivebam, Primum genus obſervabam, vulgari minus, folijs incanis, multáque lanugine obductis, humi ſtratis, maximâ anni parte caule viduum, & floris expers: inter multas tamen plantas, nonnullas animadvertebam Maio menſe ferentes exiguam ſpicam Plantaginis inſtar, minorem, plenam florum palleſcentium. Ejus radix tenuis, longa, & nigra erat. *I. Plantago Salmanticenſis.*

ALTERI multa ſunt lata folia, nervoſa, illis fermè ſimilia quæ in eo genere Plantaginis conſpiciuntur, quæ à capite numeroſis foliolis ſibi invicem quaſi imbricatim incumbentibus conſtante, & roſam plenam quodammodo ementiente, Roſea vulgo cognominatur: inter quæ, quini aut ſeni progrediuntur nudi pediculi, capita mirum in modum variantia ſuſtinentes: nam quædam Roſeæ plantaginis capita æmulantur, alia ſpicæ inſtar ſunt efformata, nonnulla ex mediâ roſâ brevem veluti ſpicam producunt, in quibuſdam, ex infimâ ſpicæ parte, alia capitula dependent, alia aliter ſunt efformata. Tota autem planta magis incana eſt quàm vulgaris roſea. *II. Plantago latifol. exotica.*

TERTIVM multa ſimiliter ex radice promit folia Anguſtifoliæ plantaginis folijs non diſſimilia inter quæ emergunt nudi etiam, ut in præcedente, pediculi, ſive potiùs cauliculi, ſummo faſtigio ſuſtinentes capita multis longiuſculis folijs (minoribus tamen & anguſtioribus, quàm quæ ex radice nata) conſtantia, deinde interdum ex illis folioſis capitibus plures alij pediculi, quorum faſtigio innaſcuntur, ſpicarũ loco, alia foliacea capitula; prodeunt tamen, & alij ex radice pediculi, foliacea duntaxat capitula ſuſtinentes. *III. Plantago anguſtifolia exotica.*

Secundi & tertij iconem ad me mittebat Londino, honeſtiſſimus vir, & idem rei herbariæ ſtudio valde ſe oblectans, Iacobus Garetus junior mihi amiciſſimus, anno M. D. XCII. Tertij tamen plantam ipſam virentem ante conſpexeram Londini in exculto horto N. V. *Vnde nactus.*

Plantago anguſtifol. Gareti prolifera. B: Pin: 189



Holoſteum Salmanticenſe majus.

Holosteum hirsutum albicans majus B: Pin: 190.



Edwardi Points Angli, anno M. D.XXCI. An verò utrumque genus ſemen ferat, ignorabam dum hæc ſcriberem. Tertium tamen pangi poſſe puto capitibus folioſis in terram depactis, & forſitan etiam Secũdum. Vtrumque genus deinde alui Lugduni apud Batavos, & latifolium ſemen præbere obſervavi.

Cynogloſ. Dioſc. fortè.

ID porrò, cujus primo loco memini, nõ ſemel legitimum Dioſcoridis Cynogloſſum eſſe ſuſpicatus ſum: etenim ſi ſpicam florum (quá Dioſcorides fortè non obſervavit, cum, ut dixi, maximâ anni parte ſine caule & flore conſpiciatur) demas, nullam hactenus ejus deſcriptioni exactius convenientem, inter tam varias plantas, videre memini.

Plantago aquatica minima.

CETERVM huic capiti, non incõmodè forſitan adnecti poterit, Plantaginis aquaticæ elegans genus, Plantagini aquaticæ humili Lobelij congener, quod obſervabat & legebat Doctiſs. Gulielmus de Mera Medicus, dum ex Italiâ rediret M. D. XCIII. mihíque Francofurti donabat.

Tota autem humi fuſa eſt hæc plantula, & foliola producit à radice, longiuſcula & anguſta, longo pediculo innixa, atque inter illa multos tenues cauliculos, humi jacentes, uncialis, aut paulò amplioris longitudinis, in capitellũ deſinentes, quod exiles fibras ſpargens, ijs ſe telluri figit, aliáque minora folia profert: inter quæ, quini aut ſeni (florem non cõſpexi) orbiculi, tenuiſſimis petiolis innixi, qui in binas partes hiantes, ſemen valde exile oſtendunt: ex iiſdem capitellis naſcitur & alter capitellorum ordo, folia & orbiculos adhuc minores proferens: radices nil niſi exiles fibræ ſunt.

Natales.

Naſcitur, ut apparet, uliginoſis locis, vel ubi interdum lacunę, ab imbribus ſubito cadentibus, exortæ fuerunt.

HOLOSTEVM SALMANTICENSE.

CAP. XV.

NON ignoro varias oſtendi ſtirpes pro Holeſteo, ſive Holoſtio, quarum nullam adhuc offendiſſe puto, quæ Holeſtij veri deſcriptioni exactè cõveniat. Quæ tamen inter reliquas proximius veterũ deſcriptioni accedant, illam eſſe arbitror, quam cùm Mompelliani tùm Salmanticenſes eo nomine donabant.

I. Holoſteum Salmantic. primum.

ILLARVM autem prior. Herbula eſt folijs ferè Plantaginis anguſtifoliæ, verùm, longè & minoribus & anguſtioribus, crebris, per terrã ſtratis, incanâ lanugine obſitis, ſubadſtringẽte guſtu: inter quę quini aut ſeni cauliculi, ſeu potiùs pediculi nudi exiliunt, palmum alti, qui ferè à medio ad ſummũ uſque faſtigium, multis & ſeſe mutuo contingentibus floſculis ex herbaceo candicantibus ornati ſunt, uti Coronopi ſpicę: quibus deinde ſuccedit ſemen Plantaginis ſemini valde ſimile, theculis incluſum: radix eſt longa, tenuis, dura, & quodammodo lignoſa.

Aridis

Aridis collibus Salmanticæ vicinis provenit. Nuſquam tamen majorem aut candidiorem obſervabam, quàm juxta Valentiam Hiſpaniæ ſecus vias. Flores proferebat Salmanticæ Maio: Valentiæ autem Martio & Aprilis initio. *Natales.*

Holoſteum Salmantic. minus.

Holoſteum [illegible] albicaule minimus B: Pin: 190.



CRESCIT ijſdem locis aliud ejus genus multò minus, cujus folia Pſyllij foliorum latitudinem nō excedunt, longiora tamen, & villoſa quidem illa, ſed minus incana ſuperiore, in ceteris prorſus illi ſimile, eodémque tempore florens. *II. Holoſteum alterum.*

Id genus etiam olim obſervare memini Mompeliano agro locis incultis & aridis.

VTRAQVE hæc planta Salmanticenſibus Holoſteum dicebatur: poſterior etiam apud Mompelianos hoc nomine inſigniebatur: mihi utraque Plantaginis anguſtifoliæ genus potiùs videtur, licet (ut dixi) nullæ proximius ad Holoſtei deſcriptionem accedant. *Nomina.*

HOLESTII porrò meminit Dioſc. lib. IIII. Holeſtion, inquit, herba eſt puſilla, tribus quatuórve digitis extra terram ſupereminens, folijs viticuliſq; Coronopo aut Gramini proximis, guſtu adſtringentibus: radice albâ, prætenui, uſque in capillamenti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum. Naſcitur in collibus terrenis. *Holeſtion Dioſc.*

PLINIVS lib. XXVII. cap. X. Holoſteon herbam eſſe dicit ſine duritiâ, ex adverſo (ſive per ἀντίφρασιν) appellatum à Græcis, ſicut fel dulce: reliqua, ut Dioſcorides. *Holoſteon Plinij.*

VSVS ejus ad rupta, in vino potæ; nam & carnes coguntur decoctionibus additâ. *Facultates.*


Holosteum, Sive

LEONTOPODIVM CRETICVM. B: Pin: 190 CAP. XVI.



FORSITAN & ad Plantaginis anguſtifoliæ, ſimiliúmque claſſem, referenda ea planta, quam Frācofurti à duobus amicis ex Italiâ accipiebā, diverſa appellatione inſignitam. Ampliſſimus enim vir Iacobus Antonius Cortuſus mittebat eam adhuc tenellam, veſtigia autem capitum adhuc retinentem, unà cum icone, ipſam ſtirpem ſatis ſcitè referēte, addito Catanances nomine. Ioſephus verò à Caſa bona ipſam plantam maturam & aridam, ac recens è Creta delatam, Leontopodij appellatione. Diligenter autem conferens utramq; cum Leontopodij & Catanances deſcriptione, animadverto notas aliquot habere ſatis inter ſe convenientes. Nam quantum ex tenellâ illa planta & icone, à Cortuſo miſſa, colligere licet, herbula eſt ſtatim à terrâ proferens quaterna aut quina folia, longa, anguſta, tenella admodum & lanuginoſa, inter quæ multi emergunt pedicelli, breves planè lanuginoſi, ad terram inflexi, ſummo faſtigio ſuſtinētes aliquot capitula, multa lanugine obſita, in quibus flos, nō ſatis cōſpicuus, ut, qualis ſit, deſcribi queat: radicis ſummū caput quodammodo ſquamatum, à quo deinde ipſa radix deſcendēs paulatim gracileſcit, & in multas fibras deſinit, fuſco colore prædita. Planta autem matura & ſicca à Caſa bona tranſmiſſa, infimam foliorum partem duntaxat retinebat, cum craſſiore radicis parte fibris orba, pediculos deinde breviores, craſſos, maximâ ex parte lanugine ſuâ deſtitutos, capitula ferentes craſſiuſcula & brevia in quibus apparebant quidā albicantes floſculi nigricante umbilico prædīti, quandam foraminum ſpeciem præbente: pediculi autem illi adeò incurvabantur & contrahebantur ad ipſius radicis caput, ut leoninum quodammodo pedem referrent (unde fortè λεοντοπόδιον nomen) aut milvi exanimati contractis articulis pedem exprimerent, quâ poſtremâ notâ affinitatē cum Catanance primâ haberet, reliquis verò notis *Catanance Cortuſi.* *Leontopodion Creticnſe.*

Leontopod. Cretici. n. aliud.
Holosteum creticum aliud C.B. pin. 190.



Leontopodiũ Dioſc.



Catanance prima Dioſ.

Leontopodion Plinij.

plurimum ad Leontopodij deſcriptionem accederet. Vtriuſque autem hiſtoriam ex Dioſcoride proferam, addita tabellâ in qua utramque plantam recentem videlicet & aridam exprimi curabam, ut Lectores utriuſque adminiculo faciliùs judicium ferre queant.

DIOSCORIDES igitur lib. IIII. Leontopodium ſic deſcribit. Leontopodion duorum digitorum herbula eſt, folia ferens anguſta, longitudine trium quatuórve digitorum, villoſa, & juxta radicem majore lanæ flocco incana: capitula in ſummo caule quaſi perforata: in quibus flores nigri: ſemen uſqueadeò ſpiſsâ lanugine involutum eſt, ut ſæpe fallat: radice parvâ nititur, quam tradunt appenſam ad amatoria prodeſſe, & tubercula diſcutere.

CATANANCEN autem primam tertio ſubſequente capite, hoc modo. Catanance una, folia Coronopi habet, longa, radicem junci inſtar tenuem, capitula ſena aut ſeptena, in quibus ſemen orobo ſimile. Areſcens curvatur in terram, & ſimilis fit unguibus mortui milvij.

PLINIVS etiam utriuſque meminit: Leontopodij quidem lib. XXVI. Nat. Hiſt. cap. VIII. Leontopodion, alij Leuceoron, alij Dorypetron, alij Thorybetron vocant, cujus radix alvum ſiſtit, purgátque bilem, in aquam mulſam addito pondere denariorum duûm. Naſcitur in campeſtri, & gracili ſolo. Semen ejus potum, lymphatica ſomnia facere dicitur.

Catanance Plinij.

LIBRO autem XXVII. cap. etiam VIII. Catanances mentionem facit. Catanancen Theſſalam herbam, qualis ſit, à nobis deſcribi, ſupervacuum eſt: cùm ſit ejus uſus ad amatoria tantùm. Illud non ab re eſt dixiſſe, ad detegendas Magicas vanitates, electam ad hunc uſum conjecturâ, quoniam areſcens contraheret ſe ad ſpeciem unguium milvi exanimati.

Leontopodion Belli.

HÆC cùm de Leontopodio commentatus eſſem, miſit ad me Doctiſs. vir Honorius Bellus Cydoniâ, Cretæ inſulę urbe, Leontopodij ſuis coloribus expreſſam iconē, cum aliquot ejus plantis ſiccis multo veluti tomento obductis, quarum nonnullæ folia adhuc retinebant anguſta, trinervia, capita florũ inflexa & incurva, ad ſpeciem milvinorũ unguium, & unicâ ſpicas florum integras uncialis longitudinis nec cõtractas aut inflexas habente: ex quibus notis apparet hanc plantam è generibus Plantaginis anguſtifoliæ eſſe. Iconem quam ad me mittebat, ſculpēdam curabam, additâ in eadem tabella ejus plãtæ figurâ, quæ ſpicas integras habet. Sed lectorem moneo, ne ipſum pigeat conſulere primam Honorij ad me epiſtolam, quam ad horum Commentariorum calcem reperiet.

Tuſſilago alpina I. flore aperto.



I. Tuſſilago alpina caneſcente folio.

TVSSILAGO ALPINA. CAP. XVII.

BECHII Alpini perelegantia duo genera in Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis obſervabam, quorum deſcriptionem hoc capite dare voluimus.

QVINA aut ſena habet Primum folia, circinatæ ferè rotunditatis, Chamæciſſo vulgari non valde diſſimilia, in ambitu nõnihil ſinuoſa, & crenata, ſupernè rugoſa, & nigricãte viriditate ſplendentia, infernè candida & multo quaſi tomento obſita, exſiccante initio guſtu, deinde

deindè amaro: cauliculus nudus eſt, palmaris, concavus, incanâ lanugine pubeſcẽs, unicum florem ſuſtinens muſcoſum purpuraſcentem, maturitate in pappum evaneſcentem: brevi poſtea areſcit & perit is cauliculus, ut reliquo anni tempore, ſine caule planta conſpiciatur: radix fibroſa ſerpit, & in latum ſe diffundens, multas propagines agit tenuibus fibris ſeſe firmantes.

Oritur in ſummis Auſtriæ & Stiriæ jugis, & totos interdum ceſpites, cum Soldanellâ Alpinâ, cujus Tertio libro memini, occupat. Sub Iunij finem ut plurimum floret, interdum verò tantum Auguſto menſe, pro aëris ratione & conſtitutione: in hortis, maturius, Aprili videlicet, in quibus etiam cauliculus magis adoleſcit. *Natales.*

Tuſſilago alpina I. flore evanido. Tuſſilago alpina II.




SECVNDVM à Primo non multum diſſidet, figura enim foliorum eadem eſt, ſapor idem, flos ſimiliter purpuraſcens, radix etiam ſummâ tellure ſerpens, nováſque plantas ſubinde producens: folia dumtaxat paulò ampliora nonnumquam conſpiciũtur, neque adeò ſplendent ſupernâ parte, aut aversâ candicant: ſed tantummodò nonnullis villis obſita ſunt. *II. Tuſſilago alpina glabro folio.*

Invenitur id in ſuperiore collis parte poſt Monaſterium Neuberg ad radices celſiſſimi jugi ejuſdem nominis. Poſtea etiam obſervabam inferioribus jugis aliarũ Alpium, gramineis locis. Initio, Aſarinam eſſe exiſtimabam, fruſtra tamen requirens floſculorum quos Matthiolus ſuæ Aſarinæ adpingit, veſtigia: ſed flores in nonnullis deinde plantis conſpecti, omnem dubitationis anſam præciderunt, ut certo ſtatuere poſſem Tuſſilaginis montanæ genus eſſe. Maio floret in hortos tranſlata & Aprili, ubi formam non immutat, quemadmodum nec ſuperior: hujus etiam cauliculus paulò longior eſt ſuperiore.

Sed ſubibat mentem cogitatio, eam ſtirpem quam Matthiolus Aſarinam appellat, hoc bechium ſecundũ eſſe poſſe, & illius iconem non ſatis fideliter fuiſſe expreſſam, in quâ forſitan pictor ex arida plantâ, & ante quàm in floré abiret lectâ, emergentis primum floris capitulum diſcernere non potuit: certè natales ſatis cõveniunt. Sed nihil pronuntio: hęc duntaxat monere volui, ut Lectoribus occaſionem præberem, de hac re accuratius cogitandi. *Aſarina Matthioli.*

GALENVS Tuſſilaginis (cujus has plantulas genera eſſe non dubito) meminit libro VI. ſimpl. med. his verbis: Bechium ideo ſic nuncupatum eſt, quod βήχας, hoc eſt, tuſſes, & orthopnæas juvare creditum ſit, ſi quis videlicet folia arida ſumens, aut radicem in prunis accendens, aſcendentem inde fumum inſpiratu attrahat. Eſt autem modicè acris, ut ſine moleſtia, noxáve, omnes thoracis abſceſſus rumpere credatur. Sanè virentia folia partes crudâ inflammatione obſeſſas, illitu extrinſecus adjuvant, propter aqueæ humiditatis admiſtionem, qua omnia viridia, teneráque participant, alia plus, alia minus. *Bechium unde dictum. Ejus qualitates.*

MATTHIOLVS porrò ſuam Aſarinam aſſerit, modicam abſtergendi vim habere, ſed attenuandi, incidendi, aperiendíque magis præſtantem: potam drachmæ pondere ex mulsâ, ſive oxymelite alvum exolvere, ducereque craſſam pituitam & atros humores: ideo novos quoſdam herbarios præferre ad luis venereæ dolores & articulorum morbos: dari utiliter hydropicis, & morbo regio laborantibus, nec deeſſe, qui ad comitiales & reſolutos eam propinandam conſulant, nempe aut herbam per ſeſe, aut ejus decoctum: urinam ciere & menſes, & vermes inteſtinorum necare. *Aſarinæ facultates.*

CALTHA paluſtris quorundam, ſive potiùs CHAMÆLEVCE pleno flore. CAP. XVIII.

PLANTAM illam circa rivos aquarum & uliginoſis pratis naſcentem, quam vulgus Herbariorum Caltham paluſtrem, nonnulli Chelidonium aquaticum appellant, Doctiſſimus Anguilara Opinionum lib. XII. Chamæleucem Plinij eſſe exiſtimat, iiſdémque *Caltha paluſtris. Chamæleuce Plinij.*

 adhuc

Caltha paluſtris vulgaris.

Caltha paluſtris flore ſimplici B: Pin. 276.



Caltha paluſtris pleno flore. B: Pin: 276



adhuc nominibus cognitam dicit Patavino agro, quibus Plinius Lib. XXIIII. cap. XV. eam donat, nempe Frani (Plin. Farrani) & Farfugij. Cl. Matthiolus commentarijs in Lib. III. Dioſc. cap. de Tuſſilagine, ejus opinioni aſſentitur, aſſentiuntur & alij.

Cùm verò illa (ut quæ in ſingulis regionibus naſcatur) omnibus nota ſit, & à reliquis qui Stirpium Hiſtorias evulgarunt, deſcripta; ſupervacuum eſſet ejus hiſtoriam hic repetere: iconem tamen ſubijcere neceſſarium duximus, ut conſpici queat, quale diſcrimen ſit inter ipſam, & aliam quam obſervabam, cujus nunc hiſtoriam dabimus.

Caltha paluſtris pleno flore. MVLTA autem habet, Aliud illud genus à me obſervatum, folia, circinatæ fere rotunditatis, ſucculenta, venoſa, in ambitu nonnihil, vulgaris foliorum inſtar, ſerrata: prodeunt inter illa palmares caules, interdum etiam (ſi udo pinguique ſolo naſcatur) pedales & majores, obliqui, in aliquot alas diviſi, quæ, ut plurimum, vulgaris more, ex ſummo geniculo binos proferunt flores, uncialibus petiolis innitentes, multiplici foliorum texturâ conſtantes, coloris plane aurei, quorum quina inferiora, reliqua veluti ſuſtinentia & amplectentia, majuſcula ſunt: radix, non minus quàm vulgaris, multis candidis craſſiuſculisque fibris prædita eſt. Floret eodem, quo vulgaris, tempore, interdum etiam denuo Autumno.

Natales. Ex Saltzburgenſibus pratis (in quibus copiosè naſci intelligebam) primùm Viennam Auſtriæ delata, Nobilibus Matronis cepit eſſe in delitijs, cùm iſtic viverem: poſtea, etiam ex Auguſtâ Vindelicorum accerſita: verùm non adeo elegans ut prima, ſed paulo humilior: ejus item folia minus vegeta, & quaſi palleſcentia: flos etiam dilutior, & magis pallens. Auguſtanæ fere ſimiles plantæ paucæ, inventæ ſunt pratis quibuſdam uliginoſis, Francoforto ad Mœnum vicinis, anno M D XCI. aliquot etiam flore quidem pleno, ſed rarioribus folijs conſtante, quæ in hortum illatæ, ſequente anno, ſimplici florum textura præditos tulerunt flores, inſtar vulgaris. Abijcere tamen nolui: nam experiri volebam an anno M D XCIII. ſimplices flores porrò ferre pergent: verùm per infortunium non licuit: quam autem Lugdunum Batavorum detuli, ut iſtic etiam obſervare liceret, ſimplum florem mihi ſemper præbuit.

Chamæleucis Facultates. CETERVM Plinius Chamæleuces radicem imponi ſcribit carbonibus Cupreſſi, atque eum nidorem per infurnibulum imbibi in vetere tuſſi.

CACALIA.

CACALIA. CAP. XIX.

AD Tuſſilaginis etiam genera, haud dubiè referenda eſt planta illa, quæ, in omnibus Auſtriacis Stiriacisque jugis obvia, à nonnullis Cacalia appellatur, cujus duo genera obſervabam.



Cacalia incano folio.

Cacalia foliis craſſis hirſutis B: Pin: 198.



Cacalia glabro folio.

Cacalia foliis cutaneis acutioribus et glabris B: Pin: 198

I. Cacalia vulgaris incano folio.

VNVM multis præditum folijs, Tuſſilaginis vulgaris folijs pænè ſimilibus, majoribus tamen, mediæque inter illius, & alterius majoris, Petaſitis vulgo creditæ, folia, quodammodo magnitudinis, circinatæ ferè rotunditatis, in ambitu ſerratis, ſupernè dilutius virentibus, infernè incanis, in quibus multæ apparent venæ ſive nervi, guſtus ingrati, amariuſculi, & calidi, innituntur autem purpuraſcentibus & ſtriatis pediculis: caulis illi bicubitalis interdum, ſtriatus, purpuraſcens, non ſecus ac foliorum pediculi, cui per intervalla innaſcuntur alia folia oblongis pediculis prædita, ſupra dictis minora, magis anguloſa, etiam in ambitu ſerrata: ſupremus caulis extremique ramuli purpuraſcentium capitulorm congeriem inſtar umbellarum ferunt, in quibus terni plerumque floſculi quaternis foliolis, bifidoque ſtilo conſtantes, purpuraſcentis coloris, odorisque valde tenuis, non tamen ingrati, qui deinde in pappum ſeu lanuginem abeunt (perinde fere ut Eupatorij aquatici flores) in qua oblongum ſemen latet: radix in multa capita extuberat, frequentibusque candidis, longis fibris donata eſt, ſingulis annis novos caules ad latera proferens.

II. Cacalia glabro folio.

ALTERIVS folia magis cutacea ſunt (ſi ſic loqui licet) & duriora, ſupernè ſaturatius virentia, nec ſubtus incana, nec anteriore parte, qua pediculo inhærent ſimul coëuntia ut in priore, pediculisve ſtriatis innixa, ſed rotundis & lævibus, perinde tamen ut illa frequentibus venis ornata, & in ambitu ſerrata, ingrato ſimiliter guſtu, amariuſculo & calido: caules etiam læviores, & floſculi dilutiores: in ceteris conveniunt.

Natales.

Naſcuntur commemoratis jugis ad ſilvarum margines, inter frutices, & umbroſis locis.

Cacaliæ congener planta.

OBSERVABAM & aliam quandam plantam in montanis pratis naſcentem, ſecundum villarum ſtabula, cujus folia poſtremæ Cacaliæ folijs valde erant ſimilia: neque radix etiam erat diſſimilis. Verùm ἄκαυλον illam ſemper deprehendi: nec unquam ab illis montanis hominibus intelligere potui florémne ferat, an non.

Cacalia Dioſc. Cacalia Plin.

TAMETSI porrò dubitari poſſit, an quæ Cacaliæ nomine vulgo agnoſcitur, cum Cacaliâ Dioſcoridi deſcripta, & Plinianâ (quæ & utrique Leontice nuncupata) conveniat:

facultates

Petaſites florens.

Petasites major & vulgaris C.B. Pin: 197.



Petaſites ſine flore.



Pyrola 1. vulgatior.

Pyrola rotundifolia major C.B. Pin: 191.



facultates tamen uterque ſuæ Cacaliæ tribuit à Tuſſilaginis (cujus haud dubiè hęc noſtra Cacalia genus eſt) facultatibus non alienas. Scribunt enim Dioſcorides Lib. IIII. cap. De Cacaliâ, ejus radicem in vino madefactam ut Tragacantha, delinctu & manducatu per ſe tuſſibus, & arteriæ ſcabritijs mederi. Plinius autem Lib. XXVI. Nat. Hiſt. cap. VI. radicem Cacaliæ commanducatam, & in vino madefactam, non tuſſi tantùm, ſed & faucibus prodeſſe.

Petaſites vulg. ABVNDE etiam in Pannoniâ, Auſtriâ & Stiriâ ſponte creſcentem reperiebam plantam illam quę vulgo Petaſites credita eſt, doctiorum tamen omnium judicio, inter Tuſſilagines referendam, & à foliorum amplitudine Tuſſilaginem majorem nuncupandam. *Petaſites albo flore.* Eam albo flore variantem aliquando videre memini.

PYROLA. CAP. XX.

1. Pyrolæ vulg. differentia. VVLGARIS Pyrolæ binas obſervabam differentias: unam, ſatis amplum molleq; folium habentem: alteram, minus & durius, Soldanellæ alpinæ minutioris folio fermè æquale, naſcentem utramque pleriſque Pannoniæ, Auſtriæ & Stiriæ locis, cùm paulo editioribus inter frutices, tum herbidis ad quorundam ſicciorum pratorum umbroſos margines: omnium autem copioſiſſimè ſilvoſis quibuſdam pratis ad Maurbach Cartuſianorum cœnobium in Viennenſi ſaltu ſitum, atque etiam in ſilvâ arci Entzeſtorf im langhe thall proximâ, quinto ab urbe Viennâ germanico miliari, ſive unius fere diei itinere. Sed cùm vulgatioris hiſtoria, à pleriſque

pleriſque alijs ſit prodita, eam retexere non eſt operæpretium, ejus duntaxat mentionem facere voluimus, ut prolatâ ejus icone, tria alia genera ipſi ſubijceremus, à nemine ante quàm Pannonicarum Stirpium Obſervationes in publicum emitterem, adhuc deſcripta.

Pyrola II. tenerior.

Pyrola folio mucronato serrato B: Pin: 191



Pyrola III. fruticans.

Pyrola frutescens arbuti folio B: Pin: 191



DIFFERT autem Primùm genus à vulgari, cauliculorum gracilitate, & foliorum florumque tenuitate: hujus enim folia non adeo craſſa carnoſaque ſunt, ſed tenuia admodum, mucronata, in ambitu tenuiſſimè ſerrata, atriora, pyrique folium referentia: flos in cauliculis vulgaris pyrolæ flori ſimilis, minor tamen, & frequentior: ei ſuccedunt pentagona, ut in vulgari, capitula ſtilo prominente, radix etiam ſerpit, non minus quàm vulgaris radix, & ſubinde nova germina è longis pediculis ſub muſco latentibus profert. *II. Pyrola tenerior.*

Creſcit in Alpium Auſtriacarum & Stiriacarum jugis, loco umbroſo inter frutices muſcumque terreſtrem, ſed ubertimè in ſilvâ illâ jam memoratâ arci Entzeſtorf vicinâ. Memini etiam olim colligere in jugis Lauſannę Allobrogum ad Lemannum lacum proximis. Floret Iunio & Iulio, interdum etiam Auguſto. *Natales.*

Miror autem quid Dalechampium moverit, ut hanc inter Ambroſias collocet, Ambroſiamque montanam nuncupet, quam ſi deguſtaſſet, non dubito, quin ſententiam mutaſſet, nam longè aliud hujus temperamentum quàm Ambroſiæ.

ELEGANTISSIMVM eſt Alterum genus, interdum quodammodo fruticans: nam novelli breveſque ramuli, ſingulis annis ſuccreſcentes, aliquot annos firmi virideſque permanent, & ſupra tellurem eminent, donec tandem pondere ſuo depreſſi, humi procumbant, & muſco ſe condant, fibráſque interdum agant: folia ut plurimum ad ſingula internodia, ubi novi ramuli ſuccreſcunt, bina, terna, aut quaterna habet, carnoſa, supernè ſaturatiùs virentia & ſplendentia, Chamædaphnes (quam vulgus Laureolam vocat) folijs, formâ & magnitudine propè ſimilia, in ambitu tamen ſerrata, guſtu admodum exſiccante, deinde amaricante, ut reliquarum Pyrolarum folia: ex horum medio ſolent Aprili nova germina prodire, quę foliolis veluti ſquamulis prædita, in virgulas tandem deſinunt, quibus terni, quaterni, interdum etiam quini inſident flores, vulgaris Pyrolæ floribus ſimiles, paulo tamen majores, ex albo purpuraſcentes; quibus excuſſis, ſuccedunt pentagona capitula, tenui ſemine inſtar ſcobis plena, quæ cum ſuis virgulis hieme exareſcunt: radix, ſive potius cauliculi ſub muſco latentes, longè lateq; ſummâ tellure ſpargũtur, & ſubinde fibras agunt. *III. Pyrolæ fruticans.*

Abundè provenit in ſilvis Entzeſtorf, generoſi Dn. Wolfij Chriſtophori ab Entzeſtorf arci ante memoratæ vicinis, vulgari & Primo permixtum interdum, ubi anno MDLXXIX. primùm obſervabam, & ab incolis Wintergruen (quòd hieme vireat) communi cum vulgari *Natales.*

nomine

Pyrola IIII. minima.

Pyrola rotundifolia minor C.B. Pin: 191

IIII. *Pyrola minima.*



nomine appellari intelligebam. Audiebam & in Bohemicis ſilvis frequentem, mihi tamen illas penetranti, dum eodem anno Viennâ iter facerem Pragam, & inde Norimbergam, videre non licuit. Sed & in Sileſiâ natam ſimilem plantam, icone etiam additâ, ſequẽte anno ad nos mittebat doctiſs. vir Fridericus Sebizius, Ducis Brigenſis Medicus.

MVLTIS etiam ſerpit Tertium ſub ſummâ terrę cute viticulis, quæ terna aut quaterna eodem ortu naſcentia interdum gerũt foliola, Pyrolæ primæ, non vulgaris ſive illius tenerioris quæ ante hanc tertia eſt, folijs formâ ferè ſimilia, ſed longè minora, tenuiora, magis orbiculata, & in ambitu, etiam ſerrata: inter quę pediculus eminet binas ferè uncias longus, nudus, tenellus, ſummo faſtigio ſuſtinens unicum florem ſatis magnũ, quinque mucronatis folijs conſtantem, Graminis Parnaſſi, vulgo vocati, quod Cordus Hepaticam albam appellat, florem, propemodum formâ referentem, decem reflexis ſtaminulis medium orbem exornantibus, & capitulo in medio protuberante, ſtilúmque exerente coronulâ quinque radijs cõſtante ornatum: fiunt ea capitula temporis ſucceſſu ſatis craſſa, pentagona, quæ matura, copioſiſſimũ ſemen minutiſſimum, ſcobis ligni à vermibus eroſi inſtar, continent. Tota planta amaritudinis manifeſtæ particeps.

Natales.

Naſcitur umbroſis locis in Alpibus Sneberg, Hochbergerin, Durrenſtain & alijs vicinis circa radices ſummorum illorum jugorum. Floret ſub finem Iunij & Iulio: ſemen Auguſto maturum.

Lunaria botrytis, minor.

Lunaria racemosa minor vel vulgaris C.B. Pin: 354.

NON dubium eſt quin omnes hæ plantæ ſimilibus cum vulgari Pyrola facultatibus ſint præditæ, quandoquidem eaſdem qualitates habent.

Facultates.

DESICCAT autem, adſtringit, & glutinat vulgaris Pyrola: Foliorũ ſuccus illitus, recentia vulnera ſanat. Idem etiam præſtant folia. Eorundem ex vino decoctum, ſi bibatur, interna vulnera ſanare creditur, propterea vulnerarijs potionibus addi ſolet.



Lunaria minor botrytis.

LVNARIA MINOR RAMOSA.

CAP. XXI.

CRESCIT etiam in Pannonicis, Noriciſque, ex veterum Geographorum deſcriptione, jugis, præſertim verò in pratis quæ ſilvis cinguntur, ante quàm ſuprema Alpium ſupercilia attingas, Lunaria illa minor, quæ & botrytis cognominata, cujus hiſtoriã plerique deſcripſerunt, & facultates mirè commendarunt in internis vulneribus: quamq́; C.V. Fab. Columna Epimedium Dioſc. eſſe cenſet. De illa autem hîc agere non eſt animus, ſed de alia ejus ſpecie rariſſima, quam quidem nullibi naſcentem vidi; ſed in Sileſiæ quodam monte natam, & erutam, ad me mittebant Viennam Auſtriæ Doctiſſimi Viri Fridericus Sebizius & Achilles Cromerus Medici, fidâ amicitiâ mihi conjuncti, cùm Pannonicarũ Stirpium Hiſtoriam deſcriberem.

DODRAN.

Lunaria minor ramoſa.

Lunaria racemoſa multifido folio C.B.Pin: 155.



DODRANTALIS autem eſt planta, ſtatim à radice, unam aut aliam foliorum alam, ſive folium ramoſum & multifidum, frequẽtibus folijs, vulgaris Lunariæ minoris folijs ferè ſimilibus conſtans, ſed longioribus & craſſiuſculis, crebráque inciſurâ diviſis, colore, ut in vulgari, viridi dilutiore & quodammodo palleſcente: ſecunda ala, ut quæ tenerior, & poſtremo nata, tenui quadam, ſed rarâ admodũ lanugine pubeſcere videtur, ſucculentióre que eſt prima: ex ejus quaſi utero, ſecundùm radicem emergit cauliculus pinguis & ſucculentus, ſuſtinens multifidam & majorem uvam (floris ne an fructus dicere debeã, hæreo) quàm vulgaris, alioqui admodum ſimilem, quæ an in albam farinam, quemadmodum in vulgari reſolvatur, affirmare non auſim, quandoquidem nondum maturæ erutæ fuerant, quas accipiebam plantæ, inter quas una fuit quæ ternos botros protulerat: radix vulgaris inſtar, multis fibris latè in ambitum ſparſis, craſſioribus tamẽ, conſtat. *Lunaria ramoſa.*

In altis Sileſiæ montibus gignitur: apparere autem & florere eodem cum vulgari tempore nobis ſignificabant. Ioannes Aicholtzius Medicus Viennenſis, ad quem etiam mittebantur ab iiſdem amicis aliquot recentes ejus plantæ, ſæpe in hortum ſuum intulit: ſed comprehendere noluerunt, omnem enim culturam reſpuere videntur, quemadmodum pleræque aliæ montanæ. *Natales.*

LVNARIÆ minoris aliam elegantem ſpeciem etiam ramoſam exhibet C. V. Ioachimus Camerarius Ioach. F. Archiatros Noribergenſis ex Angliâ allatam, in Epitome Matthioli ab ipſo diligenter auctâ & locupletatâ. *Lunaria minor ramoſa Camerarij.*

Ceterùm Sileſij ſuam illam ramoſam Rechter widerthon/ appellant, hoc eſt, Trichomanes legitimum. Vulgarem verò Itali *Lunaria del grappolo*: Germani Monrauten & Monkraut nominant. *Natales.*

VVLNERARIAM autem eſſe plantam, omnes Recentiores rei herbariæ ſcriptores tradant: potam, intrinſecus corporis fracturas curare, & extrinſecus illitam: mirè etiam commendatur ad puerorum enterocelas: tota planta in pulverem contrita ex vino auſtero pota utilis eſſe perhibetur dyſentericis, & albas uteri fluxiones, ſimul etiam rubentes, ſiſtere. *Facultates.*

DENTARIA, vulgo dicta. CAP. XXII.

EIVS Plantæ quæ, à dentatâ radice, apud Recentiores rei herbariȩ ſcriptores, Dentariæ nomen obtinuit, varia ſunt genera, à me quidẽ varijs in regionibus obſervata: ſed non omnia deſcripta, quia ex his nonnulla etiam ab alijs prodita memoriæ. Singulorum tamen quæ obſervabamus, mentionem hoc capite faciemus, ab ijs exordium facientes, quæ radicem maximè dentatam habent, & ἄφυλλα ſunt. *Dentaria varia genera.*

PRIMA autem ſit illa, quæ Cordo, quæ Matthiolo, fuit cognita, longâ & craſſâ radice, ex multis veluti dentibus ſquamatim compactis, conſtante, nullum caulem, nullum folium ferens, ſed ſucculentum pediculum duntaxat promens, pedalem, Leimodωri pediculo ferè æqualem, floribus etiam illis formâ ſimilibus onuſtum, coloris carnei elegantiſſimi, illis in ſemen abeuntibus, marceſſit caulis, nulloque alio plantæ veſtigio relicto, radix reliquo tempore ſub terra latet. I. *Dentaria ἄφυλλος prima.*

Multis locis naſcitur, frequentem tamen reperiebam in Leytano ſaltu, ſive Leytenberg ſupra oppidum Manderſtorf, & Viennenſi ſilvâ, inter frutices umbroſo loco naſcentem, & Aprili florentem. Poſtea illius radices fortè etiam eruebam Iunio anni M. D. XC. in montibus Francofurto ad Mœnum vicinis & ei urbi ad Septentrionem objectis (cùm alias ſtirpes eximere vellem) ſub arboribus & fruticibus creſcentem. *Natales.*

ALTERA tota tenella eſt, radicémque habet candidam, è multis veluti denticulis congeſtam, cauliculum, ſeu potiùs pediculum proferentem dodrantalem aut paulò ampliorem, ſucci plenum, & quaſi tranſparentem, candicantem, foliorum expertem, quibuſdam tantùm velut articulis diſtinctum: qui flores ſummo faſtigio gerebat binos aut ternos alternatim II. *Dentaria ἄφυλλος altera.*

Dentaria major, ſive ἄφυλλος I.

Orobanche radice dentata major B. Pin: 88



Dentaria coralloide radice, ſive ἄφυλλος III.

~~[illegible]~~ minor B. Pin: 88
Orobanche radice coralloide.



ternatim diſpoſitos, ex albo purpuraſcentes, nigræ violæ, aut verius orchidis ſeu leimodωri florum æmulos, & valde tenellos.

Natales. Florentem Auguſto menſe inveniebamus ad radices Etſcheri jugi (dum illud anno reparatæ ſalutis humanæ M. D. LXXVIII. per ſilvam conſcenderemus) ſub abietibus, alijſque hujus generis arboribus, quò ſol vix unquam penetrat, nullæque propè aliæ ſtirpes naſcuntur. Similem porrò etiam Auguſto menſe florentem pedalis altitudinis cauliculo ſucculento, plures flores omnino niveos ferente, ſimili formâ præditos, prominentibus ex hiatu purpuraſcentibus villis, majore copiâ ſub abietibus & fagis umbroſo admodum loco reperiebam, dum quinquénio poſt, ex Sneberg, comite ibicum venatore itineris duce, per aliud jugum in Rehenaw deſcenderem. Sed & illa amplior adhuc, pluribúſque floribus onuſta, anno M. D. LXXXIX. eruebatur in ſilvulâ Francofurto ad Mœnum vicina, Iunio menſe.

III. Dentaria ἄφυλλος tertia, ſive κοραλλοειδής. TERTIÆ flores ſunt quinque aut ſex, minores, orchidis pumilæ floribus pares, ſimiliter ex herbaceo palleſcentes (labro tamen propendente exalbido, & circa umbilicum purpureis radijs inſignito) inodori, ſpicæ in ſpeciē in palmari cauliculo enaſcentes, folijs carente, & ſubfuſcis veluti vaginulis recondito: radix illi ramoſa, corallij inſtar, prorſus alba, ſucci plena, nullis fibris cohærens, amariuſculi ſaporis.

Natales. Hanc duntaxat obſervabam Maio menſe florentem, anno M. D. XXC. in ſilvâ recens cæsâ, paulò ſupra Entzeſtorf im langhe thal ante memoratâ.

IIII. Dentaria baccifera. OBLONGA ſerpit radice Quarta, dentatâ quidem, ſed veluti ex multis nodis conſtante, albâ, interdum etiam pupuraſcente, ſubinde ex lateribus novas propagines generante, ingrato, & linguam primum ſiccāte guſtu, deinde acri: ex cujus lateribus prodeunt oblongo pediculo, ſive coſtæ (quæ ſecundùm terram purpuraſcit, poſtea viridis eſt) inhærētia folia, quina plerumque, interdum plura, magnâ ex parte inter ſe oppoſita, alteróq; latere tantum crenata, eo, quod imparem numerum facit, & extremæ alæ inſidet, dūtaxat utrimque crenato, guſtu initio acido, poſtea acri & fervente: caulis cubitalis eſt, gracilis, nudus, quem circa medium binæ aut ternæ alæ, interdum plures, ex tribus tantummodo folijs, jam deſcriptis reſpondentibus, conſtantes ambiunt, ſuperna verò pars oblongis anguſtiſq; folijs, nunc leviter, modò nihil crenatis, confuſo ordine obſita eſt: extremo cauli inſident quaterni, quini, aut plures flores, Leucoij, aut Heſperidis florum quidem æmuli, ſed minores, quatuor folijs albis aut ex candido leviter purpuraſcentibus, præditi: quibus ſuccedunt ſiliquę ſeu cornicula, Sinapi corniculis ſimilia, breviora tamen, quæ, una cum ſuis pediculis marceſcentia, plerumque decidunt & pereunt, nonnumquam tamen craſſeſcunt & matura, ſe-

men ſe-

Dentaria IIII. baccifera.
Dentaria Heptaphyllos baccifera B: Pin: 322.



Dentaria V. τρίφυλλος.
Dentaria triphyllos B: Pin: 322.



men ferunt Heſperidis ſemini ferè par, quod diſſilientibus corniculis excutitur. Sed præter id ſemen, ad ſingulorum ferè foliorum, quæ caulem ambiunt alas & exortum, tubercula quædam adnaſcuntur, bulbulis Lilij cruenti illius quod Martagon bulbiferum vulgo appellatur, haud abſimilia, ac velut è ſquamis compacta, initio viridia, deinde pulla, ingrati admodum guſtus, quæ facilimè decutiuntur, & præmatura ſponte decidunt, terrâque ſepulta, novellas plantas gignunt.

Reperitur, ut puto, hoc genus in omnibus Germaniæ mōtanis ſilvis. Nam memini eruere ſuis bulbulis onuſtum anno M.D.XLVIII. comite C. V. Andræa Hyperio, in ſilvis Haſſiæ non procul Martpurgo, & doctiſs. vir Ludovicus Ioachimi F. Camerarius, plantam aridam ad me mittens Viennam, in Miſniâ inveniri ſignificabat, ego verò, dum iſtic agerem, aliquoties vicinis Viennæ ſaltibus, opacíſque ſilvis Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Pannoniæque obſervabam, demum etiam vicinis Francoforto ad Mœnum montanis ſilvis cum illâ primâ ἀφύλλῳ: ſed & anno M.D.XCII. vir doctiſſimus idémque politiſſimus Ferrantes Imperatus Francofurtum ad me mittebat Neapoli Apuliæ cum alijs elegantibus ſtirpibus. Florere autem ſolet Aprili: bulbuli nigricantes Maio conſpici, alarum cavis inhærentes. *Natales.*

CAVLEM profert Quinta pedalem, firmum, rotundum, lęvem, quem, in ſummo ferè, ambiunt terni pediculi (rariſſimè plures) ſinguli terna folia ſuſtinentes, ampla, mucronata, in ambitu ſerrata, ſaturatè virentia, guſtu fervido: ſummum caulem exornant quini aut ſeni flores, quatuor folijs conſtantes, Dentariæ Heptaphylli florum æmuli, deorſum ſpectantes & propendentes, colore ex herbaceo palleſcente: flores ſequuntur oblonga cornicula, toroſa, mucronata, qualia ſunt Dentariarum Pentaphylli & Heptaphylli cornicula, & in his etiam ſimile ſemen, hoc eſt, Heſperidis ferè, ſed craſſius atque vireſcens, quod diſſilientibus corniculis exilit, ante quàm probè maturum videatur: alia præterea folia à radice profert, terna tantùm in ſingulis oblongis pediculis naſcentia, ſuperioribus multo ampliora, ſed breviora: radix novella alba eſt, vetuſta nigricat, multis articulis ſic diſtincta, ut è plurimis dentibus coagmentata videatur, Dentariæ ἀφύλλȣ radici non valde abſimilis. *V. Dentaria τρίφυλλος.*

Exit in umbroſis Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Pannoniæque ſilvis, non modò ad montium radices, ſed etiam circa mediam eorum regionem, ubi præaltarum arborum ſilvæ ut plurimum, in Alpibus hujuſmodi, deſinere ſolent. Inveniebam & ultra Dravum, in monte Grebén imminenti, cum Quarto genere bulbifero: atque etiam Herciniâ ſilvâ Bohemiam ambiente. *Natales.*

Floret Aprili, vicinis Viennæ Auſtriacæ ſilvis, & alijs humilioribus: ſemine prægnans eſt, Maio. At in montibus, hæc omnia ſeriùs. *Tempus.*

Dentaria VI. πενταφυλλος I.

Dentaria pentaphyllos C.B. Pin: 322.



Dentaria VII. πενταφυλλος II.



VI. Dentaria πεντάφυλλος. SEXTAE à radice nodoſâ, & in plurimos articulos diſtinctâ, tenuibúſque aliquot fibris ex articulorum diſtinctione prodeuntibus donatâ, exeunt aliquot folia, longis pediculis nixa, in quinque profundas & ad pediculum uſque ſectas lacinias, in ambitu crenatas, diviſa, ſcabra & tactu aſpera, ſaturè virentia: caulis pedalis aut amplior, rotundus, quibuſdam ex intervallo folijs, alijs paribus, donata, ſummo faſtigio quinos aut ſenos flores bulbiferæ floribus ſimiles gerens, colore tamen paulò magis ſaturatè purpuraſcente, qualis ferè in floribus Violæ latifoliæ non vivacis, quam nonnulli Lunariam Græcam appellant: ſuccedunt longiora cornicula, ſemine, quale Quarta & Quinta habent, plena.

VII. Dentaria πεντάφυλλος altera. MAGIS eſt dentata Septimæ radix, ſive inæqualis, & pluribus craſſis ſquamis, quemadmodum propè Primæ radix, exaſperata, & raris fibris inter illas naſcentibus, prædita, ex qua prodit caulis rotundus, pedalis, in quo per intervalla quina folia longiuſculo pediculo ſubnixa, lõga, in ambitu ſerrata, molliora quàm in ſuperiore, neque adeò ſaturâ viriditate prædita: flores in ſummo faſtigio Sextæ floribus perſimiles, quatuor videlicet folijs, Leucoij florum inſtar, conſtantes, colore Sextæ floribus non diſpari.

VIII. Dentari ἑπτάφυλλος. OCTAVAE aliquot è radice exeunt folia, quina interdum, ſed maximâ ex parte ſeptena, longæ coſtæ inhærentia, foliorum fraxini inſtar digeſta, hoc eſt, ut ex adverſo bina ſemper reſpondeant, folium impar extremam alam occupet, omnia in ambitu ſerrata, dilutius virentia quàm Sextæ folia, & ſubtus candicantia: caulem etiam pedalem, rotundum, binæ aut ternæ foliorum alæ, ijs quæ à radice prodeunt non diſſimiles, ornant, ejus autem ſummum, flores Superioris floribus pares, quatuor videlicet folijs conſtãtes, candidi tamen coloris: cornicula quæ ſuccedunt, etiam paria, ſimile ſemen continentia: radix minus ſquamata, quàm præcedentis, Quintæ radici fermè reſpondens, & paucis craſſioribus fibris firmata.

Natales. Sextam & Octavam ad Allobrogicarum Alpium radices ſupra Lemanum lacum, ſponte naſcentes obſervare memini, ante quadraginta annos, dum per Helvetios, è Galliâ Narbonenſi, in patriam redirem, præcluſâ per reliquam Galliam viâ, feruente bello inter Imp. Carolum V. & Galliæ Regem Henric. II. Septimam autem Machliniæ naſcentem conſpiciebam in cultiſſimo horto Ill. Viri Ioannis de Brancion, mihi ſemper cariſſimi fratris loco habiti, ex Allobrogibus aut Italiâ acceptam. Quin & doctiſſimus Vir Ferrantes Imperatus, in eo catalogo ſtirpium bulboſarum & tuberoſarum, quæ Neapolitano regno naſcuntur, quémque mittebat ad Ill. Virum Ioan. Vinc. Pinellum (qui meo nomine hoc ab ipſo petierat) enumerat Dentarias Quinquefoliam, Septifoliam & Corallinam, quam vulgo

nuncupari

Dentaria VIII. ἑπτάφυλλος. Dentaria Heptaphyllos B. Pin: 322



nuncupari ait *Sequita Romana*, & à levibus quibuſdam mulierculis uſurpari ad amatoria. Illas verò nuſquam in Pannoniâ aut vicinis regionibus conſpicere licuit. Sequita Romana.

AN porrò veteribus fuerint notæ hæ Plantæ, nondum mihi conſtat. Priorem Cordus Anblatum cognominavit à Germanica voce anblat/ quaſi dixiſſet foliorum expertem, quia nulla in caule ſive pediculo flores ſuſtinente, nec ex radice exeuntia conſpiciuntur, in hac planta, folia: Matthiolus, à radice dẽtata, Dentariam majorem appellavit: mihi non incommodè Dentaria ἄφυλλος major dici poſſe videtur: à rhizotomis mulierculis S. Georg wurtzel/ hoc eſt, S. Georgij radix nuncupatur, quod fortè circa diem D. Georgio nuncupatum, interdum germinare conſpiciatur. Alteri Dentariæ ἀφύλλου ſecundæ ſive minoris nomẽ dedi, vulgare nullum nomen intellexi: quemadmodum nec Tertiæ, quę Dentaria ἄφυλλος κοραλλοειδὴς (à radice corallini rami ſpeciem referente) à me cognominata eſt. Quartam, Dentariam bulbiferam ſive bacciferam appellari poſſe arbitror: ea autem eſſe videtur, quam Cordus lib. Hiſt. Stirpium II. cap. CXI. Coralloidem appellat: Auſtriæ vicinarúmque regionum incolæ weiſz Sanickel/ id eſt, Saniculam albam; rhizotomæ autem mulierculæ, quę multas ſtirpes in Viennenſi foro venales proponere ſolent, Grimwurtz/ à facultatibus quibus eam pollere putant, vocant. Quintam initio Dentariam ἐννεάφυλλον cognominaveram, quia tres illæ foliorum alæ contrarijs inter ſe pediculis in ſummo ferè caule naſcentes, & ſingulæ ternis folijs præditæ novenarium numerum explebant: nunc τρίφυλλον appellare magis placet, quoniam terna duntaxat in ſingulis pediculis folia naſcuntur. Sextam, Cordum, Coralloidem alteram, dixiſſe, nonnulli arbitrãtur, Matthiolus Dentariam minorem: mihi Dentaria πεντάφυλλος prima, à foliorum uni pediculo inhærentium numero, non ineptè fortaſſe dici poſſe videtur: quemadmodum nec ſequens Dentaria πεντάφυλλος altera. Octavam ſimiliter, ſi quis à foliorum numero quæ in eodem pediculo naſcuntur, ἑπτάφυλλον nominaverit, non errabit, meo judicio. *Nomina.* *Coralloid. Cordi altera; Dẽtaria minor Matth.*

SEPTIMAE, & Octauæ meminit Ioſias Simlerus ad finem Commentarij de Alpibus, his verbis. Wilder Senff/ herba ejus nominis duarum ſpecierum reperitur. Prior uno pediculo ſeptena habet folia, ſupremo caule multos flores purpureos & partim albos [*albos ego duntaxat conſpexi*] poſt quos cornicula ſubnaſcuntur ſemen continentia minutum [*non ſatis exactè obſervaſſe videtur, nam Heſperidis ſemini diſpar non eſt*] compreſſum: radix ſubeſt alba, alabaſtri modo ſplendens, ſquamea. Altera quinque folia habet uno pediculo, [*florem qui Heſperidis purpuraſcente flore, vel Lunariæ græcæ inodoræ eſt, non vidiſſe exiſtimo*] aliàs ſuperiori non diſſimilis: tota ſubſtantia utriuſque acris eſt, ſinapi æmulans, aut raphanum. Ad cubiti altitudinem creſcunt, umbroſa loca amant & latices, primo Vere ſtatim emergunt. Aliqui Pulmonariam hanc vocant.

Hæc Simlerus, ea Geſnero, Ioanni Fabricio, & Benedicto Aretio, veteri meo amico, accepta referens.

CETERVM nullas iſtarum Plantarum, quæ hoc capite deſcriptæ ſunt, facultates comperi, præter eas, quas Viennenſes mulierculæ Quarto generi attribuunt, nempe, quòd ejus radicis decoctum, pueris tormina patientibus propinatum, utile eſſe credant, unde nomen ab illis plantæ inditum: & quas Matthiolus Dentariæ pentaphyllo adſcribit Commentarijs in Dioſc. lib. IIII. cap. de Symphito, nempe in potionibus ad enterocelas, internáque vulnera, præſertim ad ea quæ in thoracis cavitatem penetrarunt, radices prodeſſe. *Facultates.*


PLVMBAGO quorundam. CAP. XXIII.

MVLTOS ab una radice caules emittit cubitales, aut ampliores, plurimis ab infimâ parte, ad ſummum uſque, ramis lentis & ſequacibus diviſos: folia habet Lepidij, minora, Iſatidis ferè, viridia, ſucculenta, acerrimi guſtus, & urentis facultatis: flores in ſummis ramulis confertos, membranaceo, & hiſpido glutinéque quodam obſito caliculo incluſos, quinque foliolis conſtantes, ex purpurâ cæruleos: ſemen nigrum, exiguo avenæ deglubatæ *Plumbago.*

Plumbago quorundam. Lepidium dentillaria Dictum B: Pin: 97



Draba I. vulgaris. Draba umbellata v. Draba major capitulis donato C.B: Pin 109



grano ſimile: radicem albam, longam, digitalis craſſitudinis, unicam, in novellâ (qualem hîc exhibemus) plantâ: ſed, ubi adolevit, multifidam, longè latéque ſeſe ſpargentem, atque ad ipſum, unde propagines iſtę dependent, caput, novos caules ſæpenumero proferentem.

Natales.

Provenit pleriſque Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis calidioribus, juxta vias: varijs item Gallię Narbonenſis, & ejus quam vocât Provinciæ, obſervabam. Serius autem floret: in Belgicâ certè, rarò admodum, & non niſi Septembri: eáque de causâ, tametſi floreat, ſemen ad maturitatem nunquã iſtic pervenire poteſt. Viennæ autem de unâ atque alterâ, quam ſemine natam alebam, plantâ (cùm æſtas fervida) maturum colligere memini.

Lepidium Anton. Nebriſſenſis. Molybdana.

ANTONIVS Nebriſſenſis hanc plãtam Lepidium vocavit. Sunt qui Molybdænam, hoc eſt, Plumbaginem Plinij putent: vulgo Herba S. Antonij dicitur. Mompellianis meo tempore Dentilaria appellabatur, quòd dentium dolori mederi crederetur, etiam manu retenta. Granatenſes vulgò *Beleſa* vocant.

PLINIO, Molybdena commanducata, ſi oculus ſubinde elingatur, vel (ut alij malunt) liniatur, plumbum (quod eſt genus vitij) ex oculo tollitur.

DRABA. CAP. XXIIII.

SATIS vulgaris notitiæ eſt Draba, & ab alijs etiam deſcripta: quia tamen in Auſtriâ valde frequentem obſervabam, nõ potui ejus hiſtoriam alijs cõgeneribus ſtirpibus non adijcere, præſertim cùm duæ aliæ ſtirpes ſeſe mihi obtulerint, ſub ejus claſſem, meâ opinione, referendæ.

I. Draba vulgaris.

PEDALES igitur habet Draba caules, ſtriatos, tenues, firmos, quos inæquali ordine ambiunt uncialia folia, in ambitu dentata, circa pediculum latiora, ex viridi cineracea, guſtu acriuſculo: quæ autem ſecũdùm radicem naſcuntur, frequentia ſunt & majora: ſupremi caules in multos ramulos æqualis lõgitudinis diviſi, & floſculis quatuor albis foliolis conſtantibus onuſti, ſambuci umbellam quodammodo referunt: floribus ſuccedunt exigua capitula, turgidula, & veluti duobus utriculis conſtantia, mucrone, qui eos ſeparat, prominente: in ſingulis utriculis unicum ſemẽ continetur: radix candicans, tenuis, longè latéque ſerpit, & quibuſdam fibris prædita eſt.

Natales.

Nulli ferè agrorũ margines circa Viennam, totáque adeò inferiore Auſtriâ, hac plantâ non ſunt obſiti, quę ſubinde in ipſa etiam arva latè irrepit. Floret Maio & Iunij initio, ſemen ſub Iunij finem maturum eſt. Memini etiam hác plantam legere in inſula illa quam facit Rhodanus in duo cornua diviſus inter D. Ægidij phanum & Arelatem, dum Maſſiliam proficiſcerer.

II. Draba altera.

MVLTOS ex eadem radice ramulos humi fuſos, profert Prior illa planta Drabæ generibus adnumeranda, qui terrâ obruti, aut ſub illâ ſeſe condentes, atque etiam ſummâ tellure,

ſerpente

Draba II.
Draba alba siliquosa B. Pin. 109



Draba III.
Draba alba siliquosa repens B. Pin. 109



ſerpentes, ſubinde fibras agunt: ij deinde ſummo capite numeroſa folia producunt villoſa, Drabæ folijs formâ & colore ſimilia, ſed minora, nonnihil in ambitu dentata, ſubacidi initio guſtus, deinde acris: ex horum medio cauliculi exeunt palmares, nonnumquam majores, recti, teretes, virentes, hirſuti, aliquot minoribus folijs latiore baſi eos amplectentibus donati: flores in extremis cauliculis ſpicæ in ſpeciem naſcentes, quatuor albis foliolis conſtant, quibus decidentibus, planæ oblongæque, ut in Sinapi, ſuccreſcunt ſiliquæ, duplici ſerie, puſillum, rufum ſemen continentes: radix candida fibroſáque eſt, ex quâ, ad cauliculorum exortum, alij enaſcuntur ramuli, ſimilibus folijs præditi, in latera ſeſe diffundentes.

Invenitur in Tauro monte: memini & Ferrariâ in Belgicam nobis miſſam ab Alphonſo Pancio, Leucoij montani nomine. Floret maturiùs ſuperiore, nempe Aprili. *Natales. Leucoium montanum.*

III. Draba tertia ſucculento fol. FREQVENTIBVS etiam ramulis, prædita eſt Altera, ex eadem radice prodeuntibus, tenuibus, dnide in caput extuberantibus, ex quo aliquot folia quaſi in orbem diſpoſita prodeunt, craſſa, ſucci plena, atrâ viriditate ſplendentia, Auriculæ urſi Quartæ (quæ flore eſt carnei coloris) folijs magnitudine & forma fermè reſpondentia, ſed nonnihil in lateribus dentata, acri guſtu, & illico linguam vellicante: ex horum medio pedalis aut major exit caulis, gracilis, quem per intervalla ambiunt & amplectuntur folia ſuperioribus minora, & ad petiolum latiora: flores ſpicæ inſtar ſupremum caulem ambiunt, ut in Priore, & quatuor albis foliolis conſtant: quibus ſuccedunt teretia & oblonga cornicula, duplici ordine, rufum, puſillum, & planum ſemen continentia: radix tenuis & repens latè ſeſe diffundit, & novas plantas ſingulis annis producit, viuax, & totâ hieme virens.

Creſcit in declivi montis Herrnalben, ſupra Zeehof, villam Cœnobij Gamingenſis: ubi ſero floret: at in hortos tranſlata, maturiùs, cum præcedente, nonnumquam etiam ante hiemem. Ea forſitan eſt, quam Lobelius in Appendice exhibet pag. 463. *Natales.*

HIS adijciendum eſt genus illud Drabæ minus, quod multa promit, à ſummo radicis capite, foliola, longis pediculis nixa, aliquantulum anguloſa, villis quibuſdam obſita, inter quæ gracilis exilit cauliculus, palmaris, paucis foliolis longioribus præditus, qui à medio ferè ad ſummum, orbicularibus capitellis onuſtus eſt, membranulâ in binas partes diviſis, ſemen exile, fuſcum, continentibus: radix, pro plantæ exilitate, ſatis craſſa, pauciſſimis fibris donata: vivax, ut arbitror, nam præcedentis anni cauliculum adhuc retinebat ea planta, quam Gulielmus de Mera Medicus, in itinere obſervatam, & inter chartas repoſitam, floribus tamen carentem, mihi Francofurti donabat anno M.D.XCIII. *Draba minor.*

Nomina. GRAECIS ἀραβὶς ἢ δράβη: Latinis Arabis & Draba dicitur: nomen vulgare nullum novi: Sunt tamen qui Germanis Turckiſch kreſſ dici ſcribunt.

Facultates. COQVITVR Draba cum Ptiſana, ad pituitoſa pectoris vitia. Semen aridum, pro pipere obſonijs miſceri, ſcribit Dioſcorides.

TVRRITA. CAP. XXV.

IIS congener videtur Planta illa, quæ vulgo, apud eos qui Stirpium cognitione & ſtudio delectantur, Turritæ nomen obtinet, ab extremorum caulium formâ, qui in metæ aut pyramidis effigiem deſinunt. Ejus autem bina obſervabam genera.

Turrita vulgatior.

Braſſica ſylveſtris hiſpida non ramoſa C.B. Pin: 112



Turrita major, Plateau.

Braſſica ſylveſtris ramoſa hiſpida



I. *Turrita vulgatior.* HABET verò Prima, quæ & frequentior, & vulgatior, conferta circa radicem folia, binas uncias longa, ſucculenta, hirta, & aſpera, ſaturatiore colore viridi prædita: inter quæ pedales, aliquando etiam cubitales promit caules, quos inordinata ambiunt folia, circa pediculum latiora, deinde in mucronem deſinentia, ſucculenta & hirſuta: ſummo caule confertim naſcuntur multi exigui flores, quatuor foliolis albis conſtantes: quibus diſcuſſis, alij apparent, caulis faſtigio ſenſim, veluti in metæ formam, ſeſe attollente, ut tandem frequentibus longiuſculis corniculis cinctum conſpiciatur, quæ puſillum, rufum, acre ſemen continent: radix illi alba, multis fibris prædita, quam tamen vivacem eſſe non puto.

Natales. Sponte provenit, in pleriſque Auſtriæ collibus lapidoſis & ſalebroſis. Floret Maio, ſemen maturum eſt Iunio.

II. *Turrita major.* MVLTA etiam promit Altera ſecundum radicem folia, Prioris folijs majora, in ambitu nonnihil criſpa & ſinuoſa, minus tamen aſpera, & colore dilutius virente: inter quæ caulem promit, interdum plures, bicubitales ut plurimùm, in aliquot ramos diviſos, per quos inordinata naſcuntur folia, valde latâ ſede eos complectentia, foliorum Braſſicæ campeſtris (de quâ proximè ſequente capite) propè inſtar: ſummo caule multos ſimiliter fert flores, ſuperioris floribus paullo majores, quatuor etiam folijs conſtantes, coloris ex albo interdum pallentis & ὠχρολεύκου, aliquando omnino nivei: quos ſubſequuntur conferta, ut in priore, longa cornicula, ſemine altero aliquantulum craſſiore, plena: radix eſt alba, prioris radice craſſior & durior, paucioribusque fibris donata, nec vivax: nam altero plerumque à ſatione anno, caules prolato ſemine exareſcunt, & tota planta perit.

Natales. Rarius invenitur priore, & umbrâ magis delectari videtur, quare facilius in cæduis ſilvis, quàm apertis collibus (quibus prior gaudet) naſcitur. Floret Aprili & Maio. Huic valde ſimilis (niſi eadem ſit) nata Iacobo Plateau, ſemine neſcio unde accepto. Illius ad me

iconem

Braſſica campeſtris I. Braſſica campeſtris Perfoliata flore albo B: Pin: 112



iconem etiam cum varijs alijs mittebat.

Non videtur abſimilis Braſſicæ virgatæ Cordi, Hiſtor. plant. I. cap. XXXI. *Braſſica virgata Cordi.*

BRASSICA CAMPESTRIS. CAP. XXVI.

PEDALES habet hæc Planta caules, candicantes, rotundos, aliquot ramis præditos, folia, ex intervallis, Perfoliatæ folijs non valde diſſimilia, albicantia, & colore ferè Braſſicæ uſualis, caulem ſic amplectentia, ut tenellæ plantę ad Perfoliatam plurimùm accedant, guſtu fervido: ramuli è lateribus prodeuntes, ſuſtinent aliquot flores albos, Braſſicæ floribus ſimiles, deinde cornicula longa, quadrangula, in quibus continetur ſemen Braſſicæ ſemine minus, ex rufo fuſcum. *I. Braſſica cāpeſtris albo flore.*

ALIVD ejus genus eſt firmioribus virgis, nec adeo ramoſis, cujus folia in ſummo aliquantulum ſerrata, reliquis notis à Prioris folijs non differunt, & fervido etiam ſunt guſtu: flores Prioris floribus ſimiles, majores tamen, Leucoij aut Heſperidis floribus magnitudine pares, colore autem Lunariæ græcæ flori, purpureo videlicet: cornicula ſuccedentia prioribus ſimilia & ſimile ſemen continentia. Radix tàm in hoc quàm in alio, licet dura fibriſque quibuſdam prædita ſit, vivax tamen non eſt, ſed prolato ſemine perire ſolet. *II. Braſſica cāpeſtris purpureo flore.*

Frequens eſt utrumq. genus Murciano regno, ad Eliocrotam urbem, vulgo Lorca dictam, in arvis & ſecũdum vias: ubi Martio florebat. Sed & primum genus ſponte creſcens obſervabam magnâ copiâ, in arvis Viennenſe agro, Maio florens. *Natales.*

BRASSICAM campeſtrem hanc plantam nuncupavi, tum quia in agris & campeſtribus naſcentem conſpiciebam, tum quia, apud quos naſcitur Murciani, Collejon appellabant, id eſt Braſſiculam. Cordus primam ſpeciẽ non ignoravit; nam Braſſicam agreſtem vocat, quam veriſimile eſt apud ſuos in agris ſponte naſcentem obſervaſſe, propterea agreſtis nomen indidiſſe: non deſunt qui Braſſicam ſemine quadrangulo vocent, ineptè: à corniculo potius, in quo ſemen, nam ſemen quadrãgulum non eſt. *Nomina.*

Hujus plantæ acrimonia, proximè ad Braſſicæ facultates accedere indicio eſt, & illâ valentiorem forſitan eſſe.

Cardamine alpina I. trifolia.
Nasturtium alpinum trifolium B: Pin: 104



CARDAMINE ALPINA. CAP. XXVII.

PRAETER Cardamines Vulgaris genera, quę in Pannoniâ, Auſtriâ, viciniſque regionibus, non minus ſunt obvia, quàm in reliquis Provincijs quas ante peragraverim: aliquot non vulgaria etiam obſervabam, quæ ſilentio minimè premenda duxi.

VNVM, nigricantibus ex purpurâ ramulis per terram ſerpit, in quibus, oblongo ejuſdem coloris pediculo, terna perpetuo folia innituntur, circa pediculum anguſtiora, per oras latiora & quaſi orbiculata, in ambitu nonnihil crenata, initio tenella & viridia, deinde dura, nigricantia, acidulo primum guſtu, poſtea acri: *I. Cardamine alpina trifolia.*

cauliculi

cauliculi teretes inter folia erumpunt ex purpura nigricantes, palmares, nullis aut rariſſimis (quæ terna etiam eidem pediculo inhærent) folijs præditi: flores extremis ramis inſident candidi, quatuor foliolis conſtantes, Cardamines pratenſis, quam Fuchſius Iberidem nuncupavit, floribus perſimiles; his ſuccedunt toroſæ & oblongæ ſiliquæ, ſive cornicula, Dentariarum corniculis penè ſimilia, ſed minora, ſemine etiam ſimili, licet minore, plena: radix ſummâ tellure ſerpit, & ſubinde parvas candidáſque fibras agit, ſic ut facilè ramulis terrâ obrutis pangi poſſit.

Natales. Invenitur in ſilvoſis montibus, nudo ſolo potiùs quàm herboſo, ad Abietum & præaltarum arborũ radices, totâ hieme etiam virens. Floret Iunij initio, in cultis verò, etiã Aprili.

II. Cardamine alpina media. ALTERVM, habet folia elegantiſſimo ordine in orbem diſpoſita, duarum ferè unciarum longitudine, profundioribus crenis incisa, & laciniata, ut Siſymbrij cardamines, ſive Naſturtij aquatici vulgo vocati, folia, hirſuta & aſpera, ſupernè veluti cinereo colore aſperſa, infernè autem viridiora, guſtu initio aliquantulum acido, deinde acriuſculo: ex quorum medio prodit cauliculus dodrantalis, tenuis, albos floſculos in ſummis ramulis ferens: deinde cornicula teretia, parva, ſemen obſervare non licuit: radix longiuſcula eſt, alba, quibuſdam fibris capillata.

Natales. Naſcitur in Stiriæ inferioris ſcopulis ad Cœnobium Neuberg, quod Alpium ejus Provinciæ jugo ipſi imminenti nomen impoſuit. Florebat Auguſto.

Cardamine alpina III. minima.

Naſturtium alpinum tenuiſſime diviſum B: Pin: 105



Cardamine altera ſimplici flore.

Naſturtium pratenſe magno flore B: Pin: 104.



III. Cardamine alpina minima. MINIMA & tenerrima eſt Tertij plantula, cauliculis unciam longis, in quibus umbella floſculorum candidorum, quatuor foliolis conſtantium: folia alata, ex ternis, quinis, aut ſeptenis foliolis uni coſtæ adhęrentibus conflata, viridia, guſtu acri & fervido: radix alba, ſatis longa, quibuſdam fibris capillata eſt.

Natales. In ipſis ſcopulis ſummi jugi Sneberg, dum per nivem glaciali duritie conſtrictam, ferreis uncis ad pedes alligatis delabor (iſtic enim, quemadmodum & in reliquis vicinis jugis, perpetuæ ſunt nives à multis ſeculis collectæ, eæque, radijs Solaribus ſummam ſuperficiem reſolventibus, adeò lubricæ, ut ſine uncis per eas ingredi nemo queat) inveniebam florentem Auguſto, ubi nives jam primùm diſſolvi incipiebant. Invenitur etiam in Tyrolenſibus atque Saltzburgenſibus montibus, teſte D. Ioachimo Camerario, qui eam ſiccam ad me mittebat. Ex C. V. Geſneri Epiſtolis apparet etiam in Helveticis alpibus naſci.

VVLGARE nullum nomen iſtarũ plantarum accipiebam: ſed non dubium eſt, ad Cardamines ſive Siſymbrij alterius genera referẽdas eſſe. Priorẽ memini nobis Machliniam miſſam ante multos annos ab Alfonſo Pantio, Saniculæ trifoliæ nomine: à quo tẽpore in nonnullis Belgicis hortis perdurare arbitror. Eam commodius, meo judicio, Matthias de Lobel *Sanicula trifolia.*


noſter

noſter inter Cardamines recenſuit, trifoliámque cognominavit. Tertiam Geſnerus, quantum ex ipſius verbis colligere licet, in Epiſtolis Naſturtiolum appellat. *Naſturtiolum.*

CETERVM plantam illam Cardamines, ſive Siſymbrij alterius Dioſcoridis æmulam, paſſim uliginoſis locis & humidioribus pratis, interdum etiam hortis fructiferâ arbore conſitis naſcentem, quam Fuchſius Iberidem arbitratus eſt, prato quodam ſicciore, nonnullis tamen depreſſioribus locis humente, colligere memini floribus multiplici glomeratáque foliorum ſerie conſtantibus onuſtam, anno M. D. LXXIII. Maio menſe, trimeſtri videlicet ante quàm Belgicâ excederem Viennam Auſtriæ profecturus.

Cardamine altera pleno flore.

Naſturtium pratenſe pleno flore B: Pin: 104



Plantula Cardamines alterius æmula.

Naſturtium alpinum bellidis folio minus B: Pin: 105



Similem nunc in Belgicis hortis à diligentioribus rei herbariæ cultoribus ali, me monebat ante biennium Iacobus Plateau, qui ejus etiam iconem manu propriâ delineatam ad me mittebat Francofurtum. Eam poſtea in ligneâ tabellâ exprimi, & ſculpi curabam, ut cum vulgaris, quæ ſimplici eſt flore, icone hoc capite insererem. *Cardamine vulg. pleno flore.*

OBSERVABATVR porrò à me alia plantula in Etſcheriano jugo ſcopulis inhærens, quam an ad Cardamines alterius, an ad Sinapi potiùs claſſem, referre deberem, hęrebam, necdum apud me conſtitui in quam claſſem referenda: ne tamen nullum locum in his Commentarijs obtineret, huic interea capiti adijciendam cenſuimus.

Sena verò aut ſeptena, humi ſecundùm radicem expanſa, habet illa foliola, Bellidis foliolis non diſſimilia, teneriora tamen, & levi acrimoniâ prædita: è quorum medio, tenellus & gracilis prodit cauliculus, raris foliolis ſeptus, palmaris aut paulò altior, in cujus ſummo ſeni aut ſepteni erant floſculi, quatuor albis foliolis conſtantes; in quibuſdam plantulis totidem ſine flore ſiliquæ ſive cornicula ſatismagna pro plantulæ ratione, duplici ſerie, quemadmodum in Cardamines alterius & ſimilium corniculis, ſemen continentia exiguum, planum, rufeſcens, nonnullâ acrimoniâ præditum: radix ſummâ tellure ſerpens, nova germina ſubinde profert. *Sinapi pumilum alpinũ.*


NASTVRTIVM SILVESTRE Valentinum. CAP. XXVIII.

VNICO hæc planta aſſurgit caule, ſed ſtatim à radice, ſupra ſolum, multis alis diviſo, hirſuto & aſpero, virente, rotundo, pedalis longitudinis; inferna folia qualia ſint, pronuntiare non poſſum, quia jam in ſemen magna ex parte evaſerat planta cùm obſervabam: quæ tamen ſub alis cauli inhærebant, tenuia erant & multifida, Naſturtij vulgaris, & legiti- *Naſturtium ſil. Valentinum.*

mi, folio-

Naſturtium ſilveſtre Valentinum.

Naſturtium ſylveſtre Erucae affine Bauh. pin: 105



Natales.

Thlaſpi montanum 1.

Thlaſpi montanum glaſti folio majus Bauh. pin: 106



Thlaſpi genus multiplex.

1. Thlaſpi montanum peltatum.

mi,foliorum parè æmula, tenuiora tamen & viridia,acri guſtu,ut Naſturtium:extremis ramis fert multos, ſpicæ in ſpeciem, congeſtos floſculos, quatuor foliolis palleſcentibus conſtantes, in quibus totidē ſtamina, quibus evaneſcentibus, ſuccedunt ſiliquulæ breves duabus valvulis ſive utriculis conſtantes cum lingulâ prominente, non quidem ſurſum erectæ, ut reliquarum congenerum, ſed deorſum inflexæ in quibus Naſturtij æmulum ſemen: radix eſt ſingularis,candicans,ſatis craſſa, nō tamen vivax,ſed quæ ſingulis annis perit.

Eodem loco, eodémque tempore, nempe Martio, florentem hanc plantam & ſemine jam plenam inveniebam, quo Alyſſon Galeni, Valentino videlicet regno: & quia pleraſque notas cum Naſturtio communes habere conſpiciebam, Naſturtij nomen indidi: cui (quantum ex guſtu judicare licet) perſimiles facultates habet.

HVIVS, meâ ſententiâ, nomen immutare non debuerat Lobelius, qui ipſam ſtirpē nunquam conſpexit: nam plantis mihi antea ignotis & primùm obſervatis,feſtinanter, & tumultuario quodammodo impetu nomina dare non ſoleo, ſed priùs omnes illarum notas & reliqua neceſſaria maturè perpēdo,ante quàm aliquam ſtirpem certo nomine donare adgrediar,ut facilè animadvertent, quotquot meas lucubrationes diligenter & ſedato animo legent: malo enim interdum ipſas plantas ἀνωνύμους relinquere (ut mihi adhuc uſu venit in his Commentarijs) cùm in commodo nomine applicando mihi ipſe non ſatisfacio, quàm temerè nomen aliquod, naturæ plantæ nō ſatis reſpondens, donare. Sed quam quæſo majorem affinitatem habet hæc planta cum Erucâ, quàm cum Naſturtio? Si quis utramque ſtirpem ſano judicio conferet, inveniet profectò me,non ſine probabili cauſa, Naſturtij ſilveſtris nomen huic plantæ dediſſe.


THLASPI MONTANVM.
CAP. XXIX.

EX illarum numero eſt hæc Planta, in quarum generibus maxima varietas conſpicitur, ut ex eorum Lucubrationibus colligere licet, qui Stirpium Hiſtorias ſcripſerunt: Ejus etiam quædam genera obſervabam, in Pannoniâ,viciniſque regionibus, nuſquā alibi mihi conſpecta.

PEDALI aſſurgit Primum genus caule,nonnunquam altiore, gracili, firmo, folijs pænè Braſſicæ campeſtris, ipſum amplectentibus, minoribus tamen,mollioribus, ſupernè virentibus,infernè candicantibus, odore propemodum allij, quali ſunt etiam ea quæ ſtatim à radice prodeunt: flos in extremis ramulis naſcitur copioſus, albus, quatuor foliolis conſtans, odoris expers: quo decidente, latæ, planæque propendent ſiliquæ, ſive thecæ, non bifidæ, ut in alijs Thlaſpi generibus,ſed circinatæ ferè rotunditatis,& in orbem, peltæ inſtar, efformatæ,uni-


Thlaſpi montanum II.

Thlaſpi alpinum bellidis cœruleo folio B. Pin: 106.



Thlaſpi III. pumilum.

Thlaſpi perfoliatum minimum B. Pin: 106.



cæ, unicum in ipſo centro continentes ſemen, flaveſcens, guſtu amaro & acri: radix alba, fibroſa, tenuis, ſummâ interdum tellure ſerpit, & nova ad latus germina profert.

Invenitur umbroſis locis ad arcem Stichenſtain, & quâ iter eſt ex eâ arce ad Sneberg, nuſquam alibi mihi obſervatum: nunc verò meâ operâ, miſſis Viennâ ejus Plantis & ſemine ad amicos, Belgicis & Anglicis hortis inquilinum factum. Floret Iunio, ſemen Iulio & Auguſto ad maturitatem pervenit. *Natales.*

Illius iconem in Belgicâ expreſſam, vel ex plantâ eò miſſa, aut ſemine iſtic natâ, tametſi non adeò feliciter, ut neceſſe erat, retinere libuit & hîc inſerere, ne Typographum nimijs expenſis gravaremus.

NVMEROSA ſunt Secundo folia, humi ſtrata, parva, craſſa & ſucculenta, ſaturâ viriditate nitentia, quaſique cæſij coloris, Globulariæ, quam Anguillara Aphyllantem appellat, folijs proxima, cuſpide orbiculatâ, acri guſtu: caules plures, rotundi, pedales, aut etiam minores, paulo brevioribus & magis virētibus folijs ſtipati: onuſti verò albis floribus ex quatuor foliolis compoſitis: quibus marcidis ſuccedunt compreſſæ thecæ, Thlaſpi vulgaris vaſculis ſimiles, in quibus ſemen ſubrufum, Thlaſpi Cretici ſemini par, niſi minus eſſet: radix candicans, fibroſa, lateribus in propagines ſeſe explicat, & diffundit. *II. Thlaſpi Badenſe.*

Provenit in declivi montis illius glabri, qui urbi Badenſi (in qua calidarũ aquarum ſunt ſcaturigines) imminet, quarto à Viennâ miliari. Floret Aprili, ſemen fert Maio & Iunio. *Natales.*

ALIQVOT habet Tertium foliola, per terram ſparſa, Braſſicæ campeſtris foliorum formam & colorem pænè imitantia, ſed longè minora, quæ verò per caulem ſparguntur, qui ſingularis eſt, & palmaris altitudinis, rarò major, rara ſunt, latioréque pediculo ipſum quodammodo amplectuntur, Braſſicæ campeſtris foliorum inſtar, & guſtu aliquantulum acri: flores puſilli, albi, quatuor foliolis conſtantes, ſummis cauliculis inſident, quos ſubſequuntur compreſſa vaſcula, ijs quæ in Cretico Thlaſpi conſpiciuntur ſimilia, ſuperiore parte fiſſa, duobus utriculis planis prædita, in quorum ſingulis bina aut terna granula flaveſcentia, acris ſaporis. *III. Thlaſpi mõtanum minus.*

Creſcit in petris, & ſiccis quibuſdam, umbroſis tamen, Auſtriæ collibus. Floret Aprili, ſemen Maio maturum. *Natales.*

VVLGARE nomen an obtinuerint apud illius Regionis incolas, & porrò in medicum uſum apud eoſdem receptæ ſint, non intellexi.

MEMINI olim in Allobrogibus, cùm per Helvetios mihi eſſet iter in Germaniam

Thlaſpi

Thlaſpi IIII. parvum odorato flore.

Thlaſpi umbellatum creticum flore albo odoro, minus C. B: Pin: 106



Thlaſpi v. Hiſpanic. albo flore.

Thlaſpi fruticoſum folio Thymbræ hirſuto C. B: Pin: 108



Thlaſpi incanum Machlinienſe.


Thlaſpi fruticoſum incanum C. B: Pin: 108

IIII. *Thlaſpi Allobrogic. Cretico par. albo flore.*

V. *Thlaſpi parvum albo flo. odorato.*

VI. *Thlaſpi Hiſpanic. candido flo.*

Nemina.



Thlaſpi genus invenire, Cretico valde ſimile, cujus tamen flores nō eſſent purpurei, ſed omnino nivei: foliorum tamen acrimoniâ, Cretico reſpondens.

SED & Thlaſpi bina genera Iacobo Plateau ſemine nata, ut ipſe ante biennium ad me ſcribebat, & utriuſque iconem ad me mittebat.

VNVM humile, ſingularibus virgis aſſurgit, rotūdis, in plures ramos diviſis, per quos, ut per caulem, ſparſa erant anguſta & extremo mucrone ſerrata folia, Cretici foliorū æmula, acri guſtu prædita: ſummo caule & extimis ramis, naſcebantur veluti quædam in unū caput congeſtæ umbellę florum niveorum, odoratorum, quibus ſucceſſerunt thecæ Cretici Thlaſpi vaſculis ſimiles, in quibus ſemen: radix etiam Cretici inſtar, non vivax.

ALTERVM ſtatim à radice multas emittit virgas inęquales, frequentibus ramis donatas: folia illius anguſta, mucronata, nullo ſervato ordine, caulem & ramos ambiunt, ſatis manifeſtæ acrimoniæ: extremi rami multos albos floſculos in caput congeſtos ferunt, quibus excuſſis, ſubſequuntur planæ thecæ in ſpicæ ſpecié naſcentes, ſuperioribus ſimiles, duobus utriculis conſtantes, in quibus ſemen: radix craſſiuſcula, dura, non vivax.

Prioris iconi adſcriptū erat, Thlaſpi parvum flore niveo, odorato: Alterius autem. Thlaſpi Hiſpanicum flore cādido: quod, an affinitatem aliquam habeat cum Thlaſpi fruticoſo altero Lobelij,

Thlaſpi clypeatum.

Thlaſpi hirſutatum aſperum Hieraciifolium et majus B: Pin: 107.



Lobelij, ex iconibus judicium ferre nequeo: ejus tamen quam expreſſam hîc damus icon, vaſcula bifurca habet, qualia ferè in Cretico: fruticoſi verò, ſimplicia ſunt & mucronata.

NASCITVR etiam pleriſque Auſtrię & Moraviæ locis, ſecus vias & agrorum margines, gramineíſque incultis locis, non minus quàm in Belgicâ, Thlaſpi genus illud quod nónulli Machlinienſe cognominant, quia juxta Machliniam Belgicæ celebrem urbem, in quâ ſupremum omnium illarum Provinciarum Concilium, plurimum naſcatur publicâ viâ, quâ Antuerpiam itur.

Thlaſpi incano folio Machlienſe cognominat.

Habet verò folia unciam longa, dimidiam lata (inæqualiter & inordinatè caulē amplectentia caulem pedalem aut ampliorem) cineracei coloris & acris ſaporis: caules in ramulos diviſi, extremis albos flores proferunt, quatuor bifidis folijs cōſtantes, in caput congeſtos & quaſi umbellatim naſcentes: quibus decuſſis, paulatim illa capita ſuccreſcunt & producuntur, vaſculáque oſtendunt mucronata, brevia, ſemen cōtinentia: radix albicans, fibris quibus prædita eſt, ſub terrâ latè ſerpit, Drabæ inſtar.

SVPRA Badenſes etiam Thermas viciníſque collibus, adeóq; totâ illâ Collium (montes enim appellare nō poſſum, ſi ad alios longè celſiores in illis Provincijs cōferantur) catenâ, quæ deinde per Leytenberg & ſupra Mãderſtorf ad Danubiū uſque verſus Orientem excurrit, copioſè naſcitur illud Thlaſpi genus, hirſutis & veluti circum eroſis folijs, quod in ſummis cauliculis & extimis ramulis, flores ex luteo palleſcentes profert, deinde bina vaſcula orbiculata, plana, clypei inſtar efformata, medio turgidula, in quibus ſemen, quale noſter Lobelius in Adverſarijs deſcribit.

Thlaſpi clypeatum.

CETERVM Thlaſpi bilem per ſuperna & inferna purgat, acetabuli menſurâ potū, Iſchiadicis in clyſtere infunditur, potum ſanguinem ducit, & interiores abſceſſus rumpit, menſes cit, &c.

Facultates.

Alyſſum minimum.

Thlaſpi aliſſon dictum campeſtre majus B: Pin: 107



ALYSSVM MINIMVM. CAP. XXX.

THLASPI generibus quodámodo congener eſſe videtur ea Plantula, de quâ hoc capite nobis inſtitutus eſt ſermo.

MVLTOS ex eadem radice (interdum unicum tantum) proferre ſolet illa caulicos, dodrante minores, tenues, magnâ ex parte purpuraſcentes, per quos ſine ullo ordine ſparſa ſunt numeroſa foliola, lini foliolis haud majora, incana, ſubacidi guſtus, ſed ſalivam quodámodo cientis: ſummi ramuli, comâ floſculorum exornãtur, quinque perpuſillis luteolis foliolis conſtantium: ea coma paulatim deinde veluti in ſpicam explicatur, floribúſq; ſuccedunt orbiculatæ & compreſſæ quidem, ſed in medio turgentes peltulæ, ſive parmulæ, initio virides, deinde ſubflavæ, exiguum rufum ſemen continentes: radix candicat & fibroſa eſt, attamen annua.

Alyſſum minimum.

Leucoium incanum ſiliquis rotundis C.B.: Pin: 201.

Natales.

Eruca peregrina.



NVSQVAM non creſcit Viennenſi agro, ad arvorum, vinetorúmq; margines, quibus à publica via ſeparantur, quinetiam ſiccis & gramineis agris non modò Auſtriç ſed etiam Moraviæ, & Pannoniæ. Floret toto Aprili, interdum etiam Maio.

AN nomẽ aliquod vulgare obtineat apud eos populos ubi naſcitur, non intellexi: affinitatem autẽ habere videtur, cum eâ plantâ, quæ à vulgo Herbariorum, Dioſcoridis Alyſſon eſſe creditur: aliud enim eſt Galeni Alyſſon, de quo libro ſuperiore egimus.

ERVCA PEREGRINA. CAP. XXXI.

ALIQVOT caules ex unâ radice prodeuntes habet hæc planta, ſeſquipedales interdũ, rotundos, graciles, & in his multa folia, oblonga, anguſta, coſtâ prominente, incana, nõnihil in ambitu veluti circumroſa, acri guſtu prædita, ut & quæ humi ſecundùm radicem fuſa ſunt, quæ plerũque ampliora ſunt: flores in ſummis caulibus ſimul congeſtos, luteos, quatuor folijs bifidis conſtantes, Erucæ ſativæ floribus minores, Leucoij ſilveſtris Tertio libro deſcripti floribus, magnitudine quidem reſpondentes, forma tamẽ diſſimiles: ijs ſuccedũt vaſcula ſeu folliculi ſubrotundi, tumentes, in binas partes diviſi, prominente in extremo, mucrone, ſeu ſtilo, ſemen ſubrufum, acre, continentes: radix ad minimi digiti craſſitudinem excreſcit, candida, nonnullis fibris prædita.

Creſcit quibuſdam Caſtellæ locis incultis, & juxta vias: ubi Maio floret. Semine in Belgium miſſo nata, non niſi Iunio & Iulio.

SVNT qui, Leucoium ſemine rotundo, vulgo vocarint; alij Patavinum marinum Leucoion, ob aliquam, ut puto, quam ejus folia cum Leucoij folijs ſimilitudinem habent. Sed mihi inter Erucæ genera potius referenda videtur. Vulgare nullũ nomen novi.

Leucoium ſemine rot. Leucoiũ marin. Patavin.

Alsine affinis Androsaceae dicta major. C.B.: Pin: 251.

Natales.

Androſace altera Matthioli.



Androſace altera Matthioli.

ANDROSACES ALTERA MATTHIOLI. CAP. XXXII.

ISTAM Plantam in Commentarios noſtros inferre animus non erat, cùm à Matthiolo ſit exhibita. Verùm cùm illius duntaxat iconem, & eam quidem non ſatis ſcitè expreſſam, nullâ ejus hiſtoriâ additâ evulgarit: eam deſcribere non pigebit, ut rei herbariæ ſtudioſi pleniorem ejus cognitionem conſequi poſſint.

MVLTA ſunt illi folia, humi expanſa, foliorum Plantaginis æmula, ſed minora, trinervia, colore ex viridi palleſcente, in ambitu dentata, Ilicis foliorum ferè inſtar, mollia tamen, ſucculenta, guſtu aliquantulum acri: inter quæ ſeni, interdũ plures aſſurgunt cauliculi, palmares, herbacei coloris, aliquando purpuraſcentes, nudi, aliquantulum villoſi, qui ſummo faſtigio, corollam ſuſtinẽt, quinque, ut plurimum, orbiculatorum foliorum, nonnihil etiam dentatorum, & lanuginoſorum, unde quini aut plures emergunt pedicelli,

caliculum

caliculum ferentes herbaceum,lanuginoſum,quinque etiam foliolis donatũ, ſive in quinque lacinias deſinẽtem,& in ejus meditullio,floſculum album, in quinque crenas ſectum: baſcula deinde tumeſcunt,& ſemen continent, inæquale,rufum,primulę veris ſemini non diſpar,ſed majus: capitella cum folijs præmanſa, adſtringentis initio guſtus,paulò pôſt amari & acris deprehendũtur:radix illi unica, tenuis, paucis tenuibus fibris capillata, non vivax: nam prolato ſemine tota planta perit.

HANC plantam pro Androſace alterâ exhibet Matthiolus, ab amico acceptam, qui ex Syriâ allatam referebat. Verùm non neceſſe erat illam tam procul petere, quandoquidem Auſtria in quâ vixit, abundè ſubminiſtraſſet: copioſè enim naſcitur inter ſegetes circa Badenſes thermas ſæpiùs memoratas, atque adeò locis Viennenſi urbi vicinis. Aprili floret, ſemen verò Maio & Iunio maturum eſt. *Natales.*

NVLLVM vulgare nomen illius intellexi: negliguntur enim pleræque ejuſmodi ſtirpes à ruſticis, niſi earum aliquas vires exploratas habeant.

AN porrò hæc ſimiles obtinere poſſit facultates quas Dioſcorides ſuæ Androſaci tribuit, me fugit,& Medicis id diſcutiendum relinquo. Dioſcorides autem Androſacen,drachmis duabus ex vino potam, hydropicis copioſam urinam ciere: eundem effectum præſtare,& ſemen potum,& herbæ decoctum:præterea podagricis utiliter illini, ſcribit.

ATRIPLEX SILVESTRIS baccifera. CAP. XXXIII.

Atriplex sylvestris mori fructu C. B. Pin: 119



ELEGANS eſt hæc Planta,à me quidem in Hiſpanijs non obſervata, ſed ante biennium arida ad me miſſa Francofurtum,à Iacobo Plateau, cum icone ipſius manu delineatâ;cui paucas notas adſcripſerat,è quibus qualẽcunque illius hiſtoriã concinnavimus.

ASSVRGVNT à ſingulari radice, paucis fibris præditâ (quæ vivax non videtur) terni aut quaterni caules,interdum unicus,ſtatim à ſummo radicis capite diviſus in aliquot ramos pedẽ aut circiter longos, inæquales, anguloſos,in terram procumbẽtes, minoribus alijs ramis donatos, in quibus, ut & in majoribus, ſingularia alternis naſcuntur folia, modò in unum latus, modò in alterum diſpoſita,anguloſa,qualia in Atriplicis quibuſdã generibus, incana:ad quorum exortum, multi in unum caput congeſti orbiculi, fructus mori rudimentum quodammodo referentes, qui, maturitate, rubellum colorem contrahentes, exiguum morum ementiuntur, atq. magnam toti plantæ addunt venuſtatem & gratiam:ſinguli autem illi orbiculi ſemen continent exiguum,rotundum,cineracei coloris,quale fere in Papavere ceratite, violaceum florem ferente. *Atriplex ſil. baccifera.*

Qui mittebat, Hiſpanico ſemine ipſi natam adſcribebat: quo autem tempore,flores & ſemen daret,nullam mẽtionem faciebat.

SIMILEM porrò plantam in Tyrolenſi comitatu reperiſſe ſe affirmabat Doctiſs. Vir Gulielmus à Mera Medicus, dum ex Italiâ rediens per eam regionem iter faceret anno M D XCIII. ſub extremum Auguſtum, magis fruticantem, & ſuis fructibus onuſtam adeo elegantibus, ut ipſum etiam ad veſcendum invitarent.


Sed mihi etiam Lugduni Batavorum natæ plantæ anno M D XCV. ſemine quod ex ſiccâ illâ plantâ,quam Francofurti accipiebam excuſſo,quę hiemem ſuperantes,inſequente anno valde luxuriantes frequentes cubitaleſq; caules in multos ramos diviſos protulerunt,plurimos fructus rubentes in unum caput congeſtos ad foliorum exortum naſcentes habuerunt totâ fere æſtate; denique ſub Autumni initium contabuerunt.

RVTA MONTANA. CAP. XXXIIII.

MONTANA, eademq; ſilveſtris Ruta, non ea quam Dioſcorides peculiari capite deſcribit,ſed cujus, capite de Rutâ, mentionem facit,herba eſt multis folijs per terram ſtratis,multifidis,tenuiſſimeq; diviſis,ex pallidâ viriditate cãdicãtibus,graviſſimi acerrimiq; odoris:ab radice,quæ longa eſt,candida,lignoſa,& minimi interdum digiti craſſitudine,bi- *Ruta montana.*

Ruta ſylveſtris minor C.B. pin: 336.

Ruta montana.



Natales.

Rutta ſylveſtris magno flore C.B. pin: 336

Harmala.



Ruta ſilveſtris Cretica.

Nomina.

Facultates.

Harmala.

nos aut ternos aliquando fert caules, in ternos aut quaternos ramulos ſeſe ſuperiore parte dividentes, qui florem ſuſtinent, hortenſi ſimilem, minorem tamen, & ex luteo palleſcentem: deinde capita quadrangula, in quibus ſemen continetur exile, nigrum, acre.

Tota planta graviſſimi odoris eſt, tantæque acrimoniæ, ut per triplices chirothecas ad legentis manus penetrare, non ſemel expertus ſim: & ſi quis, quâ eam decerpſit manu, faciem demulceat, ilico vehementé inflammationem excitat, quemadmodũ rectiſſimè ſcripſit Dioſcorides. Memini ſanè, dum Mompellij vivebam, Germanũ ſtudioſum, qui in herbatione comitem ſe mihi adjunxerat, monere, ne eâ lectâ faciem tractaret: is quidem à facie abſtinuit, ſed cùm vehemens eſſet æſtus, & verſaremur loco aperto, à ſolaribus radijs valde illuſtrato, ſteriliq; & deſerto, ubi nulla alia frondium copia, me non animadvertente, ramórum hujus rutæ teneriorum, manum plenam legit, capiti imponit, deinde petaſum inducit, exiſtimans hac ratione, Solis ardoré à capite arcere poſſe: verùm brevi ſenſit ſuo damno quænam eſſet Plãtæ acrimonia. Nam & caput illi vehementer æſtuare cepit, & ea partis frons, quæ ſudore defluente tacta fuerat, tota veluti eryſipelate corripi, excitatis multis rubentibus papulis, ut in urbé rediens, aptis remedijs fuerit curandus.

Siccis autem petroſiſq; & Sole aduſtis locis ſponte naſcitur, cùm in Hiſpanijs, tùm Galliâ Narbonenſi, aliiſq; fervidis regionibus. Floret Iunio & Iulio, Auguſto ſemen maturum eſt. In Belgio aliquoties ſata, altero tantùm à ſatione anno floruit, atq. ſerius, & cũ frigoris ſit impatiẽtiſſima, plerumq. prolatis floribus cõtabuit.

AB hac differre non videtur, quæ ſemine è Cretâ allato nata eſt amico, anno M D XCII. floruit ſequente, niſi quod vegetior fuerit & magis luxurians, quia in culto loco nata: nã & folia valde tenuiter inciſa, & gravis admodũ odoris, flores pallidi, quatuor foliolis cõſtantes, capitum rudimenta (floruit enim ſub Auguſti finem) tetragona. Miſſum verò ſemen Rutæ ſilveſtris nomine.

HANC Dioſcorides πήγανον ὀρεινὸν ϗ̀ ἄγριον vocat, id eſt Rutam mõtanam & agreſtẽ, ejus verò radicem μῶλυ ὀρεινὸν, hoc eſt, Moly montanum: forte Ruta mas Pythagoræ apud Plinium. Hiſpani ab hortẽſi non diſcernunt, ſed communi cum illâ nomine, *Ruda* appellant.

CIBIS damnatam refert Dioſc. etenim ſi copioſius edatur, interficere: cutem, dum colligitur, inflare, & rubore quodam inficere cum pruritu & vehementi inflammatione: in Antidota autem ejus ſemen commodè addi.

RVTA SILVES. HARMALA. CAP. XXXV.

FRVTICOSA hęc eſt plãta, multos ab unâ radice emittens cauliculos, pluribus ramis donatos, pedales, ex viridi nigricantes: in quibus folia oblonga, denſa, ſive pinguia & carnoſa, saturè virentia, multifida, Napelli tenuifolij (quem quidam Antitoram vocant) folijs non valde diſſimilia, guſtu lento, gũmoſo, amaro, aliquãtulum tamen mordaci: flores in ſummis ramis candidi, quinque foliolis conſtantes, mul-

tes, multis in medio fibris luteis præditi: deinde capitula hortenſis rutæ capitibus majora, molliora tamen quàm illa, & triangula, ſemine referta inæquali, anguloſo, ex rufo nigreſcente: radix dura eſt, minimi interdum digiti craſſitudinem æquans, fibroſa, colore ex luteo palleſcente. Tota autem planta graveolentis, atque adeò ingrati, odoris eſt.

Plurima in Caſtellâ novâ, circa Madritium & Guadalajara, collibus & læto ſolo provenit. Floret Iulio & Auguſto, ſemen Septembri maturum colligebam. Sed & florentem & ſemine prægnantem etiam Octobri iſtic reperiebam. In Belgicâ ſata, aliquot nonnunquam annos perduravit, ſed vix, aut rarò admodum ad florem pervenit, utpote quæ non ſecus ac ſuperior, frigoris ſit valde impatiens. Viennæ autem aliquot etiam annos ſemine natam alui, ſæpiſſimè egregiè florentem, aliquando etiam deciduo flore trigona capita proferentem, quorum tamen inane eſſet ſemen. *Natales.*

HANC etiam, πήγανον ἄγριον appellari, teſtis eſt Dioſcorides: Cappadocibus autem μῶλυ, alijs ἅρμαλα, Syris *Beſaſa* dici: Latini Rutam ſilveſtrem & Harmalam vocant. Caſtellani *Gamarſa*, & *Cogombrillos amargos*, id eſt, exiles Cucumeres amaros nuncupant. *Nomina.*

SEMEN cum melle, vino, croco, fœniculi ſucco, ac gallinaceo felle, teritur contra retuſam oculorum aciem, referente Dioſcoride.

BELLONIVS lib. II. Obſervationum cap. XXI. ait, arenoſis circa Alexandriam Ægypti locis naſci, & apud Arabes, Ægyptios, Turcos vario in uſu eſſe: præſertim verò hanc apud eos invaluiſſe conſuetudinem, ut ejus fumo ſingulis diebus manè ſuffiantur, ſibi perſuadentes, noxios ſpiritus hac ratione abigi. Quæ adeò res illi herbæ, & ejus ſemini, tantam celebritatem peperit, ut nullæ ſint adeò viles Inſtitorum officinæ, quæ eam non habeant tamquam precioſum aliquod medicamentum.

SCORSONERA. CAP. XXXVI.

TRAGOPOGIS adnumerandas eſſe eas plantas, quas vulgò Scorſoneras appellant, nemo eſt, ut arbitror, in re herbariâ mediocriter verſatus, qui dubitet, cùm totâ facie illis reſpondeant. In eo tantùm differre videtur, quod illorum radix minimè ſit vivax: ſed ſeminis partum ſub ſequente hieme perire ſoleat: Scorſonera verò perenni ſit radice, vel ſaltem multos annos (licet ſingulis florem & ſemen proferat) perdurare ſoleat. *Tragopogi & Scorſoneræ differentia.*

Ad hujus genera referendas eſſe exiſtimo nonnullas ſtirpes, quas in Pannoniâ & Au ſtriâ obſervabam.

Scorſonera Latifolia Sinuata C.B. Pin: 275.

Scorſonera major Hiſpanica I.



PRIORI, anguſta ſunt folia, Hiſpanicæ anguſtifoliæ, quæ odorato flore eſt, proxima, ſive Bohemicæ adeò vicina, ut ab illa differre non putem: caulis, flores, radices lacteo ſucco turgentes, foris nigricante cortice tectæ, intus candidæ admodum, conveniunt. Huic iconem Latifoliæ Hiſpanicæ præpoſuimus, ut quæ ſit inter utramque differentia, facilius obſervari poſſit. *I. Scorſonera major.*

LATIORA brevioraq; habet Altera folia, Bupleuro latifolio, ſive Elaphoboſco Mompelliano non valde diſſimilia, craſſiora tamen & duriora, quinque nervis, ſeu venis per longitudinem excurrentibus, diſtincta, cærulei quodammodo viridi permixti coloris, guſtu verò aliquantulum amaro & fervido: caulis inter hęc aſſurgit gracilis, pedalis altitudinis; ſtriatus, raris folijs ſeptus, cui inſidet flos ſuperiori ſimilis, luteus, magnus; quo marcido naſcitur in calicibus ſemen oblongum, aſperum, Tragopogo ſimile, ſed minus, in villoſâ materiâ albâ latens: radix pollicaris eſt craſſitudinis, interdum major, longa, nigro rugoſóq; cortice tecta, intus alba, quæ confracta, lacteo ſucco manat, ſucceſſu temporis flaveſcente, ſuperiore parte, hirſutâ veluti cęſarie donata eſt, & in plura capita plerumque extuberat, ex quibus folia prodeunt. *II. Scorſonera humilis latifolia.*

TERTIA, firmatur craſſâ radice, longâ, nigro, denſo, rugoſo cortice præditâ, lacteo ſucco plenâ, quæ nonnumquam ſuperiore parte in plura capita, quẽadmodum præcedẽs, extuberat, craſſitudine minimi digiti (novellarum plantarum inſtar) villoſâ: ex quibus multa naſcuntur *III. Scorſonera humilis anguſtifolia.*

Scorſonera major Pannonica I.

Scorſonera Latifolia altera B: Pin: 275



Scorſonera humilis latifol. Pan. II.

Scorſonera latifolia humilis nervoſa B: Pin: 275



Scorſonera humil. anguſtifol. Pan. III.

Scorzonera anguſtifolia prima B: Pin: 275.



IIII. *Scorſonera major anguſt. fol. cærul. flore.*

folia Tragopogo ſimilia, firmiora tamen, breviora, & ejuſdem, cum præcedentis folijs, coloris: inter ea excreſcit humilis, palmum vix excedens caulis, aliquot brevibus foliolis ſeptus, cavus, florem in ſummo faſtigio ferens flavum, alteri ferè ſimilem: ſemen deinde in longioribus caliculis Scorſoneræ Hiſpanicæ ſemini par, minus tamen, quod maturitate, leviſſimo auræ flatu excutitur, & ejus arbitrio fertur.

FREQVENTIA ſunt Quartæ folia longa, Tragopogi folijs minora & anguſtiora, inter quæ cubitalis aſſurgit caulis, cavus quidē ille, ſed firmus, durus, viridis, aliquot oblongis folijs ſeptus, & supremâ parte in binos aut plures ramulos diviſus, ferentes in longioribus calicibus, florem Scorſoneræ Anguſtifoliæ floribus non diſſimilem, niſi quod paulò minor ſit, & coloris ex cæruleo purpuraſcentis, jucundi odoris, paſtillorum è benzoino confectorum nidorem quodammodo æmulantis, ſed fugacis admodum: ſena deinde, octona, aut plura in ſingulis calicibus ſemina, Scorſoneræ ſeminum æmula, quæ matura, cum ſuo pappo à vento excutiuntur: radix ſingularis, minimi digiti craſſitudinem æquat, denſóque, foris nigricante, & rugoſo cortice obducta, ſupremâ parte hirſuta, & villoſa, quæ vulnerata, ſuccum exſtillat initio lacteum, deinde fulveſcētem, guſtu primùm gummoſo, poſtea aliquantulum acri: vivax eſt, ut

Scorſon. anguſtifol. elatior Pan. IIII. Scorzonera anguſtifolia altera C.B. Pin:275.



Hieracium I. latifolium.
Hieracium alpinum latifolium hirſutie incanum flore magno C.B. Pin:128.



eſt, ut reliquarum radices, vetuſtate craſſior evadés, & ſuperiore parte in plura capita ſubinde extuberans.

Similis planè ea eſt, quæ in colle oppido Stampfen vicino, duobus ultra Poſoniũ Vngariæ celebrem urbem miliaribus invenitur: niſi Stampfiana anguſtiora folia haberet, calices breviores, ſemen craſſius, brevius, Cnici fermè ſemini æquale.

PRIMVM genus, in Hamburgenſi monte, octo infra Viennam miliaribus herboſo quodam loco & arboribus circumſepto obſervabam. Alterum, in monte Badenſibus thermis imminēte viciniſque alijs. Tertium & Quartum, non modò in Hamburgenſi monte, quâ parte glaber eſt, & tenui gramine duntaxat tectus, & quâ Auſtriam ſpectat, ſed etiam in vicino Prellenberg, Leytenberg, catenâ illâ montium à Calenberg ad Alpes excurrentium & pleriſque Vngariæ locis, naſcuntur. Florent Aprili & Maio: ſemen interdũ Maio, aut ſub Iunij initium matureſcit. *Natales.*

SECVNDVM porrò genus, Scorſoneram humilem latifoliam appellare licebit: ut Tertium humilem anguſtifoliam: Quartum autem, Scorſonera elatior anguſtifolia purpureo flore cognominari poterit. *Nomina.*

An verò ſimilibus facultatibus prẹditæ ſint hæ Scorſoneræ, quibus celebrẽ illam, & adeò decantatam Hiſpanicam pollere aiunt, neminem adhuc periculum feciſſe arbitror.

HIERACIVM PANNONICVM.
CAP. XXXVII.

INSIGNIS etiam in Hieracio obſervatur varietas, per Pannoniam, Auſtriam, viciníſque regiones: nam præter ea quę cum alijs Provincijs alunt genera, nonnulla obſervare memini, quæ nuſquam alibi ſeſe mihi obtulerant. *Magna Hieracij varietas.*

PRIMVM autem locum Latifolio dabo, cui quina aut ſena ſunt folia, humi ſtrata, lata, Intybo ſativo latifolio, non multum diſſimilia, in ambitu nonnihil ſinuoſa, interdum etiam laciniata, mollia, hirſuta, nigricantibus maculis ſæpiſſimè infecta, aliquando nullis, lacteo ſucco turgentia: inter quæ caulis exit cubitalis, cavus, raris folijs ſeptus, in quo plerumque unicus (nonnumquam alter & tertius) flos ex craſſiuſculo nigráq; lanugine hirſuto calice emicat, Hedipnoidis flori ſimilis, ſed pallidior, plenus, nonnihil odoratus: ſemen deinde oblongiuſculum, comâ incanâ pappi inſtar præditum, ut Tragopogi ſemen, quod maturum leviſſimo flatu diſpergitur: radix illi minimi digiti craſſitudine, nigro atque craſſo cortice obducta, lactei ſucci plena. *I. Hieracium latifol.*

Invenitur pleriſque Vngariæ, Auſtriæ ſuperioris & inferioris, atque Moraviæ montibus, gramineis & ſimul apricis locis, ſicciori búſque pratis. Inveniebam etiam & maculis lividis, & nullis maculis inſignito folio, ſiccioribus *Natales.*

cioribus

cioribus circa Francofurtum pratis. Floret Maio, ſemen plerumque maturum Iunio.

II. *Hieracium majus latifolium.* CVBITALES atque etiam bicubitales interdum ſunt Alteri caules, firmi, rotundi, quadam lanugine obſiti, quos inordinata, ſive confuſo ordine naſcentia, multa ambiunt folia, tres uncias aut amplius lōga, unam lata, mollia, in ambitu dentata, lacteo ſucco plena: ſummus caulis in aliquot ramulos finditur, ſuſtinentes imbricata capitula, è quibus prodeunt flores lutei, denis, duodenis, aut pluribus foliolis, extimâ parte inciſis, conſtantes, medium occupantibus multis luteis fibris: radix minimi digiti craſſitudinem æquat, multíſq; tenuibus fibris capillata, ſingulis annis augeſcit, & ad latera novos, frequētioréſq; caules profert.

2. Ejus genus invenitur graciliore caule, anguſtioribus, & vix ſemunciam latis folijs, in reliquis conveniunt.

Hieracij III. genus alterum anguſtifol.

Hieracium fruticosum angustifolium majus C.B.: Pin: 129

III. *Hieracium majus anguſtifol.*



TERTIO cubitales etiam aſſurgunt caules, rotundi, ſuperioribus minus craſſi, frequentioribus durioribúſque villis obſiti, quos ſimiliter confuſo ordine ambiunt multa folia, ſuperioribus anguſtiora, breviora, duriora, non minus tamen lacte turgentia: ſummus caulis etiam finditur in ramulos, imbricata capitula ferētes, è quibus exoriuntur flores, ſuperiori ferè ſimiles: radix ſuperioris radice minus craſſa, perinde tamen fibroſa, & in novis prolibus educandis fertilis.

2. Illius etiam genus obſervabam anguſtioribus folijs, & multo longioribus, licet non minus duris, quod alioqui, totâ quodammodo facie ipſi reſpondet.

Magnam verò affinitatem hoc genus habet cum grandiore Hieracio apud Belgas ſecundùm publicas vias inter frutices naſcente.

Natales. Naſcuntur omnia in extremitatibus ſicciorum pratorum inter vepres, etiam ad cæduarum ſilvarum margines.

PLANTARVM ſimilitudo facit, ut duobus poſtremis generibus, Quartum ſubijciam, non in Pannoniâ natum, ſed in Britanniâ anno M. D. XXCI. obſervatum.

IIII. *Hieracium Britannicū.* CVBITALES verò habet id genus interdū caules, ſtriatos, digito graciliores, ex viridi purpuraſcentes, quos nulla ſerie diſpoſita, ſed inordinata ambiunt folia, Conyzę majoris folijs non diſſimilia, non adeò tamē pinguia, latâ ſede caulem amplectentia, in circuitu dentata, extremo mucronata: caliculi ſummo caule ex foliorū alis emergentes, oblongis pediculis inſident, villoſi, qui in luteos flores reliquis Hieracijs ferè ſimiles, ſeſe explicant: ijs ſuccedit ſemen oblongiuſculum, ſtriatum, candicans, quod cum pappo levi aurâ diſpergitur, ut in congeneribus plantis: radice eſt vivace, multis longis, craſſiuſculis, nigricantibúſque fibris conſtante, quæ ſingulis annis numeroſiorem caulium ſobolem procreat.

Impensè amara eſt hæc planta, nuſquam ſponte naſcens mihi conſpecta: ſed Londini duntaxat, in hortis doctiſſimorum virorum Ioannis Richæi & Hugonis Morgani Pharmacopolarum Regiorum, qui Cichoreum montanum nuncupabant, ex borealibus Britanniæ regionibus, in quibus ſponte creſcit, delatam. Floret Iunio & Iulio, ſemen Auguſto maturum. *Cichoreum montanum.*

V. *Hieracium alpinū hirſuto folio.* ALIQVOT Quinto ſunt folia è radice prodeuntia, uncialis ferè latitudinis, oblonga, molli criſpáque lanugine admodum hirſuta, & quodammodo incana, lacteo ſucco prædita; inter quæ prodit caulis, pedalis ut plurimum, villoſus, quem per intervalla ambiunt folia, ijs, quæ ad radicem naſcuntur, breviora quidem, at triplo latiora, & in mucronem deſinentia, non minus quàm illa villoſa, aut lacteo ſucco turgentia: unicum fert ſummo faſtigio capitulum, è multis hirſutis & incanis foliolis compactum (nonnunquam autem in lateribus alterum & tertium) quod ſeſe explicat in florem Hieracij floribus ſimilem, multis folijs luteo colore tinctis conſtantem, & tandem in pappum cum ſuo brevi, nigro ſemine evaneſcentem: radix nigricat, multis tamen candicantibus fibris prædita, ſingulis annis novos caules producit. Tota planta valde amara eſt.

Natales. Invenitur in herboſis Alpium jugis, ubi Iulio, interdum tantùm Auguſto floret: in hortis au-

Hieracium v. villoſum.

Hieracium alpinum latifolium villoſum magno flore B: Pin: 128.



Hieracium vi. montanum.

Hieracium montanum anguſtifolium nonnihil incanum B: Pin: 128.



tis autem, Maio, ſemen Iunio perficit. An porrò ea planta quam Dalechampius Sonchum lanatum appellat?

SEXTI radix digiti craſſitudinem interdum æquat, longa, nigricans, tenuibus fibris prædita, ſummâ parte, in plura nonnunquam capita, extuberans, quæ ſummâ tellure ſena aut plura oblonga folia, ſemunciam ferè lata, & nonnihil incana proferunt: è ſingulis radicis capitibus, prodeunt inter folia, ſingulares cauliculi, duri, nudi, dodrantales, aut palmares tantùm, unicum florem ſuſtinentes, è multis oblongis, extremo inſectis foliis, luteoque colore præditis, conſtantem: quo defluente, ſemen oblongiuſculum cum pappo levi auræ flatu excutitur. *VI. Hieracium montanum.*

In omnibus illis montibus à Calenberg (Danubio imminēti binis miliaribus ſupra Viennam) ad Alpes excurrentibus naſcitur. Floret Maio. *Natales.*

2. Aliud ejus genus invenitur, cujus folia nonnihil in lateribus laciniata ſunt, fermè inſtar foliorum Leucoij marini, minus incana: flos aureo colore magis rutilat, alioqui per omnia ſimile. Vtriuſque planta lacteo ſucco plena, & amariuſculo guſtu eſt.

SEPTIMVM genus, in Pannonicis Obſervationibus, quarto loco inter Scorſoneras repoſueram, nunc, propter radicis cum illis diſſimilitudinem, inter Hieracij genera commodius referendum cenſeo. Anguſtis autem id conſtat folijs, Tragopogo aut Scorſoneræ anguſtifoliæ proximis, carinatis, colore cinereo, digitalis lōgitudinis, lacteo ſucco plenis, amariuſculis; ex quorum medio exilit tener cauliculus, dodrantalis, per quem ſparſa ſunt rara folia, alijs minora: is in aliquot ramos diviſus, ſuſtinentes capitula, aliorum more, ſquamata, quæ in luteos floſculos Tragopogo ſimiles, ſed minores explicantur, maturitate in pappum evaneſcentes: radix nigra eſt, multis fibris albis capillata, lateribus propagines quotannis agens. *VII. Hieracium humile.*


Copioſè naſcens illud duntaxat obſervabam in ſaxis ad Gamingam Carthuſianorum cœnobium, Iulio flores proferens.

EX radice obliquâ & rugoſâ, minimíque digiti craſſitudine, multis etiam fibris donatâ, aliquot extuberant Octavo generi capita, unde ſena aut plura enaſcuntur folia, unius, duarum, & trium unciarum longitudine, ſemunciam lata, craſſiore nervo per mediam longitudinem excurrente, mollia, brevi incanáque lanugine prædita, infimâ parte valde laciniata & anguſtiora, ſupernâ verò latiora, ſed dentata duntaxat, candido ſucco turgentia: è quorum medio, bini aut terni emergunt cauliculi, palmares, enodes, foris læves, intus concavi, ſuſtinentes flores luteos, Quinti generis floribus ſimiles, quibus tamen color paulò ſaturatior: ſemen maturum, tenue, longiuſculum, nigrum, pappo involutum, à vento abripitur. Creſcit in Leytenberg, Florétque Iunio. *VIII. Hieracium montan. laciniato folio.*


QVATER-

Hieracium VIII. folio Hedipnoidis.

Hieracium montanum dentis leonis folio incano, vel laciniatum lanuginoſo folio B: Pin: 128.



Hieracium XI minimum.



Hieracium mini. folio ſubrotundo B: Pin: 127

Hieracium IX. QVATERNIS aut quinis à radice prodit Nonum genus folijs, Hieracio vulgari formâ non diſſimilibus, ſed mollioribus, ſupernè magis villoſis, infernè pænè glabris, lacteo ſucco plenis, & ſubamaris, inter quæ prodit caulis pedalis aut amplioris longitudinis, gracilis, hiſpidus, ferens in ſummo veluti umbellam quandam caliculorum etiam villoſorum, qui dehiſcentes, oſtendūt flores Hieracij vulgaris floribus pænè ſimiles, ſed colore longè elegantiores, nempe impensè flavos, & quaſi aureos, multis foliolis extremâ cuſpide crenatis cōſtantes, inter quæ flava ſtamina, odoris non ingrati: ſemen in pappum aliorum congenerum inſtar evaneſcens: radix perennis, multis candidis fibris prædita, & ſubinde adnatis virgulis humi ſparſis ſeſe propagans. Flores promit Iulio & Auguſto.

Natum hoc eſt apud Batavos, ſemine Viennâ Auſtriæ accepto.

Hieracium intybaceum quod eſſet X. ALTERA etiam planta iſtic mihi nata ſemine ex Italiâ miſſo Hieracij intybacei appellatione, quæ, mea opinione, verius ad Cichorij genera referenda videtur.

Ea ex ſingulari radice ſtatim multa promit folia Cichorio ſilveſtri ſimilia, erucę modo in lateribus diviſa, & veluti eroſa, deinde inter illa multos breves cauliculos minoribus folijs, minúſq. inciſis cinctos, & in frequentes ramulos diviſos, dodrantales aut longiores, nudos, ſummo faſtigio ſuſtinentes calicem ſive capitulum ſeptem aut octo ſquamis hirſutis conſtans, è quo flos exit denis aut duodenis folijs exterioribus, totidem internis, minoribus præditus, coloris elegantis ex purpurâ rubentis, cui ſuccedit pappus, in quo oblongum & gracile ſemen fuſcum.

Annua videtur planta, ſubinde tamen novos flores proferens, ut totâ æſtate, imò etiam in medium uſque Autumnum, florida conſpecta ſit.

XI. IAM deſcriptis conjungendum eſt puſillum illud Hieracij genus, cujus iconem & ipſam deſcriptionem etiam Londini mihi communicabat anno M. D. XXCI. Thomas Pennæus V.C. his verbis:

Hieracium minimum. Hieracium minimum planta dodrantalis, aut paulò altior, radice ſingulari, tenui, albâ, paucis fibris veſtitâ: folia ab radice quinque ſex, ſeptem, quandoque plura, bellidis ferè, ſed paulò longiora & ſerrata: è quorum medio caulis exit unicus, quãdoque duo, vel tres, folijs omnino vidui, fiſtulares, juxta radicem rubentes, interdum verſus ſummum ramoſi, ramis juxta exortum rubentibus: caules omnes verſus capitula, contra ferè quàm in alijs plantis extuberant craſſioreſque fiunt, ſinguli ſingula capitula globoſa ſuſtinentes, ex quibus flores parvi, lutei, ex apicibus conſtantes, & tandem pappeſcentes exoriuntur. Lacteſcit & amariuſcula eſt.

Provenit

Natales. Provenit inter ſegetes, locis parum arenoſis, & terrâ friabili: frequens in Angliâ multis in locis, aliâs, nuſquam niſi in agro Heidelbergenſi, unico tantùm loco, me vidiſſe memini. Julio & Auguſto floret. Hæc Pennæus.


Hieracium minimum alterũ fortè. HVIVS porrò ſiccam plantam, aut certè valde ſimilem, adferebat anno M.D.XCIII. & mihi communicabat, Gulielmus de Mera Medicus, monens, flores in pappum non evaneſcere, ſed ſine pappo, in caliculis (ut etiam in ſiccâ plantâ obſervabam) ſemẽ oblongiuſculum, maturitate nigricans, relinquere. Animadvertebam præterea, tenuiſſimos eſſe caules, palmum altos, lignoſos, ſupremâ parte laxiores, & concavos, octo aut decem interdum, ſimul à capite radicis inter folia prodeuntes, qui, circa ſummum, ubi laxari incipiũt, aliquando gracilem ramulum, ſummo etiam faſtigio laxiorem, & floſculum ferentem flavum, adnatum habebant: radix tenuis erat, & candicans.

Facultates. CETERVM Dioſcorides Hieracium (cujus haud dubiè hæc ſunt genera) vim refrigerandi, & modicè ſubadſtringendi habere auctor eſt, eam ob cauſam ſtomacho æſtuanti, & inflammationibus prodeſſe, impoſitum: ſuccum, eroſiones ſtomachi ſorbitione mitigare. Herbam cum radice impoſitam, ictis à ſcorpione auxiliari.

CONDRILLA. CAP. XXXVIII.

DVO Condrillæ genera in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervabam: quorum Primum nunquam ante mihi conſpectum, ad Dioſcoridis primum Condrillæ genus, meâ opinione, plurimum accedere videtur: Alterum multis alijs regionibus, & ante, & poſt etiam, obvium.

Condrilla prior Dioſc. legitima. Condrilla foliis Cichorei tomentosis C. B. Pin: 130.



I. Condrilla I. Dioſc. LATA Primo generi ſunt folia, Cichorij foliorum inſtar diviſa, omnino incana, & denſâ lanugine tomentóque obducta: inter quæ caulis emicat pedalis aut amplior, rotundus, candidus, in aliquot ramulos fiſſus, folijs minoribus, anguſtioribus, inordinatis ſeptus, quibus (ut etiam ipſis ramulis) plerumque inhærent grumi fulveſcentes gummi iſtic concreti: flos extremis ramulis ſuſtinetur, anthemidis flori ferè par, lutei coloris, maturitate in pappum evaneſcens: radix longa, nigricans, minimi digiti craſſitudine, raris fibris prædita, & ſummâ parte in aliquot capita interdum diviſa, è quorum ſingulis folia, qualia dixi, prodeunt. Tota (ut diximus) planta incana eſt, & ſucco prægnans, qui ſiccatus fulveſcit, & acris eſt.

Natales. Invenitur Salmanticenſi agro locis incultis, & multis alijs Hiſpaniæ, Auguſto florens, vel etiam ſeriùs.

Zacintha. Mazza di Cavalliero. Nihil autem commune habet cum Zacyntha Matthioli, ſeu *Mazza di Cavalliero* Italorum, ut quidam cenſent, qui hanc meam iconem, ex ſiccâ plantâ, quam in ſportulis ex Hiſpaniâ attuleram, à perito pictore expreſſam, Zacynthæ, ſive Cichorij verrucarij deſcriptioni accommodarunt, *Cichorium verrucarium.* illius fortè iconis quæ apud Matthiolum ineptè expreſſa eſt, facie decepti: nam Cichorium verrucarium alia habet folia, quàm noſtra, intubacea ferè, non incana, ſed viridia, ramos valde ſtriatos, & in frequentes ramos diviſos, quorum lateribus, & cavis alarum, inhærent brevi petiolo, parvi cichoracei flores, flavi non in pappum abeuntes, ſed in capita anguloſa & dura tranſeuntes, octogona plerumque, & clavæ ferreæ inſtar efformata, in quibus ſemen, ut in plantis (ſemine ex Italiâ miſſo) mihi Viennæ ſæpius natis, non ſemel obſervavi. Quæ res adeò me cogit, ut Cichorij verrucarij legitimam iconem meæ Condrillæ Primæ ſubjungam, quò, utriuſque collatione factâ, faciliùs ſtudioſi diſcrimen animadvertant.

II. Condrilla viminalis. ALTERVM planè viminale eſt, & longis, lentis, flexibilibus, candicãtibus, ſeſquicubitalibus, & veluti viſco oblitis, virgis conſtans, quæ frequentibus anguſtis, brevibúſque foliolis obſitæ ſunt: quæ ſecundùm radicem naſcuntur majora ſunt, longiora, in multas lacinias altè diviſa Cyani ferè foliorum æmula: ſed plantâ flores jam proferente, flacceſcunt ea folia

& pereunt,

Cichorium verrucatum, Zacintha.

Chondrilla verrucaria foliis cichorei viridibus C.B.Pin:130.



Condrilla viminalibus virgis.

Chondrilla juncea viscosa arvensis, quæ 1ª Dioscoridis C.B.Pin:130.



& pereunt, ut magnâ ex parte majoribus folijs orba conſpiciatur: extremi rami floſculos exiguos flavos, maturitate in pappum evaneſcentes ſuſtinent: radix oblonga, lacteo ſucco manat, ſi vulneretur, quemadmodum & tota planta. Floret quo ſuperior tempore.

Natales. Conſpicitur Salmanticenſi non modò agro, poſt meſſes in arvis, & ad eorum margines, ſed plurimis alijs regionibus. Naſcitur & copioſè per univerſam Pannoniam, & varijs Germaniæ locis.

Nomina. NONNVLLI Hiſpani Primum genus, eodem nomine appellant, quo Phyllum ab illis vocari dixi, videlicet *Yerua de S. Gutteria*: nullum aliud vulgare nomen novi. Græcis autem *κονδρίλλη καὶ κιχώριον ἢ σέρις* nuncupatur.

Alterum Condrillæ genus vimineum, Salmanticenſes *Iunquerina* vocant: alij *Ajunjera*.

NON prætermittenda eſt etiam elegans illa planta Cichoracea, cujus iconem ſuis coloribus egregiè expreſſam, cum reſiccata planta ad me mittebat anno M. D. XCIII. Iacobus Plateau, cujus in his Cõmentarijs frequens mentio. Eam propter viminales ramos proximè Condrillam viminalem collocare placuit.

Condrilla peregrina. ALIQVOT autem illi è ſummo radicis capite prodeunt folia humi fuſa, Cichorij foliorum facie, ſed anguſtiora, longa, in ambitu circumroſa, qualibus etiam ſunt præditæ, infima parte, tenues vimineę virgæ, inter illa ſtatim à radice prodeuntes, pedalis aut amplioris longitudinis, nodoſæ, quarum ramuli bifurci in cuſpidem deſinunt; nodis ſuperioribus virgarum, inhærent breviora, minora, nec circumroſa folia: in ipſis autem virgarum alis naſcuntur longi imbricati calices, è quibus prodeunt ſingulares flores quinque folijs ſummâ parte leviter inciſis conſtantes, cærulei coloris, aliquot flavis ſtaminulis medium florem occupantibus: radix illi craſſiuſcula denſo cortice tecta foris albicante, longiuſcula & raris fibris prædita. Tota planta lacteo ſucco turget.

Semine peregrè accepto natã ſibi ſcribebat: ſed an ſemen porrò dediſſet, nõ adſcribebat.

Facultates. PRIORI, eaſdem facultates tribuunt Hiſpani, quas Phyllo: nimirum, illius decoctum præmorſis à cane rabido utiliter exhiberi.

CONDRILLÆ gummi cum myrrhâ tritum & linteo appoſitum, inſtar olivæ, feminarum menſes trahere auctor eſt Dioſcorides, & inordinatos pilos replicare. Ipſius radicem in vino potam contra viperas proficere: quæ facultates cum ijs conveniunt, quas ſuæ Scorſoneræ tribuunt Hiſpani.

Bellonius lib II. Obſerv. cap XCI. ſcribit Condrillę gummi in Syriâ vulgare eſſe, eoq; mulieres uti Maſtichis loco. Libro item I. cap. XXXI. ait fabris lignarijs glutinis vicem præbere.

Alterius

Condrillæ genus elegans cæruleo flo.

Cichoreum ſpinoſum B: Pin: 126



Condrilla altera Dioſc. putata.

Condrilla bulboſa ſive ſecunda dioſcoridis B: Pin: 130



Alterius generis nullus uſus eſt apud Salmanticenſes, quàm ad ſcopas conficiendas: & pueris, ad parandum ex ejus radice cum nigro melle, viſcum, carduelibus alijſque aviculis capiendis idoneum. Arbitror tamen ijſdem cum priore facultatibus pollêre. Et Fabius Columna Condril. 1. Dioſc. eſſe cenſet.

CETERVM Doctiſſimus vir Ferrantes Imperatus Neapoli ad me mittebat, ſuperiore Autumno, aliquot tubera ſeu bulbos Cichorij illius tenellis & gracilibus cauliculis, parvis folijs & flavo flore, quod à pleriſque, etiam ab ipſo Imperato, Condrillæ genus alterũ apud Dioſcoridem cenſetur: tametſi non deſint, qui Perdicion, cujus meminit lib. 1. Hiſt. Plant. cap. XI. Theophraſtus (Perdion enim in eo Auctore legere non memini) eſſe judicent. Pleraque etiam, inquit, herbaceorum ejuſmodi radices habent, ut Aſpalax, Crocus, & quod Perdicion appellatur: nam ei ſunt radices craſſæ, & plures quàm folia. *Condrilla altera Dioſc. Imperato & alijs.* *Perdicion Theophr.*

Iſtam autem Condrillam naſci ſcribebat Imperatus in ſepibus, via qua Neapoli Puteolos iter eſt: illic Scrofularia minore, ab alijs *Herba di latte*, à Pandectario Stridula dici. *Nomina.*

Illam etiam anno M. D. XCVI. Hiſpali accipiebam à Doctiſſimo viro Simone de Tovar ejus urbis Medico.

DOCTISSIMVS tamen Leonhardus Rawwolfius, duo alia Condrillæ alterius Dioſcorid. genera obſervabat vicinis Halepo locis, ut è cap. IX. lib. I. itinerarij ejus apparet. In arvis, inquit, ſatis abundanter invenitur alterum Condrillæ Dioſc. genus radice lævi, ex fuſco flaveſcente, supernâ parte circiter minimum digitum craſſa, quinque vel etiam octo tranſverſos digitos longa, infimâ parte tenuiore, cui inhæret rotunda alia radix caſtaneæ magnitudine, lacteo ſucco adeò plena ut turgeat. Superna radicis pars qua ſe in tres cauliculos dividit, multa habet oblonga & graminis inſtar anguſta folia, ſimul naſcentia, ad terram valde inclinata, inter quæ prodeunt cauliculi, aliquot folijs onuſti, è quorum alis, longiuſculi exeunt pediculi, ſinguli florem ſuſtinentes Pilloſellæ majoris (quæ Auricula muris à vulgo nuncupatur) flori æqualem, flavum. Non procul inde, aſperioribus tamen, magiſque petroſis locis, naſcebatur aliud inſuper Condrillæ alterius genus, radice & floribus cum ſuperiore conveniens, cujus tamen folia latiora, magis villoſa & cineracea, Holoſtei Mompelliani folijs ferè ſimilia. *Condrilla altera Dioſc. Rawwolfii.*

CONDRILLÆ alterius cauli & folijs concoquendi vim tribuit Dioſc. ejus verò ſucco, ut incommodos palpebrarum pilos reflectat. *Facultates.*

SONCHVS LÆVIS. CAP. XXXIX.

NON minùs copioſè naſcuntur in Pannoniâ, Auſtriâ & vicinis Provincijs, vulgata Sonchi genera, quàm in alijs regionibus: aliquot tamen lævioris generis iſtic præterea obſervabam, quæ ſilentio minimè premenda exiſtimavi. Ea ſerie quadam hoc capite deſcribemus: illorum autem Hiſtoriæ, lęvioris vulgatiſſimi, qui valdè lacinioſa habet folia, binas icones præfigendas eſſe cenſuimus, ut commodius inter ſe conferri poſſint.

Sonchus lævior vulgaris I. Sonchus levis laciniatus muralis parvis floribus C.B. Pin: 124.



Sonchus lævior vulgaris II. Idem minor



I. *Sonchus lævior cæruleo flore.* CVBITALI autem vel ampliore excreſcit Primus, quem non vulgarem obſervabam, caule rotundo, ſtriato, lanugine obſito, intus cavo: quem ambiunt multa folia, ampla, aliquot profundis lacinijs utrinque diviſa, extremo mucronata, latiore pediculo caulem amplectentia, in ambitu nonnihil dentata, ſubtus aliquantulum incana, lacteo ſucco plena: plurimos, in ſummo caule, flores profert, purpuraſcentibus & villoſis petiolis inhærentes, vicenis folijs, ut plurimum, conſtantes, Sonchi lævis vulgaris I. (cujus icon præfixa) floribus non diſſimiles, ſed elegantiſſimi coloris cærulei, qui per maturitatem in pappum cum ſemine cinereo exiguo evaneſcunt: radix pollicaris eſt craſſitudinis, oblonga, non in profundum acta, ſed obliqua, candicans, dura, veluti internodijs diſtincta, multas circumquaque fibras craſſas agens, & vivax, ſingulis annis novos ex latere caules profert.

Natales. Abundè naſcitur in Durrenſtain locis umbroſis, in Etſchero jugo, paulò ſuprà Gamingam, in Sneberg & Snealben, apud retorridum & pumilionem illum Pinaſtrum.

Floret iſtic Iulio & Auguſto, quo menſe etiam ſemen ad maturitatem pervenit. In hortos tranſlatus, maturius multò, imò interdum menſe Iulio denuo floret.

II. *Sonchus lævis purpureo flore.* ÆQVALIS ferè altitudinis ſunt Alterius, aliquando, caules, graciliores tamen, neque ſtriati aut villoſi, vel intus cavi, ſed pleni & firmi, ſatis tamen fractu contumaces: quos ambiunt minora quàm ſuperioris folia, nec adeò in lacinias diviſa, anguſtiora prætерea, in medio latiuſcula, deinde ſenſim in mucronem deſinetia, in ambitu dentata, lacteo ſucco prægnantia, guſtu amaro: è ſummis foliorum alis, exeunt tenues firmiq; ramuli, quaternos aut quinos flores in oblongis caliculis ferêtes, quinis foliolis per extremum laciniatis conſtantes, colore purpureo, medium occupantibus aliquot ſtaminulis, qui deinde in pappum cum ſuo ſemine abeunt: radix fibroſa, vivax, prioris radice minor, non pauciores tamen, quotannis novos caules producens.


Natales. Creſcit cum ſuperiore, paulò ſupra Gamingam abūdanter: creſcit & alibi, velut in Pannoniâ

Sonchus lævior Auſtriac. III. cæruleo flo.

Sonchus levis laciniatus cæruleus, vel Son-
chus alpinus cæru... C. B: Pin: 129



Sonchus læuior Pannon. IIII. purp. flo.



Sonchus læuior Auſtriac. V. altiſs.



noniâ & Hirciniâ ſilvâ, ſed minor. Floret plerumque Iulio, vel interdum paulò maturiùs.

HVMANAM altitudinem ſuperat Tertius, caule pollicaris craſſitudinis, firmo, ſtriato, lævi, nec ullis ſpinis aſpero, quem frequentia folia, quatuor aut aliquando binis tantùm laciniјs æqualiter reſpondentibus diviſa, latâ baſi & utrinque appendices habente amplectuntur (de ijs loquor quę in infimo & medio caule ſunt, (ſuprema enim nullas lacinias habent) omnia ſpinis in dorſo, ſive coſtá, carentia, dura tamẽ, & in ambitu creberrimis aſperiſq; denticulis ſerrata, supernè viridia, infernè ſubcinerea, lacteo ſucco plena: ſupremus caulis villis aſperſus eſt, & in aliquot ramulos dividitur, qui flores æquali altitudine, & quaſi umbellarum ritu naſcentes, ſuſtinẽt, non magnos quidem, pro ſtirpis amplitudine, ſed Sonchi vulgaris lævis luteo flore, vel ejus qui cæruleũ fert florem, pares, ſimiliter è caliculo villoſo prodeuntes, multis luteis & per extremum inciſis foliolis medium orbem cingentibus conſtantes, numeroſis in meditullio ſtaminibus aureis, qui maturi in albã lanuginem reſolvuntur, in quâ latet ſemẽ, ejus, qui cæruleum fert florem, ſemini, valde ſimile, ſtriatum, cineraceum, quod cum ſuâ lanugine à vẽto rapitur: radix craſſa, candicans, fibris donata, ſingulis annis novos ſtolones profert, & adnatis ad latera ſe propagat. *III. Sonchus lævis altiſſimus.*

Invenitur in paludoſis ſalicetis & harundinetis, juxta piſcinas, & ſtagnantes aquas, ſupra Badam Auſtriæ urbem, via quæ Neapolim *Natales*

Auſtriæ ducit, & ſupra Triebſwinckel pagum, quibus duntaxat locis obſervabam. Floret Iulio.

CVM porrò hæ plantæ Sonchi ſint haud dubiè genera, iiſdem etiam facultatibus prædicas eſſe, veriſimile eſt. Dioſcorides autem, Vtriuſque Sonchi vim refrigerare, modiceque adſtringere auctor eſt, propterea æſtuanti ſtomacho & inflāmationibus illitu prodeſſe, ſuccum, Stomachi roſiones, ſorbitione mitigare, lac elicere, in lanâ appoſitum, ſedis ac vulvæ collectionibus, opitulari; Herbam autem & radicem, emplaſtri modo impoſitam, ſcorpionum ictibus ſubvenire.

CIRSIVM. CAP. XL.

SED & plura inveniuntur Cirſij genera, quorum (quæ ab alijs non deſcripta comperiemus) hiſtoriam hoc capite pertexemus.

Cirſium Pannonic. I. pratenſe.

Cirſium anguſtifolium non Laciniatum B: Pin: 377.



Cirſium Anglicum II.

Cirſium ſingulari capitulo ſquamato: vel incanum alterum B: Pin: 377



I. Cirſium pratenſe. QVINA aut ſena Primum genus ſtatim à radice promit folia, circiter tres uncias longa, unam lata, ſenſim in mucronem deſinentia, latiore verò circa pediculum baſi, ſubhirta, & crebris ſpinulis per circumferentiam prædita, cæſij coloris: ex horum medio, caulis emicat pedalis, aut etiam cubitalis, tenuis, firmus, lanugine quadam obſitus (per quem ſparſa ſunt folia jam dictis minora) unicum in ſummo plerumque ferens caput, nonnunquam alterum & tertium, multis ſquamulis imbricatim compactis, nonnihil purpuraſcentibus & acutis aſperum, quod in ſtamineum florem expanditur, vulgarium Cirſiorum modo, colore purpureo: ſemen etiam illorum ſemini non diſſimile, multâ lanugine involutum naſcens: radix multis nigricantibus & duris fibris prædita eſt, eámque ſupremo capite hirſutam, vetuſtorum foliorum nervi remanentes efficiunt.

Natales. Naſcitur inter arbores in declivi montium ſupra Pãnoniæ urbem Sopronium: ſed montanis pratis quæ ſecundùm Danubium extenduntur, multo abundantiùs. Iunio floret, & ſubinde ſemen etiam profert.

PROXIMVM locum dabimus Alteri Cirſij generi non minùs eleganti, cujus deſcriptionem & iconem mihi anno M. D. XXCI. communicabat Londini C. V. Thomas Pennæus Londinenſis medicus.


II. Cirſium Britannicum. Singulari caule eſt hæc planta, cubitali aut ampliore: folia per caulem alterna, longa, in ambitu ſpinulas minimè pungentes habentia, quorũ ſupinæ partes virent, pronæ albicant, & canâ

& canâ lanugine obducuntur: in ſummo caule capitulum unum carduorum modo eſt, quaſi ex ſquamis mucronatis compactum, florem ſuſtinens ſatis magnum, ex multis apicibus, colore ex rubro purpuraſcente, ac tandem in pappum abeuntem: radix eſt nigricans, fibrata, quandoque per magnas fibras ſe propagans.

Provenit in pratis ad radices montis Engleborow totius Angliæ celſiſſimi in Comitatu Eboracenſi. Floret Iulio & Auguſto.

Cirſium III. montanum.

Cirſium ſingularibus capitulis parvis B:Pin:377



Cirſio v. congener, Card. bulboſ. Monſp.

Cirſium maximum Aſphodeli radice B:Pin:377.



MVLTA etiam profert Tertium, folia, oblonga, Centaurij majoris non laciniati, foliorum propemodum æmula, braſſicæ foliorum colore & viriditate, ſatis carnoſa, in ambitu crebris aculeis prædita: inter quæ medius exit caulis, cubitalis aut amplior, ſtriatus, quem alterne ambiunt folia ſuperioribus minora, latiore pediculo eum amplectentia, & veluti membranaceas quaſdam alas, ad proxima folia, ſecundum caulis, cui adnatæ ſunt, longitudinem producentia, eâ de causâ caules quodammodo alati apparent: ſummus caulis in hiſpidum, multiſque ſquamulis imbricatum caput deſinit, quod tandem in ſtamineum florem purpureo colore rubentem explicatur, & propendet: in ſuperioribus alis naſcuntur interdum ramuli quadam lanugine obſiti, ſimiles ſuſtinentes flores, qui deinde, ut alij, in pappum & lanuginem reſolvuntur, ſemenque in eâ reliquis ſimile occultant: radix minimi interdum digiti craſſitudine, aliquot fibris donata & vivax, ſingulis annis propagines è lateribus fundit. *III. Cirſium mõtanum I.*

Creſcens hoc genus obſervabam in montanis quibuſdam ſilvis Pannoniæ, ut ſupra Poſonium & Memethwywar, alijs etiam ad Alpes tendentibus, ſupra Badenſes videlicet Thermas, & vicinis. Florebat Iunio. *Natales.*

Hujus meminit Dodonæus in Appendice ad Purgantium Stirpium Hiſtoriam, quam ſeorſim, ante quàm Pemtades evulgaret, publici juris, fecerat: & primo poſtea loco deſcripſit cap. XIX. Lib. v. Pemptadis v.

VVLGARE iiſdem locis etiam eſt montanum aliud Cirſium, quod aliquando in Belgicæ hortis ali memini, caule ſtriato, folijs paululum laciniatis, mollioribus quàm in ſuperiore genere, ſimilibus tamen floribus, radice etiam fibroſa & vivace. *IIII. Cirſium mont. II.*

AD Cirſij proculdubio genera referendum eſt id Cardui, ſive Spinæ molle genus, quod in bicubitalem, & majorem interdum altitudinem excreſcit pollicaris craſſitudinis caule, ſtriato, incanâ tomentaceaque lanugine obſito: folia illi majora quàm in ſuperioribus generibus, magis carnoſa, ſucci plena, viridia, in ambitu dentata, mollibuſque ſpinis hirta: capita in ſummo caule ſummiſque ramis majora jam deſcriptis, quæ in ſtamineos purpureo colore nitentes flores expanſa, maturitate in pappum reſolvuntur: ra- *V. Cirſiũ max. montanum incano fol. bulb. radice.*

tur: radix multis craſſis fibris, Aſphodelinos bulbos fere referentibus, & oblongis firmatur.

Natales. Naſcitur in montanis pratis, etiam ad piſcinarum udos margines, inter ſalices amenas quoque, & harundines. Floret Iulio.

Nardus mõtana Mompelliana. Similem plantam, ſed longè minorem in pratis urbi Mompellianæ vicinis olim eruere memini, quam tum nonnulli, qui in Stirpium cognitione egregiè verſati eſſe credebantur, pro montanâ Nardo nobis obtrudere volebant: noſter Lobellius poſtea Carduum bulboſum Monſpellienſium appellavit.

Nomina. Κιρσίς porrò nomine Græcis, Cirſij autem, Latinis, commodè, meo judicio, hæ ſtirpes nuncupari poſſunt: nullum verò nomen vulgare illarum intellexi.

AN verò Cirſij veterum facultatibus reſpondeant, ignorare me fateor: & judicium de ijs ferre difficile. Nam neque Dioſcorides ſuo Cirſio ullas vires tribuit, niſi quas ex Andrea deſcripſit.

Cirſium tertium Dodonæi. CETERVM non minus vulgaris agro Viennenſi, multiſque Pannoniæ locis & apud Francofurtum, eſt, quàm in Zelandia, Flandriæ Hollandiæque maritimis, Spina illa quam Clariſs. Dodonæus inter Cirſij genera tertio loco recenſet, magno, valde ſpinoſo, nutanteque capite, è quo flos multis purpureis elegantiſſimiſque ſtaminibus conſtans emergit & explicatur: floret cum Cirſij generibus Iunio, & Iulio, quibus etiam perſimile ſemen habet. *Varietas.* Id niveo flore variare aliquando memini.

CARDVVS MOLLIOR. CAP. XLI.

CARDVI nomine has ſtirpes appello, tametſi inter Acanacei generis plantas recenſendæ non videantur, cum nullo ſpinarum vallo munita ſint: propter ſimilitudinem tamen, quam cum mollioribus quibuſdam vulgaris notitiæ carduis habent, in illorum claſſem rejeci.

Cardui mollis Laciniato folio C. B: Pin: 377.



Carduus mollior I.

I. Carduus mollior laciniato fol. PRIMVS, multa ſecundum radicem habet folia, cùm humi ſparſa & jacentia, tùm ſurrecta, infernè canâ molliq́ue lanugine obſita, supernè virentia, valde laciniata, & ad medium uſque nervum diſſecta, Calcitrapæ, ſive cardui muricato capite, mollioribus & tenerioribus folijs pænè ſimilia, nullis tamen ſpinis horrentia, guſtu primùm exſiccante, deinde amariuſculo: è quorum medio unus aut alter caulis aſſurgit cubitalis aut amplior, teres, rotundus, ſtriatus, purpuraſcens, & molli quadam lanugine obſitus: inferiora folia per infimum caulem ſparſa, etiam laciniata ſunt, licet jam dictis minora, quæ verò ſupremum caulem ambiunt, oblonga, anguſta, nullis lacinijs diviſa, mucrone ut plurimum purpuraſcente: extremi caules in aliquot ramos interdum dividuntur (magnâ tamen ex parte ſingulares ſunt, unicumque ſuſtinent caput) qui capitula ſuſtinent, ex multis tenuibus ſquamis imbricatim diſpoſitis compoſita, molliter echinata, quorum medium, occupat ſtamineus & villoſus flos, coloris purpurei elegantiſſimi: flori flaccido & evanido ſuccedit ſemen anguloſum: radix digiti craſſitudinem nonnunquam æquat, ſubfuſca, longa, aliquot fibris donata.

Natales. Invenitur totâ illâ montium catenâ, quæ à Calenberg & Danubio, cui imminet, ad Alpes uſque extenditur, & deinde per Leytenberg, rurſumque per Prellenberg & Hamburgerberg ad Danubium duobus ſupra Poſonium miliaribus reflectitur. Floret Maio, ſemen perficit Iunio & Iulio.

II. Carduus mollior Lapathi folio. PEDALI aſſurgit Alter caule, utcumque craſſo, ſtriato, nonnihil lanuginoſo: folia illi circa radicem majora, Lapathi folijs ferè ſimilia, aut potius illius plantæ, quam vulgo Totam bonam, ſive Bonum Henricum cognominant, quâ pediculo adhærent, latiora, & quodammodo anguloſa, extremâ verò parte mucronata, in ambitu aliquantulum ſinuoſa, & mollibus veluti aculeis obſita, ſupinâ parte virentia, pronâ verò, omnino incana, foliorum

albæ

Carduus mollior II.

Carduus mollis Lapati folijs C.B.Pin:377.



albæ Populi inſtar, & denſâ lanugine obſita, guſtu initio exſiccante, deinde amariuſculo, quę verò caulem amplectuntur, minora ſunt & anguſtiora, ex quorũ ſinu circa ſummum caulem ramuli exeunt, terna, quaterna, aut plura ſuſtinentes capitula ſquamata, Cyani, aut Iaceæ capitulis reſpondentia, quæ, dũ expanduntur, florem promunt ex cæruleo purpuraſcentem, & ſemen deinde continent lanugine involutum, cyani ſemini non valde diſſimile, ſed paulò majus, candicans: radix nigra, aliquot tenuibus fibris prædita, dura, vivax, è lateribus propagines ſpargit.

Natales. Hunc eruebam, circa ſecundùm Sneberg, excelſi admodum montis, jugum inter ſaxa naſcentem cum Auricula urſi flavo flore incano folio: deinde etiam in Etſchero. Florebat utroque loco mẽſe Iulio. Viennam relatus & in horto repoſitus ſemẽ tulit Auguſto, deinde perijt. Vbi tamen ſpõte naſcitur, vivax eſt: nã ſuperioris anni caules aridos retinentem, cùm floreret, deprehendebam.

III. Carduus mollior humilis anguſtifol. HVMILIOR hic eſt, neque palmarem altitudinem excedit, caule nõ minùs craſſo fermè quàm ſuperioris, multis longis folijs exornato, ſupernè etiam virentibus, infernè canâ (non tamen adeò denſâ, ut ſuperioris folia) lanugine veſtitis, & molles quaſdam ſpinas in ambitu obtinentibus, guſtus etiã amari, initio autem adſtringentis: ſummo cauli inſidet ſingulare capitulũ ſquamatum, majus quàm præcedẽtis capita, ex quo flos multâ lanugine ex cæruleo purpuraſcente pubeſcens exoritur: ſemen obſervare nõ potui: nam tametſi aliquot ſtirpes in horto magnâ diligentiâ excoluerim, quas loco natali & florentes & nondum florentes erueram, ad frugem tamen non pervenerũt, ſed paulatim flacceſcentes, prorſus tandem contabuerunt & perierunt: radix nigra, & frequentibus ſubnigris fibris prædita, ſubinde nova germina è lateribus producit.

Natales. Creſcit in ſummis Snealben jugis, cum Auricula urſi quarta, quæ glabro & ſplendente eſt folio, carnei coloris flore. Floret verò Iulio & Auguſto.

GESNERO atque Benedicto Aretio notus fuiſſe videtur Prior, ex relatione Simleri ad calcem Commentarij de Alpibus, qui eum ſic deſcribit.

Edeldiſtel Geſneri. Edeldiſtel / Carduus inter Carduos ſpecioſiſſimus, folia habet mollia, ab una radice, per caulem rara, quæ referũt folia herbæ quam Moſzblumen nominamus: altitudine cubiti in altum aſſurgit caulis: capita in ſummo ſunt ſingula, interdũ bina, cærulea, quãdoq; alba, interdum purpurea, color collucet mixtus viridi tũ in capitibus, tum in ſupremis foliolis. Mollis eſt tota, & etiam ſpinis quas æmulatur, nam non pungunt. Radix ſubeſt longa & bifida.

Iſtam florum varietatem in meo non obſervabam, ſed toto illo, quem dixi, tractu & circulo, unius duntaxat coloris ferentem florem, nempe purpureum elegantiſſimum.

Carduus mollis Camerarij. CARDVI etiam mollioris genus elegans, prææltum, & radice ſerpente, videre memini in cultiſſimo horto C. V. Ioachimi Camerarij Reip. Noribergenſis Medici primarij: cujus deſcriptionẽ cum pleriſque alijs ſummâ diligẽtiâ obſervatis in ſtudioſorum rei herbariæ gratiam brevi in lucẽ emiſſurum ſperamus; tametſi in adornãdis Matthioli Cõmentarijs quos Germanico ſermone loquẽtes fecit, & valde illuſtravit, & ijſdem in Epitomen contrahendis latinè ſcriptam egregiam jam collocarit operam, & multas novas icones intulerit.

DE iſtarum Plantarum facultatibus nihil pronunciare poſſum, cùm de illis, neque à ruſticis, neque à montanis venatoribus quidpiam intellexerim. Ex earum tamen qualitatibus & temperamento, peritiores medici facilè judicabunt.

CNICVS. CAP. XLII.

LEGITIMVS Cnicus vulgaris eſt notitiæ, atque illius uſus, omnibus ſatis cognitus: de eo ut agamus, non eſt operæpretium: nam quotquot de re herbariâ ſcripſerunt, & ejus hiſtoriam dederunt, & iconem propoſuerunt. Eam tamen huc intulimus, quia de alio Cnici genere, quod in Hiſpanijs obſervabam, ſumus acturi, cum quo hujus icon conferri poſſit.

Cnicus vulgaris.

Cnicus ſativus ſive carthamus officinarum C.B.Pin: 378.



Cnicus alter Cluſij, cæruleo flore.

Cnicus cæruleus aſperior C.B.Pin: 378.



Cnicus alter. VNICVS plerumque, Alteri Cnico eſt caulis: interdum ſtatim à radice dividitur in binos, ternos aut quaternos ramos, cubitales, firmos & lignoſos, perinde ac ipſe caulis, nullis tamen, aut quàm pauciſſimis alijs ramis præditos: folia pænè Cnici vulgaris, candidiora, paulò longiora, & pluribus venis diſtincta: capitula Cnici, è ſquamis, imbricum inſtar, ſibi invicem impoſitis, conflata, è quibus flos colore diverſus: nam luteus non eſt, ſed ex multis ſtaminibus cærulei coloris conſtat: ſemen Cnici ſemine minus & ſubrufum: radix pollicaris craſſitudinis eſt, carnoſa, ſucculenta, foris fuſca, non annua, ut vulgaris radix, ſed aliquot annis interdum permanens.

Natales. Circa Cordubam in ſegetibus & agro Hiſpalenſi invenitur. Floret Maio & Iunio.

NOMEN vulgare, quod ſciam, non habet: ſed cum totâ propemodum facie vulgarem Cnicum referat, Cnicum alterum nuncupavi.

Nomina. CNICVS autem legitimus Græcis κνικὸς: Mauritanis, *Kartan*, à qua voce Officinę Carthamum appellarunt; Italis, *Saffarano Saracineſco*; Gallis *Saffran baſtard, graine de Perroquet*, quòd ejus ſemine Pſittacos alere ſoleant: Hiſpanis, *Alaçor, Açafran ſalvaje*: Germanis wilder Saffran. Alterius nullum nomen vulgare novi: neque ejus facultates cõpertas habeo.

Facultates. DIOSCORIDES verò ſcribit, Seminis tuſi, & expreſſi ſuccum, cum aquâ mulsâ, vel jure gallinacei, alvum purgare, ſed ſtomacho adverſari: lac cogere, & magis ipſum reſolvendæ alvi facultate donare.

SCOLYMVS THEOPHRASTI. CAP. XLIII.

Scolymus Theophr. à Scolymo Dioſcor. differt. THEOPHRASTI Scolymus à Dioſcoridis Scolymo valde differt, ut peritiores omnes cenſent: nam Theophraſti Scolymus ignotus fuiſſe videtur Dioſcoridi: Dioſcoridis autem Scolymum probè novit Theophraſtus, qui Cacti appellatione eum donat. Nos autem de Theophraſti Scolymo hoc capite agemus, & ſub ejus finem, Dioſcoridis Scolymi mentionem ſubijciemus.

Scolymus Theophr. ALIQVOT autem profert ab eadem radice, Scolymus Theophraſti, caules, cubitales, ramoſos, ſpinis horrentes, ad quorum ſingulas alas naſcuntur ſaturè virentia folia, ſinuoſa, & albis ſpinis horrida: flos illi luteus, Cnici floris fermè inſtar, è ſpinoſis capitulis emergit: quibus ſuccedit ſemen latum, foliaceum, ſquamatim cohærens: radix autem longa eſt, digitalis craſſitudinis, carnoſa, dulcis, qua ſues non minus libenter veſcuntur, quàm Eryngij vulgaris radice, ut ego aliquoties conſpexi, dum, Salmanticæ vivens, obſervandarum

ſtirpium

Scolymus Theophraſti Hiſpan. Scolymus Theophraſti Narbonenſis

~~Cinara 4~~ Scolymus chryſanthemus B: Pin: 384.





Scolymus Dioſcor. Cactos Theoph. Cinara Hortenſis aculeata B: Pin: 283



ſtirpium cauſâ, vicina circa eam urbem loca, peragrarem. Tota verò planta, recens adhuc, lacteo ſucco manat.

Salmanticenſi agro, totáq; adeò Caſtellâ, frequentiſſima eſt hæc planta. Integra æſtate floret, interdum etiam Autumno, ſubinde ſemen proferens. *Natales.*

ILLI ſimilem videre memini circa Mompelium, ſed multò magis luxuriantem, longioribus ramis, minus tamen frequentibus floribus, & cui folia veluti lacteis maculis aſperſa ſint.

THEOPHRASTI *σκόλυμος* eſſe putatur, cui radicem tribuit lacteum ſuccum emittẽtem, eámque veſcendam tùm decoctá, tùm crudam ſcribit lib. VI. Plant. Hiſtor. cap. IV. Anguillara Eryngium Vegetij eſſe arbitratur, quæ, ni fallor, cauſa fuit, ut à nonnullis Eryngium luteum appellaretur. Salmanticenſes Silybum nuncupabant (Silybum tamen Dioſcoridis non eſt) vernaculâ linguâ *Cardon lechal*, ſive *lechar*, id eſt, carduum lacteum. Bellonius lib. I. Obſervationum cap. XVIII. & XXV. à Cretenſibus vulgari Græco ſermone *ἀσκόλυμϐρος* dici tradit: agro autem Romano *Spina borda*: atque veteribus latinis Græco nomine Glycyrrhizon nuncupatum æſtimat. *Eryngium Vegetij.* *Silybum.* Cardon lechar. *ἀσκόλυμϐρος.*

SALMANTICENSES, tenellam adhuc plantam, & primum germinantem, cum ipsâ radice elotam, crudam, aut cum carnibus coctam edunt: ipſius lacteo ſucco omne lactis genus coagulant: etiam ejus flore crocum adulterant (tametſi vicinis locis laudatum crocum abundè naſcatur) ut quædam aliæ nationes cnici flore.

CETERVM

Scolymus Dioſcorid. κάκτος Theophraſti. CETERVM Dioſcoridis σκόλυμος Scolymus qui Theophraſti κάκτος eſt, magnâ copiâ ſponte naſcitur pinguibus Luſitaniæ arvis, præſertim ad Anam, veteribus appellatum flumen, vulgo *Guadi-ana*, & pleriſque etiam Bæticæ locis.

ILLIVS radix Dioſc. teſte, graveolentiam alarum, totiúſque corporis emendat, illita, item ſi decocta, in vino bibatur. Copioſam autem urinam fœtidámque expellit.

CARDVVS ERIOCEPHALVS. CAP. XLIIII.

Carduus capite rotundo tomentoſo C.B. Pin: 382.

Carduus eriocephalus.



HVIC Carduo multa initio ſunt folia, humi ſparſa, magna, longa, valde laciniosa, ſpinis horrentia, pronâ parte caneſcentia, ſupinâ autem, viridia quidem, ſed tenui quadam lanugine obſita: inter quæ, cubitalis, nonnumquam longè amplior excreſcit caulis, craſſus, ſtriatus, in multos ramos diviſus, folijs aut ſimilibus ijs quæ per terram ſparſa, aut minoribus, inordinatè eum & ramos cingentibus: ſummis ramis innaſcuntur craſſa capita, multis aculeis prædita, & adeò denſa lanugine involuta, ut ſpinæ paululum duntaxat emineant: aperientibus ſeſe capitibus, flos emergit multis purpureis ſtaminibus cōſtans: cui ſuccedit pappo involutum ſemen, ſplendens, longiuſculum, quale in multis carduis: radix longa, paucis fibris prædita, pollicarem craſſitudinem excedit, & foris fuſca eſt, quibuſdam (in quibus ſponte naſcitur) locis vivax, in alijs minimè.

Natales. Obſervabam primùm hanc plantam anno M.D.LXIIII. Salmanticenſi agro locis apertis & non cultis naſcentem, ejúſque ſemen amicis in Belgium mittebam, additâ inſcriptione, fortè *Corona fratrum*, quia multis notis reſpondere videbam, cum eâ plantâ, quam Monachi, Commentarijs in Meſven, ſibi in Hiſpaniâ conſpectam, Coronam fratrum appellaſſent, quoniam rami æquali pænè altitudine naſcentes, & ſuis capitibus eriophoris onuſti, medium caput, reliquis majus, ſummo cauli innatum, quodammodo in orbem cingerent, ut monachi ſuum Abbatem aut Priorem ſolent. Ex quo tempore diu apud Belgas (ubi feliciter provenit, & in majorem amplitudinem evaſit, nullâ ſervatâ ramorum extremorum æqualitate) Coronæ fratrum nomen obtinuit: poſtea tamen à capitibus candicante lanâ involutis, convenientiore appellatione Carduus eriocephalus dici cœpit.

Varietas. Eum deinde non minus vegetum & luxuriantem, quàm in Belgicis hortis, ſponte creſcentem reperi multis Auſtriæ & Stiriæ locis, præſertim verò ad Neuberg & ſimilium Alpium radices, ubi interdum florem variantem, & albis ſtaminibus conſtantem ferre conſpexi.

QVIBVS porrò facultatibus peculiaribus ſit præditum, neque ego intellexi, neque quenquam feciſſe periculum arbitror.

CHAMÆLEON SALMANTICEN. CAP. XLV.

Chamæleon Salmantic. EX Acanaceorum genere eſt hæc planta: caulem autem pedalem habet, interdum etiam cubitalem, multis alis ſive ramis concavum, ſtriatum, & quaſi φυλλῶδες, durum tamen & firmum: folia numeroſa, longa, anguſta, candicantia, ſpinis horrida: ſummis ramis veluti umbellæ quædam ex quinis aut ſenis caliculis ſive capitellis ſpinoſis conſtantes innaſcuntur, in quibus flos purpureus dilutior, qui (maturo ſemine) ſubinde in pappum evaneſcit, reliquorum Acanaceorum more: ſemen eſt cnici ſeminis forma, ſed minus, foris ſubnigrum aut cinerei coloris, intus candidum, dulce: radix nigra, dura, ſi guſtetur, dulcis. Tota planta ἀκανώδης eſt, & firmarum ſpinarum vallo munita.

Natales. Agro Salmanticenſi frequens in arvis, cum Scolymo Theophraſti. Floret Iulio, ſemen Auguſto maturum eſt. Apud Belgas natus, ſemine ex Hiſpanijs à me miſſo, altius aſſurgebat, neque adeò candicabat, & ſemen raró ad maturitatem perveniebat.

VOCABA-


Chamæleon Salmanticenſis.

Acarna major caule folioſo C.B. Pin: 379.



Chamæleon alb. Dioſc. ἰξία Theoph.

Carlina acaulos magno flore C.B. Pin: 380.



Carlina elatior, Chamæleon alb. vulg.

Carlina caulescens magno flore C.B. Pin: 380.



VOCABATVR à Salmanticenſibus Chamæleon, tametſi hiſtoria prorſus refragetur: affinitatem tamen habere videtur, cum eâ plantâ, quam Anguillara pro Chamæleone nigro Dioſcoridis exhibet.

CETERVM, Chamæleon albus Dioſcoridis, ſive ἰξία Theophraſti exiſtimatus, in Pannoniæ, Auſtriæ, & Stiriæ montium declivibus à me obſervabatur, capite amplo, echinato (ex quo flos multis albis folijs circa orbem medium naſcentibus conſtans) ſine caule è medio foliorum humi fuſorum, longorum & in ambitu ſinuoſorum, atque ſpinis armatorum emergente: radice craſſa, denſo cortice obducta, foris fuſca. *Chamæleon alb. Dioſc. ἰξία Theoph.*

SED multò frequentior invenitur Alter ille, qui pedalem caulem adquirit, anguſtiora habet folia, in multas lacinias diviſa, non paucioribus tamen, quàm ſuperioris folia, aculeis horrida, caput in extimo caule minus amplum, floremque minorem: radix perinde craſſa ac ſuperioris, foris etiam fuſci coloris.

VTRAQVE Carolinæ, à Carolo Magno, nomen adepta, ſive Carlinæ, qui illius uſum primus demonſtraſſe creditur; Germanis Eberwurtʒ dicitur. *Carlina Eberwurtʒ*

ALIA verò eſt planta à quibuſdam Carlina minor appellata, humilis & ut plurimum caulis expers, folia habens, Secundæ Carlinæ folijs non valde diſſimilia, ſaturatius tamen virentia, *Carlina minor.*

Carlina minor, purpureo flore.


Carlina acaulos minore purpureo flore C.B.: Pin: 380.

Carduus Septentrionalium.

Chamæleon Theoph.

Carlina ſil. Ακαρνα Theoph.

Eryngium Archigenis



Carlina ſilveſt. vulgaris.

Cnicus Sylveſtris Spinoſior C.B.: Pin: 378.

Carlina ſil. minor.

Natales.

Nomina.

ἀνόνυξος Theoph.



rentia, & mollioribus ſpinis prędita: capita multò minora, & purpureum florem. Hæc frequẽs in pratis montanis & ſiccioribus, etiam in acclivitatibus herbidorum collium.

LOBELIVS Carduum Septentrionalium ſine caule, Chamæleonem album Cordi & Chamæleonem exiguum Tragi appellat: Germani Klein Eberwurtz: Ex quorundam autem opinione, non videtur diſſimilis eſſe Chamæleoni Theophraſti, cujus meminit lib. Hiſtor. Plantar. VI. cap. III.

CARLINA SILVESTRIS.

CAP. XLVI.

SI quis diligenter conferat vulgatiſſimam illam ſpinam, quæ circa publicas vias in arvorum marginibus & aggeribus, ubique ferè naſcitur, cum Acarnâ Theophraſti, cujus meminit Plantarum Hiſtoriæ lib. VI. cap. IIII. his verbis: ἡ δε ἄκαρνα προσεμφερὴς ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κατὰ τὴν πρόσοψιν τῇ κνίκῳ τῇ ἡμερᾷ· χρῶμα δὲ ἐπίξανθον ἢ λιπαρὸν; hoc eſt, Acarna, quantum ſimpliciter exprimere licet, aſpectu cnico domeſtico ſimilis eſt: colore flaveſcens & pinguior: non valde diſſimilis forte reperiet: aut ſaltem ad Eryngium illud referri poſſe non negabit, quod Aëtius de Archigenis ſententia deſcribit, folijs Attractilidis, durioribus, & ex candido pallidioribus, multis ramis ab unâ radice cubitalibus: floribus buphtalmo ſimilibus, ſed oculi formam ſtamina in medio naſcentia perturbant.

ILLIVS autem Hiſtoriam hoc capite non repetemus, eſt enim non modo ab alijs deſcripta, ſed etiam ipſa planta omnibus notiſſima. Iconem tamen ſubijcimus, quia elegans aliud ejus genus in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervabam, cujus hiſtoriam hic adponendam operæprecium eſſe duxi, licet ante in Hiſpanicis Obſervationibus fuerit evulgata.

PALMI verò altitudinem ea planta non ſuperat, cauliculo tenui, unico, canâ lanugine obſito: folia illi Carlinæ ſilveſtris (cujus modo meminimus) foliorum æmula, minora, incana, ſpinis horrida; ſummo cauliculi faſtigio, bina ut plurimum, fert capitula ſpinoſa (nonnunquam etiam in alis) in quibus flos luteus orbem oculi imitans, media lanugine pallida, quam ambiunt rigidiuſcula & exſucca foliola, coloris flavi: radix tenuis, rufeſcens, vivax non eſt, ſed ſingulis annis perit.

Nuſquam hanc inveniebam, quàm aridis quibuſcam petroſiſque & deſertis circa Salmanticenſem urbem locis, promiſcuè naſcentem cum thymo duriore, & Auguſto menſe florentem.

VVLGARE ejus nomen non intellexi, imò ipſis etiam medicis iſtic ignota. Priorem verò, Carlinam ſilveſtrem nonnulli vocant, alij ὀνόπυξον Theophraſti eſſe cenſent, cujus inter

aculeatas


Carlina ſilveſt. minor Hiſpan.

Acarna flore luteo patulo C. B. Pin: 379.



Eryngium vulgare C. B. Pin: 386.

Eryngium campeſtre, vulgare.



aculeatas meminit, Plantarum Hiſtor. lib. VI. cap. III. Germani Drey diſtel/Sew diſtel appellant: Viennenſes rhizotomæ Sat kraut nominant ab effectu, quia non modò illius ſiccæ ſive recentis geſtatione, ſed etiam intuitu, den ſat (ſitim & faucium accenſionem ex nimiâ crapulâ & bilis regurgitatione ortam eſſe puto) ſiſti, vulgus iſtic ſibi perſuadet, & experimento probatum aſſerit. Certè aliquando obſervavi, Nobilium virorum famulos in equis heros ſuos præeuntes, hujus herbam in pileis geſtantes, ut perpetuò nimirum illam heri in conſpectu haberent, &, ſi corriperentur eo vitio, ab illo liberarentur.

ERYNGIVM. CAP. XLVII.

PRÆTER vulgare Eryngium ſingulis notum, & in omnibus, quas adij Provincijs, frequenter obvium, obſervabam etiam peculiaria quædam alia genera, quorum Hiſtoriam hoc capite dabimus.

BICVBITALEM autem, vel ampliorem habet Primum altitudinem, caulem firmum, ſtriatum, medullâ albâ plenum, ac veluti nodis diſtinctum, præſertim quâ parte eum amplectuntur latâ & membranaceâ ſede folia, tres aut plures uncias longa, duas lata, viridia, venoſa, in ambitu ſerrata, & aſpera nonnihil, ſubamaro, acriuſculóque guſtu: quæ verò circa radicem naſcuntur, longiora latioráque ſunt, & oblongis pediculis innituntur: ſummus caulis in aliquot ramos diviſus, breviora folia habet, eáque in profundas lacinias diviſa, & mollibus ſpinis prædita: ſummæ deinde alæ in aliquot ramulos deſinunt, echinata capitula ferentes, ſphericæ ferè rotunditatis, in quibus multi cærulei floſculi albicantibus ſtaminibus præditi, ſub ipſis autem capitulis novem aut plura oblonga, anguſta, aculeata foliola, ſtellæ inſtar expanſa: ipſa porrò capitula cum ſummis ramulis, ſupremáque caulis parte, interdum vetuſtate cæruleum prorſus colorem adquirunt: radix in novellis plantis digiti craſſitudinem & longitudinem æquat, aliquot fibris donata, foris ſubfuſca, intus alba, carnoſa, guſtu dulcicula, perinde ac Eryngij marini radix: vetuſtate ſubinde grandeſcit, & in plures alias radices extuberat, ſingulis annis ex lateribus frequentiores caules proferens: aliquando tamen hoc in iſta plantâ obſervabam, ut producto ſemine, ſubſequens hiems illam prorſus corrumperet, præſertim cultioribus locis. *I. Eryngium latifol. Pannonic.*

Frequens naſcitur in pratis ad Danubium ſupra & infra Viennam ſitis promiſcuè cum Aſparago, & in hortos illatum feliciter provenit. Floret Iunio & Iulio. *Natales.*

Simile planè in Sileſiacis montibus ſponte natum ad me mittebat Viennam Achilles Cromerus Medicus: nec huic fortè abſimile quod Pena & Lobelius in Adverſarijs deſcribunt. Idem verò prorſus eſt cum eo quod Matthiolus planum nuncupat, ipſi primùm demonſtratum à C. V. Paulo Fabritio Medico & trium Cæss. Mathematico.

Eryngium latifolium planum C.B. Pin: 386.

Eryngium Pannonicum latifol.



Eryngium puſillum planum Moutoni.
Eryngium planum minus C.B. Pin. 386.



Varietas. Ejus autem florem variare, mihi teſtis eſt N. V. Ioannes à Hoghelande, qui anno M. D. XCII non modò ſcribebat, habere ſe plantam ſemine ipſi natam, cujus flores non cærulei, ſed albi eſſent; caulis non purpuraſcens, ſed ex viridi palleſcens, verùm etiam caulis ſupremam partem aridam, & ſemen, eodem anno Francofurtum ad me mittebat.

II. Eryngium planū Moutoni. ALIVD etiam eſt Eryngij (plani cognominati) genus, non à me quidem natali loco obſervatum, ſed in exculto horto Ill. viri Ioannis de Brancion creſcens conſpectum, quod Ioannis Moutoni Tornacenſis Pharmacopæi doctiſſimi, & in Stirpium cognitione exercitatiſſimi, munere acceperat.

ID autem humile erat, ſtatim à radice in plures ramos divaricatum, teretes, rotundos, procumbentes, ad quorum ſingula veluti genicula naſcebantur inordinata folia, extremo latiuſcula, circa pediculum anguſtiora & crenata: quæ verò circa radicem, formâ quidem illis ſimilia, ſed ampliora, unciam lata, binas aut ampliùs longa, ex viridi palleſcentis coloris: frequentes ex alis ramuli naſcebantur, ad quorum ſingulos nodos foliola, & echinatâ virentiáque capitula exoriebantur: florem obſervare non licuit, qui nondum ſe prodebat, cùm ſubſequentem Autumnum Viennam evocarer: radix ſatis craſſa, & aliquot fibris donata: quin & procumbentes cauliculi plures, ſecundùm radicis caput, craſſiuſculas fibras agunt, quibus ſubinde ſeſe firmant.

III. Eryngium pumilum Hiſpanic. TERTIVM genus quod in Hiſpanijs obſervabam, paſſim agro Salmanticenſi in colliculis naſcitur, palmi, nonnunquam pedis altitudine, caule gracili, multis ramis, ex adverſo ut plurimum naſcentibus, prædito: folia circa radicem in rotæ ſpeciem humi ſparguntur, majuſcula, latiuſcula, & molliora: at, quę in ipſo caule ſub alis naſcuntur, multifida ſunt, tenuia, in ambitu ſerrata & aculeata: ramulorum ſummitatibus globoſa inſident capitula, octo plerumque ſpinoſorum foliorum ambitu ſtellæ inſtar circumvallata, ipſa etiam ſpinoſa: flos & tota capitula cum ſuis foliolis ea ambientibus cærulei ſunt coloris: ſuccreſcente plantâ, folia ſecundùm radicem in orbem naſcẽtia marceſcunt, deinde alia caulem ambientia exſiccantur & decidunt, ut rarò plantam (cùm defloruit) cum folijs, præſertim inferioribus, reperire liceat: radix dura quidem & lignoſa, ſed quæ non vivax ſit, & ſingulis annis ſemine maturo pereat, ſeminéque deciduo renaſcatur.

Natales. Poſt meſſes plerumque invenitur, quo commemoravi loco: nuſquam alibi videre memini: ſemine quidem inde relato, natum eſt apud Belgas, ſed ſerius flores protulit, qui nullum ſemen dederunt, deinde color ille cæruleus longè fuit remiſſior.

IIII. Eryngium montan. CETERVM Eryngij genus natum memini Ill. Viro Ioanni de Brancion, cujus hoc cap.

mentionem

Eryngium pumilum Hiſpanic.

Eryngium (mont. ... pumilum) C.B. Pin: 386.



Eryngium marinum. C.B. Pin: 386.



mentionem feci, ſemine è Gallia miſſo Eryngij montani nomine à Doctiſſ. viro, eodemq; Regis Galliæ Chirurgo peritiſſimo Nicolao Raſſio, quod nullâ in re differebat à vulgari & paſſim obvio, præterquam ſummorum ramorum & capitulorum colore, qui elegans cæruleus erat, radix etiam non minùs craſſa, longa, ſub terrâ ſe condens, & repens.

QVOD verò maritimis locis naſcitur Eryngium, amplis & craſſis folijs, minimum laciniosis, ſinuoſis tamen in ambitu, & ſpinoſis (niſi cùm novella ſunt) nō modò in calidiorum regionum, quales ſunt Hiſpania, Italia, Gallia Narbonenſis & ſimiles, ſed etiam frigidiorum & ad Septentrionem vergentium, ut ſunt Anglia, Belgium, Hollandia, atque aliæ ijs adhuc frigidiores, maritimis frequens ſponte naſcitur, & radice ſub terrâ vagatur. *V. Eryngium marinum.*

ERYNGIVM porrò, Græcis ἠρύγγιον: Italis, *Iringo*: Gallis, *Panicaut*: Hiſpanis, *Cardo corredor*, quia caulis reſiccatus & abruptus, à vento impelli & provolvi ſolet, præſertim locis planis & apertis: Germanis Brachen diſtel/& Manns trew dicitur: vulgare vocant officinæ, Iringum: nonnulli Centumcapita. *Nomina.*

DIOSCORIDI, radices Eryngij tuſæ, præciſis nervis, & vulneribus glutinandis illinuntur: decoctum, etiam nervorum affectibus prodeſt. Camerarius addit è tenellis Eryngij folijs aquam ſtillatitiam fieri, ijs apprimè utilem, qui morbi Gallici ulceribus laborant, ſi diutius quotidie eâ utantur in potu: Multas præterea alias facultates recenſet, quas ex ejus Plantarum Epitome petere licet. Memini autem C.V. Gulielmum Rondeletium, marini radices (quas potiſſimum uſurpandas cenſebat) ſaccharo conditas præſcribere ſolere, mulieribus frigidiore uteri intemperie laborantibus, ad juvandum conceptum, prius tamen purgato, ut decet, corpore, & reliquis neceſſarijs præmiſſis. *Facultates.*

ALOE. CAP. XLVIII.

VVLGAREM Aloën ſponte provenientem obſervare memini, in veteribus muris arcis Vlyſipponenſis, quâ deſcenſus eſt ad proximum templum in declivi ſitum. Intelligebam etiam Valentiæ, in vicinæ Sagunti vetuſtis muris & macerijs abundanter provenire. De illâ tamen hîc nō eſt nobis inſtitutus ſermo: verùm de Americanâ, cujus deſcriptionem ante multos annos in noſtris ad Aromatum hiſtoriam ſcholijs polliciti ſumus. Tametſi autem hîc non ſuo ordine reponi videatur, quòd, cùm craſſa admodum radice ſit, tuberoſis potiùs fuiſſet adijcienda: rigida tamen ejus facies, à vulgari Aloë planè diverſa facit, ut Aculeatarum claſſi eam accommodarim. *Aloë vulgaris.*

Aloë. Vulgaris C. B.: Pin: 286.



Aloë Americana. Aloe folio in longum aculeum abeunte. C. B.: Pin: 286.



Aloë Americana. MVLTA ſunt illi folia, humanam longitudinem attingentia, ſaturatè virentia quidem, ſed quibus inſperſus videatur cineracei quidpiam coloris ut in Tuliparum quarundam folijs, lævia, circa infimam ſedem trium aut quatuor digitorum tranſverſorum craſſitudine, quodammodo carinata, valde lata, mutuo ſe amplectentia, inſtar foliorum vulgaris Aloës aut Aſphodeli, ſenſim in mucronem deſinentia, qui nihil aliud eſt, quàm ſpina, fuſca, craſſa, unciam cum ſemiſſe interdum longa, & adeò firma, ut Americani pro ſubula uti ſolerent, & cuſpidis ferreæ loco ad ſua tela adaptarent: foliorum latera tenuiora ſunt, & ſpinis ejuſdem coloris aſpera, ſed brevioribus, latâ baſi præditis, & deorſum incurvis ut in Rhamno tertio, interiore parte fibroſa ſunt hæc folia, & ſucci plena, ſed nõ amari. Ex eorum medio caulem enaſci intellexi (nullum enim vidi) brachiali craſſitudine, & brevioris lanceæ altitudine: radix eſt craſſa, longa, curva, veluti internodijs articulata, è quibus ad latera naſcuntur alternis aliæ plantæ, ut in Arundinum nodis germina ſeu gemmæ ſunt diſpoſitæ.

Primùm mihi hanc plantam demonſtrabat C. V. D. Ioannes Plaça medicus & profeſſor in Valentinâ Hiſpaniæ Academiâ, primo ab urbe Valentiâ miliari, in cœnobio D. Virgini ſacro, cui cognomen de IESV inditum, eodem quo Perſea creſcit hortulo: poſtea alijs etiam locis obſervabam: erutam autem, omnium maximâ radice conſpiciebam in ſuburbano ornatiſſimi viri Petri Alemani civis Valentini, cujus hoſpitio exceptus eram, duorum videlicet cubitorum fermè longitudine, ad cujus latera circiter triginta pumilę plantę enatæ, ex quibus binas detractas in Belgicam deferebam; & unam quidem donabam Generoſo Dn. Carolo à Divo Audomaro, viro rei herbariæ, & omnium Naturæ miraculorum ſtudioſiſſimo & peritiſſimo, quam ſecunda ſubſequens hiems corrupit: alteram verò Petro Coudebergo Pharmacopolæ doctiſſimo, Antuerpiæ ad Campanæ ſymbolum commoranti, quam diu in fictilibus conſeruavit: nam ex illâ hanc iconem exprimi curabam. Vivax eſt, multóſque annos durat, radice multipliciter ſe propagans, cujus rei gratiâ, & propter ſpinarum rigiditaté ſive aſperitatem Indos ſeu Americanos, circa agros eam ſerere conſueviſſe, ad eos communiendum, & fures arcendum (ut apud nos ſepibus ſpinoſarum ſtirpium fieri ſolet) memoriæ proditum invenio. Nunc à multis alitur in fictilibus: adeò autem prolifica eſt, ut alternis annis (Viennæ agens) eximere cogerer, ad ſoboles detrahendum, non ſecus ac legitimæ Aloï, quæ etiam prolium valde ferax, ſed circa radicis ſummum caput duntaxat.

Nomina. VALENTINI *Fil y agulla* vocabant, id eſt, filum & acus, quia foliorum extremæ ſpinæ, acus:

næ,acus: fibræ autem interiores fili vicem præſtent. Americani *Maguey* & *Metl* appellant: nonnihil iſtic Hiſpani *Cardon*,ab aculeorum,ut opinor,frequentiâ.

FREQVENTI autem in uſu fuiſſe apud Indos, refert Gomara ad calcem Mexicanæ hiſtoriæ,cujus verba,quia integram hujus plantæ hiſtoriam continent, latinâ facere,& hîc adſcribere volui.

METL, nonnullis *Maguey*, alijs *Cardon*, arbor eſt duorum hominum altitudine,aut majore aſſurgens, humanæ coxæ craſſitudinem æquans, inferiore parte craſſior & denſior, deinde paulatim in pyramidalem formam deſinens inſtar Cupreſſi:quadragena illi folia,tegularum amplitudine propemodum,& eodem modo carinata,ſede inferiore craſſa,deinde in mucronem deſinentia,lateribus tenuiora, craſsâ autem ſpina mucronem occupante. Metl. Maguey.

Tantâ iſtic (videlicet circa Mexico) copiâ naſcitur,quantâ apud nos vites:facit ſpicam, florem,& ſemen. Ex ea ignem ſtruunt,ejus cineres parando lixivio idonei:truncus ligni vicem præbet,folia tegularum aut imbricum.

Cædere eam ſolent ante quàm nimium adoleſcat, ut radix in majorem craſſitudinem excreſcat: eâ enim excauatâ, quendam liquorem colligunt, qui ſerapij inſtar ilicò denſatur:is levi decoctione mel fit:depuratione,ſaccharum: dilutione, acetum: & addito *Ocpatli* (radix ea eſt,quæ,à præſtantiâ,vini medicina vocatur) vinum:illis quidem in uſu,ſed parum ſalubre:etenim valdè caput tentat,& inebriat:nullum autem cadaver,nulla impura ſentina ita fœtet,ut illorum anhelitus qui eo vino inebriati fuerint. Ex hujus germinibus & tenellis folijs fit conſerva. Foliorum prunis aſſatorum liquor, recentibus vulneribus aut ulceribus inſtillatus,brevi ea curat. Germinum & radicum ſuccus, cum abſinthij illius regionis ſucco,mixtus,viperarum morſibus utiliter inſtillatur. *Varij ejus uſus.* Ocpatli.

Illius folijs paratur charta in uſum vulgarem ſacrificiorum & pictorum : ex ijs (lini videlicet aut cannabis modo paratis) fiunt alpergates [calcei genus Hiſpanis admodum familiare ex funiculis contextum] ſtoriæ,chlamydes,cingula,capiſtra,& funes:denique cannabini fili vicem illis præbent. Horum foliorum cuſpides ſeu ſpinæ, adeo firmæ ſunt, ut illis acus aut ſubulæ loco ſint, fibræ autem fili vicem ſuppleant. Iiſdem Sacerdotes illius regionis pungere & vulnerare ſe ſolent in ſacrificijs, earum enim cuſpis non infringitur,& quantum opus eſt penetrat, exiguo foramine facto. Non contemnenda ſanè planta, quæ ad tam varios effectus hominibus utilis eſt. Hactenus Gomara.

ADDVNT quidam, Americanos venereâ luem hujus plantę uſu curare ſolitos hac ratione. *ad veneream luem.* Ejus fragmentum, in minutas partes ſectum, deinde ollæ, canthari aquæ capaci impoſitum,trium horarum ſpatio decoquebant,ollâ prius luto obſtructâ:decoctione factâ, ollam apud ægrum collocatam aperiebant, copioſus inde fumus exhalans, multum ſudorem excitabat. Aut,Folium hujus plantæ prunis impoſitum aſſabant, cujus fumum æger excipiebat:ſed adeo vehementes ſudores hujus remedij uſu excitabantur, & vires collabebantur, ut æger vix ferre poſſet,licet triduo duntaxat uteretur.

HVIVS plantę foliorum fibris,contextum à mei Hoſpitis ſorore reticulum,mihi oſtendebatur,cùm Valentiæ eſſem. Intelligebam etiam,induſia ex ijs parata, Hiſpali urbe Bæticæ & celebri Emporio, venalia inveniri.

CYNOGLOSSVM. CAP. XLIX.

VVLGARE illud Cynogloſſum,quod doctiores & in Stirpium cognitione egregiè exercitati non ſine probabili ratione legitimum eſſe cenſent, ut quod ceteris notis ſatis convenientibus, multorum etiam ſit annorum interdum, ante quàm caulem proferat,in omnibus quas percurri regionibus mihi fuit obvium. Id cùm à nemine eorum qui Stirpium hiſtoriam ſcripſerunt, ſit prætermiſſum : illius deſcriptionem à me expectare non eſt neceſſe. Tria autem alia genera obſervabam: quorum Primum natali loco creſcens nunquam vidi,ſed in quorũdam hortis ſemine natum duntaxat,quod ipſe etiam ſæpius in meo alui, atque nunc adhuc alo : Secundum , etiam in hortis tantum : Tertium verò, frequenter ſponte naſcens conſpexi. Singulorum hiſtoriam qua poterimus perſpicuitate & facilitate, hoc capite dabimus. *Cynogloſſum vulgare.*

PROFERT igitur Primum à ſummo radicis capite multa folia,longa,vulgaris folijs multò anguſtiora,venis aliquot ſecundũ longitudinẽ excurrẽtibus prędita,ex viriditate caneſcentia:inter quæ naſcitur caulis inæqualis,minimi digiti craſſitudinẽ non attingens,per quem, inordinato ſitu,naſcuntur folia,ijs quæ à radice prodeũt breviora & anguſtiora,ipſum quodãmodo amplectẽtia,ex quorum alis circa ſummũ caulem naſcuntur ramuli, aliquot cavis floſculis,in quinq. lacinias per extremas oras diviſis,onuſti,vulgaris quidẽ floribus formâ ſimilibus,ſed minoribus,& dilutioris coloris,in quorũ medio quinq. ſtaminula ſaturè rubentia:ſingulis floribus ſuccedunt,quemadmodum in vulgari,quatuor rugoſa & aſpera ſemina ſimul conjuncta (prominulo ex illorum medio ſtilo) vulgaris tamen ſeminibus minora,ſed non minus quàm illa, veſtibus attingentium inhærentia : radix eſt longa , ſingularis, candicans, craſſo & ſucculento cortice obducta, ſummâ tamen cute ſubfuſcâ, minimi digiti craſſitudine, fractu contumax, raris tenuibus fibris per totam longitudinem prædita. *1. Cynogloſſum Cretic. 1.*

Cynoglossum creticum argenteo angusto folio B: Pin: 257

Cynogloſſum Creticum I.



Cynogloſſum Creticum II.

Cynoglossum creticum latifolium fœtidum B: Pin: 257



Nobis primùm hæc planta nata eſt in Belgicâ, ſemine ex Italiâ miſſo Cynogloſſi Cretici nomine, deinde ſponte deciduo conſervata: Floret Maio, atque etiam Iunio, quo ſimiliter menſe matureſcit ſemen.

II. Cynogloſſ. Cretic. II. SECVNDVM, primo anno, ex radice longâ, infra digiti minimi craſſitudinem conſiſtente, rariſque fibris per longitudinem ſparſis præditâ, craſſiuſculóque cortice foris fuſco amictâ, multa promit folia, palmum aut amplius longa, unciam lata, humi fuſa, mollia & tenui brevíque lanugine tecta, nervo ſatis craſſo illa per longitudinem æqualiter ſecante; inter quæ altero anno prodit caulis cubitalis aut amplior, ſtriatus, firmus, rectus, molli lanugine obſitus, quē confuſo ordine veſtiunt folia jam dictis ſimilia, ſed quæ breviora fiunt, quo propius ad ſummum caulem accedunt, ex viridi palleſcentia: ſummus caulis in multos graciles ramos dividitur ſummo faſtigio Scorpiuri aut Heliotropij majoris inſtar inflexos, in quibus plurimi caliculi quinque lacinijs conſtantes, unde flores emergūt Primi floribus breviores, illis tamen ampliores, in quinque lacinias orbiculares diviſi, candicantis initio coloris, ſed multis tenuibus purpuraſcentibus venis (quæ vetuſtate in cæruleum colorem tranſeunt) ornati: defluentibus floribus, conſpiciuntur in caliculis quatuor ſemina conjuncta, ut in Priore Cynogloſſo Cretico, rugoſa & aſpera, è quorum medio prodit ſtilus.

Tota ſtirps ingrati odoris eſt: Iunio floret: ejus radicem vivacem nō eſſe arbitror, ſed hieme, profluvium ſeminis inſequente, corrumpi, & ſemine ſponte deciduo renaſci.

Hoc genus in ſuo horto alebat Francofurti ad Mœnum Ioannes Mylerus illius urbis Pharmacopæus, quod ſemine Cynogloſſi Cretici nomine ad ſe miſſo natum aſſerebat.

III. Cynogloſſum pumilum. INTRA pedalem altitudinem plerumque conſiſtit Tertium, tametſi nonnūquam ſuperet, cauliculus illi ſingularis, tenuis, firmus, rotundus, ſubhirtus, infernè purpuraſcens, ſupernè vireſcens; per quem ſparſa ſunt inæquali ſitu foliola uncialia, anguſta, eminente dorſo, molli lanugine tecta, colore ferè cineraceo, guſtu aliquantulum excalfaciente: ſummi cauliculi in aliquot ramos dividuntur, qui, Scorpiuri modo contorti, floſculos ex foliorum adverſo proferunt, Bugloſſo vulgari, aut Cynogloſſo jam deſcripto ſimiles, minores, cærulei coloris: quibus ſuccedunt quaterna etiam ſimul juncta ſemina, in umbonem protuberantia, admodum echinata & aſpera: radix longa, tenuis, raris fibris donata, quæ annum duntaxat ſupereſſe, & poſt ſemen maturum perire ſolet.

Natales. Creſcit ad viarum & agrorū margines circa urbem Viennam, in nudis & ſalebroſis jugis huic urbi vicinis, pleriſq; aridis Pannoniæ locis ad arvorū ſublevatos margines, tum etiam Moraviæ, præſertim verò ad arcem vrbis Brūnæ in eâ Provinciâ ſitę. Floret Maio & Iunio.

AN ve-

Cynogloſs. pumil. ſive Auſtriac. alterum.

Cynogloſſum medium B: Pin: 257




Lithoſpermum repens majus.

Lithoſpermum minus repens Latifolium B: Pin: 258



Echium vulgare. B: Pin 259



AN verò hoc poſtremũ Cynogloſſum, planta ea ſit, quam Plinius Natur. Hiſtoriæ. lib. xxv. cap. VIII. ſcribit Cynogloſſo ſimilem & quæ ferat lappas minutas? cujúſq; radix ranis & ſerpentibus adverſetur? *Planta Cynogloſſo ſimilis Plin.*

VVLGARE Cynogloſſum appellant Itali, *Cinogloſſa* & *Lengua canina*: Galli, *Langue de chien*: Hiſpani, *Lengua de perro*: Germani, Hundszung: Belgæ, Gemeyne honds-tonghe. *Nomina.*

CYNOGLOSSI porrò folia, cũ ſuillo adipe veteri, canum morſibus, alopecijs, & ambuſtis medentur: alvum emollit decoctum herbæ, ex vino potum. *Facultates.*

ADMODVM etiam frequens eſt in ſilvulâ ad Lachn primo ab urbe Viennâ miliari, & Viennenſis ſaltus aliorúmq; montiũ urbi vicinorum radices, inter frutices Lithoſpermũ illud majus vulgo nuncupatum, cujus ſarmenta humi fuſa ſubinde fibras agunt, & mirè ſe propagant. *Lithoſpermum majus.*

NEC minus frequens varijs Pannoniæ, & Auſtriæ locis, aliud illud Lithoſpermi genus legitimum, ſemine cãdido, cujus in officinis uſus eſt. *Lithoſpermum legit.*

ECHIVM: CAP. L.

VARIA, præter vulgare ſubcæruleo flore, quod Viennenſi agro & vicinis locis frequentiſſimum, etiam variante in ſubcinereum, vel omnino album colorem flore, interdum reperitur, naſcuntur in Auſtriâ Echij genera, eáque elegantia. *Echium vulgare.*

PRIMVM



Echium pullo flore.



Echium rubro flore.

I. *Echium pullo flore.* PRIMVM pedalem habet caulem, ſtriatum, villoſum, folijs Echij, aut Bugloſſi ſilveſtris, molli lanugine præditis, & inæquali ſitu ipſum ambientibus ornatum, ſuperiore parte in multas alas diviſum, quę deinde in breves ramulos ſeſe findentes, multis floſculis concavis, extremâ parte in quinque crenulas diviſis, coloréq; ex atro purpuraſcente præditis, onuſtę ſunt, qui è vaſculis molli lanugine hirſutis & inter folia latentibus prodeunt: ſemen ut in hujuſmodi generis plantis, viperino capiti ſimile: radix oblóga, minimi digiti craſſitudinem interdum æquat, foris fuſca, paucíſq; tenuibus fibris prædita, capite, unde caulis prodit, extuberante, & præcedentis anni caulis veſtigia ſervante: præmanſa folia, nullum initio manifeſtum ſaporem peculiarem præbent: ſed poſtea nonnihil acrimoniæ habere videntur.

Natales. Creſcit multis locis Viennæ vicinis, totâ etiam inferiore Auſtriâ, & Pannoniæ parte ſiccioribus pratis, & gramineis locis ad collium radices, atque in ipſis collibus nudis, & tenui duntaxat gramine obſitis. Floret Maio.

II. *Echium rubro flore.* OBLONGA & anguſta habet Alterum folia, villoſa, vulgaris Echij folijs ferè ſimilia, paulò tamen latiora, humi ſtrata: caulem modò pedalem, aliquando cubitalem, firmum, ſtriatum, lanuginoſum, maculíſq; purpureis conſperſum, quem incôdito ordine multa ambiũt folia, infernis breviora & anguſtiora, non minùs tamẽ hirſuta: ſummum caulem exornant multi breves ramuli in ſe veluti convoluti, atque Scorpiuri inſtar inflexi, pleni florum vulgaris Echij floribus ſimilium, ſed colore rubro eleganti præditorum, qui proximè caulem primum aperiri incipiunt: excuſſo flore, ſemen, ut in alijs Echij generibus, apparet in caliculis nigrum, viperino capiti ſimile, ſed minus: radix ſatis longa, dura, & lignoſa, nigro cortice tecta, ſummo capite multos interdum caules promens, ſed maximâ ex parte duntaxat unicum.

Natales. Abundè admodum, ſiccis pratis ſupra & infra Soproníum Vngariæ urbem, nuſquam verò alibi, hanc plantam obſervabam Maio florentem, nunc ſaturatè rubentem, modò dilutiore colore præditam.

BINA porrò alia Echij genera, Cretico ſemine, quod mittebam, nata, creverunt Ioanni ab Hogelande anno M.D.XCIII.

III. *Echium Creticum I.* AMPLA, initio habuiſſe, dicebat Primum folia, mediæ, inter plantaginem & bugloſſum ſubſtantiæ, humi ſtrata, inter quę naſcebantur caules rotundi, ſcabri & aſperi, frequentibus alis donati, quos ambiebât inordinata folia, minora, hirta, extremi rami circumvolvebantur & inflectebantur, Echij & aliarum Anchuſarum inſtar, geſtabantq; caliculos quinque foliolis anguſtis & hirtis conſtantes, ex quibus cavi flores, Echij floribus non diſſimiles prodibant,

dibant, coloris rubri diluti elegantis, in quinque lacinias ſummis oris diviſi (quos ſucceſſu temporis, purpuraſcentem colorem contrahere, obſervabat) è quorum umbilico exiliebant ſtaminula ex rubro purpuraſcentia, apicibus pallidis, & medius gracilis ſtilus, exalbidus, & bifurcus: flori ſucceſſit ſemen, echij ſemini non diſſimile. Flores dedit Iulio & ſequentibus menſibus.

CAVLES Alteri magis ſcabri erant, quàm Priori, rotundi, parvis maculis rubris diſtincti, Serpentariæ ferè ritu: folia promebat quaternas aut quinas pænè uncias longa, unam lata, pallidioribus maculis aſperſa: flores extremis ramis naſcebantur egregiè rubentes, nativam rubedinem, etiam adulti retinentes, è quorum umbilico majora duo ſtaminula prodibant, & tria minora, quorum tertium, reliquis minus, omnia autem apicibus albis prædita. Florere incipiebat ſub extremum Iulium. *IIII. Echium Creticum II.*

Accipiebam autem ſemina, ex quibus hæ plantæ natæ, non Echij appellatione, ſed Anchuſæ, cujus ſemen è Cretâ allatum eſſet: cùm verò Echium magis referant, quàm Anchuſam, ad Echij caput reijciendas has plantas eſſe duxi.

GRÆCIS hæc planta ἔχιον; Latinis, echion; Italis, *Bugloſſa ſalvatica*: Gallis, *Bugloſſe ſauvage, ou Herbe aux viperes*: Hiſpanis, *Lengua de buey, ſalvage, y Yerva de las bivoras*: Germanis, wild Ochſenzung: Belgis, wilde Oſſen-tonghe. *Nomina.*

ECHII radix, teſte Dioſcoride, percuſſis à ſerpentibus, non modò ex vino pota, prodeſt, ſed eos qui ante biberint, feriri non patitur: Folia & ſemen, ſimiles habent facultates. *Facultates.*

ANCHVSA. CAP. LI.

DIOSCORIDES & Plinius tria Anchuſæ genera deſcribunt, quorum Alterum genus, illis Onochiles dictum, mihi duntaxat cognitum eſſe, ingenuè fateor: id autem cùm in Galliâ Narbonenſi frequenter legere memini, tum pleriſque Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis obſervare. Sed cùm ab alijs hujus ævi De re herbariâ ſcriptoribus ejus icon ſit exhibita, & hiſtoria tradita, ad eos Lectores ablegabimus. *Anchuſæ genera tria veteribus prodita.*

Anchuſa exalbido flore. Anchuſa Lutea major B: Pin: 254.



ALIVD verò genus obſervabam, cui numeroſa folia, palmaris longitudinis, valde anguſta, & pũgente lanugine hirſuta: è quorum medio caulis aſſurgit ſecundo anno (primo enim ἄκαυλος eſt) pedalis, interdum etiã cubitalis, craſſiuſculus, firmus, hirtus, in multos ramos diviſus, in quibus breviora multò, hiſpidaq; folia: extremis ramis prodeunt, è vaginulis hirſutis & aſperis, flores Symphiti majoris floribus quodammodo ſimiles, albi, aut ex albo nonnihil palleſcẽtes, ſive ὠχρόλευκοι, in angulos quinque diviſi, quibus diſcuſſis, ſemen in vaginulis conſpicitur viperino capiti aut Echij ſemini ſimile: radix minimi digiti craſſitudinem æquat, nigráq; cute tecta eſt, qua ſublatâ, omnino rubet, & elegantiſſimo colore inficit: adeò autem carnoſa eſt, ut radicum Bugloſſi vulgaris inſtar condiri poſſit, dulcis tamen & inſipida. *Anchuſa exalbido flore.*

Naſcitur arido & ſalebroſo ſolo, ut in mõte Badenſibus thermis imminente & alijs vicinis, apud Carnuntũ pręterea, Pannoniæ olim ampliſſimam urbem, nunc autem vile oppidulum, Petronella vocatum, maximâ copiâ, tum pleriſque alijs Pannoniæ, Auſtriæq; ſiccis & aridis locis. Floret Maio, & ſemen Iunio profert: deinde perire arbitror, ut Echij genera. *Natales.*

GRÆCI porrò Anchuſam Latinis dictam ἀγχοῦσα ἢ κάλυκα & ὀνόκλειαν appellant, Secundum genus Dioſcorides ἀλκιβιάδ᾽ιον ἢ ὀνοχειλὲς quibuſdam dici ſcribit. Nullum nomen vulgare novi, niſi quod Secundum genus, nõnullis Hiſpaniæ locis, *Argamula* vocatur. *Nomina.*

PRIORI generi radicem adſtringentem tribuit Dioſcorides: ad ambuſta, & vetera ulcera, ex oleo & cerâ, efficacem eſſe ait: igni ſacro cum polentâ mederi: lepris & vitiliginibus illini ex aceto, partus extrahere, vulvæ inditam: ejus decoctũ renum vitijs, lieni, & bile ſuffuſis da- *Facultates.*

ſuſis dari,&,ſi febris ſit,ex aquâ mulsâ: folia alvum ſiſtere in vino pota. Radice pigmentarios uti ad unguentorum ſpiſſamenta. Similes ferè facultates tribuit etiam illi Plinius. Secundum autem genus vim habere quæ contra virus reliquorum ſerpentum, præſertim autem viperarum auxilietur, ſive cibo, ſive potu, ſive alligatu. Veriſimile autem eſt ſimilibus huic ſecundo generi facultatibus pollere, quam hoc capite deſcribo Anchuſam.

Cùm Granatæ eſſem, venales conſpiciebam pyxidulas unguento plenas ex Anchuſæ, quæ in eâ Provinciâ frequens naſcitur, radice rubrâ parato, ad fucandam faciem (quod iſtic uſitatum eſt) idoneo.

Anchuſa lignoſior. CETERVM, non ineptè ad Anchuſæ genera forſan referri poſſit quædam planta, aridis locis circa frutices & dumeta naſcens, in Luſitaniâ à me obſervata. Tres verò aut quatuor ab unâ radice producebat virgas, pedem altas, tenues, duras, & lignoſas, quas ambiebant frequentia folia, Anchuſæ folijs ſimilia, nigricantia supernâ parte & hirſuta: ſummis virgis, quæ Scorpiuri inſtar incurvantur, innaſcuntur oblongi flores, Anchuſæ floribus ſimiles, intensè cærulei, aſpectu pulcherrimi: radix dura eſt, lignoſa, detractâ ſummâ cute nigricante rubeſcens, temperati guſtus. Florebat iſtic Ianuario inter Scintry arcem Regiam & ſcopulum cui nomen *Noſtra Señora de la peña*, ad cujus radices frequentior. Ab incolis *Tomarguera* nuncupabatur. *Tomarguera.*

Non abſimilis ei videtur quam Doctiſſimus Lobelius Anchuſam lignoſiorem anguſtifolium appellat, niſi fortè eadem ſit.

SYMPHITVM TVBEROSVM. CAP. LIII.

Symphitum majus tuberosa radice B: Pin: 259

Symphitum tuberoſum majus.



Symphitum minus tuberosa radice

Symphitum tuberoſum minus. B: Pin:



Symphitum tuberoſa radice. ANGVLOSVM & quodammodo pentagonum habet caulem, rariſſimè pedalem altitudinem ſuperantem, ſucci plenum, per quem rariora, quàm in Symphito majore, ſparſa ſunt folia, illíſq; minora, teneriora & minus aſpera, inſipido ferè guſtu: flores in ſummis ramis pallidos, oblongos, Symphiti majoris floribus forma ſimiles, cõcavos, inodoros, extimâ parte in quinque crenas diviſos, quinque ſtaminibus in medio flore, veluti in umbonem tendentibus, protuberãte in medio ſtilo: caliculos deinde majoris Symphiti inſtar, in quibus ſemen, Echij ſemine non diſpar: radicem longam, ramoſam, teneram & fragilem, minimi digiti craſſitudine, ſubinde in tubera excreſcentem, exiguis fibris capillatam: pediculi, calices, caules anguloſi, & folia hirſuta ſunt.

Natales. Invenitur in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ ſilvis, umbroſo loco, præſertim verò ſub fruticibus:

ticibus: reperiebam etiam in Pannoniâ interamni, ultra Dravum flumen, in Grebén arcis ſæpiùs memoratæ montanis. Primùm verò innotuerat Belgicæ incolis anno M. D. LXVIII. planta ipſa virête Machliniam ad nos miſſa à C. V. Alphonſo Pancio Ferrarîẽſi Profeſſore.

EIVS hiſtoriam & iconem minimè dediſſem, niſi aut minus diligenter ab alijs deſcripta fuiſſet hiſtoria, aut icon non ſatis ſcitè expreſſa: tametſi & in eâ quam exprimi juſſi, pictor oſcitantiæ merito accuſari poſſit. Nam radicem nimis tenuem illi dedit, & tubera omiſit: utramque tamen hic ſubjecimus.

De facultatibus, neſcio an quiſpiam periculum fecerit: veriſimile autem eſt, iiſdem pollere, quibus Symphitum majus.

CERINTHE QVORVNDAM. CAP. LIII.

HVIVS ſtirpis, quatuor inveniuntur genera, forſitan etiam plura; tria obſervabam, quartum ab amico accipiebam. Nos ſingula ordine deſcribemus.

Cerinthe quorundam major verſicol. flo. Cerinthe quorund. major flavo flo.

Cerinthe ſeu Cynogloſſum montanum majus B: Pin: 258 Cerinthe flore flavo aſperior B: Pin: 258.





QVATVOR aut quinque ramos ſive caules habet Primum, à ſummo radicis capite prodeuntes, rotundos, ſucculentos, interdum cubitales, quos amplectuntur numeroſa folia, oblonga, circa pediculum latiora, mucrone obtuſo, colore ex viridi ad cæruleum quaſi tendente, candidis maculis aſperſa, nonnihil villoſa: è foliorum ſinu naſcuntur alij ramuli, Heliotropij majoris ramulorum inſtar ſeſe intorquentes, pleni florum ſecundùm ramulorum longitudinem diſpoſitorum, longiuſculorum, concavorum, à medio in extimam partem, flavorum, alterâ, quâ caliculis inhærent, ex rubro purpureorum, quibus apes valde delectantur: his decidentibus bina plerumque in eodem caliculo ſemina conſpiciuntur, nigra, Ervi magnitudine, ſeminis Echij, aut Ciceris arietini forma: radix alba, oblonga, & ſatis craſſa eſt, an verò perennis, ubi ſponte naſcentem obſervabam, ignoro. *I. Cerinthe quorundam major verſicolore flore.*

Creſcit autem nonnullis Luſitaniæ locis, ſed copioſè per totam Bæticam. Floret novo Vere & Martio. Apud Belgas in hortis ſata multo ſeriùs, videlicet ſub æſtatis finem, & ſubinde floribus ſcatet in hiemẽ uſque, tum perit, & deciduo ſemine ſingulis annis renaſcitur. *Natalis.*

ILLI non abſimile eſt Alterum genus, habet enim medium caulem ſurrectum, & frequentes ramos, à ſummo radicis capite prodeuntes, & humi fuſos, quos, uti & caulem amplectuntur alternis, folia qualia in ſuperiore, non adeò tamen ampla circa pediculum, ſed perinde maculis albis infecta, & veluti tenellis ſpinis obſita, atque mollibus villis in ambitu prædita: caulis in aliquot ramulos ſupernè dividitur, è foliorum ſinu prodeuntes, qui extimâ parte *II. Cerinthe quorundam flavo flore.*

mâ parte nutant, & è ſingulis foliorum alis flores proferunt priori formâ & magnitudine pares, ſed omnino flavos, ſemen præcedenti ſimile: radix craſſiuſcula, alba, æqualis cum ſuperiore longitudinis, frequentioribus tamen fibris donata, quam ſubſequens etiam hiems corrumpere ſolet in Belgicis hortis.

Natales. Sponte naſcentem obſervabam Valentino Regno, & florentem Martio, atque Aprilis initio. Semine tamen ex Italiâ miſſo nata in Belgicis hortis, non niſi Iunio & Iulio, atque etiam ſeriùs florebat, & ſubinde in hiemem uſque.

III. TERTIVM genus neque ſponte naſcens, neque in hortis cultum conſpexi: ſed honeſtiſſimus & in ſtirpium cognitione verſatiſſimus, Iacobus Plateau Tornacenſis civis, in cujus horto cultiſſimo crevit, iconem miſit, additis notis, ex quibus, hanc deſcriptionem concinnabam.

Cerinthe major quorund. flo. ex rubro purpuraſc. IN bipedalem, aut tripedalem, ut plurimum, aſſurgunt altitudinem caules, ſive rami, ſtatim ab radice diviſi, quos ambiunt etiam alternis folia, jam deſcriptis paulò minora, ex viridi & cæruleo quaſi commixti coloris, ſupernè maculis etiam albis conſperſa: ſupremi rami nutant, floreſque ſingulos inter folia proferunt in calicibus purpuraſcentibus ſaturis, ex rubro purpureos, quibus aſperſa videatur quædam albedo, longos, cavos inſtar præcedentium: quibus deciduis, ſemen in caliculis nigrum, Borraginis ſemini formâ ſimile: radix ſimiliter alba, brevior tamen & minus fibroſa, quàm præcedentium.

Seritur, teſte qui ad me iconem mittebat, Februario, Martio, Aprili, pro aëris verni temperie: humido ſolo delectatur, propterea, cùm æſtivi dies incipiunt, & areſcit ſolum, crebris rigationibus indiget ut augmentum ſumat: nam ut plurimum Autumno duntaxat flores profert, cùm videlicet de cælo crebri imbres cadere incipiunt. Annua eſt.

Cerinthe quorundam minor flavo flo.

Cerinthe minor B: Pin: 258.



IIII. *Cerinthe quorundam minor flavo flo.* GRACILIOREM modò deſcriptis, habet Quartum genus caulem, cubitalem, aut ampliorem, rotundum, in plures ramos diviſum: folia etiam alternis per caulem ſparſa, minora quàm Tertij, & anguſtiora, albis ſimiliter maculis conſperſa: ſummi rami inflectuntur & nutant, frequentibus folijs magis mucronatis tecti, è quorũ alis ſingulares propendent flores ſuis caliculis inhærentes, ſuperioribus longè minores, extremis oris dẽticulati, prorſus flavi: quibus deciduis, ſemen in caliculis continetur nigrum, altero minus, formâ tamen non diſpari: radix etiam alba, & aliquot fibris prædita, non tamen vivax.

Natales. Alebatur etiam in Belgicis hortis, quando Viennam evocatus ſum: nec ante ſponte naſcentem hanc plantam conſpexeram, quàm in Auſtriam venirem, in cujus agris atque etiam Stiriæ copiosè creſcit, interdum etiam hieme in ſuâ viriditate permanens.

Nomina. DE hujus nomenclaturâ, variæ ſunt inter Neotericos ſententiæ: Nam alij Cerinthen eſſe volunt, eâ ratione, ni fallor, ducti, quòd apibus grata ſit, & id de Cerinthe teſtatur Virgilius in Georgicis, tum Plinius lib. XXI. cap. XII. Vulgus herbariorũ Memitham magno errore vocavit: Memitha enim Arabum nihil aliud eſt quàm Glaucium Græcorum. Nec deſunt qui Maru, ſive Almaru Avicennæ lib. II. cap. II. deſcriptum putent, præſertim quartum ejus genus, quo nomine etiam Secundi ſemen aliquando ad nos miſſum ex Italiâ. Sed, meâ ſententiâ, nihil eo loco videtur Avicenna deſcribere, quàm vulgare noſtrum Bugloſſum, aut Borraginem, quibus hanc ſtirpem, cujus genera deſcripſi, temperamento proximam exiſtimo.

PVLMONARIA. CAP. LIIII.

I. *Pulmonaria maculoſo fol.* QVÆ Pulmonaria vulgo nuncupatur, & folia candicantibus maculis notata habet, copiosè multis Pannoniæ & Auſtriæ ſilvis ſpõte naſcitur, cùm inter Krumpach & Gleiſſefeld, tùm in Viennenſis Leytaníque ſaltus varijs locis: hujus florem niveo colore variantem aliquando conſpicere memini. *Varietas.* De eâ autem, quandoquidem ab alijs deſcripta eſt, ſermonem

Symphytum maculosum, ſive Pulmonaria major C.Bauh. pin: 259. Symphytum maculoſum ſive pulmonaria anguſtifolia cærulea C.Bauh. pin: 260

Pulmonaria vulgaris maculoſo fol.



Pulmonaria III. Auſtriaca.



monem inſtituere non eſt animus: ſed de alijs aliquot generibus, quæ ante quàm in Auſtriam pervenirem, mihi conſpecta non fuêre.

PRIMVM igitur quod obſervabam genus, ſed inter Pulmonarias Secundum, ex radice nigrâ, minimi digiti craſſitudinẽ fermè æquante, obliquâ, & multis craſſioribus fibris, quales ſunt vulgaris fibræ, donatâ, plura fert capita, è quibus prodeunt folia longis pediculis innixa, vulgaris folijs non valde diſſimilia, minus tamen ampla, aſperâ etiam lanugine tecta, ſed, quod magnum diſcrimen facit, nullis albicantibus maculis ſupernè infecta, prorſus viridia, infernè autem dilutiora: deinde caules pedales, anguloſos, folijs anguſtioribus, nõ minùs tamen villoſis, inæquali ſitu inhærentibus præditos, qui ſummo faſtigio in breves ramulos dividuntur, ſuſtinentes cavos calices in quinque lacinias diviſos, è quibus emergunt flores longiuſculi, cavi, oris in quinque crenas diviſis, coloris initio rubeſcentis, poſtea ad cæruleum tendentis, perinde atque Pulmonariæ vulgaris flores: illis cadentibus, apparent in loculis vetuſtate jam laxioribus, ſemina caput viperinum referẽtia, maturitate nigra: radix vivax eſt, & ſingulis annis augeſcit, non minùs quàm Pulmonariæ maculoſæ radix. *II. Pulmonaria folio non maculoſo.*

Naſcitur in Viennenſi ſaltu mixtim cum vulgari, & multis alijs Germaniæ locis: in ſilvis etiam Francofurto vicinis frequens. Floret Aprili, ſemen extremo Maio maturum eſt. *Natales.*

EXILIT Tertium novo vere, florúmque congeſtorum thyrſum ferè ante folia promit, quæ ſunt anguſta & villis obſita, Bugloſſi ſilveſtris, Echiíve, aut Anchuſę folijs non abſimilia, molliora tamen, neque tam aſpero villo hirſuta, nullo pediculo prædita, ſed medium caulem amplectentia, qui paulatim ſuccreſcens, anguloſus & hiſpidus, interdum nonnihil purpuraſcens, in pedalem tandem altitudinem excreſcit, in cujus faſtigio multi pentagoni caliculi, in quinque purpuraſcentes lacinias diviſi, & ſubhirſuti naſcuntur, continentes oblongos, concavos flores, Bugloſſi hortenſis, aut Pulmonariæ vulgaris floribus formâ ſimiles, qui per oras in quinque orbiculares ferè lacinias diviſi, colore, ante quàm aperiantur, ex purpurâ rubente, deinde, quando explicati ſunt, cæruleo adeò eleganti nitent, ut Gentianellæ vernæ floris venuſtatem, ſi non ſuperare, attamen proximè æmulari videantur, odore autem nullo grati: ij maturi decidunt integri, quemadmodum Bugloſſi hortenſis & ſimilium flores, atque caliculam inanem cum ſtilo, & quatuor ſeminum rudimẽto relinquunt, quod maturitate nigrum evadit, Echij aut Bugloſſi vulgaris ſemini reſpondens. Adnaſcuntur deinde ſecundùm caulis pedem, alia hirſuta folia, anguſta, palmaris aut amplioris longitudinis, Echij aut Anchuſæ folijs latiora, mollioráque, inter quæ (licet ſicca ſint) ſubſequente vere prodit caulis ſuis venuſtis floribus onuſtus: radix craſſis carnoſiſq; fibris præ- *III. Pulmonaria anguſtifol. cæruleo flo.*

 dita eſt,

Pulmonaria v. Pannonica. Pulmonaria anguſtifolia rubente cæruleo flore C.B: Pin: 260



dita eſt, ut Pulmonaria prima maculoſo folio, initio candicãtibus, deinde vetuſtate foris nigricantibus, dulci ſapore.

Natales.

Naſcitur paſſim per Pannoniã & Auſtriam inferiorem, in montanis & cæduis ſilvis, & diutiſſimè floret.

IIII. Pulmonaria rubro flore.

INVENITVR & quibuſdam Pannoniæ locis, Quartum quoddam genus, jam deſcripto ferè ſimile, niſi craſſiorem, majorémq; caulem, & latiora folia haberet, flores ſimiliter, nõ, ut illud, cæruleos, ſed pulcherrimè rubẽtes: alioqui & radice & temperamento conveniunt.

V. Pulmonaria rubente cæruleo flore.

EST præterea & Quintum genus, forma & amplitudine Quarto reſpondens, cujus flores initio rubent, ut in Tertio genere, deinde cæruleum colorem ſaturatiorem contrahunt.

Natales.

Creſcunt poſtrema hæc duo genera ad cæduarum ſilvarum margines, umbroſis locis, & eodem cum tertio tempore florent.

Nomina.

Quo nomine dicta fuerit Veteribus hæc Planta, me ignorare, ingenuè fateor; ad Bugloſſi tamen genera referri poſſe arbitror. Recentiores Pulmonariam appellarunt, quia nimirum Pulmonum vitijs auxiliari credatur. Italis *Polmonaria* dicitur, Germanis Lungenkraut / Fleckenkraut / klein Walwurtz: Gallis, *Herbe aux polmons*: Belgis, Longerkruydt; maculoſa autem, Onſer vrowen melck kruydt.

Pulmonaria Gallorum Hieracij facie.

CVM Lutetiæ vivebam, mihi pro Pulmonaria demõſtrabatur (folia enim albis maculis conſperſa habebat) Hieracij quoddam genus, in Vivario illo Madritiano, ad ſilvulæ ingreſſum, quà iter in arcem. Noſter Lobelius iconem dedit, Pulmonariæ Gallorum Hieracij facie appellatione: ſed maculas in folijs non expreſſit pictor.

Trachelium vulgare.

Campanula vulgatior folijs urticæ vel major et aſperior C.B: Pin: 94



TRACHELION & RAPVNCVLVS ALPIN.

CAP. LV.

Trachelij & Rapunculi varia genera.

Cervicaria.

TRACHELII & Rapunculi varia in Pannoniâ, Auſtriâ, viciníſque regionibus ſponte naſcuntur genera. Nam nullæ montoſæ ſunt ſilvæ, quę Trachelium illud urticę folijs, quod nonnulli Cervicariam, alij Vvulariam appellant, ſubcæruleo flore non alant: ſublimiora juga, ut Sneberg & alia ſimilia, idem quod albo flore eſt: aliud præterea genus, mollioribus folijs, oblongâ minorũ florum, in anteriorem partem vergentiũ & ſpectantium ſpicâ, cujus radix alioqui craſſa & inſtar præcedentis edulis, tenuibus fibris mirè ſerpit, & novas plantas ſubinde generat; cujus rei cauſa, illis qui ſelectiores flores & coronarias ſtirpes duntaxat colunt, ſatis exoſa: genus item illud floribus ſummo caulis & ramorum faſtigio confertim & quaſi pilæ inſtar in orbem naſcentibus, cujus etiam ſecundum genus eſt paulò minus, flores ſingulares per caulẽ ſparſos habens, prę ter ſphæras illas ſummo caulis faſtigio innaſcentes: & omnibus prope ſilvis familiares rapunculos latioribus inferioribus folijs, quæ per caules graciles ſparſa, anguſtioribus, ſpicâ longiore aut breviore florum, coloris vel albi, vel vio-

Cervicaria ſphærocephalos.

Rapunculus alopecuroides.

Trachelium minus.

Campanula alpina pumila lanuginoſa B: Pin: 94



Rapunculus alopecuroides longiore ſpica.

Rapunculus ſpicatus B: Pin: 92



Campanula Perſicæ folio. Rapunculus perſici folius magno flore B: Pin: 93



vel violacei elegantis & ſaturi: tum rapunculos vulgares, cum Campanulâ illâ, mali Perſicæ folio quibuſdam cognominatâ, quam C.V. Matthiolus Phyteuma eſſe cenſet, nunc cæruleum, modò album florem proferentem. *Campanula Perſici folia.*

OMNIVM porrò illarum ſtirpium hiſtoriam hoc capite dare nõ eſt animus: quemadmodum neque Trachelij illius, Belgis majoris appellatione cogniti, neque Violæ Marianæ quibuſdam Medium creditæ, quæ ut plurimum violacei coloris flores geſtat, ſed tamen etiam albos, interdum exalbidos, nonnũquam cineracei coloris, atque etiam verſicoloris, hoc eſt, ex albo & violaceo, vel maculatim, vel radiatim commixtos; neq; Campanulæ illius majoris lacteſcentis dictæ, quã Pyramidalem nonnulli appellant, cujus folia & ipſe etiã lacteus ſuccus virus olent, & radicis fragmentis facilè pangitur, quas quidem tres ſponte naſcentes nunquam obſervavi, ſed in hortis cultas duntaxat cõſpexi: ſunt enim ab alijs aut jam deſcriptæ, aut illarum icones exhibitæ. Sed eas tantum ſtirpes deſcribere ſtatuimus, quas ab alijs proditas non arbitramur. Ante quàm tamẽ earum deſcriptionem adgrediar, non abs re futurum exiſtimavi, ſi jam dictarum aliquot icones initio hujus capitis insererem. *Trachelium majus Belg. Viola Mariana cujus magna varietas. Campanula lacteſcens Piramidalis.*

1. *Trachelium Pumilum alpinum*

PRIOR autem earum quarum mihi tradenda eſt hiſtoria, dodrantalis eſt plantula, cauliculo ſtriato, in plures ramulos diviſo, quorum ſinguli ſuſtinent florem ſatis magnũ, cavum, campanulæ inſtar efformatum, in quinque angulos deſinentem, quemadmodum vulgaris Trachelij, aut Campanulæ vulgo dictæ flos, cinereo colore præditum: floribus ſuccedunt capitula ſa-

Trachelium majus Belgarum.

Campanula maxima foliis latissimis B: Pin: 94.



Viola Mariana quorundam.

Campanula Hortensis folio et flore oblongo B: Pin: 94



Campanula lacteſcens fœtidior.

Rapunculus hortensis latiore folio seu pyramidalis B: Pin: 93



Natales.

21.
Trachelium [illegible]

Natales.

tula ſatis magna, trigona, nutantia, ſeu deorſum ſpectantia, quæ continent ſemen vulgaris trachelij ſemini nõ diſpar, ſed minus & exalbidum: folia quæ per cauliculum ſparſa ſunt, latiuſculâ baſi eum amplectuntur, & in oblõgum mucronem deſinunt: quę verò ſummâ tellure ſtirpi inhærent, latiuſcula ſunt, & longiore pediculo innixa: radix pro plantæ exilitate ſatis magna, candicans, ſupernâ parte in plura capita extuberans, & quibuſdam fibris hirſuta. Tota planta lanugine pubeſcit, lacteóque ſucco abundat.

Naſcitur in Sneberg, aliarúmque vicinarum Alpium jugis. Flores profert Iulio.

MVLTA habet Altera folia, anguſta, hirſutaque, Echij folijs ferè ſimilia; inter quæ exoritur pedalis caulis, firmus, minimi interdum digiti craſſitudine, ſtriatus, & multis anguſtis, oblongis, hirſutisque folijs ſeptus: à cujus medio ad ſummum, thyrſus, ſeu potius florum inter foliola latentium pulcherrimo ordine diſpoſitorum, Trachelij aut Rapunculi floribus ſimilium, ſed minorum, palleſcentisq; coloris, craſſa ſpica naſcitur: evaneſcentes flores in capitula tranſeunt, exile ſubflavumq; ſemen continentia: radix craſſa eſt, digiti amplitudine, rugoſo cortice tecta, candicans, & aliquot craſſioribus fibris donata. Tota planta lacteo ſucco turget.

Oritur in Sneberg & alijs vicinis jugis: obſervabam etiam in aſcenſu Neuberg ad ſilvulam quæ in editiore tumulo eſt ſupra cœnobium: ſed anno MDLXXXV. maximâ copiâ in amplo quodam montano prato, Die Ganſe appellato, quâ è

Niveo mõte deſcenſus eſt in Rehenaw, Abbatis Neubergẽſis arcem. Floret Iunio & Iulio.

Videtur eam poſtea exhibuiſſe Dalechampius ſub Echij montani appellatione: Verum quidem eſt, ejus folia ad Echij foliorum ſimilitudinem proximè accedere, ſed ſemen exile Rapunculorum ſemini pænè reſpondens, floris forma, radix lacteo ſucco abundans, & quæ trachelij radicum inſtar mandi poteſt, refragantur.

TRACHELII porrò aliud genus elegans obſervabat N. V. Fab. Col. in D. Virg. monte natum, Tragopogi folijs. *Trachelion Tragopogi folijs.*

Campanula minor alpina rotundioribus imis folijs.

Campanula minor rotundifolia vulgaris C. Bauh. Pin. 93



ALVNT etiam ſumma illa juga, præſertim in rupibus & præcipitijs, Campanulæ vel Rapunculi genus, cujus radicales fibræ valde ſerpunt, & vicina loca occupant, ſubinde germinantes, & novas ſtirpes procreantes: habent illę initio orbiculata ferè folia, deinde ſtatim alia anguſta confertim naſcentia, Caryophyllei ſecundo loco ſuprà deſcripti folijs adeo ſimilia, ut incautos plerumque fallat, qui interdum cum ſuo ceſpite eruunt, Caryophylæum collegiſſe exiſtimantes. Emergit deinde ex horum medio gracilis cauliculus, in multos tenues ramulos diviſus, oblongioribus foliolis, nullo ſervato ordine naſcentibus, ſeptus, floſculos è ſingulis ramulis dependentes proferens Campanulæ, ſive Rapunculi vulgaris floribus formâ ſimiles, vel eleganti cæruleo colore præditos, vel ſaturato purpuræ colore, ſive violaceo nitentes, vel dilutiore purpureo colore & quaſi cineraceo conſpicuos, interdum etiam niveos: capitula deinde Rapunculi vulgaris capitibus ſimilia, aut potius illi Campanulæ minori quæ cùm in Belgicâ, tum pleriſque Germaniæ locis, ad agrorum ſub fruticibus, aut ſilvularum margines, ſecundum profundiores & convexas vias, in vmbrâ provenit. Floret Iulio, interdum etiam Auguſto. Tota etiam lacteſcit. *Campanula minor alpina* *floris varietas.*

CETERVM, deſcripto hoc capite, ex Italicâ ſuâ peregrinatione rediens Gulielmus de Mera, Medicus, mihi Francofurti communicabat duo Rapunculi genera elegantia, quæ in itinere obſervaverat: eorum hiſtoriam, quoniam commodè ſuo loco reponere non licebat, ad capitis calcem addere volui.

CVBITALI Primus aſſurgebat altitudine, caule ſatis gracili, parte inferiore purpuraſcente quodammodo, supernâ viridi, cui inhærebant aliquot folia, quatuor uncias longa, in ambitu ſerrata, dodrantali pediculo innixa, & ea quidem quæ infimæ parti caulis adnata erant, ſecundum pediculum, unciam aut pollicem lata, deinde ſenſim in mucronem deſinentia, quæ verò medio cauli, & ſummæ ejus parti inhærebant, longè erant anguſtiora, & breviore petiolo fulta, non minus tamen longa: ſummum caulis faſtigium deſinebat in brevem & quaſi orbicularem florum ſpicam, quæ ſolis ſtaminibus ex purpurâ cæruleis, conſtare videbatur: quibus deciduis apparebant caliculi pentagoni: radicem non adferebat, qui in itinere obſervabat, quia eruere non potuerat, inter ſaxa & confragoſis locis naſcentem. Tota autem planta lacteo ſucco abundabat, non ſecus ac reliqua genera. *Rapunculus Alpecuroides orbiculare panè ſpica.*

ALIVD quod adferebat genus, nunquam ante mihi conſpectum, abruptum ſimiliter erat, & ſine radice, quam eximere non potuerat. In pedalem autem id excreverat altitudinem, vel etiam breviorem: plura, quàm Primum, habebat folia, breviore pediculo, eoque plano ſubnixa, supernè viridia, infernè exalbida, inſtar foliorum Sonchi, quibus valde forma reſpondebant, erant enim, ut illa, in ambitu dentata, ſed minora: ſummo cauli, innitebatur veluti umbella, longiuſculorum caliculorum ſtriatorum, in quinque angulos deſinentium, in quibus flos, coloris mihi non comperti, quia neque ipſe Mera referebat, neque ullus, in totâ plantæ umbellâ, reſtabat, ex quo conjecturam facere poſſem. *Rapunculus Sonchi folio.*

Ceterum rapunculos, Fabius Columna, in doctiſſimâ illâ ſuâ Plantarum Hiſtoriâ, Erinum Nicandri, & Dioſcoridis eſſe ſuſpicatur.

CORIS QVORVNDAM. CAP. LVI.

Coris ſobrulea maritima C. Bihin: 280

Coris Gallorum & Hiſpanorum.



MVLTIS fruticat ramulis palmaribus ut plurimum, interdum dodrantalibus, firmis, rotundis, purpuraſcentibus, qui denſis folijs ſtipantur Ericæ (majoris ſcilicet) craſſiuſculis, ſucculentis, amariuſculis, ſerie quadam interdum diſpoſitis, aliquando autem inordinatis & incõditis: ſpicæ aut capitula extremis ramulis inhærent, ex innumeris caliculis in quinque mucrones diviſis, & totidem maculis nigris, in ſingulas diviſiones impreſſis, cõſtantia, è quibus flos emicat non inodorus, purpureus, aut ex purpurâ cæruleus, elegantiſſimi & quaſi immarceſſibilis coloris, quatuor foliolis bifidis cõſtans, quorum duo ſuperiora reliquis majora ſunt: ſemen deinde in caliculis nonnihil pungentibus continetur rotundum, nigricans: radix craſſa eſt, pro plantæ proportione, palmaris longitudinis, foris rubra, ut qua interdum linei panni etiam infici poſſint.

Natales. Floret Maio mẽſe, nonnunquam etiã Martio, ſiccis quibuſdam circa Salmanticam & Mompellium locis, maritimis item Valentiæ & Galliæ Narbonẽſis, ubi tota major, craſſior & ſucculentior naſcitur, ut ferè ſolent omnes maritimæ ſtirpes, ſi cum eis, quæ macro & arido ſolo proveniunt, comparentur.

Nomina. HANC Mompelliani meo tempore Corin vocabant, eámq; eſſe exiſtimabant quã Græci κόριν ἢ ὑπερικὸν appellant, cujus ſanè deſcriptioni multis notis reſpondere videtur: Dioſcorides enim, Cori folia Ericę tribuit; Plinius, Tamaricis, pinguia ſive craſſa, deinde ſuavem eſſe dicit & odoratam (de flore id intelligendum puto) Plinius aculeatam eſſe addit, quales ſunt hujus caliculi qui ſemen continent.

Doctiſſimus vir Ioannes Plaça Medicus & Profeſſor Valentinus apud Hiſpanos, dum unà varias ſtirpes in illius urbis maritimis legeremus, Alypum eſſe cenſebat: Hiſpani vulgari nomine *Pinçel* appellabant: Alterius alicujus nationis nullum ſcio, nec quenquam prodere memini.

Symphyt. petræi Matth. AD hanc autem plurimum accedere videtur, quam Clariſſimus Matthiolus Symphyti Petræi nomine exhibuit, niſi mea me fallit opinio.

Facultates. CETERVM Coridis ſemen potum, menſes & urinas trahit: contra Phalangiorum morſus, iſchiadicis, & opiſthotonicis ex vino potum auxilio eſt: horroribus ex pipere, opiſthotonicis ex oleo, utiliſſimè illinitur.

Iuncaria Salmanticenſis.

Rubia Lini folia aſpera C. Bihin: 333.



IVNCARIA SALMANTIC. CAP. LVII.

Iuncaria Salmant. FOLIOLORVM quædam ſimilitudo facit, ut eam Herbam quam Salmanticenſes à junceorum cauliculorum formâ & gracilitate Iuncariam appellant (tota enim juncea eſt, ſed Equiſeti modo aſpera & geniculata) proximo capite deſcribẽdæ præfigam. Habet autem in ſingulis geniculis bina folia ex adverſo ſita, Aſperulæ odorato flore folijs

quodam-

quodammodo ſimilia, breviora tamen, & Lini ſativi folijs non abſimilia: frequentes ramuli ex alarum ſinu prodeunt ſimilibus folijs præditi, copioſos, paleaceos candicanteſq; proferentes flores: ſemen deinde exile, nigricans: radix tenuis eſt, candicans, nō vivax, ſed ſingulis annis ſemine deciduo, novellæ plantæ enaſcuntur, illo ipſo anno etiam ſub finem menſis Auguſti.

Provenit locis arenoſis, inter vineta, ſecundo à Salmanticâ miliari. Floret Iulio, ſemen Auguſto maturum eſt. *Natales.*

GENERALIS illa Plantarum Hiſtoria quę ante paucos annos Lugduni Galliæ celebri emporio typis expreſſa eſt, hujus iconem à meis Obſervat. Hiſpanicis deſumptam, inter Synanchices ſpecies refert: Synanchices autem hiſtoriam legere non memini.

GALLIVM RVBRO FLORE.

Gallium rubrum B: Pin: 335



CAP. LVIII.

Aſperula odorato flore.

Asperula sive Rubeola montana odora B: Pin: 334



PRORSVS novum, & à nemine, quod ſciam, adhuc deſcriptum eſt hoc Gallij genus: tenerius eſt vulgari, pedalis aut majoris altitudinis, cujus cauliculi in multos ramulos alternatim utrinque naſcentes, dividuntur, prodeuntibus ſub ſingulis alis, ad genicula, quaternis, quinis, aut ſenis anguſtis foliolis, viridibus: flores in ſummis ramulis naſcuntur quini, ſeni, aut plures, tenelli admodum & puſilli, quatuor foliolis rubris mucronatis conſtantes, micante in meditullio aureo vel flavo puncto: ijs ſuccedunt vel ſingula, vel gemina, rotunda parva grana, initio viridia, maturitate nigricantia: radix vulgaris Gallij radicis inſtar rubeſcit, quæ etiam contuſa rubrum ſuccum reddit, multis autem tenuibus villis prædita eſt, & vivax. *Gallium rubro flore.*

Hanc ſtirpem primus in Italiâ obſervabat eruditiſſimus adoleſcens Stephanus Sigiſmundus Sprengerus, Philippi Stephani Sprengeri Aulæ Palatinalis Heydelbergæ Pharmacopœi F. ipſámque plantam cum ſemine in patriam referebat. unde meritò Gallium Sprengerianum cognominari poſſit. Floret æſtate, ſemen ſub Auguſti finem maturum eſt. *Natales.*

QVANDOQVIDEM porrò novum Gallij genus deſcripſimus, & ejus iconem exhibuimus, non abs re erit, ſi binas icones ſtirpium, Gallio foliorum ſimilitudine quodammodo affinium, illi ſubijciam, Aſperulæ videlicet odorato flore, & Molluginis, quas licet plurimis Germaniæ locis ſponte naſcentes obſervaverim, non minùs tamen frequentes in Pannoniâ, Auſtriâ, viciniſque Provincijs: in ſilvis quidem Aſperulam odorato flore, eam Francofurti ad Mœnum (ubi etiam plurima) vulgus Leberkraut appellat, in cæduis verò *Aſperula odorato flore.*

Aſperugi-

Mollugo montana Latifolia ramoſa Bib. in: 334

Mollugo.

Mollugo.



Aſperuginem, & Molluginem, cujus genus quod pluribus geniculis conſtat, foliáque habet ceteris molliora, Rhizotomæ iſtic à nodorum non modò frequentia, ſed etiam à facultatibus, Glidtkraut cognominant: nam eius decoctum, ad fovendos & firmandos artus, valde utile eſſe ferunt.

RVBIA MARINA, ET SPICATA.
CAP. LIX.

Rubia marina.

QVADRANGVLI ſunt huic plantæ caules, palmares magna ex parte, interdum pedales, geniculati, duri & lignoſi, ad quorum ſingula genicula, quaterna folia, infernè, quà cauli inhærent, latiuſcula, extremâ parte mucronata, rigidiuſcula, candicantia, ſtellæ inſtar in orbem adnaſcuntur, & ſubinde in alis ramuli numeroſis folijs breuioribus & valde confertim naſcentibus ornati, in quibus oblongi floſculi, radiati, pallidi: radix craſſa, dura, foris intenſiùs rubet, intus rufeſcit.

Natales.

IN Mediterranei maris, quod Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem alluit, littore, frequens naſcitur, præſertim verò circa Calpen & Valentiam, ubi eam in peregrinatione meâ Hiſpanicâ colligebam, & ſæpius etiam antè, littore illo quod ſupra ſtagnum ad Peraul eſt, ac in montem uſque Setium extenditur: ubi florebat æſtatis initio.

Rubia maritima Bib. in: 339

Rubia marina.



Habui eam aliquâdo in Belgicâ ſemine mihi prognatam, ex qua hanc ſubiectam iconem exprimi iuſſi, ramis aliquot humi ſparſis, pedalibus, medio caule aſſurgente cubitali, infirmiore tamen quàm ut ſe ſuſtentare poſſet. Preterea lõgè tenerior erat & minùs incana, quàm locis vbi ſponte provenit: & cùm ſecundo anno ſeriùs flores protuliſſet, ſubſequens hiems corrupit.

Rubia ſiue Aparine ſpicata Cretenſis.

HVIC conjungendâ exiſtimavi ſemine Cretâ allato natam, quam Ioſephus De Caſa bona qui plantam ipſam in Creta naſcentem obſervabat à ſimilitudine quadam quam ejus folia cum Rubiæ folijs habere videntur, Rubiam nominauit, & ſpicatæ cognomen addidit, quia ſummi cauliculi & rami in ſpicæ formam deſinunt. Cùm autem tota planta nonnihil aſpera ſit: non minùs commodè forſitan Aparine, vel Aſperugo appellari potuiſſet.

A radice porrò, quæ craſſiuſcula eſt, ſubrufa, & frequẽtibus tenuibuſque fibris capillata, exeunt multi cauliculi, nodoſi, quadranguli, aſperiuſculi, ſtatim ab infimâ parte, frequentibus ramulis, ad ſingulos nodos ex aduerſo naſcentibus, præditi, quos etiam in orbem in ipſis geniculis ambiunt, quaterna, quina, interdum ſena folia, breuia & nonnihil aſpera: ſummi caules & ramuli deſinunt in longam, tenuem, ſpicam, virentem, ſpecie quadrangulam, quia floſculi exiles & vix conſpicui, coloreque ſubvireſcentes, alternatim contrario inter ſe ſitu naſcuntur. Annua eſt planta, quæ prolato ſemine perire ſolet.

Florebat

Rubia Latifolia Spicata C.B.Pin:334.   Rubia tinctorum Sativa C.B.Pin:339.

Rubia ſpicata Cretica.



Rubia major.



Corruda prior.   Aſparagus foliis acutis C.B.Pin:490



Florebat in hortis in quibus nata, Auguſto: ſemen obſervare non licuit, quia ſub exitum menſis Septembris ſequentis dum Francofurto diſcederem, nondum erat maturum: tenue tamen & oblongiuſculum id eſſe poſtea deprehendi. *Tempus.*

RVBIAM marinam vocabant priorem illam Mompelliani & Valentini, quia ad Rubię legitimæ formam quodammodò accedit: quibus autem facultatibus ſit prædita, nihil compertum habeo. *Nomina.*

RVBIAM porrò legitimam ſponte naſcentem obſervabam in quibuſdam pratis ad Danubium ſitis, pręſertim inter Poſonium & Tuben opidulum ad cõfluentes Moravæ Fl. Moraviam perluentis, & Danubij, ſitum. *Rubia legitima.*

CORRVDA. CAP. LX.

VNVM ſilveſtris Aſparagi genus à Veteribus deſcriptum invenio: ego tria per Hiſpanias obſervabam. *Tria Aſparagi ſil. genera.*

PRIOR fruticoſa eſt planta, duabus, tribúſve aut pluribus virgis candidis, lignoſis, firmis & ramoſis prædita, circa quas quina aut ſena foliola ſimul ſemper conjuncta naſcuntur, brevia, rigidiuſcula & pungentia: floſculi lutei è ſenis foliolis conſtantes ſub alis inter folia enaſcuntur, odore jucundo, uti violæ martiæ: baccæ initio vireſcunt, deinde cinereum colorem contrahunt, ſemenq; continent nigrum, durum, radices ab uno capite multæ, craſſæ, inſtar Aſparagi altilis, ſed breviores, naſcuntur. *1. Corruda prior.*

Abundè

Asparagus aculeatus alter tribus aut quatuor spinis ad eundem exortum C.B. Pin: 490

Asparagus aculeatus Spinis Horridus C.B. Pin: 490

Corduba altera.



Corduba tertia.



Natales. Abundè creſcit agro Salmanticenſi locis petroſis, totaque ferè Caſtellâ & Granatenſi regno, non modò in ſepibus, ſed plerumque etiam in arvis cultis: vidi etiam Narbonenſi agro, inprimis autem juxta ſepes. Floret uva matureſcente, hoc eſt, Auguſto: ſemen Octobri maturum eſt.

Alebatur apud Belgas à quibuſdam rei herbariæ ſtudioſis, ante quàm inde excederem: ſed fructum non proferebat.

II. *Corruda altera.* FRVTICOSVS etiam eſt alter, in viridibus & mollioribus ramis, ſive virgis ramoſis, tres aut quatuor ſpinas ab eodem ferè exortu prodeuntes hinc inde ſparſas pro folijs ferens, virides itidem uti rami ſunt: florem nullum in hoc conſpiciebam, ſed frequentes baccas rotundas, ut in ſuperiore, initio virides, deinde per maturitatem nigricantes, ſucco & pulpa virente plenas, qua ſemen includitur durum, foris nigrum, intus candidum, ut plurimum unicum, interdum bina: radices habet plures, craſſas, longas, ſuperioribus non valde diſſimiles.

Natales. Frequens eſt ad Tagum flu. in Luſitaniâ, atque etiam in Bæticâ, ſolo petroſo, in collibus & ſepibus. Novembri ſemine onuſtum inveniebam. Crevit & iſte quibuſdam Belgis, ſemine à me è Luſitaniâ delato.

III. *Corruda tertia.* TERTIVS cubitales habet virgas, ramoſas, candidas, lignoſas, Priori ſimiles, candicantibus, firmis, deorſum ſpectantibus ſpinis alternatim, & ſecundum virgarum ramorumque inęqualium inflexionem horridas: ad quas quina aut ſena folia, ex eodem capite ſimul prodeunt, ut in Larice, Prioris aſparagi ſilveſtris folijs longiora molliorάque, Larignis folijs non diſſimilia, quæ commanducata, ſubdulcia, & aliquantulum gummoſa deprehenduntur: flos inter folia ex alarum ſinu longo tenuíque petiolo dependet, ex viridi palleſcens: deinde fructus pænè rotundus, ſed qui tricoccus videtur (tametſi unicum granum magna ex parte contineat, rarò bina, foris nigrum, intus candidum, firmum, ut in ſuperioribus) initio vireſcens, maturitate rubeſcens & carnoſus, ſive ſuccum & pulpam continens lentam & viſcidam: radice firmatur multiplici, inſtar aliorum ſilveſtrium aſparagorum, longâ, craſsâ, intus albâ, foris flaveſcente. Fert initio veris aliquot turiones, inſtar altilis aſparagi, qui illorum modo manduntur crudi & cocti, cum oleo, aceto & ſale.

Natales. Nuſquam abundantius, quàm ſupra Olyſipponem ſalebroſis locis juxta vias, non procul à Tago fl. etiam ſub eâ urbe, publicâ viâ Tago imminente, ante quàm in Oceanum ſe exoneret. Naſcitur tamen & alijs Luſitaniæ locis, & totâ ferè Bæticâ. Novembri cum fructu maturo in Luſitaniâ legebam, raris aliquot floribus hinc inde per ramulos ſparſis etiam onuſtum.

Nullâ

Nullâ verò culturâ aut diligentiâ facere unquam potuimus, ut iſtius ſemen apud nos in Belgicâ naſci vellet. Sed duo ſuperiores, ut dixi, in Generoſi & verè nobilis viri Dn. Ioannis vander Dilft cultiſſimo viridario conſpiciebantur, cum multis alijs rariſſimis ſtirpibus, quarum, uti etiam omnium Naturæ miraculorum, erat ſtudioſiſſimus.

DICITVR hic Aſparagus Græcis ἀσπάραγος πετραῖος, ἢ μυάκανθα, id eſt, Aſparagus petræus, ſive ſilveſtris, & Murina ſpina. Plinius etiam à Latinis Corrudam, ab aliquibus Lybicum, ab Atticis Orminium vocari tradit. Corrudam quidem nonnulli dictam volunt teſte Ruellio, quòd, ubi adolevit, facile corruat decidátve: ſic Horminium ἀπὸ τοῦ ὁρμῶ, quod eſt ruo; Lybicum autem, à patria. Hiſpani indifferenter *Eſparragos*, tametſi mitem *Eſparragos trigueros* (quia in agris frumento conſitis apud eos plerumque creſcit) appellant. Galli, *Aſperges ſauvages*; Itali, *Aſparago ſalvatico*: Germani, Wilder Spargen. *Nomina.*

Aſparagus marinus. Aſparagus maritimus craſſiore folio C. B. Pin: 490



SECVNDVM genus intelligere videtur Theophraſtus (quem ſequutus eſt Plinius) cùm ait lib. VI. hiſtor. Plant. cap. I. Aculeatorum alia ex toto aculei ſunt, ceu Aſparagus (corrudam intellige) & Scorpius ſive Nepa: hæc enim nullum, juxta aculeum, folium gerunt.

TERTIVM videtur in Cretâ obſervaſſe Bellonius. Nam Lib. I. Obſervationum cap. XVIII. ſic ſcribit. Vix tota Cretâ invenias Aſparagum altilem: ſilveſtrem duntaxat habent, Corrudam vocatam, quæ paſſim naſcitur. Præter eam tamen, aliud genus iſtic invenitur, nomine vulgari & antiquo Polytricha dictum. *Polytricha.*

QVAM Matthiolus exhibet, Corruda non eſt, ſed Aſparagi altilis genus, quod nos (quia maritimis declivioribus & herbidis locis ſponte provenit) marinum vocamus, caule breviore, firmiore, folijs craſſioribus, firmioribus, ex cæruleo virentibus: baccis majoribus, quàm vulgaris hortenſis, non adeo corallij inſtar intensè rubentibus. Forte is erit quem Galen. lib. de Aliment. facultatibus I. ἕλειον, id eſt paluſtrem nominat. *Aſparagus marinus.* *ἀσπάραγος ἕλειος.*

Similem obſervaſſe videor in pratis ad Danubium ſitis cùm Viennę Auſtriæ in aulâ Cæſaris verſarer, una cum eo qui iſtic etiam frequens naſcitur, altili reſpondens, cujus etiam magna copia, & craſſioribus quidem tenerioribúſque germinibus, in quibuſdam æditioribus pratis invenitur, paulo ſupra Clement, & Entzeſtort im langhe thal Generoſi Dn. Wolfij ab Entzeſtorff. *Aſparagus mitior ſponte naſcens.*

PORRO Corrudæ cauliculi in cibo cocti, ventrem emolliunt, & urinam cient: radicis decoctum contra urinæ difficultates, regium morbum, renum vitia, & coxendicum cruciatus in potu proficit: cum vino autem, phalangiorum morſibus. Breviter hujus efficacior vis quàm domeſtici. *Facultates.*

FINIS LIBRI QVINTI.

CAROLI CLVSI RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER SEXTVS.

QVINTO *Libro abſoluto, ſupereſt Sextus (ſex enim libris rariorum ſtirpium hiſtoriam comprehendere habemus in animo) à miſcellaneis plantis, quas in commodum ordinem redigere nequivimus, illius initium facturi. Eas ſubſequentur lacteo ſucco manantes: deinde umbelliferæ, atque aliæ quædam tenui foliorum inciſurâ præditæ. Addentur præterea gramineis & arundinaceis folijs donatæ, legumina, trifoliorum genera, & aliarum ſtirpium farrago, cum nonnullis pelagicis, & in aquâ naſci gaudentibus.*

CENTAVRIVM PARVVM flavo flore. CAP. I.

Centaurium Luteum perfoliatum B: Pin: 278



Centaurium parvum flavo flore.

TAMETSI Centaurij majoris hiſtoriam cap. v. lib. IIII. noſtrarum Obſervationum dederimus, & hæc planta ob nominis affinitatem conjungi potuiſſet, quia tamen pleraſque notas illi diſſimiles, & cum proximò capite deſcribenda magis communes habet, eam ſejungere libuit, atque ab illa Rariorum ſtirpium à nobis obſervatarum lib. VI. comprehenſarum hiſtoriam incipere.

MVLTIS porrò folijs Saponariæ vulgari non diſſimilibus, minoribus tamen & candicantibus perque terram ſparſis, hæc planta prædita eſt: inter quæ caulis exit rotundus, pedalis altitudinis, geniculatus, & ex ſingulis nodis folia Centaurij minoris, aut Hyperici æmula, bina ſemper inter ſe oppoſita, & ſic conjuncta, vel ſimul cohærentia, ut caulis ipſa traijcere videatur: ſummi ramuli aliquot flores Hyperici floribus ferè ſimiles, Saturatioris lutei coloris, & planè aureos, ſuſtinent, ſemen deinde in vaſculis tenuiſſimum ſcobis inſtar, nigrũ: radix candida eſt tenuiſq;.

Natales.

PROVENIT læto ſolo in collibus juxta Tagum, ubi ab incolis *Semper-nova* dicitur, quòd toto fermè anno floreat, quaſique renaſcens conſpiciatur. Obſervabam etiam alijs Hiſpaniæ locis, atque olim agro Mompeliano; ſed & anno deinde LXXI. ſupra milleſimum & quingenteſimum in Angliâ, Eſſexienſi comitatu, in Hornamienſi vivario, juxta Thaliſtedium florentem Septembri: decennio verò poſt copioſam colliculo quodam, inter Graveſendam & arcẽ Ill^ris Dn. de Cobham quinq; Portuum Præfecti, in eadẽ Angliâ, Iulio floribus onuſtâ conſpiciebam.

MEDIOCRIS caloris particeps eſt, & aliquantulum amara.

HYPERICVM SVPINVM. CAP. II.

VVLGARIS Hyperici hiſtoria à multis prodita eſt, ideóque illam hîc repetere non eſt neceſſe: ſed aliud genus in Hiſpanicâ meâ peregrinatione obſervabam, cujus hiſtoriam non negligendam eſſe duxi.


EST ve-

Hypericum ſupin. tomentoſ. Hiſp. Hyperic. ſupin. tomentoſ. alterum.





Hyperic. ſupin. III. minimum.



Est verò illud multis ramulis hirſutis humi ſtratis præditum, numeroſis confertiſque folijs illos ambientibus, alterius ſeu vulgaris Hyperici folijs ſimilibus, ſed planè tomentoſis & incanis (pictor in villis exprimendis negligens fuit) ejus flores ſecundum ramulos lutei, pallidiores tamen & minores aliquantulum, quàm in vulgari: quibus ſuccedũt capitula ſeu vaſcula vulgaris capitulis ſimilia: radix eſt dura & lignoſa: ſed ipſi etiam rami per terrã ſparſi, ſubinde fibras & radices agũt. *Hypericum ſupinum I.*

In convallibus quibuſdam non procul Salmanticâ creſcit, ubi Iulio menſe florentes plantas inveniebam, adeò latè ſparſas & diffuſas, ut ampli petaſi orbem æquare poſſent: Martio verò ſequẽte, in maritimis Regni Valẽtini locis, etiã floribus onuſtas conſpiciebã. *Natales.*

Inter Hyperici genera referendam eſſe hanc ſtirpem, non eſt dubium: nam plurimas notas illi reſpondentes habet: imbecillior tamen eſt, & vulgari minus odora.

Vir doctiſſimus Ioannes Plaça, medicus celeberrimus & Profeſſor in Academiâ Valentinâ, rutam ſilveſtrem Dioſcoridis eſſe cenſebat, quæ à Ruellio inter notha rejecta eſt, unde deſcriptionem ejus petere licet: Salmanticenſibus vulgo *Coraçonçillo* dicitur, perinde ac vulgare Hypericum. *Nomina.*

Alterum eſt Hyperici ſupini genus, etiam tomento obſitum, à noſtro Lobelio obſervatum Mompelliano agro, quod palmo non majus eſſe aſſerit: meum autem, modò deſcriptum, eſſe quod cenſeat, mihi injurius eſt: nam plantæ diſſimiles, & meum eſſe aſſero, quod in Obſervationibus pro minimo ſupino Septentrionalium perperam vſurpavit. *Hypericum ſupin. II.*

Differt enim plurimum ab iſto Hypericum illud ſupinum Belgicum, ſive Septentrionale, quia tota planta valde tenella eſt, raros habet ramulos, raráque folia, nec illa incana, quæ tamen trita, ſanguineum ſuccum, per oras nigris punctulis diſtinctas reddunt, ut plerumque obſervare memini, illam in agrorum aggeribus poſt meſſes legens. *Hypericum ſupin. III.*

PARONYCHIA HISPANICA. CAP. III.

Polygonum minus candicans B: Pin: 281

Paronychia Hiſp.



LONGE elegantiſſima eſt hæc planta, multas viticulas humi ſtratas ſpargens, dodrantales magnâ ex parte, interdum tamen etiam pedales aut lõgiores, nodoſas, quibus adnaſcuntur folia Polygoni maris, minora, & viridia quidem in novellis plantis, ſucceſſu autem temporis numeroſa & confertiſſima, eáq; aceroſa & membranacea, prorſus alba, ſic ut tota planta argenteis ſquamis conſtare videatur, gratiſſimo ſpectaculo: flos illi candidus Polygoni vulgaris floris inſtar, ſed adeò exilis, & inter membranulas iſtas latens, ut vix appareat: ſemen Polygoni: radix oblonga, gracilis, candicans.

Hujus iconem, quia vetuſtas & perfectiores plantas, inter chartas repoſitas, ad manum non habebam, ex novellâ, & ſemine mihi recẽs natâ, quæ paleaceas illas membranulas nondum adquiſierat, exprimi curabam, atque apud Belgas, ubi multum de candore ſuo remittit.

Natales. NVSQVAM abundantius, quàm in petroſis & ſiccis collibus Salmanticæ vicinis obſervabam, trans flumen Thormim, ubi & Colchicũ montanum cap. XL. lib. II. deſcriptum copioſè provenit: tum etiam circa Valentiam & Murciam: obſervare etiã memini lapidoſo illo campo ſupra Arelatem, non procul à Divi Martini diverſorio, quâ iter Maſſiliã eſt, ſed multò minorem, & unciales ramulos ſeu viticulas vix habẽtem. Florebat Maio & Iunio, ſeménque proferebat.

Nomina. SALMANTICENSES & Valentini παρωνυχίαν, Paronychiam, vocabant: meo tamẽ judicio nihil aliud eſt, quàm Polygoni maris genus peculiare; etenim cùm ſemine recens nata prodit, à Sanguinariâ vulgari nihil aut quàm minimùm differt: & commanducata, eodem guſtu depreheditur: itaque viribus multum abſimilis Paronychiæ, quæ teſte Galeno lib. VIII. Simpl. tenuium partium eſt, exſiccatoria & morſu vacans: talia enim ſint oportet, quæ paronychias ſanant. Murcianorum vulgus *Aſprilla* vocabat, ab exſuccorum foliorum, uti conijcio, aſperitate.

ANAGALLIS. CAP. IIII.

Lutea Nemorum B: Pin: 252

Anagallis flavo flo.




ANAGALLIDIS, præter vulgarem phœniceo & cæruleo flore, duo alia genera obſervabam floris colore inter ſe differentia.

DODRANTALES ſunt Priori ramuli, rubẽtes, teneri, ſucci pleni, humi ſparſi, in quibus multa folia, Anagallidis phœniceo flore folijs majora, bina ſemper inter ſe oppoſita, acidiuſculi ſaporis: ex alis prodeunt flores Anagallidi vulgari formâ ſimiles, quinque folijs conſtantes, flavo colore præditi: capitula deinde turgentia alterius Anagallidis capitulorum æmula, minora tamen, ſemen etiam non diſſimile: tenui & latè ſerpente eſt radice: quinetiam ipſi ramuli humi ſparſi fibras agunt.

Natales. Naſcitur in Hogebergerin ſummo ferè jugo inter arbores, alijſque montium Etſcher, Durrenſtain, viciniſque jugis, ſed locis opacis. Floret Iunio, Iulio, & Auguſto.

Anagal purpuraſcente flore. ALTERVM, tota facie vulgare illud, cui phœnicei aut cærulei ſunt flores, refert, quos etiam quinque foliolis ſtellatim expanſis conſtantes habet, cum totidem in umbilico ſtaminulis: floris tamen color diverſus, nam obſoletè purpureus eſt,

Anagallis purpuraſcente flore. B: Pin: 252



reus eſt, cui phœniceum quidpiam permiſtum conſpicitur. Floret Iunio cum vulgari.

Id mihi ſponte natum Francofurti anno redemptæ ſalutis humanæ nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum: ſubſequentibus deinde annis, ſuum genus deciduo ſemine conſervavit, cùm iſtic, tùm Lugduni apud Batavos.

ALSINE REPENS. CAP. V.

SARMENTIS verius quàm caulibus, ijſq; numeroſis, prædita eſt hæc planta, geniculatis, flexibilibus, humanam altitudinem plerumq; ſuperantibus, præſertim ſi frutices, quos ſcãdere poſſit, vicinos habeat, alioqui, propter infirmitatem, humi diffuſis: bina ſingulis geniculis & internodijs adnaſcuntur folia ex adverſo ſita, Alſines vulgaris folijs figurâ & colore ſimilia, longè tamen majora, & ad Helxines foliorum amplitudinem accedentia, mollia: flores ex calicibus, ſeu folliculis prodeuntes ex herbaceo candidi ſex folijs conſtant, quibus ſuccedũt acini Piperis nigri, aut granorum Iuniperi vulgaris magnitudine, folliculo illo incluſi, initio virides, per maturitatem nigri, ſemine exiguo & plano pleni: radix candida, valde fibroſa, longa & ſarmentitia: quæ ſingulis annis novos caules promit, alijs per hiemem marcidis & corruptis. *Alſine repẽs.*

Alſine repens major. Alſine ſcandens baccifera B: Pin: 250



Copioſa invenitur Salmanticenſi agro, umbroſis locis & circa ſepes. Noſtris etiam nunc in hortis frequẽs & pergulas ſcandens. Aliquot verò poſt annis abundè obſervabã pone arcem Ebreſtorf Magnifici ac Generoſi Dn. Hieronymi Beck à Leopoldstorff, Cęſari à Conſilijs, & Annonæ olim per Vngariã Pręfecti, loco paludoſo inter arundines. Floret totâ æſtate. *Natales.*

SVNT quibus κυκλάμινος ἑτέρα, Cyclaminus altera Dioſcoridis (quam nõnulli κισσάνθεμον ἢ κισσόφυλλον vocant) dicatur, quoniam multis cum Dioſcoridis deſcriptione notis convenire creditur: guſtus tamen inſipidus & herbaceus facit, ut eam ad Alſines genera referendam putem. Lectori tamen liberum relinquo, ut ad quam volet claſſem referat. *Nomina. κυκλάμινος ἑτέρα.*


CYCLAMINI porrò alterius acinos, drachmæ unius pondere cum vini albi cyathis duobus potos per quadraginta dies, lienẽ, per urinam & alvum abſumere teſtis eſt Dioſcorid. ad orthopnœam bibi, & reliquias à partu repurgare.

ALSINEN autem, vim refrigerandi adſtringendiq; obtinere, oculorum inflãmationibus cum polenta illini, ſuccum aurium doloribus infundi, & omnia, quæ Helxine, emendare.

ALSINE CORNICVLATA. CAP. VI.

PALMARIS hæc eſt herbula, unico caule, qui in aliquot ramos dividitur, conſtans, eoque geniculato, tenero, ſubhirſuto, ut Alſine vulgaris: folia Alſines foliorũ æmula, paulò longiora, ſubhirſuta etiam, inter ſe oppoſita, & ex intervallis gemina: alarum cavis inſident puſilli flores, candicantes, quibus ſuccedunt membranacea & tranſparẽtia cornicula *Alſine corniculata.*

Alſine corniculata. *Lychnis segetum minor C.B. pin: 204*



gallinaceorum calcarium forma, quæ lento quodam conſperſa humore à tangentibus deprehenduntur: ſemen in illis exiguum, maturitate nigrum: radix inutilis & annua. Tota inſipida eſt.

Natales. Inter ſegetes frequens Salmanticenſi agro, ubi Maio menſe flores producit, & ſemen maturum præbet.

Alſine Bætica. SED & aliud Alſines genus non vulgare, circa *Xerez de la frontera*, alijſque Bæticæ locis obſervabam, caule ſimplici ut plurimum & ſingulari, interdum multiplici, geniculato, pedis dodrantem alto, ſubrubente, aliquot ramulis prædito: folijs ſatis anguſtis, ſecundum petiolum tamen latioribus, & extrema parte mucronatis, dorſo magis eminente, nulla lanugine obſitis alterius inſtar, ſed lævibus & ſaturatè virentibus, geminis ſemper ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus: extremi ramuli veluti capitulis inſtar Symphyti petræi, onuſti erant, quæ oblongis & purpureis floribus referta: radix mediocris, candida.

Natales. Nuſquam alibi quàm commemorato loco mihi conſpecta eſt hęc planta, Ianuario menſe flores proferens.

Auricula muris μυὸς ὦτα. AD Auriculę muris hiſtoriam, quam Græci μυὸς ὠτίδα appellāt, multum accedere mihi viſa: ſolus flos, qui non eſt Anagallidis, neque cæruleus, refragari poterat. Si cui ea opinio non placet, certè Alſines genus eſſe non diffitebitur, quæ Dioſcoridis teſtimonio, nonnullis etiam μυὸς ὦτα dicitur.

Facultates. PORRÒ radix Auriculæ muris illita, ægilopia ſanat Dioſcoridi. Galenus eam deſiccare ordine ſecundo refert: ceterùm nullam evidentem caliditatem poſſidere. At Plinius vim ei ſepticam tribuit, & exulceratricem: quam ſanè, in eâ quam propono planta, non invenias, cùm potius ejuſdem cum Alſine ſit temperamenti.

HVIC capiti adjungendum putavi Alſines quoddam genus pelagicum & littorale, anno M.D.XCV. primùm mihi conſpectum & obſervatum in ſabuloſis illis Hollandiæ collibus Oceano objectis, & qui marinis undis interdum alluuntur, ad Pagum Egmond op t'sand vulgo dictum.

Longè latéque ſummâ arenâ id ſerpit, multiſque ramis humi jacentibus præditum eſt, tenuibus, lentis, flexibilibus, quadrangulis, quos multa ambiunt folia, Anagallidis vel Alſines folijs non diſſimilia, ſed craſſa admodum & ſucci plena (ut ſunt pleraque pelagicarum ſtirpium) foliorum portulacæ pænè inſtar, bina ſemper ex adverſo alternatim naſcentia, valde viridia & ſalſo guſtu, inter quæ extremis ramulis floſculi vireſcentes quinq; foliolis conſtantes, & in his quinque ſtaminula pallida.

CHAMÆPITYS AVSTRIACA. CAP. VII.

TAMETSI meum inſtitutum non erat, de Ajuga quidpiam commentari, quandoquidem à pleriſque alijs ejus hiſtoria eſt prodita: quia tamen ejus genus, ab alijs neutiquam obſervatum, deprehendi, illius hiſtoriam non negligendam duxi, ſed hoc loco eſſe proponendam.

Ajugæ genera. CETERVM præmonere Lectorem volui, Ajugam luteo flore totâ Auſtriâ adeóque Pannoniâ, frequentiſſimam eſſe in agris & gramineis campis: quinetiâ & illud genus multifidis folijs & rubeſcente flore, quod Cl. viris Fuchſio & Dodonæo tertium eſt, multis earum Provinciarum, & aliarum Regionum locis inveniri.

Chamæpitys Auſtriaca. EST autem id genus, cujus hiſtoriam deſcribere hîc conſtitui, elegantiſſimum: numeroſos, cùm adolevit, proferens caules, pedales, nonnũquam etiam duntaxat palmares, quadrangulos, firmos, lanugine (quam pictor non expreſſit) onuſtos, frequẽtibus nodis cinctos, quibus utrinque ſibi oppoſita innaſcuntur folia Chamæpityos vulgaris folijs ſimilia, latiora tamen, & in quatuor aut plures interdum lacinias diviſa, supernè viridia & ſplendentia, ſubtus nervoſa & nonnihil incana, odoris non injucundi, guſtus calidi, non ingrati tamen: ex ſingulis alis naſcuntur ramuli ſimiliter quadranguli, frequentibus folijs Ajugę ſimilibus

ſepti,

Chamæpitys Auſtriaca.



Pſeudochamæpitys.



ſepti, durioribus tamen, qui deinde alia oblonga in alis foliola, anguſta, mucronata, Libanotidis coronariæ ſeneſcentis foliorum pænè æmula gerunt: ſummos ramos verticillatim ambiunt rigidiuſculi caliculi, è quibus exeunt flores Ajugæ tertiæ floribus formâ non diſſimiles, ſed longè majores & elegantiſſimi, colore ſaturæ purpuræ, & violaceo, inferiore tamen & propendente labro nonnihil candicante, & ſanguineis guttis reſperſo: ſemina in ſingulis caliculis plerumque quaterna, oblonga, anguloſa, colore nigro & ſplendente prædita: radix nigra, dura, multis fibris capillata, & ſingulis annis novos caules proferens.

Satis frequens naſcitur in ſummo jugo montis illius, qui pago Radaun imminet, non *Natales.* procul à Peterſtorf, ſeſquimiliari ab urbe Viennâ diſtante, tenui nigróque ſolo, quale ut plurimum eſt vicinorum montium, atque etiam Alpium illius regionis: nec uſquam alibi aliquot annis mihi obſervatum. At anno M. D. LXXXV. & ſequente, in alio quodam jugo, non procul à Starnberg copioſè naſci deprehenſa eſt, multò vegetior, atque inter multas illius ſtirpes, nonnullas rubri dilutioris & floridi, unam etiam cineracei coloris floribus præditas, qui alioqui nec formâ, nec magnitudine, ab ejusquam modò deſcripſi floribus differebant.

Flores profert ſub finem Maij & Iunij initio, quo etiam menſe ſemen plerumque ma- *Tempus.* turitatem adquirit.

INVENITVR porrò in Hiſpanijs puſilla quædam planta Ajugæ valde ſimilis, tum cau- *Pſeudo-Cha-* liculis, tum foliorum trifidorum formâ, hirſuta tota, ſubſalſo guſtu, & inodora, niſi ingra- *mæpitys.* tum quidpiam & herbaceum oleret: flores extremis ramis ex alis prodeunt Ajugæ floribus non diſſimiles, majores tamen paulò, & albi: ſemina ſubſequuntur quaterna in ſingulis caliculis ſeu utriculis, cineracei coloris, majuſcula & fermè orbiculata: radix craſſiuſcula eſt, ſubalbida, & perennis, quantum conijcere licuit.


Provenit locis incultis, æſtate flores producens. *Natales.*

HISPANI ob formæ ſimilitudinem inter Ajugas referebant: ſed cùm ejus temperamentum non reſpondeat, Pſeudo-Chamæpitys potiùs cenſenda erit, donec legitimum nomen inveniat.

ANTHYLLIS ALTERA.

Chamæpitys moſcata, foliis ſerratis. C.B. pin. 249

Anthyllis altera.



CAP. VIII.

AIVGÆ congener eſt hæc planta, propterea proximum illi locum dedi. Habet autem ramulos humi expanſos, teneros, villis obſitos, digitalis longitudinis, folia oblonga, viridia, villoſa, extimâ parte in ambitu ſerrata, & Chamæpityos foliorum quodammodo ęmula, bina ſemper ex adverſo ſerie quadam diſpoſita, guſtu nonnihil fervido, & odore ſatis gravi: florem in ſingulis foliorum alis Ajugæ floribus perſimilem, purpurei tamen coloris: ſemina in ſingulis vaſculis quaterna ſimul conjuncta, oblongiuſcula, cineracei coloris: radicem craſſam, ſubalbidam.

Natales.

Naſcitur læto ſolo ad Tagum flumen in Luſitaniâ, Granatenſi etiam regno, & Galliâ Narbonenſi, ubi, dum iſtic vivebam, illam ſępe legere memini. Floret æſtate & Autumno, Granatenſi tamen agro maturius.

Ἀνθυλλὶς ἑτέρα. Herva crina. Yva moſchata.

GRÆCIS, hæc *ἀνθυλλὶς ἑτέρα*; Latinis, Anthyllis altera: Luſitanis, *Herva crina* dicitur. Mompelliani meo tempore *Yvam moſcatam* appellabant.

Facultates.

BIBITVR hæc, teſte Plinio, in duritiâ vulvarum, & in torminibus, in comitiali ſimiliter morbo, cum melle & aceto, quatuor drachmis.

Luſitani & Granatenſes mihi referebant ejus decoctum, ad repurgandum ſanguinem impurum propinari.

Anthyllis maritima Chamæſyce ſimilis C.B. pin. 282

Anthyllis Valentina.

Anthyllis Valentina.



ANTHYLLIS VALENTINA.

CAP. IX.

LICET hæc planta eodem nomine quo ſuperior ſit inſignita: quia tamen facie illi diſſimilis eſt, peculiari capite ejus hiſtoriam deſcribere volui.

Ex unicâ verò radice multos profert cauliculos ſive viticulas dodrantales humi ſtratas, ramoſas, ſubrubentes: foliola lentis exigua, ſeu potius Chamæſyces (cui tota planta adeò ſimilis eſt, ut primo aſpectu Chamæſicen putarem, illam tamen diligentius conſiderans, lacteo ſucco carere deprehendi) & plerumque cum ſuis ramulis veluti quadam ſalſugine aſperſa, ſed etiam ipſa ſalſi guſtus: flores inter ipſa folia enaſcuntur puſilli, quatuor foliolis conſtantes (licet pictor ſiccam plantam exprimere volens, quinque foliola habentes depinxerit) ex albo purpuraſcentes: radicem ſingularem habet, nigricantem.

Natales.


Hanc plantam nuſquam alibi conſpexi, quàm ad foſſas urbis Valentiæ in Hiſpanijs, juxta eam portam quæ Regiam arcem ſpectat, eam mihi demonſtrante Doctore Ioanne Plaça ejus urbis Medico & publico in eâ Academiâ Profeſſore. Florebat Aprilis initio.

Anthyllis altera Plaçæ.

Ἀνθυλλίδα, Anthyllidem idem Plaça vocabat, eamque ad primum genus Dioſc. deſcriptum referebat. Etſi autem inter Anthyllides

lides

Chamæſyce. B: Pin: 293



lides procul-dubio recenſenda ſit, prima tamen eſſe nequit, quæ rectis ramulis aſſurgit, cùm hæc repentes, uti dixi, ramulos habeat, totaque facie Chamæſycen propemodum referat.

CHAMÆSYCE. CAP. X.

Chamæſyce.

FACIE perquam ſimilis eſt (ut diximus) proximè deſcriptæ hæc planta: nam & ſupina eſt, & humi etiam procumbens, numeroſóſque ramulos, teretes, quaternûm digitorum tranſverſorum, ſive palmi interdum longitudine, vel etiam longiores, nodoſos, ſeu geniculis interceptos, purpuraſcentes, qui in orbem diffuſi humi iacent: folia habet puſilla, Lenti aquaticæ formâ perſimili, Peplidis folijs minora & teneriora: flos illi Peplidis aut Tithymali Cypariſſię: fructus tricoccus, Peplidis fructu minor, ſub folijs reconditus: radix tenuis & inutilis.

Lacti ſimilem ſuccum emittit hæc herba vulnerata, non minus quàm ſubſequentibus aliquot capitibus deſcribendæ.

Natales.


Copioſa ubiq; agro Salmanticenſi, ſqualidis & petroſis locis, atque etiam inter ipſa vineta (quemadmodum & circa Mompelium) & pleriſque alijs Hiſpaniæ locis. Apud noſtros Belgas ſemel ſata in hortis, præſertim macro ſolo, maturo ſemine ſponte decidente ſingulis annis renaſci ſolebat.

Χαμαισύκη. *Noguernela.*

Χαμαισύκην appellāt Græci, & *συκῆν*, ut Peplum: Latini, Græcam vocem retinentes, Chamæſycen: Salmanticenſes *Noguernela*, quaſi pumilam nucem exprimere vellent, à ſeminis nimirum, uti puto, formâ.

ABSTERSORIA & acri facultate pollet, uti & Tithymali.

Peplis. maritima folio obtuso 293



PEPLIS. CAP. XI.

Peplis.

LACTARIIS ſtirpibus congener eſt Peplis, tota enim lacteo ſucco turget, illarum inſtar, non tamen aſſurgit ut illæ, ſed comam humi diffuſam habet quemadmodum Chamæſyce: ramuli ſunt ei digitales, teretes, nunc purpurei, nūc herbacei coloris: folia inter Portulacam ſilveſtrem & Chamæſycen media, his craſſiora & majora, illis verò minora & tenuiora: flos ex herbaceo purpuraſcens: ſemen puſillum in triangulis valvulis ſub folijs latentibus: radix puſilla.

Nomina.

Abundè hæc naſcitur in omnibus Mediterranei maris littoribus tum Hiſpaniæ, tum Narbonenſis Galliæ: in Oceani littoribus nunquam obſervavi: imò ne in cultiſſimis quidem Belgicis hortis mihi conſpecta.

πεπλίς. *ἀνδράχνη ἀγρία.* *πέπλιον.*

DIOSCORIDES hanc *πεπλίδα* vocat, & ab aliquibus *ἀνδράχνην ἀγρίαν*, ab Hippocrate verò *πέπλιον* dici ſcribit: & viribus Peplo reſpondere.

TITHYMA-

TITHYMALVS. CAP. XII.

QVANQVAM nunc plura Tithymali genera inveniantur, quàm Veteribus prodita ſint; eorum tamen hiſtoria confundenda non eſt, ſed quàm commodiſſimè fieri poteſt, ad illorum deſcriptiones referenda.

Tithymali genera. CHARACIÆ, quemadmodum & reliquorum Tithymalorum varias ſpecies obſervare memini, quas, cùm ab alijs deſcriptæ ſint, eas repetere non eſt neceſſe. Vnius tamen Characiæ, qui præ ceteris deſcriptioni Dioſcoridis convenire videtur, hiſtoriam hîc adijcere libuit, cum altera ſpecie, quæ in Pannoniâ & Auſtriâ mihi duntaxat conſpecta.

Tithymalus characias I.

Tithymalus characias rubens peregrinus C.B.: Pin: 290.



Tithymalus characias III. Auſtriac.

Tithymalus characias rubens germanicus C.B.: Pin: 290.



Tithymalus Characias I. VNICVS porrò Characiæ primo generi, magnâ ex parte, eſt caulis, interdum plures, cubitales, ampliores, rubente cortice tecti, minimi digiti craſſitudinem æquantes, infimâ parte glabri, foliorum duntaxat veſtigijs inſigniti, veluti inſecti & vulnerati eſſent, quales illi Dioſcorides capite de Sedo tribuit, supernâ verò, folijs duris, lævibus, viridibus, majoribus quidem longioribúsque quam ſint Oleæ folia, minoribus tamen quam Amygdalæ, ornati, deinde in plures junceos & firmos ramulos umbellæ in modum diviſi, quos ambiunt veluti acetabula aut caveolæ ſolijs balinearum ſimiles, & in his flos, non ſubluteus, aut pallidus, quemadmodum in alijs, ſed niger: poſtea fructus tricoccus, in quo ſemen per maturitatem exiliens reliquarum Lactariarum ſeminis inſtar: radix dura eſt & lignoſa.

Natales. Naſcitur id genus in aſperis montoſiſque per Hiſpanias, Valentino regno, & circa Malacam, atque etiam ſupra Arelatem itinere Maſſilienſi, & quibuſdam alijs Narbonenſis Galliæ locis. Tota planta lacteo ſucco prædita eſt; & Martio flores profert.

Characias II. ALTERVM genus eſt ei ferè ſimile, cui tamen plures caules ab unâ radice prodeunt, folia molliora & lanugine pubeſcentia, flores pallidi.

Natales. Creſcit id etiam in Hiſpanijs, deinde tam in Narbonenſi, quàm reliqua Galliâ, tum etiam apud Helvetios ceteróſque Germanos. Apud meos Belgas in hortis ſemel ſatum, copioſè provenit.

Characias III. MVLTOS ab unâ radice profert Tertium genus, in Pannoniâ obſervatum, caules, pedales, nonnunquam etiam cubitales, firmos, læves, infimâ parte nonnihil purpuraſcentes, & foliorum, quæ deciderunt, veſtigijs notatos, ut in Primo genere: hos deinde ambiunt confuſo ordine naſcentia folia, craſſiuſcula, lævia, duas interdum uncias longa, mucronata: ſummi caules in multas virgulas inter folia emergentes dividuntur, quæ bina ſubrotunda ſeu quo-

Tithymal. myrſinites legitimus.

Tithymalus myrſinites latifolius B: Pin: 290.



Tithymal. myrtites Valentinus.

Tithymalus characias folio ſerrato B: Pin: 290



ſeu quodammodo circinata foliola, & quaſi vaſculum ſeu labellum imitantia ſuſtinent, in quibus flores reliquorum Tithymalorum floribus ſimiles, qui cum ſuis virgulis & vaſculis pallido ſubluteóve colore præditi ſunt: ſuccedunt triangula capitula ſemine plena: radix longa, digitalis craſſitudinis, infimâ parte in aliquot fibras diviſa. Maturo ſemine caules ſingulis annis emoriuntur: novo autem vere recentes alij è radice germinant, qui ſubſequente anno flores ferunt.

Natales.

Naſcitur pleriſque Pannoniæ locis: ſed Vienněſi agro tantâ copiâ, in gramineis & ſiccioribus paſcuis, ut Iunio menſe (tum enim floret) omnino palleſcere videantur. Tota planta lacteo ſucco turget perinde ac reliqua Tithymalorum genera.

Myrtites.

MYRTITEN legitimum Hiſpanis & Gallis ignotum eſſe arbitror: nam Valentinorum Myrtitem, non deſunt, qui inter Characiæ genera referre malint. Sed legitimus in hortis ſemel ſatus, ſemine deciduo ſatis fœcundè naſcitur.

LATIFOLIVM Tithymalum verum legitimúmque in Hiſpanicâ meâ peregrinatione etiam obſervaſſe puto: nullum enim genus amplioribus folijs uſpiam videre memini.

Tithymalus latifolius.

EST autem Platyphyllos Tithymalus mihi creditus pedali, interdum majore altitudine, in aliquot à radice diviſus ramos, nonnunquam ſimplici caule aſſurgens, quem ambiunt ampla folia, rotundiore & quaſi orbiculato mucrone prædita, ad Iſatidis novellæ foliorum formam accedentia, viridia, craſſiuſcula & aliquantulum carnoſa, palleſcente & acri ſucco turgentia: flos ramulis inſidet ex flavo purpuraſcens, ac veluti acetabulis ſive balinearum foliolis comprehenſus, ut in reliquis Tithymali generibus: radix craſſa eſt & candida.

Natales.

Vno Valentino regno inter Biar & Huentiniente, viâ ſalebroſâ, inter medios frutices Martio menſe florentem duntaxat obſervabam.

CETERVM ſub meum Francofurto diſceſſum, ad me mittebat Iacobus Plateau vir in ſtirpium cognitione diligenter verſatus, Tithymali cujuſdam plantam ſiccam, de quâ in epiſtola addita ſic ſcribebat.

Tithymalus peregrinus.

OBSERVABAM etiam in meo horto plantam Tithymalo Cypariſſiæ Dodonæi non valde diſſimilem, quæ non inelegans mihi viſa eſt, nec à quopiam hactenus deſcripta. Vnicum illa promit ex radice caulem, rectum, cubitalem, ſatis firmum, in frequentes ramos diviſum, ut parvum fruticem æmulari videatur: radix non ſerpit Tithymali Cypariſſiæ Dodonæi radicis inſtar, ſed superveniente aſpero gelu perit: ſemine tamen ſponte deciduo ſingulis annis renaſcitur.

Non incommodè forſitan (mea quidem opinione) ad Pepli genus aliquod referri poſſet,

niſi

Tithymalus platyphyllos

Tithymalus Latifolius hiſpanicus 291.

Τιθύμαλος. Lactari. Lactuca caprina. Leche trezna. χαρακίας. κομήτης. ἀμυγδαλοειδὴς. κωβιὸς. πλατύφυλλος. κορυμβίτης. πέπλος.



niſi ſtirpis magnitudo refragari videretur: multas enim notas alias cum Peplo communes habet.

Τιθύμαλον porrò, auctore Plinio, Lactariam, & Lactucam caprinam Latini nominant. Hiſpanis, *Leche trezna* & *Arnaballo* dicitur: Germanis Wolfs milch: Gallis *Reveille-matin*.

Mas prior mihi deſcriptus, χαρακίας, id eſt, vallaris; κομήτης, ab amplâ & effuſâ comâ; ἀμυγδαλοειδὴς à foliorũ formâ, & κωβιὸς cognominatur.

Latifolium Greci πλατύφυλλον à foliorum amplitudine appellant; nec enim ullius, ut Plinianis verbis utar, latiora ſunt folia: plerique etiam κορυμβίτην.

Peplus Grecis πέπλος vocatur: vulgo Herbariorum Eſula rotunda, Gallis *Reveille-matin de vignes* (frequentiſſimè enim in vinetis naſcitur) Germanis Teuffels milch/ id eſt diabolicum lac.

Temperament.

TITHYMALI autem omnes, teſte Galeno, vincentem habent acrem & calidam facultatem, neque amaritudinis ſunt expertes.

ΑΠΙΟΣ, ſive TITHYMALVS TVBEROSVS. CAP. XIII.

Tithymal. tuberoſ. I. Iſchas I.

ISCHADIS, cujus meminit Dioſcorides lib. IIII. hiſtoriâ, nemo à me expectet: nam ſatis luculéter eam deſcripſit ipſe, & alij etiam ejus iconem exhibuerunt. Quia tamen Neapoli ejus ſtirpes aliquot accipiebam à doctiſſimo viro Ferdinando Imperato cum alijs plantis bulboſis & tuberoſis, non potui non facere illius mentionem, & quin iconem hîc inſererẽ, quam Cl. V. Dodonæus à Petro Bellonio mutuatus; quia aliud ejus genus hoc capite deſcribere conſtitui.

Tithymalus tuberoſa radice, Iſchas.

Tithymalus tuberoſa ~~radice~~ pyriformi radice C. B. pin. 291.



Nomina.

Adfertur autem Dioſcoridea (quæ Græcis ἄπιος ἢ ἴσχας Græcis dicitur, & nonnullis χαμαιβάλανος) ex Cretâ, ubi Bellonius creſcentem obſervabat χαμαιπύδια iſtic vocari ſcribens: ſed Apuliæ etiam peculiarem eſſe monebat Imperatus, & in Neapolitano regno *eſola ritonda* appellari.

Iſchas II.

ALTERIVS autem, cujus hiſtoriam tradere cupio, iconem accuratè ſuis coloribus depictam ad me mittebat Tornaco, Iacobus Plateau mihi amicus ſingularis.

RADICE autem ea conſtat tuberoſâ, non in pyri formam turbinatâ inſtar prioris, at æquali propemodum ubique craſſitudine, unciam, interdum etiam binas uncias longâ, cujus extrema pars in quatuor alias radices, ſive craſſas fibras ſenſim graciléſcentes deſinit, & paucis fibris prædita eſt, colore foris fuſca, intus candida, lacteo ſucco turgens ut Tithymali. Ex ſummo ejus capite exeunt quini aut ſeni ramuli in terram procumbentes, palmares, aut ampliores, ſecundùm radicem nonnihil purpuraſcentes, folijs viridibus non magnis, ſed prioris foliorum inſtar, & incondito

Iſchas altera.

Tithymalus tuberoſa oblonga radice C.B. Pin. 292.



incondito ordine eos ambientibus præditi: illi deinde in minores & graciliores dividuntur, bina folia paulò rotundiora, & contrario ſitu naſcentia ſuſtinentes, in quorum medio exoritur flos ex flavo rubeſcens, cui ſuccedit capitulum trigonũ, ut in Tithymali generibus, rugoſum & tuberculis obſitum, in quo ſemen.

Quo tempore flores proferat non adſcribebat: ſed ſemine peregrè accepto ſibi natam duntaxat aiebat.

FACVLTATE & temperamento reliquis Tithymalis reſpondet hæc planta, ac perinde humano corpori moleſta & noxia eſt.

VMBELLIFERÆ.

LACTARIAS Umbelliferæ ſequentur, quarum nonnullæ lacteo etiam ſucco prægnantes ſunt. Magnus autem in variis Provinciis earum eſt proventus: nam præter pleraſque ab aliis deſcriptas, nonnullas alias peculiares in illis regionibus, quas peragravi, obſervabam, quarum hiſtoriam, ſubſequentibus aliquot capitibus, quàm accuratiſſimè potero, tradere conabor, initium à valde peregrinâ faciens.

TATARIA VNGARICA. CAP. XIIII.

NON vulgaris eſt hæc planta, quæ radicem habet craſſiſſimam & longiſſimam: nam brachialis craſſitudinis, & cubitalis longitudinis, aut etiam ampliores aliquot accipere memini ab Ill^ri^ Dn. Balthaſare de Batthyan, qui in meam gratiam ex Vngariâ trans-Danubianâ adferri iuſſerat, ut in meum hortum Viennæ transferrem. Illis autem folia emerſerunt rapi foliis non valde diſſimilia inciſuris & laciniis, breviora tamen, & verius ad Panacis Heraclii foliorum formam accedentia, rudi atque aſperâ lanugine prædita, ex viridi palleſcentia, alia deinde paulò minoribus inciſuris diviſa, nec minus aſpera, inter quæ aſſurgebat caulis cubitalis aut amplioris longitudinis, pollicaris verò craſſitudinis, ſtriatus, concavus & nodoſus, perinde aſper ac folia, quem lato pediculo amplectebantur minora folia & multifida, aſperâ etiam lanugine obſita: ſummus caulis in umbellam deſinebat, Panacis Heraclei umbellis ſimilem, in quibus flores & formâ pares & colore, quibus evanidis, ſuccedebant rara (nam ſinguli flores non ſunt fœcundi) ſemina, valde craſſa, nec valde abſimilia ſemini illi magno & ſtriato Libanotidis cachryferæ. Biennio quidem eas radices alui, ante quàm una illarum & caulem, florémque & ſemen proferret: deinde corruptæ ſunt, támque fœtidum odorem exhalarunt, ut ex horto fuerint eiiciendæ. *Tataria Vngarica.*

HVIVS porrò radice Vngari Agriæ vicini, atque etiam ulteriores Daciæ contermini, in annonæ caritate & inopiâ, veſcuntur alterius panis penuriâ, ut mihi aſſerebant non modò Heros ille Illuſtris, ſed etiam alii nobiles viri qui in eâ Provinciâ vixerant. Quæ adeò res effecit, ut dubius eſſem, an eadem eſſet cum *Baltracan* in Tartariâ naſcente, cujus meminit Ioſaphat Barbarus Patritius Venetus in epiſtolâ ad Petrum Barocci Epiſcopum Patavinum, quæ adjecta eſt ad calcem ultimi capitis Narrationis ipſius quæ evulgata eſt. De ejus in Perſidem profectione. *ejus uſus.*

BALTRACAN, inquit, folia habet Rapo ſimilia, è quorum medio caulis aſſurgit pollicaris craſſitudinis, & brachialis altitudinis, cortice obductus è viridi flaveſcente, qui per maturitatem finditur, & à ligno recedit, ut in vitis palmitibus, per quem rara ſparſa ſunt folia: ſemen fœniculi, ſed majus, validi odoris, iucundi tamen ſaporis, qua de cauſa ſine ſale edi poteſt: unicâ conſtat radice. Tartari folia ejus decoquunt in aqua, decoctum in vaſcula infundunt, refrigeratum inſtar vini bibunt, atque refrigerandi facultate præditum aiunt. *Baltracan.* *ejus uſus.*

Maximo eſt in uſu apud Tartaros hæc planta: nam abſque eâ, per magnas illas ſolitu-

dines, in

dines, in quibus nihil edule reperitur, iter facere non poſſent: itaque eâ natâ, ſuas peregrinationes inſtituere ſolent.

Nominis cauſa. A Tartaris fortè hujus radicis uſum edocti ſunt Vngari, propterea *Tataria* nomen illi dederunt: *Tatren* enim (ut & Germani) vulgo appellant, qui nobis Tartari dicuntur.

Chara radix. AN verò huic ſimilis, radix *Chara*, quâ lacti admiſtâ, Cæſaris milites inopiam levaſſe legimus?

THAPSIA. CAP. XV.

Thapſia latifolia villoſa C. B. Pin: 148.

Thapſia I.



FERVLACEA habet folia, viridia, villo, ſeu lanugine quadam obducta, humi veluti in orbē diffuſa, ingrati ſaporis, inter quæ cubitalis, interdum etiam bicubitalis exilit caulis, digitalis craſſitudinis, nodoſus, intus cavus & fungoſus, raris folijs præditus, ſummo faſtigio magnam & latam ſuſtinens umbellam luteorum ſeu flavorum florum, quæ dum maturuit ſemen, quod latum & aceroſum eſt, germenq; habet longū & anguſtum, ſphericam & orbicularem figuram quodammodo refert: radix craſſa, longa, ſummâ parte capillata, ut pleręq; ferulacei generis, craſſiore libro veſtita, foris ſubnigro vel fuſco, interiore parte candicante, lacteo ſucco plena, guſtu amariſſimo & acri, nauſeam tamen movente, adeò ingrata eſt, medius ejus nervus fungoſus.

Natales. Gaudet collibus petroſis, quales ſunt non procul ab oſtio Tagi ſupra Vlyſipponem, & multis alijs Luſitaniæ, Hiſpaniæq; locis editioribus & incultis. Floret Auguſto, nonnunquam maturius.

Supina quorundam negligentia. Verùm mirari ſubit quoſdam inveniri, qui adeò proclives ſunt, ut non expenſis probè ſtirpium ſingulis notis, ſed ex levibus duntaxat picturæ cōjecturis, ſtatim de illâ judicium ferant, quod uſu veniſſe ijs video, qui hujus meæ Thapſiæ iconem, ad Seſeli Peloponenſis hiſtoriam accommodare non ſunt veriti, & illi quidem, qui hanc nunquam creſcentem viderunt: ut taceam utriuſque plantæ facultates eſſe diſſimiles.

Thapſia II. IISDEM porrò, quibus dixi, locis aliud Thapſiæ genus invenitur cubitali caule præditum, graciliore tamen quàm ſuperioris, umbellâ etiam ſimili florum & ſeminis, ſed minore: folia illi multo tenuiora quàm illius, Fœniculi pæne foliorum inſtar, nullam inſignem qualitatem habentia: radix longa, digitalis craſſitudinis, foris nigra, intus candida & fungoſa, acris, ſummo capite villoſa.

Thapſia III. TERTIVM præterea Thapſiæ genus obſeruabam in Hiſpanicâ meâ peregrinatione, longè majus ſuperioribus, utpote caulem habens trium aut quatuor digitorum craſſitudinem æquantem, inſtar caulis ferulæ, & ſæpiſſimè humanam altitudinem ſuperantem: florem & ſemen Primo generi non diſſimilia: folia, ante quàm planta in caulē aſſurgat multò ampliora, in orbem tamen non ſecus ac illa humi diffuſa: radicem etiam craſſiorem.

Natales. Naſcitur ea non ſolùm agro Salmanticenſi, ſed circa Pinciam, vulgo Valladolid dictam, & totâ vetere Caſtellâ, ad Pyræneos uſque montes.

Sed nec parum hallucinantur, qui hanc plantam, Cicutariam maximam & fœtidiſſimam Lobelij eſſe cenſent.

Thapſia IIII. EODEM Salmanticenſi agro & vicinis locis naſcitur ferulacei generis quædam planta, folijs Libanotidis, per terrā ſimiliter expanſis, lento quodā & glutinoſo rore ſemper aſperſis, ſaturâ viriditate ſplendentibus: radice craſsâ, longâ, tenerâ & fragili, foris nigrâ, intus albâ, lacteo ſucco plenâ: caulem nullum obſervabam, ſed eum ferre dicebant rectum, tenuem, & in eo umbellam florum pæne in globum coactam.

Tota planta teterrimi odoris eſt: unde veriſimile eſſe conijcio non minus eſſe noxiam, quàm ſit Thapſia, ad cujus genus referenda videtur.

Nomina. CETERVM θαψία Græcis, Latinis etiam Thapſia dicitur: Prima à Murcianis & Valentinis *çumillo*, à ſucci, ni fallor, abundantia dicitur: reliqui Hiſpani *Cañaheja*, appellant, quam vocem omnibus ferulaceis plantis (quarum ſumma varietas per univerſam Hiſpaniam) tri-

Cañaheja.

niam) tribuunt: nam Ferulæ, & Libanotides illis etiam *Cañabeja* dicuntur, quia videlicet harundinaceum caulem habent. Tertium genus Salmanticenſibus etiam *Cañabeja* eſt: Quartum autem *Tuero*. Tuero.

Granatenſes imperiti Pharmacopœi, prioris radice loco Turbith magno errore utuntur: peritiores autem diſcrimen obſervare norunt. Vetulæ Salmanticenſes medicinam iſtic exercentes, Tertiæ radice utuntur ad provocandos menſes, aliáſque dejectiones moliendas. Tanta autem vi cùm ſupernè, tùm infernè purgat, ut ſumentes in maximum periculum ſæpenumero conijciat. *Facultates.*

SESELI MONTANVM. CAP. XVI.

TRIA hoc capite deſcribere conſtituimus genera in montanis Auſtriæ & Pannoniæ obſervata, planè inter ſe differentia; quorum

Seſeli I. montanum Pannon.

Seſeli montanum Cicutæ folio glabrum C.B. pin: 161



Seſeli II. montanum Pannon.



PRIMVM ampla habet folia humi ſparſa, & in multas alas diviſa, Seſeli Peloponenſi ferè ſimilia, supernè viridia & ſplendentia, infernâ parte minimè, ferulæ odore, acri nec admodum grato ſapore: caulem deinde ſeſquicubitalem aut ampliorem, craſſum, ſtriatum, intus fungoſum, nodoſum, & multos ramos in ambitu ex ſingulis geniculis, ſeu nodis ferentem, per quem ſparſa ſunt folia ſuperioribus reſpondentia, ſed minora: extremi rami in magnas umbellas floſculorum quinque foliolis candidis conſtantium definunt, odoris ferè ſambucini: flori ſuccedit ſemen gemellum, ſtriatum, flaveſcens, aromatico & fervido guſtu: radix craſſa eſt & foris nigra, quæ (ut in pleriſque ferulaceis contingere ſolet) ſemine prolato perit, nec niſi altero aut tertio à ſatione anno flores producere ſolet. *Seſeli mont. I.*

Creſcit in celſis Snebetg & aliarum Auſtriæ Alpium jugis, ubi lætiora ſunt paſcua: floret ſub finem Iunij, aut Iulio: ſemen verò Auguſto, vel etiam ſeriùs matureſcit. *Natales.*

BRACHIALI interdum nititur Alterum radice, præſertim ſi planta vetuſta ſit (recentiores & juniores pollicarem habent) in aliquot ramos inferiore parte donata, craſſo, rugoſo, nigróq; cortice ſepta, gummoſo primùm lentóque ſapore prædita, deinde acri & ſalivam ciente: quæ ſummo capite in multa capita extuberat villoſa, quemadmodum ferè omnes ferulacei generis ſtirpes, unde exeunt magnæ & ſatis amplæ foliorum alæ, aliquot folijs per ambitum ſerratis & nonnihil inciſis, uni coſtæ inhærentibus, ſed ex adverſo naſcentibus conſtantes, colore ſupinâ parte dilutius virente, & aliquantulum ſplendente, pronâ ſubcineraceo præditis: inter quæ ſeſquicubitalis nonnunquam emergit caulis, ſtratus, pollicaris interdum craſſitudinis, geniculatus, in aliquot ramos diviſus, quem ambiũt ad ſingulos nodos ſive *Seſeli mont. II.*

dos ſive genicula minores foliorum alæ; ſummum caulem atq; extremos ramos exornant umbellę palleſcentium floſculorũ, quibus ſuccedũt ſemina Sileris montani ſemini ſimilia.

Natales. Invenitur ferè in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ inferioris montibus, aſpero ſolo ventiſque perflato, Iulio & Auguſto floret, & ſubinde ſemen profert. Simile aliquando legere memini ad Allobrogicarum Alpium radices.

Seſeli mont. III. TERTIO multæ ſunt foliorum alæ, Fœniculi foliorum inſtar in multa folia tenuia, illis tamen craſſiora & breviora diviſæ, virides admodum, mucrone omnium foliorum candicante & duro, calidi guſtus: inter quas enaſcuntur cubitales caules aut ampliores, digitalis craſſitudinis, ſtriati, geniculati, in aliquot ramos ſecti, quos ſecundùm nodos aliæ minores amplectuntur foliorum alæ: flores in extremo caule & ſummis ramis in umbellas diſtributi naſcuntur albi: deinde ſemina gemina conjunctim, ut in omnibus umbelliferis, ſtriata, Angelicæ ſemini non diſparia, guſtu fervido: radix multis craſſis & oblongis fibris latè & obliquè ſparſis conſtat, quæ ſingulis annis ſummo capite novas propagines ad latera facit.

Natales. Naſcitur in pleriſque Auſtriæ inferioris & Stiriæ montanis pratis, atque Iulio floret.

INTER σεσέλεως, Seſeli genera referri poſſe has ſtirpes, omnino exiſtimo. Prima quidem, *Seſeli Pelop. Libanotidis altera Fuchſij. Daucus II. Matthioli. Seſeli Maſſilienſe.* proximè accedere videtur ad Peloponéſe Dioſcoridi deſcriptum, quod illi ordine tertium eſt. Altera plurimum ſimilitudinis habet cũ Libanotide altera Fuchſij, ſive Dauco ſecundo Matthioli: S. Peters wurtzel quidam ruſtici vocant, tametſi aliam umbelliferam ſtirpem frequentius etiam hoc nomine donent. Tertiam (quæ Maſſilienſis Seſeli picturam apud Matthiolum aliquantulum refert) nõnulli fortaſſe alteram Libanotidem Dioſcoridis fructiferam potius eſſe contendant, à qua ſanè non multum differre videtur. Nullum vulgare nomen illa, quemadmodum nec prima, apud earum Provinciarum ruſticos, in quibus obſervabam, quod equidem ſciam, obtinuit.

Seſeli Æthiopicum Matthioli.

Libanotis Latifolia altera sive vulgatior B: Pin: 157



Imperatoria major B: Pin: 156

Aſtrantia.




Seſeli æthiopic. Matth. SESELI porrò æthiopicum Matthiolo nuncupatum, uberrimè naſcitur per omnes Vngariæ, Auſtriæ, & Stiriæ ſilvas, ubi illius folia in tantam amplitudinem interdum evadunt, ut palmum æquare poſſint: habent verò magnâ ex parte ſingulæ foliorum alæ quina duntaxat folia, uno extremam alam occupante, per ambitum ſerrata, ſupernè atrovirentia, infernè ſubcineracei quodámodo coloris: caulis cubitalis eſt, aut amplior, geniculis interceptus, & ſupernâ parte in aliquot ramulos diviſus, ſuſtinẽtes exalbeſcentiũ floſculorum umbellas, qui in oblongiuſculũ & anguloſum ſemen tranſeunt, cuminũ aut ſileris montani ſemen odore & ſapore referẽs: radix pollicaris aut amplioris eſt craſſitudinis, craſſioribus aliquot fibris prædita, & craſſo cortice, ſapore initio dulci, deinde amaricante, ſupremo capite hirſuta (veterũ foliorum, quę marcida evanuerunt, fibris eam hirſutiẽ faciẽtibus) perennis.

VERVM

Ligusticum quod Seseli officinarum B: Pin: 162

Siler montanum.



Oreoſelinum.

Apium montanum folio ampliore B: Pin: 153



Archangelica.

angelica aquatica B: Pin: 156.



VERVM hujus Seſeli aliud præterea genus eſt ſatis vulgare in illis ipſis Provincijs: quod nuſquam tamē abundantiùs invenitur, quàm in Calenberg. Majores id habet foliorū alas, hoc eſt, in plura folia, nempe bina & vicena plerumque, ſuperioribus magnitudine longè cedentia diviſas, quæ ſupernè ſplendentia minus virent, & pronâ parte eineracei prorſus ſunt coloris, omnia in ambitu non modò ut ſuperioris ſerrata, ſed etiam lacinijs diſſecta: æqualem cum ſuperiore habet caulem, nodis ſimiliter interceptum, florum umbellas ſimiles, ſemen par, radicem non diſſimilem. *Seſeli æthiop. aliud genus.*

Hoc Germani Schwartz hirtzwurtz/ hoc eſt, nigram cervi radicem, illud autem Weyſz hirtzwurtz/ id eſt, albam cervariam appellant. Sunt qui inter Libanotidis genera recenſent. Floret utrumque Iunio, interdum etiam ſeriùs, ſemen Auguſto maturum eſt. *Schwartz hirtzwurtz Weyſz hirtzwurtz*

Producunt etiam prata ad radices mōtium Alpibus Auſtriacis & Stiriacis viciniorū magnâ copiâ plantam illam acri & aromaticâ radice præditam, quam vulgus Herbariorum Aſtrantiam ſive Imperatoriam appellat, Germani Maiſterwurtz/ à facultatibus quibus pollet, nominant. *Aſtrantia. Maiſterwurtz.*

FREQVENS etiam eſt montibus Auſtriacis Siler: at nuſquā abundantiùs creſcere memini, quā in eo qui Badēſibus thermis imminet. Vbi, & in alijs vicinis collibus, atque urbi Viennę proximis, vulgare etiā eſt Oreoſelinū. *Siler. Oreoſelinum.*

ARCHANGELICA autem à nonnullis appellata, amplioribus, quàm Angelica, foliorum alis, & dum teneræ adhuc ſunt, ſubpurpureis, *Archangelica.*

Peucedanum. *Peucedanum germanicum C.B. Pin 149*



caule humanam altitudinem ſuperante, brachialis aut amplioris craſſitudinis, frequentiſſima eſt in montibus vicinis arci Grében Ill. Herois Balthaſaris de Batthian, ſitæ in interamni Pannoniâ, quã Germani Windiſche land appellant: expanſa enim eſt inter Dravum & Savum flumina. Solet ea, quemadmodum & Angelica, perducto ad maturitatem ſemine, perire, atque illo in terræ ſinum ſponte recepto, renaſci.

PEVCEDANVM PANNONICVM. CAP. XVII.

Peucedanũ.

QVIA Peucedani hiſtoria prodita eſt ab omnibus qui de Plãtis commẽtati ſunt, illâ hîc repetere non eſt neceſſe: volui tamen illius mentionem facere, & ejus iconem oculis ſubijcere, ante quàm alterius Peucedani, quod in Pannoniâ obſervabã, deſcriptionem darem: nam in omnibus, quæ adij, locis mihi conſpecta eſt, nuſquam tamen frequentior quàm in pratis ad Danubium ſitis infra Ratisbonam, & Straubingã anno M.D.LXXXVIII. cùm adverſo flumine veherer Ratisbonam.

Peucedanum Pannonic.

SED Peucedanum quod in Pannoniâ obſervabam, radicem habet pollicaris, ut plurimùm craſſitudinis, interdum minorem, nonnunquam etiam majorem, lõgam, craſſo cortice, modò candicante, modò fuſco & nigricante tectam, guſtu initio Paſtinacæ, deinde nonnihil acri, tranſverſis & obliquis aliquot craſſioribus fibris donatam, ſupremo capite hirſutam: ex qua quinq; vel plura exeũt folia, Peucedano vulgari & legitimo ferè ſimilia, ſed minora & breviora, colore ex viridi cæruleo, non, ut illa, nigricante, ſubamaro ſapore, & odore ferè ignavo, nihilque ſingulare referente: caulis inter illa aſſurgit cubitalis, rotundus, gracilis, in multos ramos diviſus, in quibus umbellæ candidorum florum: ſemen Selini ferè, breve & craſſiuſculũ, geminum ut in omnibus pænè umbelliferis, cineracei coloris, ſaporis verò aliquantulũ amari & acris.

Saxifraga Pannonica.

Daucus montanus multifido breviq; folio C.B.Pin:150



Natales.

Provenit multis Vngariæ & Auſtriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroſo, & ſalebroſo ſolo, ubi Iunio floret: at in illarũ Regionum Alpibus (ubi etiam naſcitur) Iulio & Auguſto, & ſubinde ſemen ferre nõ deſinit.

Saxifraga II. Matth.

NON multum differre videtur à Saxifragâ ſecundâ Matthioli.

SAXIFRAGA PANNONICA. CAP. XVIII.

Saxifraga Pannonica.

MVLTO minor Peucedano eſt Saxifraga Pannonica, & brevioribus folijs prædita, capni foliorum ferè æmulis, quorum ſapor & odor, Peucedani Pannonici foliorum odorem & ſaporem quodammodo referunt, paulò tamen acriora ſunt: inter quæ cauliculi exeunt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis folijs exornati, ſummo faſtigio candidorum floſculorum umbellam ſuſtinentes: radix Peucedani radici non multùm abſimilis, ſed

Saxifraga, Pimpinella German. major.

Pimpinella Saxifraga major umbella candida B: Pin: 159.



Saxifraga, Pimpinel. German. minor.

Pimpinella saxifraga minor B: Pin: 159



Pimpinella Italica major Sanguiſorba.

Pimpinella sanguisorba major B: Pin: 160



lis, ſed brevior, acrior ſalivámque ciens, multa hirſuta capita ſupernâ parte producens, è quibus folia & caules emergunt.

Invenitur ijſdem locis quibus Peucedanum, præſertim verò in aperto & glabro illo monte qui medium quaſi ſpacium inter Hamburgum, & Altenburgum Vngariæ urbes occupat, etiam è medijs ſaxis plerumque erumpens. Sed & colliculo juxta Zimmerin, itinere ad Phaſionorum, juxta Lachn, & pleriſque alijs circa Viennam locis creſcit. Floret Iulio. *Natales.*

CETERVM vulgaris admodum eſt per Vngariam, Auſtriam, Stiriam, vicináſque Provincias Saxifraga vulgaris, à Germanis Pimpinella nuncupata, major & minor, & utriuſque variæ inveniuntur differentiæ foliorum formâ inter ſe diſcrepantes, præſertim in minore, quæ interdum ſingula folia laciniata habet, aut anguſtioribus & oblongis inciſuris diviſa. In majore autem, tametſi magnâ ex parte foliorum forma non variet (omnia enim in ambitu ſerrata ſunt, & per alas ordine diſpoſita) unum tamen genus ex atro virentia ea obtinet & ſplendentia, alia minimè: genusq; aliud invenitur, cujus folia in lacinias ſunt diviſa: præterea Etſcherus mons alit, cujus flores elegãter ex purpurâ rubeſcunt, cum reliquorum ſint candidi. *Pimpinella major & minor German. varietas.*

Pimpinellam verò Germanicam ubique tamen naſcentem, & Italis Pimpinellam hircinam dictam, Tragium alterum Dioſcoridis eſſe ſuſpicatur C. V. Fabius Columna. *Pimpinella hircina. Tragium alterum Dioſc.*

Vlmaria. Barba Capræ folijs compactis B: Pin: 164.



Pimpinel. Ital Sanguiſorba Germ.

Nec minùs eſt frequens, cùm in pratis, tùm ſiccioribus illarum ipſarum Provinciarum locis, Pimpinella Italorum & Gallorum major & minor, quas Germani Sanguiſorbas appellant.

Vlmaria.

Barba caprina Fuchſij.

Alvnt etiam earundem Provinciarum prata humidiora & torrentium ripæ, Vlmariam ab ulmaceis folijs vulgo dictam, temperamento, atque etiam odore Pimpinellæ majori Italicæ quodammodo reſpōdentem. At montanæ ſilvæ Barbam caprinam Fuchſij & Tragi, ab Vlmariâ diverſam.

Davcvs montanvs. Cap. xix.

Daucus montanus.

Elegans eſt id Dauci genus, quod in Alpium Auſtrię & Stirię ſublimibus pratis naſcitur. Illi enim ex radice prodeūt quinæ aut ſenæ tenuiorum foliorum alæ, Seſeli pratenſis (quod abundè in totius inferioris Auſtriæ pratis naſcitur) alatis folijs pænè ſimiles, ſed longè minores, neque palmi amplitudinem excedētes, ſed proximè ad Acus paſtoris vulgaris folia accedentes, admodum virides: inter quas prodit caulis pedalis, nudus, ſtriatus, ſatis gracilis, qui ſummo faſtigio binas aut ternas ſuſtinet parvas & benè confertas umbellas floſculorum è rubro dilutè purpurantium, ſive carnei, vt vulgo loquimur, coloris, quinque foliolis conſtantium, quos excipiunt Selini hortenſis æqualia ſemina: radix digitalis eſt longitudinis, cortice foris nigricante, rugoſo, & multis tenuibus fibris prædita.

Daucus, Meum.

Meum folijs Anethi B: Pin: 148.



Tota planta Daucum vulgarem quodammodo redolet, & illius guſtum etiam refert. Floret Iunio, in hortis etiam Maio.

Daucus legitimus.

At legitimus Daucus, Creticus appellatus in Durrenſtain frequens: Etſcherus tamen illo magis abundat: naſcitur iſtic inter ſaxa tenui ſolo aſperſa, ut difficulter ejus radix integra erui poſſit, cineracei coloris folio, & viribus, cum eo quod in Creta inſula creſcit, procul dubio conferendum.

Daucus vulgaris.

Carum.

Vvlgaris autem Daucus, paſſim in omnibus his Provincijs jam numeratis provenit, & officinis in uſu eſt. Quemadmodum & Carum, quo præſertim ſicciora Vngariæ prata abundant, & magnâ ſeminis copiam, in quotidianū uſum ſingulis annis ſuppeditant.

Meum vulgare.

Alpivm verò juga, Meum vulgare tenui folio, quale nos hîc lectoris oculis ſubjicimus, alunt: ſed nullibi frequentius obſervare memini, quàm in Durrenſtain.

Anthriscvs Plinii. Cap. xx.

A nvllo Recentiorum hactenus deſcriptâ arbitror hujus ſtirpis hiſtoriam, quæ nata Lugduni Batavorum in Academico horto anno m.d.xcv. ſemine è Cretæ Cydoniâ ad me miſſo à Doctiſſ. Viro Honorio Bello, ejus urbis Medico.

Anthriſcus Plinij. Scandix cretica minor B: Pin: 152.



DODRANTALIS eſt plantula, ſtatim à radice tenui, longâ, albâ, paucis fibris donatâ, multa folia in multifidas tenuéſq; alas inciſa proferens, pænè inſtar foliorum Scandicis, nõ injucundi, ſi terãtur, odoris, neque, ſi guſtentur, ſaporis, qualis ferè Chærefolij vulgaris, inter quæ breves prodeunt cauliculi, quãdam tenui lanugine præditi, qui in breves, virides, graciléſque ramulos dividuntur, ſuſtinentes umbellulas, quatuor, quinque, aut ſex floſculorũ, quinque foliolis albis præditorum, in quorum medio exile quidpiam ex purpurâ nigricans: floſculis ſuccedũt, ſeu veriùs floſculi ſuſtinentur, à ſtilis quibuſdam gracilibus, qui paulatim in uncialem longitudinem ſuccreſcentes, formam referũt thecarum ſeminis Pectinis Veneris vulgo vocatæ plantæ, ſive Scandicis ſilveſtris. *Anthriſcus Plinij.*

Flores & ſemen (ſed immaturum) protulit Iunio. De hac ſtirpe conſulenda Honorij prima ad me epiſtola, ad calcem hujus ſtirpium Hiſtoriæ poſita, Plinius item libro XXII. cap. XXII. in Scandice.

SELINVM PEREGRINVM.
CAP. XXI.

VMBELLIFERARVM, præter Thapſias & alias enumeratas, duo genera Salmanticenſi agro obſervabam, quæ ad Selini genera commodè referri poſſe arbitror.

PRIMVM Coriandri aut Elaphoboſci folijs ſimilia habet folia, per terram ſtrata, inter quæ caulis exilit cubitalis altitudinis, in multos ramos diviſus, flores in umbellis ferens candicantes, deinde ſemen Petroſelino vulgari ſimile, acre, & aromaticum: radix longa, digitaliſq; craſſitudinis eſt, candida, odorata, Selini ſapore. *Selinum peregrinum I.*

Naſcitur in vinetorum marginibus, juxta vias & ſemitas. Floret menſe Iulio, ſemen Auguſto maturum eſt. *Natales.*

ALTERVM, multa habet ab una radice prodeuntia folia, Cicutæ folijs non diſſimilia: ſed quæ caulem ambiunt, minora ſunt: caulem cubito majorem, ſæpe unicum, nonnunquam plures, & in his umbellas candidorum florum, quibus ſuccedit ſemen latum, minus tamen quàm ferulæ: radicem digitalis etiam craſſitudinis, albam, odoratam, & utcunque acrem. *Selinum peregrin. II.*

Provenit apricis & à Sole illuſtratis locis: Iulio floret; Auguſto ſemen profert. *Natales.*

Mirum in modum urinam ciere plantæ decoctum, aut aquam in quâ radix macerata, mihi iſtic referebant. *Facultates.*

ILLIS non poſſum non adjungere umbelliferam quandam plantam, quam Salmanticenſi quidem agro cum ſuperioribus obſervabã: ſed multos annos ante, etiam agro Mompelliano, & toto illo tractu Maſſiliam uſque, quæ mihi plurimum accedere viſa eſt ad Seſeli Maſſilienſis hiſtoriam à Dioſcoride traditam. *Seſeli Maſſilienſe Dioſ.*

Conſtat autem ea folijs Anethi ferè, exilibus & minutim inciſis, Rutæ propemodum colore: caulem habet unicum, interdum cubitalem, ſed ſæpiſſimè minorem, in aliquot ramos diviſum, qui umbellas florum candidorum aut purpuraſcentium ſuſtinent: quibus ſuccedit Apij ſemen: radix longa erat, alba, digitalis etiam interdum craſſitudinis, ſatis odorata.

Mompelliani, cùm iſtic vivebam, Fœniculum tortuoſum appellabant. Caſtellani verò *Enxalmos.* *Fœniculũ tortuoſ. Enxalmos.*

SELINVM MONTANVM pumilum. CAP. XXII.

ALIVD porrò in montanis obſervabam Selini genus exile & pumilum, quod aliquot à radice ſpargit folia, fœniculi aut peucedani folijs formâ quidem ſimilia, ſed longè minora, & rarò pluribus quàm quindenis foliolis conſtantia, è quorum medio dodrantalem *Selinũ mont. pumilum.*

craſſumque

Selinum montanum pumilum.

Daucus montanus multifido folio Selini Sumine B.Pin:150.



Natalæ.

Cicutaria Pannonica.

craſſumque fert caulem,in multos tamen ramulos diviſum, ſub quibus aliæ foliorum alæ minores naſcuntur,noveníſque duntaxat foliolis conſtantes,lata baſi caulem amplectuntur, paſtinacæ ſive ſtaphilini guſtu & odore: ſinguli ramuli exiguorum florum quinque candidis foliolis præditorum cum totidē ſtaminulis,& odoris expertium umbellulis ſunt onuſti : quibus ſuccedit ſemen Selini ſemini non diſpar: radix ſupremâ parte in craſſum caput extuberat, multíſque villis (qui foliorum ſuperioris anni fibræ ſunt) hirſuta, brevis,quaſiq; in orbem convoluta eſt,intus fungoſa & alba, exterius fuſca & rugoſa, infernâ parte bifida plerumque, & in raras fibras deſinens.

Invenitur quibuſdam ſiccorum deſertorúmque, virentium tamen, agrorum marginibus,& in nudis gramineíſque montibus inferioris Auſtriæ & Pannoniæ: floretque Maij initio. Biennalem eſſe arbitror, uti pleræque ſunt umbelliferæ, quæ prolato ſemine perire ſolent.

CICVTARIA PANNONICA.

CAP. XXIII.

LICET Cicutariæ quoddā genus in Panoniâ & Auſtriâ naſcentis hiſtoriam hoc capite deſcribere mihi duntaxat fuerit animus, vulgaris tamen, & in omnibus ijs, quas adij, regionibus ſponte creſcentis iconē præfigendam eſſe duxi, non hiſtoriam, quandoquidem à pleriſque alijs eſt deſcripta.

QVINA porrò ſena, aut plura promit à radice Pannonica folia, ramoſa uti Selinum vulgare,minora tamen &tenuius inciſa,multum ad Bulbocaſtani vulgo nuncupati, folia accedentia, ſapore aliquantulum acri: caulis inter illa emergit pedalis fermè, interdum etiam, (fœcundum ſolum nactus) cubitalis, circa nodos craſſior, umbellam ferens candidorum floſculorū, ſemen deinde oblongum, Chærefolij vulgaris ferè inſtar: radix tuberoſa eſt Bulbocaſtani radicis pænè æmula, ſed rotunda & aliquantulum internâ parte turbinata, ut Ariſtolochiæ rotundæ radix quæ albicantem fert florem, ſive ſecundæ, intus alba, ſapore & odore Paſtinacæ, ſive Elaphoboſci propemodum, fuſco & nigricante cortice tecta, quæ ſuccreſcente caule, inſtar napi longior fit,& magis turbinata, flaccidaq; & rugoſa evadit: atque tandem maturo ſemine perit, è ſemine tamen ſponte deciduo ſingulis annis renaſcens.

Cicutaria vulgaris.

Cicuta major B:Pin:161



Natales.

Vſus.

Novo Vere, in hortis & herbidis Viennenſis agri locis prodit: naſcitur & quibuſdam ſimilibus Vngariæ locis: eo tempore radices firmiores & magis ſucculentæ cum novellis ſuis folijs in Viennenſi foro venales reperiuntur: coquūtur enim,& cum oleo, aceto, & ſale primis menſis iſtic vulgo inferuntur, quàm ſalubri cibo, neſcio.

Florez

Floret Aprili & Maio, Iunio ſemen plenam maturitatem adipiſcitur.

Qvo nomine iſtam plantam donarem, diu ambiguus fui: accuratius tandem notis ejus perpenſis, ſuccurrit, magis proprium (meâ quidem opinione) nomen dari non poſſe, quàm Cicutariæ: quia frequens ejus uſus non ſine noxa eſt, & capitis gravedinem doloremque, ut expertus ſum, inducit.

Vvlgvs Auſtriacum Peperlin appellat: Vngari, *Magiaro ſalata*: nam & illi ejus radice & teneris folijs in acetarijs veſcuntur. Peperlin. Magiaro ſalata.

Caucalis maxima Spondili aculeato ſemine

CAVCALIS MAIOR. B. Pin: 152 CAP. XXIIII.



Caucalis arvensis echinata magno flore

Caucalis albo flore. B. Pin: 152



Cavcalis hæc omniũ maxima, multos à radice producit ſtolones, rectos, bicubitales, & tricubitales, interdum etiam quatuor cubitorum altitudinẽ attingentes, ſtriatos, intus cavos, geniculis interceptos, & in plures ramos diviſos: ſub quibus latâ ſede adnaſcuntur magna alatáque folia, in ambitu inciſa & ſerrata, inſtar foliorum Angelicæ, ex atro virentia; ſummis ramis innaſcuntur umbellæ candicantium florum, ſubtus nonnihil purpuraſcentium & ad carneum colorem accedentium: quibus ſuccedunt lata ſemina, ferè ut in Sphondilio vulgari, ſubhirſuta, & ſummo mucrone bifida, aculeatáq; inſtar ſpinarum: radicem habet albam, duram, lignoſam raris fibris præditam. *Caucalis major.*


Qui illam ad me mittebat Iacobus Plateau, ſcribebat menſe Septembri eſſe ſerendam: nam illico emergere, viridémque deinde permanere tota hieme, quàm percommodè ferre poteſt: ſubſequentis anni Iunio flores producere, deinde maturum ſemen, ſub exitum Iulij & Auguſto: tandem perfecto & ad maturitatem perducto ſemine totam perire. Dubitabat autem, an, propter ſemen gemellum, Tordilij genus aliquod potius referret.

Proximvs autem ad Dioſcoridis Caucalidem accedere mihi viſa, quę à Clariſs. Dodonæo exhibetur, in arvorum marginibus atque inter ſegetes vinetáque naſcens, cauliculo pedali, aut majore interdum, folio apij ferè, umbellam ferens florum candidorum, quorum externa folia majora ſunt reliquis, deinde ſemen geminum, hiſpidum. Similem ſed majoribus alatíſque folijs, atque ad Pimpinellæ Germanicæ folia magis accedẽtibus, agro Francofurtenſi abundanter naſcentem obſervabam, florem variantem, qui major erat, & æqualis magnitudinis folia obtinebat, ſaturè rubente colore. *Caucalis Dioſc.* *Caucalis ſaturè rubente flore.*

A prima harum vulgarium Caucalidum, non valde differt ea quæ ſemine ex Hiſpanijs allato *Caucalis Hiſpanica*

Caucalis Lato apiifolio B: Pin: 152 — *Aniſum Herbarius B: Pin: 159*

Caucularis rubello flore.



Aniſum vulgare.



Aniſum Peregrinum B: Pin: 159.

Aniſi Philippinarum inſul. umbella.



allato nata mihi eſt aliquãdo, cùm apud Belgas, tùm Viẽnæ Auſtriæ: cauliculos enim habebat ſtriatos & aſperos, umbellas verò cãdidorum floſculorum minores, & quaſi in orbiculare caput coactas: ſemen etiam craſſiuſculum, valde ſtriatũ, non hiſpidum. Annua etiã eſt plãta: nã maturo ſemine perire ſolet.

καυκαλὶς. δαύκος ἄγριος. CAVCALIS porrò à Græcis καυκαλὶς dicitur, à nonnullis δαύκος ἄγριος, id eſt, Daucus ſilveſtris.

EADEM facultate pollet, qua Daucus, ſtrenuè enim movet urinas.

ANISVM PHILIPPINARVM inſularum.

CAP. XXV.

Aniſum vulgare. VVLGARIS Aniſi iconẽ huic capiti præfigo, non quod ejus hiſtoriam poſt tot alios qui de Plantis ſcripſerũt, tradere libeat: ſed duntaxat ad demonſtrandum, quanta ſit inter illud atque aliud genus, cujus mentionem facere inſtituo, differentia.

Aniſum peregrum. PLVRIMVM enim differt à vulgari Aniſo, quod è Philippinis Inſulis (quæ ducẽtorum ferè milliarium intervallo à Sinarum regione diſtant) allatũ ante paucos annos à Nauclero Anglo, cui nomẽ Thomas Candi, cùm è ſuâ navigatione, quâ totum orbem circuivit, rediiſſet. De hujus autem radice, caule, folijs vel etiam floribus quidquam pronunciare nequeo; quandoquidem nihil horum mihi cõſpectum: ſed è ſeminibus & umbellarum particulis, quas Londino accipiebam, paulo pòſt Candi reditum, ab optimis & honeſtis

neſtis viris Hugone Morgano Regio pharmacopæo, & Iacobo Gareto aromatario, qualemcunque ſed mutilam ejus hiſtoriam concinnare ſtudebo.

Erant porrò eæ umbellæ ſatis latæ, Archangelicæ umbellis non minores, ſed ut conijcere licebat, etiam laxiores, aliquot pediculis ſatis craſſis & firmis in orbe ex ſummo ramorum faſtigio naſcentibus conſtantes, quorum ſinguli, non geminum ſemen, quale Aniſi vulgaris, ſuſtinebant, ſed plura in orbem unciam latum interdum, ſerie quadam diſpoſita, videlicet ſena, octona, aut plura, fuſci coloris, rugoſa, in binas æquales partes compacta, quæ ſuperâ parte diviſa, ut plurimum inania reperiuntur, aliquot tamen plena deprehenduntur, & ſemen unicum continentia, læve, ſplendens, cineracei coloris orobi pænè magnitudine: ſapor idem qui in vulgaris Aniſi ſemine, atque etiam odor: quam ob cauſam, ab his qui mittebant, Aniſum appellatum: proprium tamen quod natali loco obtinet, eſt *Damor* (addiderat enim Garetus appellationem, unius ex Inſularibus, quem Candi advexerat manu exaratam Sinanis characteribus) quos imitari nequivi, ſed erant ducti perpendiculariter à ſummâ parte ad infimam, vulgato in illis Provincijs ſcribendi more, hoc modo, D A M O R

Aniſum Philippinarum ſive Novi orbis.

Damor.

Chelidonium majus foliis quernis B: Pin: 144.

CHELIDONIVM MAIVS. CAP. XXVI.

Chelidonium majus vulgare. B: Pin: 144



Chelidonium majus laciniato flore.



DVo Veteres agnoverunt Chelidonei genera valde inter ſe diſſimilia, majus & minus. De neutro iſtorum, cùm cuilibet ſint ſatis cognita, hoc capite agere conſtituimus: ſed de majoris quodam genere, cujus notitiam ante paucos annos adquiſivi Francofurti ad Mœnum vivens, miſsâ ad me plantâ à Philippo Stephano Sprengero Palatinali pharmacopœo, in cujus horto ſponte nata erat Heidelbergæ.

Chelidoniũ majus.

A vulgari autem Chelidonio majore non differt hæc planta, vel formâ, vel magnitudine: ſola varietas deprehenditur in folijs, quæ longè tenuius inciſa & tenella ſunt, & floribus, qui ejuſdem quidem ſunt cum vulgari coloris, flavi videlicet, & quatuor ut plurimum folijs conſtant, illis tamen non, ut in vulgari, integris, ſed per oras laciniatis: his ſuccedunt longa, quemadmodum in vulgari, cornicula, tenui mẽbranâ diviſa, exiguo, nigro ſemine plena. Tota æſtate floret, & ſubinde ſemẽ profert, ſemine ſponte deciduo ante brumam renaſcens & genus ſuum conſervans: nam ſingulis annis producto ſemine perire arbitror.

Chelidoniũ majus laciniato flore.

VVLGARE

Nomina. VVLGARE majus Græcis dicitur, χελιδόνιον μέγα: Latinis Chelidonium majus: Officinis Chelidonia: Gallis *Chelidoine* & *Eſclaire*, à facultate: Germanis Schelkraut vnd Schwalbenwurtz: Inferioribus Germanis, Gouwortel ende groote Gouwe.

Illud verò alterum majoris genus: commodè nominari poſſet Chelidonium majus multifido folio.

Facultates. DE vulgari autem Chelidonio majore hoc experiebar, illius ſuccum in levia quæcunque vulnera recentia inſtillatum, mirificè conferre.

CAP. XXVII.

AQVILINA.

Aquilegia Hortensis multiplex flore magno B: Pin: 144.

Aquilina pleno flore.



aquilegia Hortensis multiplici flore inverso. B: Pin: 145.

Aquilina pleno inverſo flore.



Aquilinæ magna varietas. ISTIVS plantæ non meminiſſem, nimis enim vulgaris eſt notitiæ, nec ullum invenire hortum arbitror, in quo, ob floris elegantiam, non alatur: nam præter illam quæ ſimplici eſt flore, quámque in multis montanis ſilvis cæruleo flore ſponte naſcentem legere memini, reperitur pleno & multis corniculis invicem inſertis conſtante flore, qui vel cæruleus eſt prorſus, vel violaceus, vel cineraceus, vel blandè rubens, vel ſaturè ruber, vel albus, vel ex albo & cæruleo, violaceóve multifariam commixtus, vel alterius coloris, quis enim omnes enumeret: interdum etiam (ut natura ludit) corniculis inverſis conſtans, hoc eſt, corniculorum contortis mucronibus omnibus ex floris centro prodeuntibus.

Aquilina roſeo flore. VERVM aliud elegans genus, paucis abhinc annis ſemine natum obſervabam, cujus flores colorem quidem inſtar vulgaris mutant (nam albi, carnei ſive blandi rubentis, cæruleíque coloris reperiuntur) ſed aliam formam habent: carent enim corniculis illis litui inſtar inflexis, & plana duntaxat habent folia, qualia ſunt ea, quæ in ſimplici cornicula ab invicem ſegregant: conſtant verò flores vel ſimplici octo aut decem foliorum ordine diſpoſitorum ſerie, vel ea multiplicata ad ſenarium aut ſeptenarium numerum, hoc eſt, ut ſingulis illis octo aut decem foliorum ordinibus, ſena vel ſeptena alia incumbant, interdū etiam plura, eleganti ſpectaculo, non alternatim cōfuſa ut in Roſâ plenâ, paucis ſtaminibus cum corniculis, quemadmodum in vulgatiore, floris mediū occupantibus, & ſimili nigro ſplendentéque ſemine plenis. In eadem planta conſpicere licet nonnunquam flores, quorum prima & ſecunda foliorum ſeries calcari ſeu corniculo illo contorto caret, interiora reliqua inſtar vulgaris cornicula inflexa habent. Sed etiam hoc genus mirum in modum colorem variat: nam ejus quæ cæruleo flore eſt ſemine deciduo ſponte natas plantas habui, quæ cæruleum, album, rubellum, ſuavè rubentem, cineraceum, purpureū remiſſum vel ſaturum, pullumque,

Aquilina pleno roſeo flore.

aquilegia flore roſeo multiplici B: Pin: 145.



Aquilina degener.

Aquilegia degener virescens B: Pin: 145.



pullúmque, & quodammodo obſoletum florem tulerint, eúmque vel ſimplici foliorum ſerie vel multiplici conſtantem.

HANC plantam, alioqui vulgatæ formâ reſpondentem, primùm conſpiciebam anno nonageſimo quarto ſupra quingenteſimum & milleſimum, Maio menſe ſuos flores explicantem, apud Ioannem ab Hogelande, Lugduni Batavorum.

Degener quidem appellari poſſet hæc Aquilina, quia floris illius forma vulgari diſſimilis; malim tamen Aquilinam roſeo flore cognominare, licet multiplicata folia alio ordine quàm in roſæ pleno flore ſint diſpoſita. Sed alia eſt quæ Aquilina degener rectè vocari poſſit. Eam ante viginti ſex & plures annos conſpicere memini exiguæ roſæ formam æmulantes flores ferentem, coloris vel omnino viridis, vel ex viridi purpuraſcentis, mutatâ videlicet priſtinâ formâ, ſive potiùs vitio contracto, ex ſtirpium intempeſtivâ ex uno loco in alium tranſlatione. *Aquilina degener.*

QVO nomine porrò Veteribus dicta ſit Aquilina, ſive Aquilegia, quotquot hactenus de ſtirpibus commentati ſunt, ignoraſſe video, præter N. V. Fabium Columnam, in eo libro qui Φυτοβασάνος inſcribitur. Is enim exactè perpenſis & examinatis ejus Aquilinæ quæ ſimplici flore eſt, notis, Ἰσόπυρον, Iſopyrum Dioſcoridis eſſe cenſet, cujus judiciũ de Aquilinâ, quemadmodum & de multis alijs ſtirpibus, de quibus in eo libro agit, mihi valde probatur. *Fabij Columnæ laus.* *Ἰσόπυρον.*

CETERVM quæ de Aquilinæ facultatibus ante triginta annos accipiebam à Doctiſſimo viro Franciſco Rapardo, urbis Brugenſis in Flandriâ primario Medico (tametſi ut medicinam facerem, nunquam in animum induxiſſem meum) libet hîc ſcribere: nimirum Aquilinæ vulgaris ſemen tenuiſſimè contuſum, & ex vino propinatum, mulieribus in partus difficultate cum optimo ſucceſſu exhiberi: ſi prior tamen hauſtus minus fuerit efficax, alium ſimilem propinandum eſſe. *Facultates.*

DELPHINIVM ſeu Conſolida regalis. CAP. XXVIII.

HANC ſtirpem deſcripſerunt plerique, & iconem etiam præpoſuerunt. Nec ejus meminiſſem, ne actum agere videar, niſi poſt evulgatos aliorum labores, quaſdam non pœnitendas circa illam notas obſervaſſem.

DVO autem (ut omnibus notum) ſunt Delphinij à pleriſque vocati, ſeu Conſolidę regalis, ut vulgo appellatur, genera. Vulgare in ramos latè ſparſum, paſſim inter ſegetes ſpōte naſcens cęrulei coloris elegãtis flore. Alterum majus, in altũ ſe attollens, & multis quidem alis præditum, ſed illis etiam ſurrectis, in hortis cultum: de quo primùm agemus. *Delphinij duo genera.*

Conſolida regalis hortenſis flore minore B. Pin: 142. Conſolida regalis flore majore et multiplici B: Pin: 142

Delphinium elatius ſimplici flore.



Delphinium elatius pleno flore.



Delphinium elatius.

ELATIVS ergò in bicubitalem plerumque altitudinem aſſurgit, interdum etiam majorem, nonnunquam infra illam conſiſtit. Caulem verò habet rectum, firmum, ſtriatum, quem indiſcriminatim ambiunt multifida folia, frequentiora quàm in vulgari, è quorũ alis prodeunt rami virides, ſimilibus folijs onuſti, deſinentes in oblongã florum ſpicam ſex folijs conſtantium, quorum quaterna in latera expanduntur, quintum ſupernum caudâ aut calcari in poſteriorem partem prominente inſignitũ, reliquis majus, cui ſubeſt ſextum medium florem occupans, extimâ parte longiuſculum & bifidum, deinde per latera alatum, multa ſtamina umbilicum floris occupantia tegens: flori ſuccedunt, ut plurimum, ſingularia, rarius plura, longiora & craſſiora cornicula ſemen inæquale, maturitate nigrum, continentia. Color floris, in hoc genere, mirum in modum variat: nam aut niveus eſt, aut exalbi-

Floris varietas.

dus, aut carneus, iſq; vel ſaturatus, vel dilutus, aut cineraceus, aut purpureus ſeu violaceus, atque is vel dilutior vel ſaturatior, nonnunquã etiam verſicolor, hoc eſt, vel mediâ ex parte purpureus, alterâ incarnatus, ſive ſuavè rubens, interdũ etiam alterâ parte albus, quales mihi Francofurti natos memini. Hæc autem varietas ſatione adquiritur: nam unius generis

Delphinium elatius pleno flore.

ſemine omnes hi colores mihi nati. Aliud præterea in hac plantâ animadverſione dignum eſt, illam videlicet inveniri floribus multiplici foliorum numero cõſtantibus, omnium ſupradictorum colorum, nullo aut perexiguo calcari præditis, quibus ſuccedũt minora quàm in ſuperiore cornicula, bina, terna, aut quaterna, pleraque inania, rara quæ paucum ſemen præbeant, è quibus terræ commiſſis raræ naſcuntur plantæ plenũ florem ferentes, pleræque ſimplicem, quarum tamen ſemine ſponte deciduo, denuo naſcãtur (quod mirum) quæ plenum florem proferãt, ut mihi cùm Viennæ (ubi primùm illam plantam obſervabam) tum Francofurti contigit: quod ſibi etiam accidiſſe, de ea mutatione à me præmonitus, cùm illi ſemen communicarem, anno M.D.XCII. Ioannes ab Hogelãde ad me ſcribebat, magnamque coloris varietatem in iſto flore habuiſſe, nempe album, ſuavè rubentẽ, rubellum, purpureum, ex purpureo varium, ſemine deciduo à ventis per totum hortum diſperſo, quin & cæruleos flores ſemiplenos ipſi natos eſſe.

Delphinium elatius cæruleo flore.

Sed aliud eſt Elatioris Delphinij genus multò uberiùs ſuperiore, atque interdũ adeò amplum, ut humanam altitudinem ſuperet, numeroſiores ramos proferens, & plura majoraq; folia, ſive foliorum alas, non minùs tamen, quàm ſupra deſcriptum, in tenues lacinias diviſas. Hujus flores ſuperioris floribus formâ ſimiles, ſed longè ampliores, & coloris aut cærulei elegantiſſimi, aut ex cæruleo purpuraſcentis: cornicula floribus ſuccedẽtia, craſſiora, nigrum inæquale ſemen quale alterius cõtinentia, quod ſatum, genus ſuum conſervare ſemper obſer-

Conſolida regalis Vulgaris flore multiplici B: Pin: 143

Delphinium vulgare pleno flore.



per obſervavi, nullâ prorſus coloris mutatione factâ: licet Hogelandus habuiſſe ſcripſerit ad me aliquando, cujus flores veluti maculis albis ſeu radijs diſtincti fuerint: illius tamen ſemine (quod ad me mittebat) natæ plantæ cæruleum florem protulerunt. quam ob cauſam, ſuſpicor eos flores in quibus maculas obſervarat, vitiatos fuiſſe, aut ſtillicidio ex arboribus, aut pruinâ, quam ſequutus ſit nimius fervor ſolis, quod in hoc genere interdum accidit.

MAGNA etiam eſt coloris varietas in Vulgatioris floribus, tametſi neque ramis, neque folijs ab eo quod in ſegetibus ſponte naſcitur, diſcrepet: nam præter cæruleum, qui in arvis, invenitur & albo flore, & candicãte, & rubro, & dilutius rubẽte. Sed toto illo triennio ante quàm Francofurto excederem, natæ mihi plantæ florem ſuave rubentẽ ferentes, qui ſimplici quidem ſex foliorum texturâ conſtabat, ſed terni, quaterni, quini ſimul commixti innaſcebantur, totidem breviſſimis calcaribus prædití, majore tamẽ & grandiore in extimo illo flore qui reliquos veluti comprehendebat, & amplectebatur: idem mihi accidit ut anno M.D.XCIII. & ſequente Lugduni Batavorum: quin & aliquot plantæ ſemine illius natæ cæruleos omnes flores magnâ ex parte interius plenos habuerint. Vtriuſq; autẽ generis & elatioris & vulgaris pleno flore icones huic capiti inſeruimus.

Delphinium vulgatius.

Delphinium humilius, ſive vulgatius pleno flo.

MELANTHIVM PLENO FLORE.

Nigella flore minore pleno et albo B: Pin: 146



CAP. XXIX.

DVo Melanthij genera jamdudum in hortis culta fuere: De his agere non eſt neceſſe, ſed binis alijs non vulgaribus hoc capite agendum mihi eſſe, operæpreciũ duxi, quæ paucis in hortis obvia eſſe ſolebant, temporis ſucceſſu tamen, ſatis facili negotio illis inquilina facta.

Melanthij duo genera.

PRIMVM, virgis folijſq; à ſativo, cujus ſemen odoratum, floſque è viridi candicat, nihil vel quàm minimũ differt: flores tamen, qui in ſativo ſimplices ſunt, in hoc, triplici aut quadruplici novem aut decem foliorum ſerie conſtant, exurgẽtibus in medio ſtaminulis & pẽtagono hexagonóve capite in totidẽ cornicula inflexa ſupernè diviſo, quod, intercurſãtibus internè mẽbranis, plenũ eſt ſemine rotundo, nigro, odorato, ut vulgaris.

Melanthium odorum pleno flore.

ALTERVM cauliculos, & folia valde tenuiter diſſecta habet, inſtar illius ſilveſtris quod Damaſcenum cognominatur, ampliores autem ſuperiore flores, plurimis laciniatis, & eleganti cæruleo colore præditis folijs conſtantes, qui quadruplici aut frequentiore ſerie ſunt diſpoſiti eleganti ſpectaculo, nullius tamen, quemadmodũ nec ſimplex, odoris, plura longioraq; in medio habẽtes ſtamina. Florem ambiũt, & quodammodo ſuſtinent aliquot tenuia multifidáque folia in orbem diſpoſita, magnam gratiam & venuſtatẽ illi addentia: inde ſuccedunt, imò medium flo-

Melanthium Damaſcenũ. pleno flore.

Melanthium Damaſcen. pleno flore.

Nigella flore majore pleno cæruleo B: Pin: 145.



Melanthium ſimplici flore Creticum.

rem occupant pentagona, interdum etiam hexagona & heptagona capita laxa, in totidem contorta cornicula deſinentia,& ſemen nigrum,rugoſum, inodorum continentia.

Floret utrumque genus Iunio & Iulio: ſemen maturum eſt Auguſto.

Illud ante multos annos in hortis cultum obſervabã: hoc verò demùm anno M.D.XCI. quibuſdam in hortis Frãcofortanis, unde ſemine à me miſſo amicis, illorum hortos ornare cœpit.

HIS adijciendum putavi aliud Melanthij genus Cretico ſemine natũ: cujus prima folia, Delphinij vulgò vocati folijs nõ multum abſimilia ſunt,anguſtiora tamen:caulis deinde brevis emergẽs, paulò ſupra radicis caput, in plures ramos dividitur, tenues & teretes, bipedalis vel amplioris lõgitudinis, valde infirmos,& vix ſuſtinere ſe valentes,quibus innaſcuntur rara folia, paucis inciſuris prędita: dividuntur rurſum illi rami in alios minores ramulos, qui ſinguli ſingularem ſuſtinẽt florem,in quinque folia,ut plurimum,diviſum, è viridi candicantia initio,ut Nigellæ vulgaris,deinde exalbida, poſtremò cærulei nõnihil contrahentia, mucronibus interim ſuam viriditatem retinentibus: è floris medio exit caput in quinque, ſex, ſeptem, deſinens cornua, ut in vulgari Nigellâ, & in ambitu frequentia ſtamina viridia,quorum apices cęrulei: infra ſtamina porrò, ſuper ipſis folijs expanſa recumbunt octo alia foliola bifida,pari diſtantiâ ab invicem ſejuncta,quorum petiolus cum ſuâ baſi cæruleus eſt, binę tranſverſæ venæ fuſcæ, quod inter venas mediũ eſt è viridi flaveſcit:radix etiam flaveſcit inſtar radicis nigellarum,nec vivax eſt,ſed hieme perit.

Illi non valde diſſimilis,ſi non eadẽ,invenitur in arvis poſt demeſſas ſegetes totâ Pannoniâ, Auſtriâ,reliquaque Germaniâ & Belgio.

Melanthium arvenſe.

Fumaria minor tenuifolia B: Pin: 143

Capnos tenuifolia.



CAPNOS, FVMVS TERRÆ. CAP. XXX.

Capni genera.

DVo, pręter vulgarem,alteram Belgicam albo flore,viticulis ſeu capreolis ſepibus vicinis ſe implicantem,& tertiam *Splu* Italis dictã, alia Fumi terræ genera obſervare memini. Quorum primum quidem, inter Stirpes à me per Hiſpaniam obſervatas deſcriptum fuit: Alterum, Cretico ſemine mihi poſtea natum. Vtriuſque verò hiſtoriam hoc capite trademus.

Capnos tenuifolia.

DODRANTALIS herbula eſt,Primum illud genus à me inter Hiſpanicas ſtirpes deſcriptũ, cauliculis mollibus & quodammodo tranſparentibus, ut in vulgari Fumariâ, firmioribus tamen & ſurrectis, non procumbẽtibus: quibus inhærent folia mollicella,capillacea, & tenuiſſimè inciſa, vulgaris folijs candidiora:ſummos cauliculos exornant majuſculæ purpuraſcẽtium floſculorũ vulgaris floribus minorum & cõfertim naſcentiũ ſpicæ: radicem habet exilẽ. Tota verò planta amara eſt.

Natales.

Invenitur pleriſque Hiſpaniæ regionibus in arvorum marginibus & juxta vias ac ſemitas: non-

tas: nonnullis etiam Narbonenſis Galliæ locis obſervare memini, præſertim ſupra Arelatem, dum Maſſiliâ, per eam urbem, anno M.D.LII. Mompelium redirem.

HANC quidem in Hiſpaniâ Sideritin tertiam facere volebant, neſcio quibus indicijs ducti: vulgo à nonnullis *Palomilla*, & *Palomina* dicitur, nomine cum Fumariâ vulgari cõmuni. Palomilla. Palomina.

MAIVS eſt illud genus quod ſemine Creta allato natum, nec minus ſucculentos habet cauliculos vulgari, anguloſos, teneros, procumbentes: folia minutim inciſa & capillacea, ut Hiſpanica, ſed duriora: flores confertim in oblongiuſculâ ſpicâ naſcuntur extremis ramis, vulgaris floribus candidiores, deorſum ſpectantes, extremam vireſcentem partem occupante fuſcâ maculâ: illis ſuccedit ſemen quale in vulgari, quod maturum facilè decidit: radix tenuis, flaveſcens. Annua eſt ut vulgaris, & Iunio Iulióque floret, atque ſubinde ſemen profert, quod ſponte cadens, novellas plantas producit in ſequentem annum. *Capnos Cretica.*

SCROFVLARIA. CAP. XXXI.

Scrophularia foliis filicis modo laciniatis, vel Ruta canina

Scrophularia Ruta Canina. dicta vulgaris B: Pin: 237



Scrofularia Cretica I. Latifolia B: Pin: 237



PRÆTER duo genera omnibus ſatis nota Plantæ illius quæ vulgo Scrofularia appellatur: cujus Unum tuberculis quibuſdam radicem habet obſitam: Alterum nullis grumis ad radicem adnatis præditum eſt. Bina alia obſervabam ſemine nata, quorum hiſtoria hoc capite tradetur. *Scrofularia, ſive Ruta Canina.*

PRIMO autem generi prodeunt initio folia humi expanſa, Scabioſæ primis folijs non valde diſſimilia: deinde ſeſquicubitalis aſſurgit caulis, quadrangulus, cavus, viridis, angulis purpuraſcentibus, interdum etiam totâ eâ parte quæ à Sole illuſtrata eſt, purpureus: cujus infimam partem ambiũt longè ampliora folia in multas lacinias diviſa, ex adverſo naſcentia, deinde reliquum caulem alia, quæ alata ſunt & Filicis aut Alectorolophi foliorũ inſtar ferè, multis lacinijs prædita, quæ rurſus in alias longè minores & in ambitu ſerratas ſecantur: à medio caule ad ſummum ex alarum ſinu naſcuntur rami etiam quadranguli, minoribus folijs præditi, & illi ſimiliter in alios ramulos diviſi, ſuſtinentes floſculos inſtar utriculorum, cavos, Scrofulariæ vulgaris floribus non abſimiles, ex flavo vireſcẽtes, ſex folijs conſtantes; quorum bina infima valde ſunt exigua, & infernè aliquantulum reflexa, quæ in lateribus ſunt paulò quidem altiùs attolluntur & ſupremâ parte aliquãtulum purpuraſcunt, ſed bina ſuperna majora ſunt reliquis & quodammodo reflexa, purpureíque ex atro coloris, paucis & brevibus flavis ſtaminibus ex umbilico prodeuntibus: radix pollicaris penè craſſitudinis eſt, in multas craſſas fibras diviſa, albicantis coloris: an ſit verò perennis, nihil *Scrofularia Cretica 1.*

 affirmare

affirmare poſſum, quandoquidem ſub meum Francofurto diſceſſum, primùm obſervabam
Scrofularia I genus alterum. in Ioannis Mulleri horto, natam ſemine Cretâ accepto, Rutæ ſilveſtris appellatione.

HVIC non valde diſſimilem, cùm Lugdunum Batavorum perveniſſem, ad me adferebat eruditus vir Theodoricus Clutius Delphenſis tum pharmacopola, quam ſubſequens hiems abſtulit.

Scrofularia Cretica II. SED & aliud Scrofulariæ genus Cretico ſemine natum ſequente anno conſpiciebam, aliquot ſtolones à radice proferens cubitales & ampliores, quadrangulares, ex atro purpuraſcentes, quibus folia inæquali & inordinato ſitu innaſcebantur longiuſculo pediculo appenſa, urticæ folijs non diſſimilia, ſed lævia, non mordacia, ſatíſque mollia, supernè ſaturâ viriditate nitentia, infernè nequaquam, ex quorum alis breves emergebant ramuli, quadranguli, in ſimiles alios ſed longè minores diviſi, ſuſtinentes parvos calices in quinque lacinias ſectos, & in his floſculos coloris ex atro purpurei, quatuor lacinijs conſtantes, ſupernâ bifida & ſurſum reflexâ, infernâ ut labellum propendente, duabus alijs latera claudentibus: ijs ſuccedebant vaſcula ſive globuli duobus ſulcis tanquam diviſi, extima parte aliquantulum mucronati, in quibus ſemen vulgari ſimile. Tota planta vulgarem illam refert, cujus radix nullis grumis prædita eſt: ſed odorem magis fœtidum ſpirare videtur.

ALECTOROLOPHOS ALPINA. CAP. XXXII.

Alectorolophi plura genera. HANC plantam Scrofulariæ voluimus ſubjungere, propter foliorum quandam cum illius primâ ſpecie ſimilitudinem. Ejus autem plura genera in Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis montaníſque pratis inveniuntur.

Alectorolophos alpina.

Pedicularis alpina filicis folio minor. C.B.: Pin: 163

Alectorolophos alpina I.



VNVM enim plures ab unâ radice promit cubitales caules, minimi ferè digiti interdum craſſitudine læves, per quos ſparſæ foliorum, Filipendulæ vulgaris folijs non valde diſſimiles alæ: flores innaſcũtur ſummis caulibus copioſi, oblongæ ſpicæ inſtar, quemadmodum in Orchidibus confertim naſcentes, & illarum floribus perſimiles, è caliculis pentagonis inter minutiora folia prodeuntes, exalbido colore: ijs ſuccedunt mucronata capitula, maturitate dehiſcentia, ſeménque oſtendẽtia exiguum, inæquale, cineracei coloris: radix craſſiuſcula eſt, perennis, ut ex præcedentis anni reſtantibus caulibus ſiccis tamen, conjecturam faciebam, in craſſas fibras Aſphodeli nis bulbis pænè ſimiles diviſa.

Alectorolophos II. INVENITVR & aliud genus per omnia illi ferè ſimile, ſed longè mollius, cujus flores modò pallidi, modò purpurei ſunt: radix etiam craſſa, & fibras Aſparagi radicibus ſimiles agens.

Vtrumque genus in ſummis Alpibus Durrenſtain, Etſcher, alijſque celſis & herboſis jugis naſcitur: poſterius etiam in inferioribus, uliginoſiſq; pratis. Memini & in Flandriæ pratis humidioribus, atque etiam pratis Gentilly pago vicinis, non procul Lutetiâ Pariſiorum obſervare.

Alectorolophos III. TERTIVM in ijſdem etiam jugis quibus Primum, creſcit: ſed lõgè humilius, ut quod palmarem altitudinem non ſuperet: illius cauliculi graciles, & raris minoribúſque folijs obſiti ſunt: florum ſpica brevior, & eleganti rubro purpuraſcente colore nitens: caliculi flores continentes, laciniati, & veluti è foliolis contexti: quæ floribus ſuccedunt capitula, majora quàm in ſuperioribus, & veluti roſtrata, anguloſum & inæquale ſemen etiam continentia: radix minimi digiti craſſitudinem interdum æquat, fibriſque candicantibus & ſatis craſſis donata eſt.

Alectorolophi III. genus alterũ. Ad illius genus referri poteſt tenerior alia planta cauliculis anguloſis, & lanugine, non ſecus quàm folia (quæ minora ſunt) caliculíque (qui breviores & minores) pubeſcentibus: flores

Alectorolophi III. genus alterum.

Pedicularis pratensis purpurea B: Pin: 163.



Filipendula vulgaris. an Molon Plinii B: Pin: 163



flores ſimili purpurâ ferè nitent, ſed minores & humiliore galea prædịti ſunt: capitula vix è caliculis emergunt: & radix non adeò fibroſa eſt.

Eam in gramineis locis, ſiccioribusque pratis ſuperioris & inferioris Germaniæ, ſæpius obſervare memini Maio florentem, cùm Iulio in Alpibus floreat: Sed & anno M.D.LXXXI. Aprili florentem, atque vel purpureo, vel blandè rubente, vel albo flore variantem colligebam, ad Groutz prædium C.V. Richardi Garth, ſupra Londinum. *Natales.* *Varietas.*

VVLGO hæc à nonnullis Fiſtularia, à caulis, ut opinor, cavitate vocatur: quidam etiam Pedicularem appellant, præſertim aliquot Germaniæ locis, in quibus vulgato nomine braun Lauſzkraut dicitur, quòd credatur, oves quæ paſcuntur ubi abundè provenit, pediculari morbo corripi: dicitur etiam illis Rodel vnd braun Rodel. Priorem deſcribere videntur Pena & Lobelius, in Adverſarijs Filipendulæ alterius montanæ nomine. Forſitan & illa erit, cujus Ioſias Simlerus ad calcem Commentarij de Alpibus meminit his verbis: *Nomina.* *Filipendulæ altera.*

Herba folijs Aſpleno perſimilis, cauliculis ab una radice quinque vel ſex, duos ferè palmos longis, & ſpicam florum ſuſtinentibus, ut orchis ferè.

Haud dubiè Alectorolophi genus ea eſt planta (licet folia ejus diſſimilia) quæ in omnibus fermè ſiccioribus pratis nimis luxuriat, totáque æſtate flores producit pallidos, cui Criſtæ gallinaceæ etiam nomen indiderunt Recentiores, inferiores Germani Hanckammekens. Sunt qui Mimulum Plinij eſſe cenſeant. *Criſta gallinacea.* *Mimulus Plinij.*

FILIPENDVLA porrò vulgaris frequentiſſima eſt cùm in multis Provincijs, tum in Vngariæ & Auſtriæ, vicinarúmque regionum gramineis præſertim campis, & cæduarum ſilvarum marginibus. *Filipendula vulg.*

Inveniuntur etiam ijſdem Provincijs, varia Oenantes genera, ſiccioribus gramineis locis, atque udis pratis naſcentia. *Oenanthes genera.*

FILIX PVMILA SAXATILIS. CAP. XXXIII.

FOLIORVM quædam ſimilitudo & diviſura facit, ut elegans hoc Filicis genus, Alectorolopho Alpino præcedente cap. deſcripto, ſubjungam: id autem in marem & feminam diſtinguemus, Theophraſti ſententiam lib. IX. cap. XX. Hiſt. Plant. ſequentes.

MAS

Filix saxatilis ramosa nigris maculis punctata C.B: Pin: 358.

Filix saxatilis non ramosa nigris maculis punctata C.B: Pin: 358.

Filix pumila ſaxatilis I.



Filix pumila ſaxatilis II.



Lonchitis folio ceterach C.B: Pin: 359.

Lonchitis altera Maranthæ.



Filix pumila mas.

MAS igitur radice ſerpit nigrâ, tenui, longâ, in obliquum ſeſe ſpargente, raris fibris tenuibus & duris capillatâ, valde adſtringentis ſaporis: ex quâ prodeunt multi pedales cauliculi, diviſi in quoſdam alatorum foliorum ramos, ſive frondes, Filicis maris majoris (Feminæ vulgo Herbariorum creditæ) inſtar, multò tamen minorum, tenuiúſque inciſorum, & valde tenellorum, pronâ parte multis, ut plurimum, nigris maculis, quemadmodum, Filicis feminæ folia, diſtinctorum.

Filix pumila fem.

FEMINA quinos aut ſenos habet cauliculos teretes, rectos, initio virides, deinde temporis ſucceſſu omnino nigricantes, palmares, à medio unicam foliorum inſectorum alam, unico ad faſtigium uſque, artu porrectam ſuſtinentes, eadem qua in mare vulgari formâ & facie, multo verò minorum tenuiorúmque, ſapore nonnihil adſtringente, pronâ etiam parte multis nigris maculis (quæ vetuſtate effloreſcere videntur) aſperſorum: radix veluti in caput coacta, ſicut in mare vulgari, & multis nigris duríſque fibris capillata eſt.

Natales.

Prior copioſiſſimè naſcitur in ſaxis, nō modò ad Gamingam & Neuberg: ſed ad omnium ferè montium radices Auſtrię & Stiriæ. Altera verò in præruptis montibus, inter ipſa ſaxa invenitur, verùm non adeò frequens.

Lonchitis altera Marantha.

FILICVLÆ porrò elegans illud genus quod à C. V. Bartholomæo Marantha, Lonchitis al-

Lonchitis minor B: Pin: 359 Lingua cervina officinarum B: Pin: 353

Lonchitis altera Neotericorum.



Phyllitis vulgaris.



Phyllitis laciniato folio. Lingua cervina multifido folio B: Pin: 353.



chitis altera nũcupatur, abundè admodum naſcitur in Stiriacarũ Alpium jugis. Sed quæ vulgo Lonchitis alterius nomen obtinuit, valde rara in illis jugis invenitur, licet per univerſam Germaniam ſit frequentiſſima. *Lonchitis altera Neotericorum.*

PHYLLITIS. CAP. XXXIIII.

NVLLA Provincia mihi eſt peragrata, præſertim quæ mõtoſa ſit, in quâ Phyllitidem, vulgo Lingua cervina nuncupatam, non obſervarim, vel umbroſis locis naſcentem, vel in ipſis puteis, inter lapidum ſive laterum commiſſuras: cujus mentionem non feciſſem, neque ejus iconem propoſuiſſem, niſi de altero eleganti ejus genere mihi faciendus fuiſſet ſermo. *Phyllitis vulgaris.*

SOLA autem foliorum formâ, à vulgari Phyllitide differt illa nõ vulgaris, alioqui reliquis notis ei perſimilis: prodeunt verò ipſi ex radice multis nigris fibris & veluti capillamentis prædita, ſena aut ſeptena folia palmaris longitudinis, ejuſdem cum vulgaris folijs lævoris & viriditatis internâ parte: at externâ, nullis aut rariſſimis tranſverſis lineis inſignita, extimâ verò parte multipliciter diſſecta. *Phyllitis laciniato fol.*

Hanc in Cantabris, ſupra montem D. Adriano nuncupatum, quâ per ejus ſpecum, & fornicem tranſitus eſt in Hiſpaniam, locis umbroſis in ipſis rupibus obſervabam, raram tamen inter pleraſque alias vulgares: atque ipſius folia, alia alijs per extremum vel pluribus lacinijs vel paucioribus erant diviſa. *ejus Natales.*

Memini & olim plantam unam è Gebennis montibus erutam, Mompelij in C. V. Gulielmi Rondeletij Medici celeberrimi hortum, huic pænè ſimilem, tranſtuliſſe. *Sed & alijs locis obſervata.*

Sed &

Sed & quę ad nos miſſa fuit ex Angliâ, à Doctiſſimo Lobelio Hemionitidis nomine, poſteaquam biennio, ob teneritatem, in fictili adſervata fuiſſet, tandem in Phyllitidem folijs laciniatis evaſit: verùm non adeo multipliciter diſſectam ut hæc eſt, cujus nos picturam damus, ſed tribus duntaxat aut quatuor lacinijs folia in extremo diviſa ferentem: quam quidem metamorphoſin, ſatis mirari non potui. Etenim plantulæ quas ad nos mittebat, totæ tenellæ & mollicellæ erant, & plurimum ad Hemionitidis figuram accedebant.

Anno autem LXXI. ſupra Milleſimum & quingenteſimum, cùm Briſtolij eſſem, duxit me ad ſpecum illam Divi Vincentij, unde eruerat, idem Lobelius, è quâ aliquot plantulas meis manibus evellebam, illis quas miſerat, ſimiles, hoc eſt totas tenellas & molles: quibus pares aliquot deinde conſpiciebam ex Angliâ in Galliam rediens, puteo quodam non procul Bononiâ, dum mihi expectandus eſt equus veredarius, qui ad proximam equorum mutandorum ſtationem me veheret: deinde etiam Machliniæ in Brabantiâ, puteo illius diverſorij, cui ſymbolum Galea aurea, frumentario foro, ut teſtis mihi tum fuit Illuſtris vir Ioannes de Brancion, cui eas demonſtrabam.

Facultates. VERVM Phyllitidis folia in vino pota, ſerpentium morſibus auxiliantur, teſte Dioſcoride; quadrupedibus verò per os infuſa, auxilio ſunt, & in dyſenteriâ aut reſolutâ alvo utiliter potui dantur.

HEMIONITIS PEREGRINA. CAP. XXXV.

Hemionitis vera. *Hemionitis vulgaris C.B.Pin: 353*



Hemionitis peregrina. *Hemionitis minus vulgaris C.B.Pin: 353*



MERITO conjungendam ſuperiori plantæ æſtimavi hanc elegantem Hemionitiden quam Romæ ex veteris cujuſdam Theatri ruinis erutam doctiſſimus idémque ſummo animi candore præditus Medicus Ioannes Henricus Gandavenſis, mihi amiciſſimus, ex Italiâ redux anno M. D. LXVI. dono dabat, quam diu cum Phyllitide laciniato folio, & pleriſq; alijs ſtirpibus, quas in meis peregrinationibus collegeram, ante annum M. D. LXXIII. quo Viennam ad Cæſarem Maximilianum hujus nominis II. vocatus ſum, repoſitam habui: ſed Belgium relinquens iſtic deſerui.

Hemionitis peregrina. HVIVS folia quaternorum digitorum tranſverſorum, vel circiter trium unciarum longitudinem non excedebant, ferrei venabuli mucronis formam explicantia, inferiore baſe, quâ ſuo petiolo ſuſtinebantur, duplicem apophyſin habentia, & extimâ parte mucronata: parte internâ lævia, & dilutâ viriditate prædita, externâ verò lineis ſeu verſibus obliquis ex utraque nervi parte inſignita, quemadmodum Phyllitidis folia, guſtu acerbo & exſiccante perinde atque Phyllitis: radices illi nigræ, fibroſæ, quales in legitimâ Hemionitide conſpiciebam Româ uſque miſsâ Ill^ri Ioanni de Brancion à Clariſſimo eodémque doctiſſimo viro Hippolito Salviano Romano Medico, quámque in fictili adhuc alebat, cùm Belgicâ diſcederem.

ἡμιονῖτις σπλήνιον. GRÆCIS porrò ἡμιονῖτις ἢ σπλήνιον dicitur, Latinis, eorum nomenclaturam ſequentibus, Hemionitis & Splenium: Officinis ignota.

Facultates. Hemionitis autem ex aceto pota, lienem abſumere creditur.


TYPHA

Typha paluſtris clava gracili B. Pin: 20. Panicum italicum, ſive panicula majore B. Pin: 27.

Typha paluſtris media.



Panicum vulgare.



Panicum Americanum. Panicum indicum ſpica obtuſa caerulea B. Pin: 27.



TYPHA MEDIA. CAP. XXXVI.

PECVLIARE quoddam genus Typhę veluti medium obſervabam anno M. D. LXXXI. copioſè naſcens paluſtri quadam foſsâ apud Tyburn ſacellum, nō procul ab eo loco, in quo ſepeliuntur, quibus ob maleficia laqueo gula fracta eſt, primo ab urbe Londinenſi miliari, quâ ſpectat Occidentem.

ERAT verò Typha illa folijs multò anguſtioribus quàm Typhæ vulgaris folia, & graciliore clavâ, majore tamen quàm minima illa à D. Pennæo inter ſiccas ſtirpes quas inter chartaceas paginas adſervabat, mihi oſtenſa, & à Penâ Lobelióq; in doctiſſimis Adverſarijs expreſsâ. Alioqui à majore non differt pullo illo tomento in clavam compacto, & florum oblongâ ſpicâ, tenui flavo polline reſpersâ, ſupra clavam enaſcente. Florebat Iunio.


PANICVM. CAP. XXXVII.

MAGNI per univerſam Germaniam, Vngariam, & Bohemiam Panici uſus eſt: etenim in alimentum cedit, & pultes ex ejus ſemine deglumato fiunt non ingrati ſaporis. De illo (tametſi iconem inferam) nihil commemoro, quia jam à multis inter fruges eſt deſcriptum: ſed de alio genere ex Peruána Provinciâ ante trigeſimum annum in Europam primùm illato. *Panicum vulgare.*

HABET autem id culmos longè craſſiores, firmiores, altiores vulgari Panico, & planè harundinaceos, ut quos humanam altitudinem attingere, interdū etiam ſuperare plerumque viderim, crebris geniculis & veluti articulis præditos & lanugine obſitos: folia harundinacea *Panicum Americanū.*

dinacea è ſingulis articulis prodeunt, longa, lata, dura, Melicæ folijs non valde diſſimilia: inter quę prodeunt è geniculis alij veluti breviores culmi, ſimilibus folijs obſiti, deſinentes in ſpicam digitalis longitudinis, nonnunquam breviorem, & duntaxat pollicarem, densè compactam, & æqualis propemodum ubique craſſitudinis: ſemina oblongiuſculis gracilibuſq; petiolis innixa proferentem & capillaceis veluti glumis incluſa, quæ extimâ parte è glumis prominente, craſſiora, magis rotunda, & quaſi orbiculata ſunt, lævia, ſubcœrulei coloris, qui in calidioribus regionibus magis ſatur eſt, rarò tamen vel in Germaniâ, vel in Belgicâ (in illis enim Provincijs ſæpe terræ mandavi ejus ſemina ex Hiſpanijs accepta) ad plenam maturitatem perveniunt: radices ejus fibroſæ ſunt, validiores & majores, quàm in vulgari Panico.

Panici Americ. ſeſquipedalis ſpica.



Lachryma Iob.



Panici Americani ſpica grandis.

Iſtius porrò generis ſpicam craſſam, valde firmam & benè compactam, non ubique tamen æqualem, ſed paulatim & ſenſim extimâ parte gracileſcētem, ſeſquipede longiorem, nec tamen integram ad me mittebat Londino Iacobus Garetus anno M. D.XCII. à Nauclero quodam Anglo ex ſua navigatione reduce emptam, cujus ſemina, nō multò majora mihi viſa, quàm illius Panici Americani, cujus modò memini, ceteroqui prorſus ſimilia: niſi, plura ſimul juncta & hiſpidâ glumâ incluſa brevi pediculo inniterentur: illius ſtirpem naſcentem videre non licuit, nam ſerere neglexi, quia vetuſtate nimis reſiccatum exiſtimabam, ſpicam tamen in ligneâ tabellâ Francofurti exprimendam curabam à perito artifice, ut hoc loco inſererem, digna enim mihi videbatur, cujus aſpectu alij etiam fruerentur. Proximè autem ſequente anno ſcribebat ad me N. V. Carolus de Taſſis Veredariorum Antuerpiæ Prefectus, ipſi natas iſtic plantas ſemine quod ab eodem Gareto acceperat, non valde diſſimiles illis, quæ jam à multis in Belgicis hortis ſunt conſpectæ: nec diſſimiles etiam ſpicas ſive paniculas protuliſſe.

Lachryma Iob.

SED & hîc, ac commodiore quidem loco, niſi me judicium fallit, quàm cùm ſtirpes per Hiſpanias obſervatas deſcriberem, Lachrymæ Iobi vulgo vocatæ iconem ſubijcere libuit: tunc enim, licet peculiarem ejus hiſtoriam dare decreuiſſem, quia multis Hiſpaniæ locis mihi planta obſervata, & jam multis etiam ante annis, nempe M. D. L. & duobus ſequentibus Mompelij lecta. Sed cùm illas obſervationes evulgarē, Lobelius & alij quidam ipſam plantam exactiſſimè deſcripſiſſent, ſupervacaneum videbatur ejus hiſtoriā repetere. Quoniam tamen ipſius iconem iam delineatam & ſculptam habebam cum alijs quarum in eo libro memini, ante quàm doctiſſimæ Lobelij lucubrationes, aut ullius alterius qui mentionem fe-

nem feciſſet, in lucem prodirent, locum dabamus tunc ipſius iconi (quia in eâ opellâ non poteram commodius) inter Graminis genera. Nunc verò cùm aliquot harundinacearum ſtirpium hiſtoriam, quâ potuimus diligentiâ, conſcripſerimus, hoc noſtro Obſervationum ſexto libro, ejus iconem capite de Panico revocare voluimus.

Vt autem vulgò ab Herbarijs Lachryma Iobi vocatur hæc planta, quia ejus ſemina lachrymarum ex oculis procedentium formam quodammodo æmulantur; ita Hiſpani *Lagrimas de Moyſen*, Narbonenſes Galli *Larmes de noſtre Dame* appellant. Lagrimas de Moyſen, Larmes de N. Dame.


GRAMEN. CAP. XXXVIII.

VARIA Graminis genera nunc ſunt cognita, & ſubinde alia ab alijs proponuntur & deſcribuntur. Nemo tamen illius Graminis iconem exhibuit, quod in magnâ Europæ parte, præſertim per Hiſpanias & Gallias, ante quàm Stirpium in Hiſpanijs obſervatarum hiſtoriam evulgarem. Quoniam verò ob illius tum elegantiam, tum uſum, cognitu dignum erat, illius deſcriptionem & iconem tum dabamus: nunc etiam eaſdem ob cauſas hîc repetimus.

Gramen dactylon folio arundinaceo Gramen legitimum B: Pin: 7.



Gramen dactylon folio latiore B: Pin: 8. Iſchæmon Plinij.



PEDALIBVS autem aſſurgit id Gramen culmis, rotundis, purpuraſcentibus, geniculatis: è quibus anguſta promit folia, in acumen faſtigiata, dura: ipſi culmi, ſive calami, in quaternas aut quinas deſinunt paniculas, mixti ex atro purpureóque coloris: radicibus firmatur longis, nodoſis, geniculis interceptis, candicantibus, ſubdulcis cum quadam adſtrictione ſaporis, quæ longè latéque ſerpentes, ſubinde plurimis locis germinant, novóſque culmos & folia proferunt. *Gramen legitimum.*

Hoc gramine nihil vulgatius totâ Hiſpaniâ & Galliâ, in arvis, vinetis, atque etiam in maritimis, in quibus multo lætiùs & uberiùs creſcit: nam ejus radices, interdum digiti craſſitudinem æquantes eruere memini. *Natales.*

DICITVR Græcis ἄγρωστις, Latinis Gramen, Gallis *Chien-dent*. Sunt qui Iſchæmonen Plinio lib. XXV. cap. VIII. nuncupatum eſſe putent: quorum ſententiam probare non poſſum. Et multò quidem aptius Iſchæmonis hiſtoriæ quadrare videtur Milij genus illud ſilveſtre & ſupinum, in humidis naſcens, folijs aſperâ lanugine obſitis, quod celeberrimus Matthiolus Panicum ſilveſtre appellare videtur. Serpit, inquit Plinius, è terrâ Milio ſimilis, folijs aſperis & lanuginoſis, farcitur in nares. *ἄγρωστις. Gramen.* Chien-dent. *Iſchæmon.*

Quòd ſi ad Pliniani graminis ullum aliud genus referenda eſt hæc planta, aculeatum il-

Gramen, Dactylus Plinij. lud potius erit, cui, quòd in cacumine aculei ſunt plurimùm quini, Dactyli nomen inditum eſſe ait Lib. XXIIII. cap. ultimo, & illius aculeos convolutos naribus inſeri, extrahiq́ue ſanguinis ciendi gratiâ.

Facultates. RADIX Graminis, inquit Dioſcorides, trita & illita, vulnera conglutinat. Decoctum ejus epotum, torminibus medetur, & urinæ difficultatibus: calculoſa etiam excrementa comminuit.

Gramen amourettes.



Amourettes tremblantes.



Gramen Amourettes. PERELEGANS etiam Graminis genus inveniri dicebamus nonnullis Hiſpaniæ locis aridis & ſabuloſis, quod ſuperiori folijs & culmis non valde diſſimile eſt, ſed paniculas habere breviores, craſſiores, & numeroſiores, ejuſdem quodammodo cum ſuperiore coloris, & radicem non nodoſam & ſerpentem inſtar illius: verùm fibroſam potius & capillarem. Memini etiam id graminis genus obſervare & colligere Pariſienſi agro, non procul à trajectu Sequanæ, qui ferè eſt ex adverſo monaſterij vulgo dicti *Les bons homes*, ſecundum ſemitas frequentiſſimum, ubi à ruſticis non *Chien-dent*, ſed *Amourettes* appellatur, ob panicularum, ut opinor, elegantiam.

Amourettes tremblantes. CETERVM aliud Graminis, ſeu veriùs Poæ, genus in omnibus quas unquam luſtravi Regionibus, prata (ut ceteræ herbæ) multis locis veſtiens, cui ſimiles paniculæ ferè, breviores tamen & ab exortu latiores è ſummis culmis dependent. Id Galli & Artheſij ſeu Atrebates, mei populares *Amourettes* etiam appellant ob panicularum elegantiam, ſed vocem *tremblantes* adijciunt, ad Alterius differentiam: quia vel unico vel pluribus ejus ſcapis manu retentis, omnes ejus paniculæ perpetuo tremulæ ſunt.

GRAMEN MONTANVM SPICATVM. CAP. XXXIX.

Varia graminis genera. VARIA in Auſtriacis Stiriaciſque Alpibus, locíſque montanis naſci graminis genera ſcripſi in Pannonicarum Stirpium Obſervationibus: at duorum duntaxat hiſtoriam eodem capite dare conſtituiſſe.

Gramen montanum ſpicatum. PRIMVM autem multis capitibus ex radice digitalis craſſitudinis, bifidâ interdum & trifidâ, multíſque tenuibus fibris ſupremâ parte hirſutâ prodeuntibus conſtare, quorum ſingula proferrent ſena aut plura oblonga, craſſa & nonnihil carinata folia, Cariophyllæi illius, quem vulgo Gramen marinum majus cognominant, folijs valde ſimilia, infimâ ſede ſeſe invicem amplectentia, guſtu amariuſculo & acriuſculo: ex horum medio dodrantalem, nonnunquam & pedalem exire cauliculum, firmum, lævem, nudum & enodem, qui

ſummo

Gramen montanum ſpicatum.



Gramen mont. avenæ ſemine.



ſummo faſtigio, multos floſculos ſpicæ inſtar congeſtos, herbaceoque colore præditos proferret.

Inveniri in montanis quibuſdam pratis, duobus, ſupra Badenſes thermas, miliaribus. Similem autem in Flandriæ maritimis frequenter legere meminiſſe, quam vulgus, ni memoria labitur, Suden appellaret. *Natales.*

ELEGANS etiam mihi videbatur Alterum genus, quod ante illud tempus nondum fuerat conſpectum, cubitalibus culmis conſtans, tenuibus, geniculatis, qui palmaribus anguſtiſque folijs ſepti, ſummo faſtigio deſinunt in tenuem oblongámque & nutantem ſpicam, in lanuginoſis glumis, grana nudę Avenæ ſimilima ferentem: radix tenuis eſt, multisq; oblongis fibris prædita, ſingulis annis anterius ſerpens, uti Spartum & junci. *Gramen mõtanum Avenæ facie.*

Naſcitur ſecundum vias, in montanis umbroſiſque ſilvis Pannoniæ, Auſtriæ, & Bohemiæ: ſemen autem Iulio menſe maturum obſervabam.

SPARTVM PLINII. CAP. XI.

IAM Primo libro diximus, Spartum Græcorum fruticem eſſe, illudque à Plinio Geniſtam appellari: nunc ſumus acturi de alio Sparto, nempe Latinorum, à frutice differente, ut quod duntaxat herba eſt graminacia folia proferens: eamq; ob cauſam Graminis generibus ſubjungimus. Ejus autem varia genera obſervabam. *Spartũ Græcor. Geniſta Latinor.*

PRIMVM, quod Plinij eſt, numeroſa, tenuia, juncea, viridiáque habet folia cubitalis longitudinis ex eadem radice prodeuntia, quæ, dum novella ſunt, latiuſcula conſpiciuntur, & interiore parte caneſcentia, ſucceſſu verò temporis contrahuntur & convolvuntur, fiuntque juncea, dura, flexibilia tamen, & marginibus ita conjunctis, ut vix rima appareat, niſi diligentius obſerves. Inter hæc culmi exiliunt ipſis folijs paullò longiores, qui Vere & Æſtate parvam arundinaceam paniculam ferunt, ſimili propemodum cum illâ ratione florentem: deinde oblongum ſemen, ut nonnulla Graminis genera: radicibus nititur fibroſis & perennibus, è quibus multæ ſimul enaſcuntur plantæ contiguæ, junci modo, ut interdum una planta, ſive multarum ſimul congeſtarum plantarum cumulus, duorum pedum ſpatium vel illo etiam amplius in ambitu occupet. *Spartum herba I.*

Frequens naſcitur collibus arenoſis inter *Vaëna* & *Alcalal-Real*, atque alijs Bæticæ locis: ſed omnium abundantiſſimè ab initio Granatenſis regni, ſive Bæticæ limitibus, uſque ad Murgim urbem, vulgò Murçia dictam, ut non ſine cauſa totus ille tractus veteribus appel- *Natales.*

Gramen Spartium primum panicula comosa C.B: Pin: 5

Gram: spart: 2. Panicula brevi folliculo inclusa C.B: Pin: 5.

Spartum herba, Plinij.



Sparta herba alterum.



Spartarius campus. *Carthago Spartaria.* latus ſit Spartarius campus, quo etiam nova Carthago, vulgo *Cartagena*, urbs maritima continetur: hæc etiam à nonnullis Spartaria cognominata eſt, ob ſparti (ut credibile eſt) eo agro naſcentis abundantiam. Naſcitur & Valentino regno, atque illud quidem ſuperiore longè uberius & lætius.

Spartum Plinij. ES T verò Spartum hoc, quod Hiſpanis, apud quos naſcitur, etiam nunc *Sparto* dicitur, illud ipſum quod Plinius lib. XIX. cap. II. deſcribit. Eodem enim in uſu nũc eſt apud Hiſpanos, quo fuit Plinij tempore. Nam ex crudo & exſiccato tapetes ſeu aulæa, ſtorias, corbes, rudentes alióſque funes conficiunt: corbes etiam illi in quibus ficus & uvæ paſſę advehuntur, ex ſparto contexti ſunt. Sed ex illo aquâ, inſtar lini, macerato, deinde ſiccato & tuſo, calceamenti genus, quod ipſi *alpergates* appellant, paratur, funes etiam & alia ſubtiliora opera. Præfertur autem id quod Valentino regno creſcit. *Alpergates, calcei Hiſpanici genus.*

Spartũ herba II. ALIVD Sparti genus naſcitur Murciano regno, humidioribus præſertim locis, ſuperiore tenerius, cujus valde rarus eſt uſus, ut quod ſtorijs aut hujuſmodi operibus conficiẽdis, minimè ſit idoneum: plurimus autem ejus uſus in eâ regione, ad lineos ſaccos, quos lectis ſubſternant, implendos, ut nos ſtramine uti ſolemus, quoniam molliore tenuioreq; ſit junco, quàm primum: paniculam fert brevem, & pericarpio quodam, ſive membranaceo folliculo incluſam, uti Narciſſorum & ſimilium ferè flores.

Natales. Naſcitur eodem, quo ſuperius illud ad multa utile, modo: paullò tamen maturiùs flores producit: nam Martio ſuis floribus onuſtum legebam.

Albardin. INCOLÆ *Albardin* vocant, neſcio qua moti ratione, niſi quòd fortè illò ſuas clitellas è craſſiore panno cannabino confectas, quas ipſi *alabardas* appellant, jumentis imponendas, iſto ſparto impleant.

SED tranſeamus nunc ad Oceanum, cui vicinæ aliquot Provinciæ non carẽt ſuo ſparto, licet non adeò utili ad ea præſtanda, ad quæ ſuperiora duo dixi eſſe idonea, non eſt tamen ejus uſus prorſus inutilis, ut ſuo loco dicemus.

Spartũ herba III. Halm. SPARTVM igitur Tertium, ſive Oceanicum Primum, quia nõnullis Galliæ, Flandriæque locis & aggeribus illis ſabuloſis, Oceano objectis, invenitur, *Halm* ab incolis, præſertim Flandris vocatum: quod Priori Hiſpanico non valde diſſimile eſt, ſed multò majus & rigidius, cruribus eorum, quibus per eos aggeres ſine ocreis iter eſt, permoleſtum: pungunt enim & cutim penetrant ejus folia.


Vſus. Creſcit eodem modo quo ſuperiora, magis tamen latè ſerpit graminis modo: ſpicam autem fert Secalis pænè inſtar: ejus uſus, ut latis ſuis ceſpitibus & valde contortis atque obliquè ſpargentibus ſeſe radicibus, arenam firmiorem reddat & collîget in aggeribus, ne tam

facilè

Gram: sp: spicatum foliis mucronatis longioribus, vel spica secalina B: Pin: 5.

Gram: spart: spicatum latifolium B: Pin: 5.

Spartum herba III. maritim.



Spartum herba IIII. Batavicum.



Spartum Auſtriacum pennatum. Gramen sparteum pennatum B: Pin: 5.



facilè marinis undis & fluctibus eluatur, & facilius reſiſtant tempeſtatibus, qui in Oceano crebræ.

QVARTVM autem ordine, ſive Oceanicum Alterum, à Tertio minimè differt totâ plantæ formâ, radiceſque ſub arenâ condendi, lateq; ſpargendi licentiâ: ejus tamen ſpicæ breviores videntur & Phalaridis potiùs quàm Secales paniculas imitari. Id Batavis, quibus valde familiare, iiſdémque uſibus ſervit quibus Oceanicum Primum, etiam *Halm* dicitur. *Spartum herba* IIII. Halm.

IAM ſupereſt nobis deſcribendum Quintum ſpartum, non in locis aurâ marinâ afflatis natum, ſed procul à mari, procul ab arenoſis illis aggeribus, ſponte etiam creſcens. Habet verò id folia pedalis lõgitudinis, gracilia, viridia, numeroſa, plana initiò, ſed quorum limbi tandem coëunt, junci modo lævia teretiáq; fiunt, Sparti Hiſpanici foliorum inſtar, quibus non multũ abſimilia ſunt, ſed minora & graciliora: inter ea culmi exeunt graciles, foliorum faſtigium non ſuperantes, qui ſpicam ferũt alijs diſſimilem, ſed tribus aut quatuor oblongiuſculis granis, longa contortáq; cauda inſignitis, duntaxat conſtantem, quæ in dodrantalem, imò pedalem interdum veluti penulam, tenuioribus alarum avis illius Mamucodiatæ ſive paradiſi vulgo nuncupatæ, pennulis fermè reſpondẽtem deſinit: radix ſubeſt è multis capillamentis gramineiſq; fibris compoſita, Hiſpanici ſparti radicis inſtar. *Spartum herba* V.

 Abundè

Natales. Abundè hoc genus provenit in monte Badenſibus thermis imminenti, totáque illa catenâ montium qui inde ad Danubium uſque procurrunt, præterea ad ſilvulam Lachn, aliíſque apertis & gramineis locis Auſtriæ & Vngariæ: ſed omnium uberrimè in Vivario illo Neapoli Auſtriacæ urbi contiguo, in quo uberius lætiúſque provenit. Semen maturum Iunio, vel à læviſſimo auræ flatu excutitur, atque cum ſua pennula paululum volans, ubi decidit, ſtatim per gramen irrepit, & terrâ ſe condit.

LEGVMINA.

DESCRIPTIS *harundinaceis & gramineis aliquot ſtirpibus, nobis ad Legumina congeneréſque illis plantas procedendum.*

PHASEOLI. CAP. XLI.

PHASEOLI vulgo appellati, multa inveniuntur genera, lentis & obſequentibus ſarmentis, foliorúmve formâ & reliquo naſcendi modo, non equidem inter ſe diſcrepantia, ſed quorum flores, licet formâ ſimiles, & Piſi vulgaris florũ æmuli, colore variant, quippe qui plerumque nivei, interdum palleſcentes, nonnunquam etiam purpuraſcentes, ſive amethyſtini conſpiciũtur. Ceterùm in fructu, ſive ſemine, renum formam quodammodo exprimente, & oblongis ſiliquis, ſive lobis incluſo, longè major coloris varietas deprehẽditur. *Phaſeoli vulgaris varietas.* Nam anno M.D.LXXXII. naſcebantur mihi aut prorſus nivei, aut nigri, aut flavi, aut ex flavo obſoleti, aut purpurei, aut amethyſtini, aut cærulei, aut rubri, aut lateritij ferè coloris, vel albi nigris venis & lituris diſtincti, atque etiam cineracei, & carnei coloris, ſimilibus venis inſignes.

Attamen præter jam enumerata genera, aliquot alia, dum Viennæ vixi, obſervabam, ſemine ab amicis communicato mihi nata, nec ante quàm Pannonicas obſervationes ſcriberem mihi conſpecta.

Phaſeolus peregrinus I.



Phaſeolus peregrinus I. CAVLIS in Priore, ſtatim à radice in aliquot oblonga ſarmenta dividitur, lenta, vicinos ſtipites & virgulta reliquorum Phaſeolorum modo amplectẽtia: in ſingulis alis terna folia vulgaris Phaſeoli folijs ſimilia, atriora tamen, ex eodem pediculo naſcentia, extremo (ut in vulgaribus) impari: ex ijſdem alis breves ramuli prodeunt, multis floribus vulgari haud abſimilibus, minoribus tamen, albis, uvæ in modum congeſtis onuſti: quibus ſuccedunt oblongæ ſiliquæ, ſeu lobi, vulgaribus multò latiores, continentes ternos aut quaternos fructus, planos, communibus Phaſiolis latiores, albos, ſed multis nigris maculis ſive venis, ab hilo in latitudinem ductis elegantiſſimè depictos.

VALDE ſerotina fuit hæc planta anno M.D.LXXVI. ſemine à C. V. Georgio Purkirchero Poſonienſi in Vngaria Medico primario, mihi pro noſtrâ amicitiâ communicato nata: quâ de causâ ad frugem pervenire non potuit. At ipſi Purkirchero, dũ vixit, & poſtea ejus vxori (nam ad pergulas, aprico loco ſata) ſingulis annis maturum fructum dedit. Mihi deinde anno M.D.LXXXII. & aliquot ſequentibus egregiè provenerunt aliquot ejus ſtirpes, quarum nonnullæ lobos dederunt qui matura ſemina protulerunt: interdum etiam quos ad maturitatem pervenire poſſe exiſtimabam, ob Solis radiorum defectum, ſpem meam fruſtrati ſunt.

Phaſeolus peregrin. II. TOTA formâ & naſcendi modo à vulgari haud differt Alterum genus: valde ramoſa enim habet ſarmenta, quæ vicinis perticis ſeſe advolvunt, eáſque ſcandunt, oblongos pediculos ex foliorum (quæ ſemper terna, ut in vulgari, ſimul naſcuntur) ſinu promentia, in quibus


Phaſeolus peregrinus Hortenſi affinis, ſemine lato albo, maculis nigris variis B. Pin. 390.

Phaſeolus peregrinus Hortenſi affinis, fructu tumido, flore minore niveo B. Pin. 390.

Phaſeoli peregrini I. genus alterum.



Phaſeolus peregrinus II.



Phaſeolus peregrinus anagyridis fructui ſimilis, ſemine rubeſcente. B. Pin. 390.

Phaſeolus peregrinus III.



quibus bini, quaterni, interdum etiam ſeni naſcuntur flores, ex adverſo ſemper ſiti, vulgaris Phaſeoli floribus magnitudine & formâ reſpondentes, initio, dum recens aperti ſunt, candidi, poſtea verò palleſcentes: quos excipiunt oblongæ, & propendentes, ut in vulgari, ſiliquæ ſeu lobi, quina, ſeptena, & plura interdum cãdidiſſima & quaſi ex ebore tornata ſemina cõtinentes, minora & tumidiora quàm albi vulgaris.

Iulio floret, fructus Auguſto. nonnũquam Septembri demùm maturus eſt.

Habet & Tertium genus oblonga ſarmenta, ex ſingulari caule ſtatim ſecundum radicem ipſam prodeuntia, & in multos ramos diviſa, lenta, obliquè ſe contorquentia, & humi procumbentia, niſi perticis aut pedamentis ſuſtineantur, quibus ſeſe circumvolvunt, reliquorum Phaſeolorum modo: purpuraſcũt ea juxta alas, ad quas etiam adnaſcuntur terna folia, minus ampla ſuperioris folijs, & dilutiore colore virentia, longo petiolo inhærẽtia, qui ea parte quâ folia ſuſtinet, contrariáque, quâ ſarmentis inhæret, ex atro purpuraſcit: flores in oblongis petiolis plerumque bini, magni, Piſi forma, foris ex candido palleſcentes, interiore verò parte ex purpurâ cærulei: his ſuccedunt totidem prælongi lobi, teretes, & quaſi cylindracei, in quibus fructus reliquis Phaſeolis minor, Anagyridis legitimæ fructui pænè ſimilis, rubeſcentis coloris. *Phaſeolus peregr. III.*

Semine

Phaſeolus peregrinus IIII. Phaſeolus peregrinus V.

Phaseolus peregrinus minore fructu albo nigra macula in [illegible] C: B: Pin: 340.

Phaseolus peregrinus [illegible] fructu similis [illegible] nigro subviridi [illegible] C: B: Pin: 340.





Semine ex Hiſpanijs miſſo natus etiam mihi hic Phaſeolus anno M. D. LXXVI. ſeriùs quidem, ut fructus plenam maturitatem conſequi nequiverit: proximo tamen ſubſequente anno ſatus, non modò maturius flores dedit: ſed ejus præterea fructus ad frugem pervenit.

Phaſeolus peregr. IIII. DISSIMILIS eſt Quartus ſuperioribus. Caret enim longis illis ſarmentis, quibus illi præditi, & brevi firmóque caule conſtat, pedalem longitudinem rarò excedente & in breviſſimos ramos diviſo, ad quorum exortum folia quidem ſuperiori ſimilia naſcuntur, terna numero, ſed breviori pediculo inhærentia, qui non purpuraſcit, ut in proximè deſcripto: pediculi ex alis prodeuntes, longi, craſſiuſculi, firmi, binos etiam flores magna ex parte ſuſtinent, formâ, colore præcedentis flori ſimilimos, deinde binos lobos illius cylindraceis ſiliquis paullò longiores & teretes, in quibus fructus formâ par, ſed colore differens: nam niveus eſt, circa hilum nigrâ maculâ inſignitus, & quibuſdam nigris punctis interdum in lateribus notatus.

Satis præcox hic eſt, nec ullis pedamentis eget, cùm (ut dixi) brevi, firmóque ſit caule. Crevit etiam hic mihi Viennæ anno M. D. LXXVI. donatus à C. V. Remberto Dodonæo S. C. M^tis^ tum Medico, qui ejus fructum præcedente anno, dum Pragæ eſſet, in Arcis horto obſervaverat, & legerat.

Idem fructus etiam ex Hiſpanijs miſſus fuit Cæſari ſequente anno, cum tertio genere, in quo triplicem coloris varietatem obſervabam: nam aut rubeſcebat, aut palleſcebat, aut pulla nigredine nitebat.

Phaſeolus peregrin. V. TENVIA habet Quintum genus ſarmenta, ex ſingulari caule ſtatim proximè radicem enaſcentia, eáque valde ramoſa, ex viridi purpuraſcentia, quæ vicinis perticis & pedamentis ſeſe convolvunt: folia ex eodem pediculo, ut in aliorum Phaſeolorum genere, ſemper terna, longè tamen minora, & Trifolij mœnianthis (quod in umbroſis & ubere glebâ naſcitur) folijs perquam ſimilia, ex atro virentia, circa pediculum purpuraſcentia: flores in ſpicæ modum congeſti, magni, Piſi vulgaris formâ & magnitudine ferè, coloris flavi, in oblongo craſſiuſculoq; pediculo ad foliorum exortum prodeunte naſcuntur: lobos non obſervabam, quia flores duntaxat produxit ipſa planta, eóſq; valde caducos propter advenientia frigora: breves tamen anguſtóſque eſſe intelligebam ab his qui conſpexerant, & terna aut quaterna grana continere: quæ verò accipiebam, parva erant admodum, Laburni granis non majora, utroque tamen mucrone plerumque obtuſiore, pulli coloris, ſeu potiùs ex nigro ſubvireſcentes.

Pictor nullos lobos in hac planta expreſſit, ſed flores duntaxat quos in illa florente vidit:

vidit: ipſa autem quæ illi dederam ſemina, ut ad plantæ latus exprimeret, neſcio qua incuriâ & negligentiâ, in eo, qui infra ſupremam florum ſpicam eſt, folio, adpinxit.

Phaſeol. peregrin. VI. anguſtifol. *Phaseolus peregrinus angustifolius B. Pin: 340.*



Phaſeolus peregrin. VI.

ANNO autem octogeſimo primo ſupra milleſimum & quingenteſimum, ipſo Autumno dum ex Anglia redibam, elegãs aliud Phaſeoli genus videbam Coloniæ apud nobilem matronam C. V. Ioachimi Hoperi, Præſidis Belgici in Hiſpaniâ Conſilij viduam, ſarmentis perinde atque ſecundum genus pergulas & perticas ſcandentem, illíſque ſe advolventem, ſed anguſtioribus folijs, fructu vulgaris Phaſioli fructu minore & planiore, ſubrubri coloris, ſemine natũ, ab illâ ex Hiſpanijs accepto *frizoles Guateli* appellatione. Id mihi erit Sextum genus, cujus poſtea hiſtoriam C. V. Rembertum Dodonæum nobis daturum ſperabam, cùm hæc ſcriberem: nam ille haud dubiè ipſam plantam ad frugem perveniſſe obſervare potuit, quandoquidem tum temporis Coloniæ vivebat: editâ tamen novâ ſuâ Stirpium Hiſtoriâ, quam tũ pręmanibus habebat, comperi illius iconẽ duntaxat propoſuiſſe cap. VI. lib. II. Pemptadis IIII.

IN lucem emiſsâ porrò meâ Stirpium apud Pannones vicinóſq; populos obſervatarum hiſtoriâ, ſex mihi nata ſunt Viennæ Auſtriæ alia Phaſeoli genera, ſemine peregrè accepto, ſeptimum Francofurti ad Mœnum: quorum hiſtoriam prædictis ſubijciemus.

Phaſeolus peregr. VII.

MVLTA autem habet primus Phaſeolus, qui nunc mihi erit ordine Septimus, ſarmenta ſtatim à radice prodeuntia, Purkircheriani, ſive in ordine Primi Phaſeoli modo, quæ, licet eadem ratione vicinis perticis ſeſe circumvolvant, non tamen adeò luxuriant, aut altè aſſurgunt. Ad horum nodos folia enaſcuntur terna numero, ut in alijs Phaſeoli generibus, multò tamen anguſtiora, Sexti folijs, quem Coloniæ apud Hoperi viduam conſpiciebam, non valde diſſimilia: ex horum alis emergebant digitalis longitudinis cauliculi, parvos flores in uvæ modum congeſtos ſuſtinentes, albos initio, ſed, ubi ſeneſcunt, palleſcentes: ijs ſuccedebant planæ latæque vaginæ Primi lobis ferè pares, breviores tamen, initio virides, quæ maturæ, fulveſcunt, ſeménq; continent planum, Purkircheriani, ſeu Primi granis minus, ſed ſimilibus coloribus albo & nigro varium, nunc in longitudinem extenſis nigris ſtrijs, nunc confuſo ordine ſparſis maculis nigris majoribus aut minoribus per univerſum phaſeoli corpus: nonnunquam integro fructu nigro, vel exiguis albis maculis conſperſo, aut dimidiâ duntaxat ex parte. Florebat mihi Iulio & Auguſto: ſemen etiam maturum præbere incipiebat Auguſto.

Phaſeolus peregr. VIII.

ALTER, ſeu ordine Octavus, pluribus etiam ſarmentis aſſurgit, ejuſdem cum ſuperiore longitudinis, quæ vicinis palis ſeſe applicant, & eos ſcandunt: ubi ſeſe in ramos dividunt adnaſcuntur folia Primi folijs ſimilia, terna numero, ſed paullo minora: flores ex alis profert etiam Purkircheriani, ſeu Primi floribus ſimiles, albos, vetuſtate palleſcentes, uvæ inſtar naſcentes: quibus & planæ ut in præcedente, ſuccedũt vaginæ, illis haud majores, continentes bina, terna, aut quaterna grana, plana, ſuperioribus magnitudine reſpõdentia, non adeò candicantia, ſed colore interdum exalbeſcente, aliquando nigricantibus virgulis ſecundùm longitudinem, vel confusè notata, interdum toto etiam pænè fructu (ut in ſuperiore) nigricante.

Phaſeolus peregrin. IX.

TERTIVM, ſive ordine Nonum, adquirebam ſemine, quod N. V. Ioannes Boiſot ex Hiſpaniâ acceperat, mihi communicato natum: erat verò is fructus Purkircheriano major, ſed totus albus, niſi quidam radij ſparſi varium quodammodo feciſſent: terrę creditum ſemen, prodijt, crevítque Purkircheriani inſtar, ſimilibus ſarmentis, folijs, floribus, & vaginis: ſed cùm æſtas ſubſequeretur tardior, humidior, & frigidior, neque hic, neque alij quos ſeveram Phaſeoli exotici, ad frugem pervenire potuerunt.

Phaſeolus peregrin. X.

QVARTO, mihi ordine Decimo, multi etiam ſunt ab una radice aſſurgentes rami, ſuperioribus quidem altitudine æquales, & ſeſe circumvolventes, ex viridi purpuraſcentes, nodoſi & geniculati, quibus adnaſcuntur folia Octavi folijs ſimilia, ſecundùm tamen articu-

lationes

lationes quibus connexa ſunt,purpuraſcentia:ex alis etiam prodeunt digitalis longitudinis ramuli,floſculos ſuperioribus magnitudine & formâ,reſpondentes,uvę quoque inſtar congeſtos ferentes,ſed quorum galea ſeu caſſis obſoletè purpuraſcit,bina lateralia folia,coloris ſunt floridioris:his ſuccedunt planæ,latæ, fuſcæ & nigricantes vaginæ,ſemina continentes plana Purkircherianis,ſive verſicoloribus Africanis minora,per maturitatem prorſus nigra.

Phaſeol peregr. XI. NON diſſimilia habet Quintus,ſive Vndecimus,ſarmenta,altè etiam aſſurgentia,ſimilia folia, & flores in digitalibus ramulis uvæ modo congeſtos, parvos, Octavi floribus ſimiles, albos; vaginas Septimi & Octavi generis lobis ſimiles, in quibus ſemina terna aut quaterna,plana,diluta rubedine prædita,quę nigris venis ſive radiolis ſecundum longitudinem diſtincta ſunt, nonnunquam magnis vel exiguis nigris maculis confusè aſperſa: interdum etiam utrinque prorſus, vel, alterâ duntaxat ex parte,nigra, emicantibus ſparſim parvis rubentibus maculis,ut ex marmore aliquo ποικίλῳ tornata videantur.

Phaſeol. peregr. XII. SEXTVS, hoc eſt Duodecimus, naſcendi modo, & reliquis fere notis, illi per omnia ferme ſimilis:ſed cujus flores Decimi floribus valde ſimiles, paulo tamen dilutius purpuraſcentes ſint: fructus autem magis diluta rubedine præditus, tegularumque colorem quodammodo referat, quem raræ per longitudinem nigræ ſtriæ varium faciunt,aliquando autem plurimæ totum pæne atrum reddunt. Hoc genus mihi natum, ſemine quod communicabat C. V. Ioachimus Camerarius Inclytæ Reip. Noribergenſis Medicus primarius:reliqua fructu ex Hiſpanijs miſſo. Florent autem fructumque proferunt eodem tempore.

Phaſeol. peregr. XIII. HVIC Septimus,hoc eſt,ordine ſervato,Decimus tertius,addi poteſt,Decimo,ſarmentis, folijs, florum colore & formâ non diſſimile:qui tamen ſuccedebant lobi, longiores,& quaſi cylindracei, non fuſci aut nigricantes, ut illius; ſed per maturitatem, nigris duntaxat venis confusè ſparſis inſigniti, octo, novem aut plura interdum continentes ſemina, renis quidem formam exprimentia, ſed longiora, tumidiora, atri omnino & ſplendentis coloris. Floret paullo maturius ſuperioribus, eam ob cauſam ſemen facilius ad maturitatem pervenit. Habebam Francofurti hunc Phaſeolum natum ſemine ex Italiâ miſſo Phaſeoli æthiopici appellatione.

Phaſeol peregr. XIIII. ILLI non valde diſſimilis Octavus,vel (ordine ſervato) Decimus quartus,mihi Lugduni Batavorum natus anno M.D.XCV. ſemine ex Italiâ accepto ſimili appellatione,ob nigredinem,ut veriſimile eſt,vel forſitan quòd ex Æthiopiâ prima ejus origo.

LONGA verò & lenta habet hoc Phaſeoli genus ſarmenta, reliquorum generum inſtar,quibus,perticis & pedamētis (ſi adponantur) ſe circumvolvit & innititur:alioqui adeo infirma,ut humi procumbant, & ſe ſpargant:ijs innaſcuntur folia numero terna,longo pediculo inhærentia, ut in vulgaribus Phaſeolis, & ejuſdem cum illis amplitudinis, nervoſa; in ſarmentorum nodis unde prodeunt folia, naſcuntur oblongi pediculi, in quibus flores, bini, quaterni, ſeni, interdum etiam octoni,ex adverſo ut plurimum naſcentes vulgarium formâ,hoc eſt,floris piſi inſtar pænè formati,coloris purpuraſcentis,ſeu verius amæthiſtini: quibus ſuccedunt totidem oblongi,teretes lobi,initio virides,deinde maturitate flaveſcentes, in quibus bina, terna,quina,ſena, vel etiam octona grana vulgarium quidem formam referentia,ſed minora,& coloris, quando matura,nigri.

Floret cum vulgaribus, vel etiam aliquando paullo maturius.

Phaſeol.peregr. XV. SED eadem appellatione Nonum,ſive ordine ſervato, Decimum quintum genus accipiebam illo ipſo anno,à Doctiſſimo viro Bernardo Paludano, quod etiam mihi natum, facie quidem & formâ non diſſimile jam deſcripto,ſed cujus ſarmenta purpuraſcentia eſſent, terna illa longo pediculo inhærentia folia, pro parvis appendicibus, quæ in alijs generibus, bina interdum foliola adjuncta haberent, flos etiam magis ſatur, & prorſus amæthiſtinus, lobi præterea initio quidem virides,ſed paulatim purpureum colorem contrahentes maturitate tandem purpureum ſaturum, & ferè nigrum:fructus in ipſis comprehēſus initio purpuraſcens,deinde atri omnino coloris ut præcedens: eam ob cauſam verè æthiopicus nuncupari poteſt.

Phaſeol.peregr. XVI. HVIC addi poteſt Decimum genus, quod, ſervatâ inſtitutâ ſerie, Decimum ſextum erit:cujus quidem lobum non conſpexi,ſed ipſum fructum duntaxat ſuo lobo exemptum, annóque M. D. XCV. ex Guineâ delatum, qui à pleriſque illo ipſo anno terræ creditus, multis enim communicatus fuit, uni Cornelio Mannio, piæ mem. Pharmacopæo Delphenſi ad ſpeculi ſymbolum, crevit ad palmarem altitudinem, cauliculo ſatis firmo & rotundo, bináſque aut ternas foliorum alas protulit, in quibus, ut reliquis Phaſeolis, terna folia,ſed valde craſſa & pinguia, longéque minora, trifolij aſphaltitis foliorum magnitudinem non excedentia. Ipſe phaſeolus ſemuncialem magnitudinem non ſuperabat,ſatis denſus & craſſus, coloris fuſci cum ſpadiceo commixti.

Nomina.


Phaſeol. Purkircherianus. *Phaſeol. African.* Frizoles blācas de Guatimela.

PRIORIS fructum Purkircherus primus in Pannoniam inferebat ex Neapolitano regno delatum, ſinguliſque annis colebat,ut illius (ut dixi) genus iſtic conſervaverit:eam ob cauſam, apud rei herbariæ illius regionis ſtudioſos, Purkircheri cognomen inditum, & ut Phaſeolus Purkircherianus nuncuparetur,obtinuit. Ante multos verò annos ſimilem planè mihi miſſum memini phaſeoli Africani appellatione: & ex Africâ Italos primum accepiſſe,veriſimile eſt. Alter ex Hiſpanijs anno M.D.LXXXI. miſſus *frizoles blancas de Guatimela*, hoc eſt,

hoc eſt, Phaſeoli albi ex Guatimela (quæ novi orbis provincia eſt) nomine, mihiq; eodem anno communicatus, ſubſequente vere ſatus crevit, & ad frugem, quo dixi tempore, pervenit. Proxima duo genera ex Hiſpanijs accepta cum hac inſcriptione *alubias de Indias*, id eſt, lobi Indici: quam etiam habuerunt Septimus & tres illum ſequentes. Quintus mihi Patavio mittebatur à doctiſſimo viro Bernardo Paludano Friſio primario nunc urbis Enchuſanæ Medico, tunc verò ex Syriâ & Ægypto reduce, anno videlicet M.D.LXXVIII. ſemen terræ committebam anno illum inſequente, ſed cùm ſerius prodijſſet, non potui commodè ipſam plantam obſervare. Tertio demùm poſt anno è ſeminibus conſervatis & telluri creditis, natæ aliæ plantæ, quarum una Septembri menſe flores protulit: qui caloris inopiâ ad frugem pervenire non potuerunt: hoc ſemen à Paludano accipiebam ἀνώνυμον: at deinde ex Italiâ Ægyptiaci phaſeoli nomine ſimile miſſum: & fortè Dolichus eſt Bellonij libro II. cap. XIX. Obſervationum. Sextum jam dixi ex Hiſpanijs miſſum *frizoles Guateli* inſcriptione.

Alubias de Indias. *Phaſeolus ægyptiac.* *Dolichus Bellonij.* Frizoles Guateli.

Phaſeolus peregrinus XIIII. Leblab.



ALIVD porrò Phaſeoli genus cum Quinto mittebat idem Paludanus, cui *Leplap* nomen inſcriptū erat: ſed nec tum temporis, nec poſtea aliquoties acceptum & terræ oportuno tempore creditum naſci voluit, reſpuens fortè regionum Septentrionalium frigidiorem aërem. Illius tamen cum ſuo ſemine vaginam ſeu lobum exprimi curabam, ut Lectoris oculis ſubijcerem. Brevis & lata erat, quaternáque grana oblongiuſcula, nigra, hilo nihilominus albo valde longo prædita continebat. Decimo deinde poſt anno, accipiebā Lugduni Batavorum ab Ill[ri] viro Ioanne Vincentio Pinello duo Lablab genera à Doctiſſimo Proſpero illi cōmunicata: unum videlicet nigrum ut quod modò deſcripſi: alterum rufum.

Leplap.


LABLAB autem, ſeu Phaſeoli nigri meminit Proſper Alpinus libro de Plantis Ægypti, capite XX. in hæc verba.

ES T arbor ſarmentoſa, quæ creſcit ad vitis magnitudinem, ſarmentiſque vitis modo extenditur, ac expanditur folijs, figuráque ſimilis eſt omnino vulgari phaſeolo: flores fert bis in anno, Vere ac Autumno, phaſeolorum floribus aliquatenus ſimiles, à quibus ſiliquę longæ, inſtárque fabarum latiſſimæ cernuntur, quę ſemina nigra phaſeolis planè ſimilia continent, quorum alia nigra, alia ſubrubra cernuntur. Hæc arbor vivit annos centum, & ampliùs [*difficile creditu ijs, qui phaſeolorum & leguminum naturam norunt, præſertim mihi qui Ægyptum non vidi, non eo tamen inficias, ſilveſtres pleraſque reſtibiles eſſe, vivâque radice aliquot annis perdurare, ſingulis tamen, earum ſarmenta pereunt ad radicem, & ſequente nova repullulant*] perpetuóque viret. Ægyptij phaſeolos illos in cibo frequentant, noſtriſque non minus guſtui ſuaves exiſtunt. Mulieres utuntur decocto cum croco ad excitandos menſes: præterea utile eſt ad tuſſim, & diſpnæam, & ad urinam ſuppreſſam movendam.

Lablab *Proſperi Alpini.*

CETERVM Londino accipiebam elegantiſſimum quędam Phaſioli (ut arbitror) fructum à Iacobo Gareto viro humaniſſimo, cujus iconem & brevem hiſtoriam, propter venuſtatem & raritatem, Lectoris oculis ſubijcere volui, prę ſertim cùm *Phaſeoli ex Indiâ Orientali* inſcriptionem haberet.

Phaſeolus peregrinus Indicus.



Phaſeolus Indicus alter, Mates.



IS autem Pontica nuce paullo minor eſt, in medio tumidior & pulvinatus, lævis, ſplendens, durus, ſolidus, in aquâ ſubſidens, extimâ parte (qua nimirum ſuæ vaginæ aut lobo adhæſit) veluti diducto & hianti oſculo ſupernè paullo elatiore & aquilino præditus, duobus duntaxat coloribus cōſtans: ſuperior enim pars ab elatiore roſtelli parte, quaſi lineâ ad alterius extremitatis infimâ in fructu partem obliquè ductâ, tota utrinque atra eſt, ebeni nigredine & nitore, inferior verò, omnino aurea, cui admixtum ſit pauxillū minij, ſive præmaturi mali aurei colorem refert, & ut altera nitet. Ejus pulpam deſcribere nequeo, cùm confringere noluerim, utpote qui unicus ſit, inter reliquos exoticos fructus etiam ſervandus.

Phaſeolus Indicus.

HVIC autem rariſſimo fructui, alterum, cui Mates inſcriptio erat, adijcere libuit, licet illius meis in Garciam notis meminerim, & inter peregrinos fructus decimum ei locū dederim: quoniam tamen ejus pictura meo judicio iſtic probè expreſſa non fuit, meliorē hoc loco

Mates.

Lupinus ſativus albo flore.



Lupinus flore cæruleo.



Lupinus flavo flore.



loco adponere volui. De varijs autē Phaſiolis alijs exoticis vel ab amicis communicatis, vel meo ære redemptis, nos, Deo vitam tribuente, inter fructus exoticos, quorum brevem deſcriptionem meditamur.

LVPINVS. CAP. XLII.

Tria Lupinorū genera Belgicis hortis familiaria.

LONGO jam tempore Belgicis hortis inquilina facta ſunt tria Lupinorum genera; unum videlicet ſativū, quo diu aquâ macerato, ut amaritudinē deponat, plereque nationes veſcuntur, ut Vlyſſipone obſervabam æthiopica mancipia, & tenuis fortunę homines, & vulgo in medicū uſum cedit: bina alia ſilveſtria, quæ neque veſca ſunt, neque adeò frequenter in medicum uſum recipiuntur.

Sativum non niſi cultum vidi: Silveſtrium, dum in Narbonēſi Galliâ vivebam, alterum genus, id videlicet quod cæruleo eſt flore, minoribusq; folijs & fructu conſtat, inter ſegetes non procul Mompelio ultra flumen Ledum ſpōte natum obſervabam: quod verò flavum habet florem, eumq; odoratū, duntaxat cultum in hortis conſpexi ob elegātiam & odoris ſuavitatē. De illis porrò non eſt mihi nunc ſermo, quandoquidem ab alijs pleriſque tradita eſt eorum hiſtoria. Icones tamen ſubijcere libuit, quia de quarto quodam Lupini genere agendum mihi eſt, ante annum M. D. XCV. mihi non conſpecto.

Lupini genus IIII.

Natum id fuit Lugduni apud Batavos ſemine peregrè accepto, crevítq; in cubitalem aut majorem altitudinem, ſatis firmo ſcapo & in ramos diviſo præditum: cui, ut in alijs Lupini generibus, inhærebant folia ex uno longo

pediculo

pediculo dependentia,ſeptena aut plura, molliora tamen, quàm in eo qui flavū profert florem,paullo etiam latiora,longioreq́; lanugine obſita: flores extremū caulem & ramos,tribus,quatuor,aut pluribus ordinibus ambiunt,verticillatim,aut coronę inſtar in orbem diſpoſiti,quaterni & quini,ijs qui albi ſunt, ferè æquales, ſed coloris ex cæruleo purpuraſcentis & elegantis: quibus ſucceſſerunt ſiliquæ non diſpares vulgari ſativo, in quibus fructus illo non minor,verùm alterius coloris.Florebat Iulio mēſe,ſemen Septembri maturū fuit.

Cùm anno M.D.LXV.è Luſitaniâ per Bæturiam in Granatenſe regnum tranſirem,memini Februario menſe agros Lupino conſitos videre, cujus flores albi, aliquid cærulei commixtum haberent: an hujus fuerit generis,ignoro.

PISVM ſilveſtre.

Piſum ſylveſtre perenne B:Pin: 343



CAP. XLIII.

Lathyrus ſylveſtris major B:Pin: 343

Lathyrus ſilveſtr. Dod. Clym. Matth.



NEC ſarmentis,nec folijs à vulgari piſo,quod in arvis ſeritur,multum differt:numeroſa enim & oblonga ex eadem radice profert ſarmenta anguloſa, ſtriata, fractu contumacia; folia deinde uncialia, membranacea, viridiáque, bina ſemper, modò hinc,modò illinc ipſa ſarmenta amplectentia, è quorum medio ala extēditur quatuor aut ſex foliorum contrario ſemper ſitu naſcentium, quæ in capreolos, quibus ſeſe vicinis plantis implicat, deſinit: ſumma ſarmenta in multos deinde ramos dividūtur, qui ex foliorum alis oblongas tenueſq́; virgulas promunt, in quibus multi exigui candicanteſq́; flores ſpicæ inſtar congeſti naſcuntur, Ciceris ſil. Matthioli (quod paſſim in Pannoniæ & Auſtriæ inferioris pratis atque ſecundùm illorum, quibus cinguntur, ſepes ſponte creſcit) floſculis perſimiles: quibus excuſſis, ſuccedunt lobi piſi vulgaris vaginis paullo graciliores, continentes grana Clymeni Matthioli, ſive Lathyri ſil. Dodonæi granis ſimilia, fuſca, ingrati ſaporis, meo quidem palato, qui crudis piſis aut fabis nunquam veſci ſoleam: radix lignoſa, nigricans, minimi digiti craſſitudinem interdum æquat, & tenuibus fibris donata eſt, perennis, & ſingulis annis nova ſarmenta longè ſub terram ſeſe condentia proferens, ante quàm germinent. *Piſum ſilveſtre.*

Primùm mihi cōſpecta eſt hęc planta ultra Dravum flumen in Pannonia interāni (cujus pars Windiſche land nuncupatur) jugis arci Grében vicinis, anno M. D. LXXIX. copioſè inter ſaxa naſcens: unde poſtea Ill[ris] Heros Balthaſar de Battyan, qui me in eam Provinciā deduxerat (nam ejus ea arx erat, & pagi aliquot vicini) maturum fructum mihi adferri curavit, quæ pleriſque amicis cùm in Belgicâ, tum alibi viventibus communicabam. Subſequente deinde anno alijs locis Viennæ vicinioribus obſervabam, veluti in ſilvoſo illo monte ſupra Gumpoſtkirchen, item ſupra Poſonium ad Danubium, & in Leytenberg. Floret Iunio, ſemen maturum eſt Iulio. *Natales.*

Clymenum Matthioli. Lathyr. ſil. Dodonæi. Ervum ſat. Cordi.

SPONTE etiam gramineis locis ſiccioribúſque Pannoniæ, Auſtriæ & Stiriæ pratis naſcitur Clymenum Matthioli, ſive Lathyrus ſil. Dodonæi, vel Ervum ſativum Cordi: cujus duo genera obſervabam, latifolium, & anguſtifolium; illud quidem in Auſtriâ duntaxat, hoc verò Francofurtenſi etiam agro.

Quid verò ſit Clymenum Dioſc. qui noſſe deſiderat, conſulat Plantarum hiſtoriam Fabij Columnæ.

OROBVS PANNONICVS. CAP. XLIIII.

ERVI, ſive Orobi nomen apud rei herbariæ ſtudioſos obtinuerunt aliquot plantæ, quas per Pannonias, Auſtriam, Stiriam, aliáſque Provincias naſcentes obſervabam, & à nemine deſcriptas memineram, cùm illarum hiſtoriam proderem. Eam hoc capite repetemus.

Orobus ſylvaticus purpureus vernus B: Pin: 351.

Orobus Pannonicus I.



Orobus Pannonicus II.

Orobus ſylvaticus viciæ foliis B: Pin: 352.



Orobus Pannonicus I.

MVLTOS habebat prior caules ab unâ radice prodeuntes, pedales aut ampliores, firmos, erectos, anguloſos, virides, in quibus hinc inde ſparſa ſunt oblonga & pennata folia, ex ſenis, octonis aut pluribus folijs mucronatis, trinervijs, uni coſtę adnatis, & ſibi invicem oppoſitis, congeſta: flores in ſurculis ex alarum ſinu prodeuntibus ſpicæ inſtar naſcentes, piſi aut viciæ florum æmulos, coloris purpurei elegantiſſimi, deinde, ubi evaneſcere incipit, cærulei: quibus ſuccedunt longi cylindracei lobi, fuſci, in quibus ſemen rotundum interdum & exiguum, nonnunquam verò oblongiuſculum, varium, quo maturo, lobi diſſiliunt, vt in pleriſque ejus generis: radix vivax eſt, longa, nigra, dura, per intervalla extuberans, fibroſa, & ex lateribus novos ſtolones ſingulis annis producens. Tota planta acrimoniæ cujuſdam particeps.

Orobus Pannonicus II.

ALTERA tenuioribus & gracilioribus conſtabat caulibus, firmis tamē, cubitalibus, anguloſis, & in multos ramos diviſis: folia alata ſunt, hoc eſt, ſena, octona, & interdum dena uni coſtæ inhærentia, Superioris folijs longè minora, & Lenticulæ folijs haud majora, tenella, viridia, guſtu amaricante & calidiuſculo: flores ex ſuperioribus alis numeroſi, lōgioribus petiolis inhærentes, ſuperioris floribus forma ſimiles, minores tamen, purpuraſcentis coloris, qui vetuſtate in cæruleum etiam commutantur: lobi ſunt longi, nigri, continentes oblongiora majoráq; ſemina quàm habet ſuperior, ſubfuſca, & maturitate ſimiliter diſſilientes atque ſe contorquentes: radix dura, lignoſa, fibroſáque eſt, in diverſa tendens, vivax, & ſingulis annis plures caules proferens.

Copioſè

Copioſè naſcuntur in montanâ illâ ſilvâ Leytenberg ſupra Manderſtorf, ſimiliter ſupra Medeling, & omnibus montanis illis ſilvis quadam ſerie productis à Danubio ad Alpes, varijs item Pannoniæ locis. Florent Aprili atque etiam Maio: ſemen autem proferunt Iunio. *Natales.*

Orobus Pannonicus III.

Orobus ſylveſtris anguſtifolius aſphodeli radice B: Pin: 351.



Orobus Pannonicus IIII.

Orobus ſylvaticus pallido flore C: Pin: 351



Gracilles promit Tertia cauliculos, rectos, firmos, anguloſos, pedales & cubitales: folia per intervalla, uni coſtæ inhærentia, quaterna plerumque ex adverſo ſita, erecta, anguſta, trium ferè unciarum longitudinis, guſtu aliquantulũ acido initio, deinde amariuſculo, nullis capreolis prædita, quòd caules, ſatis firmi, adminiculis non egeant: flores in longis naſcuntur ſurculis ſpicę inſtar congeſti, florum piſi aut viciæ formâ, ſeni aut octoni, candidi coloris: deinde oblongi lobi, nigricantes, prioris lobis pares, ſemine nigro, interdum etiam maculoſo pleni, qui per maturitatem cum ſtrepitu dehiſcentes ſemen abijciunt: radicibus nititur quinis aut ſenis minimi digiti longitudine, craſſiuſculis, Aſphodeli, aut Pæoniæ feminæ minoris, oblongis bulbis ferè ſimilibus, minoribus tamen, foris nigris, intus albis. *Orobus Pannonic. III.*

Invenitur magnâ copiâ in pratis non procul Walterſtorf, Maurpach, Medeling, & Thermis Badenſibus Auſtriæ vicinis. Obſervabam etiam in montoſis ultra Danubium locis, ad cæduarum ſilvarum margines. Floret cum ſuperioribus, ſeménque perficit Iunio. *Natales.*

Qvartæ, ab unâ radice prodeunt aliquot caules, cubitales, ſtriati, recti, folia alternatim proferentes pennata, quaternis folijs ſatis amplis & mucronatis conſtantia (quibus adnaſcitur aliquando in extremâ alâ quintum) viridibus, per quæ aliquot venæ tranſverſim à medio nervo excurrũt, ſubacidi quidem initio guſtus, ſed poſtea amariuſculi: flores ex alarum ſinu brevi petiolo inſidentes prodeunt quini aut ſeni, antrorſum ſpectantes, viciæ floribus non diſſimiles, albo colore præditi, qui in binis foliolis ſurſum reflexis palleſcit, odoris expertes: lobi quales in primo genere ferè, in quibus ſemen fuſcum, majus quàm in reliquis generibus: radix minimè vivax eſt, ſed prolato fructu perire ſolet, ut pleriſque Leguminum generibus accidit. *Orobus Pannonic. IIII.*

Raram hãc plantam in Auſtriâ primùm inveniebam, nec niſi in Alpibus illius Provinciæ naſcentem, unde delata, & in hortum tranſlata, altero anno flores mihi protulit Aprili, & Maio, deinde ſemen. Anno verò M. D. LXXIX. obſervabam Maio florentem maximâ copiâ in eâ Pannoniæ parte quæ inter Dravum & Savum eſt flumina in Danubium illabentia, quæq; ob eam cauſam Interamnis Pannonia nuncupatur, in monte quodam ſilvoſo Grebén arci vicino. *Natales.*

Secvndvm porrò genus in Belgicis hortis aliquando videre memini, & Aphacæ no- *Aphaca.*

mine à rei herbariæ ſtudioſis appellari. Quartum autem ad Phaſeli ſilveſtris, aut Viciæ genus aliquod commodè referri poſſe exiſtimo.

CETERVM Orobi hiſtoria, mihi in memoriam revocat duas alias ſtirpes, quæ ſemine ad nos hac appellatione Venetijs primùm miſſo, in Belgicâ priùs, deinde Viennæ Auſtriæ ſunt natæ: quæ quoniam à nemine adhuc deſcriptæ erant, illarum hiſtoriam, Cap. de Orobo in meis Pannonicarum ſtirpium Obſervationibus inſerebam, quam eodem capite hîc etiam repetimus.

Orobus Venetus.

Orob. Lati folius parvo flore purpureo. B: Pin: 351.



Onobrichis Dodonæi.

Onobrychis folio viciæ fructu echinato major B: Pin: 350.



Orobus Venet. I.

MVLTOS ex eadem radice Prior fundit ramos, pedales, anguloſos, & ad ſingulas foliorum alas, modò in hanc, nunc in alteram partem inflexos, humíque, ut plurimum, diffuſos: folia in ſingulis alis quaterna aut ſena uni coſtæ inhærētia, bina ſemper ex adverſo ſita, nullo extremo imparem numerum faciēte, Orobi Pannonici primi folijs pænè ſimilia, ſed dilutè virentia: flores oblongis virgulis ex alarum cavis prodeuntibus innaſcuntur, numeroſi, in comam inflexi, puſilli, quatuor foliolis, ut reliquorum leguminum flores conſtantes, hoc eſt, ſuperiore latiore ſurſúmque reflexo & expanſo, binis minoribus ad latera, quarto inferiore cavo, & quodammodo carinato, coloris purpurei: oblongi lobi, mucronati, viciæ loborum pænè æmuli, rotundiores & magis teretes, maturitate rufeſcentes, ſemen continent orobaceum, oblongiuſculum, albicantis coloris: radix dura, lignoſa, multis fibris in diverſa tendentibus donata, vivax eſt, & ſingulis annis frequentiores caules profert.

Orobus Venet. II.

ALTERA duntaxat differt à præcedente foliorum & ramorum colore, qui ex viridi palleſcit, & floribus qui prorſus ſunt albi.

Florent Maio menſe, cum alijs pleriſque ejuſdem generis.


PLVRIMÆ porrò aliæ ſtirpes ad Leguminum & ſimilium claſſem pertinentes, ſponte per Pannoniam, Auſtriam, Stiriam, Moraviam, Bohemiam, aliáſque Provincias naſcentes obſervabam; quarum licet ſit ab alijs prodita hiſtoria, nomina tamen recenſere hoc loco volui.

Onobrichis Dodon. Glandes terreſtres. Pſeudoapios Dodon. Anthillis leguminoſa.


Gramineis locis, ſiccioribúſque pratis naſcuntur Onobrichis Dodonæi, quæ Brabantis Hanekammeken/ linguâ vernaculâ, id eſt, Criſta gallinacea cognominatur: Glandes terreſtres, ſive Pſeudoapios Dodonæi flore purpureo odorato, alia ei congener luteo flore Anthillis leguminoſa Lobelij, cujus genus purpuraſcente flore Ferrariâ ante multos annos accipere memini à C. V. Alphonſo Pancio.

In ſilvis,

Glaux vulg. Glycyrrhiza ſil. Geſneri.



Galega vulgaris.



In ſilvis pratorum marginibus umbroſis, atque etiam interdum in pratis apertis Fœnum græcum ſilveſtre Tragi, ſive Geſneri Glycyrrhiza ſilveſtris: Cicer ſilveſtre Matthioli, cujus ante memini, exili candicante flore, folliculis tumentibus, in quibus exiguum ſemen: & Galega vulgaris, quam nonnulli Rutam caprariam, Fracaſtorius Onobrichin appellant (quo nomine ejus ſemen nobis etiam ex Hiſpaniâ miſſum & planta nata) ſed hæc omnium abundantiſſimè creſcit inter Muram & Dravum flumina, paullo ſupra eorum confluentes. *Fœnum græc. ſil. Tragi. Glycyrrhiza ſil. Geſneri. Cicer ſil. Matthioli. Galega vulg. Ruta capraria. Onobrichis Fracaſtorij.*

ASTRAGALVS. CAP. XLV.

QVONAM hanc plantam referrem, diu multúmque apud me deliberabam: ſed nullam veteribus deſcriptam inveniebam, cujus hiſtoria illi per omnia quadraret. Cùm verò eſſet elegans, & nemini ex recentioribus, quod ſcirem, cognitæ, ante quàm Stirpium per Hiſpanias obſervatarum hiſtoriam evulgarem, operæ precium me facturum tum putabam, ſi illius iconem cum hiſtoria, cap. de Aſtragalo ſubijcerem: quam ſimili capite nunc repeto.

CVBITALES autem & ampliores ſunt illi Aſtragalo (qui primus ordine erit) caules, *Aſtragalus I.* minimi ferè digiti craſſitudinem æquantes, pentagoni, ſive anguloſi, duri, ſubrubentes, & lanuginoſi: folia lanuginoſa & incana, in longa coſta ex adverſo ſemper inter ſeſe oppoſita, veluti in Viciæ & Ciceris folijs, guſtu primùm adſtringente, deinde fervido: flores copioſi, Lupini aut Fabæ vulgaris florum æmuli, ſecundùm oblongos ramulos ſeu virgas ex alarum ſinu prodeuntes naſcuntur ſerie quadam digeſti, albi omnino, ſed ante quàm aperiantur & explicentur ex luteo foris nigricantes: fructum ferre dicitur (nam florentem duntaxat obſervabam) in lobis Faſelo minori Dodonæi ſimilem, qui guſtatus, fauces, os, & linguam inflammatione torqueat: eum anno M. D. XCVI. accipiebam à Doctiſſimo viro Simone de Tovar: radix, pro ſtirpis magnitudine ampliſſima, brachialis nonnunquam craſſitudinis, palmaris verò longitudinis, deinde in binos aut tres ramos diviſa, foris nigra, rugoſa, intus candida, dura, & lignoſa, ingrati ſaporis, quæ arefacta, cornu duritie ſuperat.

Primùm hanc plantam collibus quibuſdam ſupra Vlyſipponem, quos Tagus fluvius alluit, inter vepres obſervabam, atque menſe Decembri eruebam anno ſexageſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum: deinde ſub exitum Ianuarij inſequentis, ſilvoſis locis non procul Hiſpali, dum Gades proficiſcerer, florentem inveniebam. *Natales.*

LVSITANI, *Alfabeca* vocabant: Bætici autem, *Garavancillos*, hoc eſt, Cicer exile. Alfabeca Garavancillos.

 Si facul-

Aſtragalus Boeticus Lanuginoſus radice amplissima B: Pin: 351. an Aſtragalus villoſus floribus globoſis B: Pin: 351

Aſtragalus Bæticus.



Aſtragalus Mompellianus.



Si facultates, quas ex ejus temperamento contrarias deprehendere licet, non refragarentur, legitimum Aſtragalum eſſe cenſerem, cum cujus hiſtoriâ plurimis notis convenit. Videtur porrò ea eſſe, quam Amatus Luſitanus Apocynon facit, & Luſitanis *Atramoços de can*, id eſt, Lupinos caninos vocari ait.

Apocynon Amati. Atramoços de can.

Ceterum Aſtragali nomine, multæ plantæ hodie inſigniuntur: nullę tamen, meo judicio, ad Dioſcoridis deſcriptionem propriùs accedere videntur, quàm illa cujus hiſtoriam nunc dedi, & alia quàm in Cantabris, Helvetiorum alpibus, atque etiam Pannonicis obſervabam, ramulis aliquot ex una radice prodeuntibus, gracilibus, interdum ſurrectis, ut plurimum autem procumbentibus, folijs Ciceris foliorum inſtar in alâ ordine diſpoſitis, ſed rarioribus & longioribus, nec in ambitu ſerratis, ſed valde accedentibus ad Orobi primi, præcedenti capite deſcripti folia: flore Viciæ aut Ciceris flori ſimili, ex cæruleo purpuraſcente, cui ſuccedunt lobi Arachi ſiliquis ferè pares, in quibus ſemen continetur: radix eſt tuberoſa, nigra, dura, cui propagines adnaſcuntur ſarmentitijs radiculis inhærentes, illi ſimiles, ſed minores.

Aſtragalus II.

Naſcitur in mõtibus, quos dixi, vento perflatis & apertis, & eam eſſe exiſtimo, quam Fabius Columna, pro legitimo Dioſcoridis Aſtragalo, exhibet: multum differentem à Chamæbalano, ſeu Glandibus terreſtribus.

Natales. Aſtragal. Dioſc. Chamæbalanus.

Hispani aliam quandam plantam proponebant Aſtragali quidem facultatibus reſpondentem: ſed formâ radicis minimè. Nam tametſi puſilla haberet Ciceris aut Lentis folia, tota incana, cauliculos breves, duros, & in his floſculos piſi florum æmulos, puſillos, congeſtos & purpureos, ſummis ramulis inhærentes: radix tamen, ut plurimùm ſingularis, & nullam affinitatem cum Aſtragali radice habens, omnino repugnabat.

Aſtragalus III.

Creſcebat ea in vinetorum & arvorum marginibus ſecus vias, per Luſitaniam & Hiſpaniam. Florebat Aprili.

Natales.

Doctissimvs vir Ioannes Plaça, Medicus & Profeſſor in Valentinâ Hiſpaniæ Academiâ, Onobrichin eſſe cenſebat; diſcrepat tamen hiſtoria. Luſitani *Herva de S. Laurenzo* nuncupabant: atque illius in clibano ſiccatæ pulverem, vulneribus & ulceribus utiliter inſpergi aſſeverabant.

Onobrichis Plaça. Herva de S. Laurenzo.

Illam aliquando alere memini in horto, dum in Belgicâ vivebam, unà cum Aſtragalo Mompelienſibus vocato: ſed illa toto triennio ante quàm ſtirpium in Hiſpanijs obſervatarum hiſtoriam publici juris facerem, perierat. An altera porrò adhuc perduret, quæ erat folijs ſuperioris quidem folijs pænè ſimilis, ſed minùs incanis, majuſculis floribus; curvis & inflexis, inſtar falcis, ſiliquis; duplici ſerie ſemen continentibus ſubfulvum, rotundiuſculum, radice perſimili, me latet.

Aſtragalus Mompelienſ.

Vicia ſpinis folio rotundiore acuto B: Pin: 345.

Vicia ſylveſtris hirſuta incana B: Pin: 345.

VICIA SILVESTRIS. CAP. XLVI.

VARIA per Pannoniam, Auſtriam vicináſque regiones inveniuntur Viciæ ſilveſtris genera, alijs Provincijs etiam communia: duo tamen me obſervaſſe arbitror, quæ alibi videre non memini.

Vicia.



Vicia ſil. albo flore.



MVLTOS ex eadem radice, quæ perennis eſt, profert Primum genus ramos teretes, ſtriatos, pedales, etiam cubitales interdum, quos ambiunt foliorum alæ, quemadmodum in Viciâ vulgari ſativâ & ſilveſtri, ſed denſiore lanugine obductæ, & quaſi incanæ, capreolis, quibus vicino gramini ſe implicat, extremam alam occupantibus: flores in ſupernis foliorum alis terni plerumque, Viciæ vulgaris floribus perſimiles, candidi coloris, ſuperiore tamen folio, obſoleti coloris venis internè diſtincto, inferiore foliolo ejuſdem coloris: floribus ſuccedunt ſiliquæ ſeu vaginæ planæ (quantum videlicet ex illarum rudimentis colligere licuit, nam Maio menſe florentem anno M.D. LXXIX. duntaxat obſervabam) viciæ vulgaris ſiliquis ſimiles: radix fibroſa eſt, tuberculíſque ut Leguminum pleræque radices vivaces, donata. *Vicia ſil. albo flo. ſive 1.*

Naſcitur in arvis deſertis apud Chyztreg oppidum Mag^ci^ viri N. Bamfy, in Pannoniâ ſitum, olim florens, cùm verò iſtac iter facerem magnâ ex parte exuſtum, & ob continuas Turcorum in ea loca excurſiones, omnino ferè deſertum, non procul à *Kerka* fluvio. *Natales.*

CVBITALIBVS eſt altera ramis, ſtriatis, lentis, infirmis, & humi, niſi capreolis ſeſe ſuſtineant, procumbentibus, obliquè modò in hanc, modò in alteram partem, ſecundùm foliorum alas, inflexis, è quibus frequentes plerumque ramuli enaſcuntur: foliorum alæ oblongæ, tenues, deorſum incurvæ ſeu nutantes, & in binos capreolos deſinentes, duodenis, vicenis, vicenis ſenis, aut pluribus interdum oblongis anguſtíſque foliolis ſurrectis, & ex aduerſo nunc æqualiter, modò inæqualiter naſcentibus, præditæ ſunt: floſculi elegantes, ſuperioris floribus formâ non diſpares, minores tamẽ, & Onobrichidis quartæ floſculis propemodum reſpondentes, coloris ex cæruleo purpuraſcentis, viceni nonnunquam aut plures, ſpicæ inſtar in oblongis nudis ramulis, ex ſuperiorum alarum ſinu exeuntibus, naſcuntur: deinde uncialis longitudinis ſiliquulæ exiguum ſemen continẽtes: radix tenuis, latè ſerpens, & ſub tellure ſe condens, ſingulis annis novos frequentioréſque ramos profert. *Vicia ſil. II.*

Paſſim in agris & inter vepres, illis ſe implicans creſcit, per Vngariam, Auſtriam, Moraviam & Bohemiam, atque Maio floret. *Natales.*

VNGARI cùm ſuperiorem, tum hanc (quæ plurimum à Belgicâ vepribus ſe implicante differt) atque denique omne ſilveſtris viciæ genus, *Waryw borſo*, nuncupant, hoc eſt, cornicis piſum. Waryvv borſo.

Lathyrus angustifolius semine maculoso B: Pin: 344.

CICERCVLA ÆGYPTIACA. CAP. XLVII.

Cicercula Ægyptiaca.



NEQVE folijs, neque cauliculis, reliquíſve partibus à ſativâ vulgari Cicercula valde differt ea, cujus hiſtoriã hoc capite dare inſtitui: nam cauliculos habet infirmos, &, niſi ſuſtineantur, humi procumbẽtes, in quibus hinc inde bina adnaſcũtur ex adverſo ſita foliola, è quorum ſinu prodeunt oblongo pediculo innixa bina alia folia anguſta & ſurrecta, ac tandẽ is pediculus deſinit in capreolum nonnunquam multifidum, quo ſeſe vicinis herbis & virgultis implicat: flos etiam ſativæ flori non diſſimilis, ſed color diverſus, quia qui in ſativâ albus, in hac internè elegãs eſt cæruleus, foris ex cineraceo purpuraſcẽs: quo defluente ſubnaſcuntur in longis tenuibúſq; petiolis alatæ vel ſupernè pinnatæ ſiliquę ſeu lobi, in quibus bina, terna, raró plura continentur grana, domeſticæ cicerculæ granorũ magnitudine, inæqualia, frequentibus nigris maculis inſignita: radix, ut in ejuſmodi ſtirpium generibus, tenuis, non vivax.

Natales.


Primum mihi nata eſt hæc planta Viennæ Auſtriæ anno M.D LXXXVII. ſemine in Ægypto lecto, & Conſtãtinopoli miſſo. Flores tulit Iunio & Iulio, atq. etiam in Septembrem uſque: ſemen maturum fuit Auguſto & Septembri. Natam etiã arbitror pleriſque amicis, quibus ſemen communicabam: nam & Francofurti ſingulis annis provenit, flores tulit & ſemen maturum produxit.

Securidaca Lutea major B: Pin: 348.

λάθυρος. Cicercula. Cerres. Pois cerres. des Sars. Latyri.

GRÆCIS porrò vocatur hoc legumen λάθυρος, Lathyrus: Plinio & Columellæ, Cicercula, (ſativam intelligo) Galli *Cerres & pois cerres* appellant: Pariſiẽſes, quorũ agro abundè colitur, *des Sars*. An verò quam deſcribo, ea eſt, quam Bellonius cap. XIX. lib. II. Obſervationum inter legumina recenſet, & à Græcis vulgo *Latyri* appellari ſcribit? certè ipſa appellatio ad Græcam alludit.

Securidaca vera.



SECVRIDACA. CAP. XLVIII.

Securidaca legitima.

ALIQVOT plantas in meis peregrinationibus obſervare memini, quæ nõ incommodè, meo judicio, ad Hediſari ſive Securidacæ hiſtoriam referri poſſe arbitror.

Securidaca altera.

MVLTOS, atque oblongos ex eadem radice fundit Prima caules, humi diffuſos, virides, ſtriatos, intus cõcavos, valde ramoſos: folia alata, è multis foliolis, cõjugatim, & æquali, contrario tamen, ſitu uni coſtæ inhærentibus, conſtantia, ſolo extremo impari, Hedyſari legitimi folijs perquam ſimilia, amari ſaporis: è ſingulis ſuperiorum florum alis, oblongi pediculi prodeunt, coronam floſculorũ legitimi Hediſari floribus formâ ſimilium graviterq; odoratorum ſuſtinentes, non flavi, ut illi, coloris, ſed varij: nam ſuperiora folia, carnei, ut ſic appellem, ſunt coloris, hoc eſt, blandè & dilutè rubentis, laterum alæ niveæ, & carina infima, licet alba, roſtro eſt purpureo: ſiliquę flores ſubſequentes, non ſunt planæ, ſed teretes, oblongæ, roſtratæ, internodijs diſtinctæ, quemadmodum Polygalæ Valentinæ ſiliquæ, continentes ſubrufum ſemen, oblongiuſcu-

ſecuridaca dumetorum major flore vario, ſiliquis articulatis B: Pin: 349

Securidaca dumetorum minor pallide cœrulea B: Pin: 349.

Securidacæ II. prior ſpecies.



Securidacæ II. altera ſpecies.



longiuſculum, ſaporis non minus amari quàm legitimi ſemen: radix tamen, non annua ut illius, ſed maximè vivax & fibroſa, longè latéque ſub terrâ ſe condens, & vicina loca occupans, atque etiam è tenuiſſimis fibris renaſcens. *Natales.*

Vulgatiſſima hæc eſt per univerſam Pannoniam, Auſtriam, Stiriam, Moraviam atque Bohemiam, cùm in pratis, tum in agris, & ſecūdùm vias. Floret Iunio, interdum totâ etiam æſtate: ſemen maturum eſt Iulio & Auguſto. Variat etiam interdum floris colore, qui vel totus candidus eſt, vel exalbeſcit, vel intenſius purpuraſcit.

ALIQVANDO nobis in Belgicam miſſum fuit hujus ſemen, Galegę alterius nomine, cum *Galega altera.* qua, ſiliquarum facie duntaxat affinitatem habet: mihi multis notis Hedyſarum referre videtur, exceptis corniculis & ſemine, quæ, ut dixi, plana non ſunt.

SED aptius forſitan Hedyſari deſcriptioni conveniet ea planta cujus iconem & deſcriptionem cum alijs ſtirpibus à C.V. Thoma Pennæo accipiebam, quam Dioſcoridis Securidacam eſſe ipſe cenſebat.

CVBITALIS, eo teſte, eſt planta, aut altior, multos caules ramoſos ab radice lignoſa & *Securidaca Pennæi.* perenni emittens, foliáq; habens ciceris modo ſecundùm oblongum nervum binatim diſpoſita, uno impari extremitatē ejus tenente, cicere minora: flores in ſummis caulibus glomeratim cohærentes, ex candido rubentes: ſiliqua fuſci coloris, ſecuris formam quam nos *bylhouck* vulgo appellamus (anglicum eſt vocabulum *bylhouck*, quo putatoriam ſive arborariam falcem exprimunt) probè referentes, vel cultri genus quo noſtri & Belgici ſutores uti ſolent: ſingulæ ſiliquæ unicum ſemen ejuſdem figuræ continent. [*ex ſicca tamē planta, quam mihi communicabat, diſcebam, ſiliquas nonnunquam longiores eſſe, & ſupra ſecuriculam ſeu falcem illam, alium articulum longiorem obtinere, qualem extremæ ſuperioris ſiliquæ habent, quemadmodum in icone addi curabam*] Tota amara eſt, præſertim ſiliquæ & ſemina.

Creſcere aiebat agro Genevenſi non procul à Ponte tremulo, inter dumeta, nuſquam *Natales.* alibi ipſi conſpectam.

AD ἡδυσάρου ἢ πελεκίνου Græcis, Hedyſari & Securidacę Latinis dictæ, claſſem referri poſ- *ἡδύσαρον. πελεκῖνος.* ſe arbitror has plantas. Nullius tamen ſemen aptius veterum ſecurim meo judicio refert, quàm ejus quę ab omnibus Hedyſarū legitimum cēſetur, & aliquot locis inter ſegetes ſpon- *Hedyſarum legitim.* te naſcētem in meâ per Hiſpaniam peregrinatione obſervabam, quam ob cauſam ejus iconem initio capitis hujus præfigere volui. Nam infra Madritium ſecures videre memini, *Securis hiſpanica forma.* quæ huic ſemini eſſent ſimillimæ, nempe in medio quâ manubrium traijcitur, & adaptatur, craſſiores, & utrinque in planam aciem deſinentes.

IN hoc

Securidaca peregrina.

Securidaca ſiliquis planis utrinque dentatis B: Pin: 349

Hedyſarum peregrinum



Scolopendria leguminoſa.

IN hoc porrò caput inferendam etiam duxi, raram, peregrinam & elegantem eam plantam, cujus iconem ad me mittebat anno M.D.XCIIII. Ampliſſimus vir Iacobus Antonius Cortuſus Patavinus Patritius.

STATIM verò à radice (quantum videlicet ex icone nullis coloribus expreſsâ colligere licebat) ſe ſpargebat ea plāta in multos ramos, ſtriatos, Securidacæ alterius ramis ſimiles, ad quos nata erant ſimili modo alata folia, hoc eſt, vicena aut plura uni coſtæ inhærentia, & ex adverſo ſibi oppoſita: ex horum autem alis, prodibāt alij ramuli ſimilibus alatis folijs prædīti, qui ſummo faſtigio flores tulerāt (ut quidem apparebat, nulli enim expreſſi erant) ſimul congeſtos, deinde ſiliquas (ut expreſſæ erant) quaternas, quinas, aut plures, alterius quàm omnium quas unquam viderim, formę, uncialis nimirum, aut amplioris longitudinis (ſi pictura fideliter expreſſa eſt) anguſtas, planas, & utrinque in ambitu dentatas: quale autem ſemen continerent, cujus temperamenti eſſet tota planta, viviradixne, an quotannis periret, nihil erat adſcriptum: ſed id duntaxat ſignificabat miſſam fuiſſe plantam à C. V. Honorio Bello Medico, qui eam naſcentem obſervabat in ſcopulis apud Sebenicum Illyrici urbem.

Ipſe autem Cortuſus picturæ adſcripſerat, Scolopendria leguminoſa, vel Hedyſarum peregrinum: quod poſtremum nomen aptius illi convenire videtur.

Biennio poſt mittebat ipſe Cortuſus plantę reſiccatæ fragmentū aliquot flores & ſiliquas retinēs, ex quo hanc iconē exprimi curabam.

Onobrichis ſpicata flore purpureo B: Pin: 350.

Onobrichis I.

Onobrichis I.



Natales.

ONOBRICHIS. CAP. XLIX.

AD Onobrichidis claſſem reduci poſſe exiſtimo eas ſtirpes quas hoc capite deſcribere inſtituimus, quoniam illi quodammodo affines eſſe videntur.

CVBITALES plerumque habet Prior caules, frequentes (ſi vetuſta ſit planta) rotundos, duros, humi procumbentes, in quibus frequentia folia lenti ſimilia, anguſta, hirſuta ſeu lanugine quadam obducta, quindena ſubinde, & totidem alia ex adverſo uni coſtæ adhærentia, uno impari extremam alam occupāte, guſtu amaro & ingrato: ex alarū cavis exoriuntur ramuli ſimilibus folijs ſepti, ex quibus dodrantales exeunt pediculi ſtriati, ferētes multos flores, trifolij florum æmulos, oblōgiuſculos, eleganti purpurâ nitentes, inodoros, cōfertos, & veluti ſpicā trium interdum unciarum longitudinem æquantem efficientes, nōnunquam etiam longiorem, præſertim quando in ſemen abeūt, quod bifidis brevibus turgidiuſculiſq; vaſculis continetur exile, nigrum, durum, ſapore ingrato ut alia legumina. radix illi magna, longa, dura, in obliquas nonnullas fibras ſeſeſpargens, & ſubinde ad cauliculorum exortus recentes fibras agens, vivax & perēnis.

Frequentem inveniebam ad Danubij ripas, ſupra

ſupra Poſonium, arido ſolo, apud Petronellam oppidum (quod nonnulli, ex loci ſitu, ruderibúſque antiquis Carnũtum veterum eſſe conijciũt, à Plinio numeratum inter Pannoniæ urbes) ad viarũ margines, & frequentiſſimè toto illo itinere ad Badenſes thermas tendente, multíſque alijs circa urbem Viennam Auſtriæ locis, tam citra quàm ultra Danubium.

Flores proferebat Maio, Iunio, & Iulio, interdum etiam Auguſto, quo etiam tempore ſemen maturum legebam.


Onobrichis II.

Onobrychis floribus viciæ dilutè cæruleis B: Pin: 351



Onobrichis III.

Onobrychis spicata floribus pallidis, nigris radiis notatis B: Pin: 350.



MVLTOS ex eadem radice promebat Altera vimineos cauliculos, pedales, nonnunquam etiam longiores, humi fuſos, crebris nodis diſtinctos, & in his alata folia, hoc eſt, tredecim, quindecim, ſeptem & decem, aut pluribus & oblongis foliolis uni coſtulæ inhærentibus conſtantia, extremo ſemper imparem numerum faciente: prodeũt deinde ex alis tenues pediculi ſeu virgulæ, floſculos in ſpicam confertos ferentes, Piſi aut Viciæ florum formâ, ſed longè minores, colore dilutè cæruleo, vel ex cæruleo purpuraſcente: his ſuccedebant exiles ſiliquæ quaſi duplicatæ, continentes puſillum ſemen renis formâ, nigrum: radix minimi digiti craſſitudinem fermè æquabat, dura, lignoſa, cõtorta, obliquè ſe ſpargens, & altè ſub terra ſe condens, raríſque fibris donata, quæ ſummâ parte in aliquot capita extuberabat, è quibus ſingulis annis novos cauliculos fundebat. *Onobrichis II.*

Rara eſt, nam paucas duntaxat plantas inveniebam publica via ſecundùm orbitas, inter Schweket & Götzeſtorf infra Viennam Iunio florentes anno M. D. LXXX. & illum præcedente, non procul à Znaim Moraviæ oppido, dum Pragam, & inde per Germaniam in Angliam proficiſcerer. Etiam in hortum tranſlata florebat toto Iulio & ſubinde ſemen proferebat. *Natales.*

SESQVICVBITALIBVS aſſurgebat Tertia ramis, rectis, firmis, duris, viridibus; in quibus folia Lentis, ſive Viciæ ſilveſtris, longa, anguſta, duodena aut quindena, & totidem ex adverſo, eidem coſtæ adhærentia, uno etiam quod extremæ coſtæ inſidet, impari, lanugine obſita, guſtu ingrato & amaro, deinde nonnihil acri: ramuli extremo caule ex alarum ſinu prodeuntes, palmares, ſtriati, in dodrantales ſpicas floſculorum trifolij flores æmulantium, oblongiuſculorum, pallidorum deſinebant, quibus impreſſi nigricantes quidam radij: his ſuccedebant ſiliquæ Prioris ſiliquis ſimiles, mucronatæ, duobus valvulis conſtantes, in quibus ſemen fœnogræco pænè ſimile, ſed minus & nigrum: radix craſſa, dura, lignoſa, longa, aliquot fibris donata, candicans, perennis. *Onobrichis III.*

Valde rara & hæc eſt, duobus duntaxat locis mihi conſpecta, ad Hamburgum videlicet urbem, duobus ſupra Poſonium (vulgo Presburg) miliaribus, & ad oppidum Fiſchmuntz *Natales.*


ad Fiſcham

ad Fiſcham flumen ſitum paullo ſupra quàm in Danubium ſe exonerat, publicâ viâ, unde ſingulares plantas ſingulis locis duntaxat eruebā florentes Maio menſe, anno M.D.LXXIIII. atque biennio poſt.

In hortum tranſlatæ, Maio etiam floruerunt, atque totâ deinceps æſtate: Auguſto ſemen, ſed ægrè admodum protulerunt, nimium videlicet properè caducis magnâ ex parte floribus, ante quàm in ſiliquas formari poſſent, ipſa planta, uti conijcio, luxuriante præ nimia ſoli pinguedine & humiditate.

Onobrichis IIII.

Onobrychis floribus viciae magnitudinibus caeruleo purpurascentibus vel foliis Tragacanthae C.B. Pin: 351



Onobrichis IIII. QVARTA multa folia promit ab eadem radice, Lenticulæ aut Tragacāthæ folijs proxima, uni ſimiliter coſtæ inhærentia, molliora tamen, viridia quidē illa, ſed lanugine quadam candicante pubeſcentia, lento primùm guſtu, deinde nonnullam amaritudinem relinquente, poſtremò linguam vellicante: naſcuntur inter foliorum alas cauliculi ferè dodrantales, ſupini, exiles, quadam lanugine obducti, aliquot floſculis onuſti, viciæ ſilveſtris aut lenticulæ florum magnitudine, colore ex cæruleo purpuraſcente: quos excipiunt ſiliquæ puſillæ geminis cellulis conſtantes, ſemine (quòd cùm adhuc immaturum eſſet, probè non potui obſervare) plenæ: multas ex eadem radice, quæ longa craſſiuſculáque eſt, & obliquas fibras agit, propagines & ramulos dodrantales, humi fuſos, in latera emittens.

Natales. Creſcit in ſummo Sneberg jugo, atque in Etſcheri ſummis ſcopulis, quibus duobus locis florentē & ſiliquas jam formantem eruebam Auguſto.

NEC minus forſitan rara erit, quam Britannicâ anni M.D.LXXXI. peregrinatione, Londini in doctiſſimi viri Ioannis Richæi pharmacopæi Regij horto naſcentem videbam, ad deſcriptarum hoc capite ſtirpium claſſem proculdubio referendam, cùm proximè ad Quartum genus accedat.

Onobrichis V. Similima etenim habebat folia, mollia, incanâ lanugine pubeſcentia, ut Tragacanthæ legitimæ folia, & eodem modo uni coſtæ inhærentia, quindena & plura, interdum etiam vicena quina, uno extremam coſtam occupante: cauliculi tamen in hac oblongiores ſunt, fuſco cortice tecti, lenti, fractu cōtumaces, humi fuſi, & plerumque nudi, qui extremâ parte frequentes ramulos ſuis alatis folijs onuſtos proferunt, & in unciali villoſóque pediculo multos floſculos in caput & globum congeſtos, Tragacanthæ floribus proximos, candicantes, deinde membranaceas ſiliquulas ervi ſiliquulis minores, & Dorycnij vulgariter nuncupati ſive Hiſpanici valvulis pares, ſingularia ſemina fœnogræco ſimilia continentes.

Florebat Iulio & Auguſti initio: ſemine deinde Londino ad me miſſo & terræ commiſſo natæ plantæ, quæ feliciter & flores & ſemen inſequente anno protulerunt.

A nullo autem deſcriptas fuiſſe has ſtirpes exiſtimo, ante quàm Plantarum in Pannonia viciníſque Provincijs obſervatarum hiſtoriam in lucem emitterem: nec etiam nomen vulgare ullum aut facultates à ruſticis vel alio quopiam intelligere tum licuit.

Si quis verò non inter Onobrichides, ſed inter Aſtragali congeneres plantas, præſertim duo poſtrema genera, cum quibus magnam ſimilitudinem habere videntur, referre malit, Aſtragali ſunto: prior Alpinus, alter peregrinus.

Aſtragal. alpinus. Aſtragal. peregrin.

GLAVX. CAP. L.

MVLTAS plantas Glaucis nomine, à Recentioribus proponi, & deſcribi non ignoro: nullam tamen adhuc (meo quidem judicio) magis ad Glaucis hiſtoriam à Dioſcoride traditam, reſpondentem videre memini, eâ quæ à me hîc exhibetur.

Glaux Dioſ. TERNIS autem, vel quaternis à radice aſſurgit cauliculis, dodrantem altis, gracilibus, incanâ lanugine pubeſcentibus: folijs ſerie quadam ſecundum coſtæ longitudinem utrinque digeſtis, ſive ala foliorum illos veſtiente, Onobrichidis, aut Aſtragali prioris in modum, mollioribus tamen, ſupernè virentibus, infernè canâ lanugine obſitis, guſtu nonnihil amaro: flos

Glaux Hiſpanica. Ciceri sylvestri minori affinis si non idem B: Pin: 347.



ro: flos extremo cauliculorum faſtigio innaſcitur confertus capituli, ſpicæve brevioris & obtuſæ inſtar, Glycyrrhizę vulgaris florum forma, & colore perquam ſimilis: radix candicans eſt & exilis, quæ, an vivax ſit, aſſerere nequeo.

Natales. Nuſquam enim alibi, quàm ad ripas fluminis Thormis Salmanticam alluentis, paullò infra eam urbem obſervabam, nomine vulgari carentem, menſe Iunio: verùm is locus procul à mari diſtat, juxta quod Dioſcorides Glaucem naſci tradit.

γλαὺξ. GRÆCIS γλαὺξ perinde atque Latinis Glaux appellatur hæc planta: quæ appellatio, ſi quibuſdam minus probabitur, permittant quæſo Glaucem Hiſpanicam à Cluſio nuncupari tantiſper, donec magis aptum nomen invenerit.


Facultates. DIOSCORIDES porrò Glaucem cum hordeaceâ farinâ, ſale & oleo coqui ait in ſorbitione, ad revocandam extincti lactis ubertatem.

TRIBVLVS TERRESTRIS.

CAP. LI.

tribulus terrestris ciceris folio fructu aculeato B: Pin: 350.

Tribulus terreſtris πρώιος Theoph.



Tribulus terreſtris. HERBA eſt Tribulus terreſtris, multis viticulis gracilibus, humi ſtratis, prælongis, cubitalibus plerumque, quas frequentes nodi diſtinguunt, prædita: quibus adnaſcuntur alata folia, ſeu numeroſa foliola uni coſtæ inhærentia, Ciceris foliorum inſtar, quibus valde ſimilia ſunt, ſubacri guſtu cum quadam adſtrictione: flores ex ſingulis foliorū alis naſcuntur longis petiolis innixi flavi, Potentillæ floribus formâ pares, ſed minores: fructus ejus quinquepartito diviſus (quatuor autem ſpinis ſingulę diviſuræ quæ gibbæ & dorſo eminenti ſunt, conſtant) ſub folijs latens, in quo totidem ſemina: radix interdum minimi digiti craſſitudinem æquat.

Natales. Ad arvorum ſemitas, in quibus Melopepones Salmanticæ ſeruntur, frequentiſſimè provenientem reperiebam, hortulanis valde moleſtum & exoſum, quoniam fructus ejus (qui per maturitatem facilè de plātâ decidit) firmis aculeis pedes illorum nudi graviter offenduntur. Florebat iſtic Iulio, ſemen verò Auguſto & Septembri maturum. Memini etiam olim Mompeliano agro obſervare, ſub ipſis ferè urbis mœnibus inter oliveta.

τρίβολος χερσαῖος. ESSE autem hanc plantam Dioſcoridis τρίβολον χερσαῖον, id eſt, Tribulum terreſtrem, affirmare non velim: ſed optimè quadrare videtur alteri ex terreſtribus Theophraſto deſcripto lib. VI. Hiſtoriæ Plantarum cap. V. πρωΐῳ videlicet, tametſi hic non ſit valde præcox, locis ſaltem quibus ſponte naſcentem obſervabam. *τρίβολος χερσαῖος πρώιος Theop.*

Abrojos. Hiſpani *abrojos* appellabant.

Facultates. SALMANTICENSES ejus decoctum ad pituitam craſſóſque humores incidendos & evacuandos felici ſucceſſu clyſteribus injici prædicabant: cùm tamen Galenus terream & frigidam qualitatem Tribulo terreſtri tribuat, Dioſcoridem nimirum ſecutus.

TRIFOLIVM SPINOSVM Creticum. CAP. LII.

Trifolium ſpinoſum. PRORSVS novum & elegans eſt hoc Trifolij genus, à quo ſtirpium quæ inter trifolia recenſeri poſſunt, hiſtoriam auſpicari voluimus: certè mihi ante annum nonageſimum

XX tertium

Trifolium ſpinoſum Creticum. B: Pin: 330



Trifolium ſiliqua cornuta, ſive Medica B: Pin: 330.

Medica legitima.



tertium ſupra milleſimum & quingenteſimum non conſpectum: cujus primam cognitionem acceptam fero doctiſſimo viro Petro Spehrerio Rmi & Illmi Electoris Moguntinenſis Medico, qui ejus ramum, brevem quidem, ſed ſecundùm radicem reſciſſum, & pluribus alijs ramulis præditum, ſuiſq; floribus & capitulis onuſtũ ſub Auguſti finem, Moguntiâ uſque Francofurtũ mittebat paulò ante meum ex eâ urbe diſceſſum, quem in in tabellâ ligneâ ſtatim exprimi curabam, ut hîc proponitur. Nata autem erat ea planta Moguntiæ in Rmæ ejus Celſitudinis horto, ſemine ex Italia quidem miſſo, ſed Cretâ accepto.

ejus hiſtoria.

HVMI autem ſparſa fuerat in orbem tota planta, tenuibus ramis quadrangulis (qui frequẽtibus geniculis ex viridi purpuraſcentibus cincti erant) prædita, ad quæ utrinque ſibi oppoſita naſcebantur terna foliola uni petiolo oblongiuſculo & plano inhærentia, anguſta, craſſiuſcula, viridia, mucronata, prominentibus in ſingulis nodis ſeu geniculis, quatuor ſpinulis, binis ſupernè, totidẽ infernè ſpectantibus: in ſingulis ramulorum alis naſcuntur ſingulares flores, quinque foliolis conſtantes, coloris purpurei, anagallidis flore majores, quorum medium occupant decem ſtaminula flavo apice prædita, capitulo inter ea latente, quod tẽporis ſucceſſu, in quinque angulos ſive pinnas formatur, ut ferream clavam (qualem avorum noſtrorũ ætate equites geſtare ſolebant, & adhuc Vngari geſtãt) ſpeciem quodãmodo referat: ea deinde capitula, incurvato petiolo ſub ramis ſe condũt, & matura, in ſingulis angulis ſeu pinnis, unicum ſemen continent, planum, nigrum: qualis ſit ejus radix, me latet: nam cùm unica eſſet, ei qui ramũ mittebat, nata planta, eruere noluit. Tota autem γωνιοειδὴς eſt, & frequentiſſimis ramulis prædita.

Diſcedens autem Francofurto, nonnulla ſemina ab Honorio Belli è Creta accipiebã, curante Illuſtri viro, eodẽmq; eruditiſſimo & humaniſſimo Ioanne Vincentio Pinello, inter quę genus unũ ὀρϐιτοχορτο nomine, è quo terræ commiſſo inſequente Vere, nata Lugduni Batavorum planta, illi, cujus modò hiſtoriam ſcripſi, prorſus ſimilis: verùm cùm eâ æſtate in graviſſimum morbum, qui me ferè ſuſtulit, incidiſſem, ipſius plantę reliquas notas plenius obſervare non potui.

ὀρϐιτοχορτο Cretenſium.

SED cùm multas notas Tribulo terreſtri Dioſcoridis non repugnantes habeat (liceat quæſo liberè & ſine præjudicio meã opinionem in mediũ adferre) hærebã, an legitimus Dioſcoridis τρίϐολος χερσαῖος eſſet, aut ſaltem ad genus ejus aliquod referri poſſet.


τρίϐολος χερσαῖος Dioſcoridis.

MEDICA FLAVO FLORE.
CAP. LIII.

Medica legitima.

LEGITIMA Medica non modò varijs Hiſpaniæ locis ſponte creſcit: ſed etiã pleriſque diligenter colitur in pecudum pabulum, ſed maximè equorum, vice fœni, ut quod, propter

Medica flavo flore. *Trifolium Sylvestre Luteum Siliqua cornuta vel Medica frutescens B: Pin: 330.*



propter ubertatem, ſingulis annis aliquoties demeti poſſit. De illâ autem nobis non eſt ſermo (nam à pleriſque tradita eſt ejus hiſtoria) ſed de aliâ quadam ſponte etiam naſcente, quã in meis peregrinationibus obſervabam. Placuit tamen legitimę iconem Lectoris oculis etiam ſubijcere.


MULTOS porrò Medica, de quâ nobis ſermo, ex eadem radice profert ramos cubitales, aut longiores, humi plerumque fuſos, teretes, viminales & flexibiles; in multas alas diviſos, folia terna uni petiolo inhærentia, Legitimæ Medicæ folijs reſpondentia, & dorſo eminente, ſed longè minora: flores in extremis ramulis confertos, alterius floribus formâ pares, flavo tamen colore, non inodoros: cornicula deinde plana contorta, corniculorum legitimæ Medicæ inſtar (quæ perperam à pictore fuere expreſſa) anguſtiora tamen quàm illa: in quibus grana ſativæ granis ſimilia continentur, ſed paullo minora: radix legitimæ radici par, craſſiuſcula, latè ſparſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis novos caules profert. *Medica flavo flore.*

Naſcitur tota Pannoniâ, Auſtriâ, Moraviâ, & quibuſdam Bohemiæ, Norici, Franconiæque locis. Floret autem Iunio & Iulio. *Natales.*

MEDICA MARINA. CAP. LIIII.

Trifolium Halicacabum maritimum tomentosum

Medica marina. *B: Pin: 329.*



CAULES ſive ramulos habet hęc Medica tres aut quatuor pedales, humi fuſos & procumbentes: folia Trifolij, aut Cytiſi Maranthæ folijs minora, quæ, cũ ramulis, tomentoſâ lanugine obſita ſunt: flores extremis ramis inhærẽtes ſuis petiolis, ex alarum ſinubus exiliunt quini aut ſeni ſimul congeſti, Medicæ aut Sertulæ campanæ florum formâ, coloris flavi: ſiliquæ deinde glomeratę & contortæ ſive inflexæ, in quibus ſemen continetur ſubrufum, Medicæ ſemini ſimile: radix craſſiuſcula, perennis ſeu vivax, ex candido palleſcit. *Medica marina.*

Provenit hæc paſſim in Hiſpaniâ & Galliâ Narbonẽſi, ad Mediterranei maris littora: inveniebam etiã in Oceani littore, ad Tagi fluminis oſtium, ad D. Ioannis propugnaculum nondum tunc abſolutũ, & Caxcays, ſub Olyſippone Decẽbri florentem anno M.D.LXIIII. Floret alioqui æſtate & Autumno, & ſubinde ſemen profert. Apud Belgas ſata, à quibuſdam rei herbarię ſtudioſis colebatur ante meum in Auſtriam abitum, longioribus tamen ramis, neque adeò denſâ canáve lanugine obductis (ut pleræque ſtirpes è ſuis natalibus tranſlatæ, degenerare ſolent) ſerius etiam florebat, & rarò ſemen dabat. *Natales.*

MARINAM Medicam nuncupabam, quod Medicæ cùm ſit ſimilima, maritimis locis Meridiei præſertim obverſis naſcatur. *Nomina.*

Cùm anno M.D.LI. in Galliæ Narbonenſis maritimis eam plantam primùm conſpicerem & legerẽ, parum abfuit, quin Helenium Ægyptium Cratevæ Dioſcoridi cap. de Helenio deſcriptum, eſſe mihi perſuaderem: multas enim habere videbam notas, quæ ad Helenium illud accommodari poſſent, ut ſunt cauliculi interdum cubitales, per ſolum diffuſi & *Helenium Ægyptium.*

repentes, folia Lenticulæ numeroſa & crebra, radix minimi digiti craſſitudinem æquans, pallidiuſcula, per ima tenuis, ſupernè craſſior: præterea, quod in maritimis naſceretur. Nam licet Dioſcorides corticem nigrum radici attribuat, in Cratevæ exemplari nõ inveniri Anguilara ſcribit. Nihil tamen in re dubiâ affirmo.

Facultates. CETERVM Ægyptij Helenij radicem in vino potam, contra ſerpentium ictus auxiliari teſtis eſt Dioſcorides.

OXYTRIPHYLLON quorundam. CAP. LV.

DVM Mompelij vivebam, Trifolij genus cubitale aut amplius, & quodammodo fruticans obſervare memini ad lævam pontis Iuvenalis quâ ad Grammontiam ſilvam iter eſt, ad Ledi fluminis ripam, quod nonnulli Oxytriphyllon Scribonij nuncupabant, alij Lotum ſilveſtrem: nec defuerunt qui inter Cytiſi genera referrent.

Oxytriphyllon Scribonij. Lotus ſilveſt.

SIMILEM porrò ferè plantam (ſi non eandem apud Granatenſes obſervabam cubitali altitudine, & multis ramis præditam, per quos ſecundùm nodos & ramulorum divaricationes ſparſa erant terna ſemper folia, uni petiolo inhærentia: flores ſummis ramis naſcebantur, puſilli, candicantes, in globum quodammodo congeſti: quibus ſuccedebant cornicula ſive lobi ſemen exile rotundum, nonnunquam oblongiuſculum continentes. Ejus autem plantæ duplex erat genus: unum candidioribus ramis & alba radice: alterum caule & ramis ex albo purpuraſcentibus, ſimiliter & radice, quæ tamen in quibuſdam plantis magis rubere videbantur.

Oxytriphyllon duplex.

Granatenſis quidam Medicus Lagopum eſſe volebat, refragantibus tamen notis. Ioannes Plaça Medicus & Profeſſor in Academiâ Valentinâ (nam & Valentino regno frequentem obſervabam) Perempſanam Arabum vocabat, eámq; duplicem faciebat: primam humidis naſcentem, Granatenſi ſimilem: alteram montanam lanuginoſámque. Granatenſes Mauritani *Enzivar* ſuâ linguâ appellabant, & ex utriuſque radice, quæ ſatis craſſa, & magnæ adſtrictionis particeps eſt, præſertim autem ex rubeſcente, ſerapium conficiebant ad dyſenteriam utile.

Perempſana Arabum. Enzivar. *Facultates.*

Hujus ſemen deinde ex Italiâ miſſum Loti fruticoſi nomine & natæ ex eo plantæ.

Lotus fruticoſus.

TRIFOLII autem genus illud teretibus viticulis humi ſparſis, flore piſi pallido, ſatis magno, folijs perpetuo ternis uni pediculo inhærentibus, & molli lanugine pubeſcentibus, rarius per viticulas ſparſis, quod Mompelliani, dum iſtic vivebam, à ſiliquarum magnitudine, Lotum pratenſem ſiliquoſum cognominabant, maximè frequens eſt in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ pratis: ſed Narbonenſi paullo durius, quantum quidem mihi videbatur.

Lotus pratẽſis ſiliquoſus.

Lotus ſiliquoſus rubello flore. Lotus ruber ſiliquâ angulosa B: Pin: 332.

Lotus ſiliquoſus rubello flore.



ILLIVS verò genus invenitur frequentioribus ramis præditum, humi ut plurimũ fuſis, quorum extremitates nõnihil ſeſe attollũt, in quibus hinc inde ſparſa ſunt folia terna ſemper uni petiolo inhęrentia, mollia & quadã lanugine pubeſcentia, ex quorũ alis, breves craſſiuſculiq; oriuntur pediculi ternis etiam folijs paullo minoribus præditi, binos ut plurimùm flores ſuſtinẽtes, florum Viciæ æmulos, eleganti colore præditos, qui ad ſericum villoſum ſaturè rubrum accedit: illis ſuccedunt longiuſculæ ſiliquæ ſeu lobi, ſupernè & infernè binis alis ſatis magnis ac ſinuoſis præditi, quibus reſiccatis, lobi quadranguli quodammodo apparent, granáq; continent, rotunda, cineracei coloris, piſo minora: radix annua eſt, quam ſubſequens hiems tollere ſolet.

Noribergæ primum genus illud videbam anno M. D. LXXIX. in horto Oellingeri pharmacopœi & aromatarij ejus urbis: ipſe piſum rubrum nuncupabat: poſtea miſſum fuit ejus ſemen Lupini rubri nomine, licet ejus planta Lupino prorſus ſit diſſimilis: nonnulli τετραγωνόλοβον & τετράλοφον cognominarunt ob ſiliquam quatuor alis ſive criſtis præditam: non minùs aptè tamen πτερυγώδην ἢ τετράπτερον forſitan appellare liceret. Poſtremo ex Italiâ miſſum aliquoties ejus ſemen *Sandalida* appellatione.

Piſum rubrum. Lupinus ruber. τετραγωνόλοβος. τετράλοφος. πτερυγώδης. τετράπτερον. Sandalida.

CRESCEBAT etiam in ejuſdem Oellingeri horto Trifolij quoddam genus ſatis amplis folijs pro plantæ exiguitate, quod à magnis & membranaceis veſiculis quibus ſemen cum ſuo pericarpio continetur veſicariam appellabant, etiam Mompelij, ubi in nudis & petroſis quibuſdam collibus cum Hyacintho autumnali minore aliquoties eruere memini. Id poſtea plerìſque Germaniæ hortis vulgare factum. *Trifolium veſicarium.*

TRIFOLIVM MAIVS. CAP. LVI.

VARIA ſunt Trifolij genera: ſed tria majora, ſpicæ forma & floris colore inter ſeſe differentia paſſim in Pannonia & vicinis Provincijs naſcentia obſervabam. *Trifolij varia genera.*

Trifolium majus I.

Trifolium pratenſe album B: Pin: 327.



Trifolium majus III.

Trifolium ſpica oblonga rubra B: Pin: 328.



PRIMVM ternis, aut quaternis interdum aſſurgit virgis aut cauliculis, pedalibus, firmis, rectis, teretibus, circa quos naſcuntur rara folia, oblonga, anguſta, dura, nervoſa, carinata, & dorſo elatiore, terna ſemper ab uno exortu prodeuntia, ut in reliquis Trifolij generibus, incana, in ambitu veluti dentata, ab radice frequentiora, & majora: flores extremis ramulis, in quos cauliculi ſeparantur, inhærent parvi, frequentes, conferti, & ſpicam quodammodo formantes, albo colore, & nonnullo odore præditi: radix vivax, minimi digiti craſſitudinem æquans, fuſco & denſo cortice tecta, longa, aliquot fibris donata eſt. *Trifolium majus I.*

ILLI non valde diſſimile eſt Alterum genus, vel amplitudine, vel formâ: folia tamen paulo anguſtiora, & craſſior floſculorum, qui confeſtim naſcuntur, ſpica, eáq; ſummo caulis faſtigio inhærens ſine ullo petioli veſtigio, & quaſi inter folia latens, cui plerumque adnaſcitur alia brevior, rariſſimè tertia: floſculi verò differunt colore, qui non albus eſt, ſed ruber, & odore cujus ſunt expertes: radix, prioris radici ferè par. *Trifolium majus II.*


MAIORE multò creſcit Tertium altitudine, quæ plerũque cubitalis eſt: caules etiam habet craſſiores, nodoſos: folia ex ſingulis geniculis alternatim prodeuntia, longa, ſtriatáque, dorſo magis eminente & elato, laxâ quadam veluti vaginâ in binas appendices deſinente, caulem amplectentia, deinde terna numero ex eodem petiolo naſcentia, ſuperioribus duplo longiora, illis tamen non minùs dura, & per oras denticulata, guſtu nonnihil adſtringente: huic ſpica oblongior, & major, elegantiſſima, rubrorum floſculorum è caliculis hiſpidis emergentium ſerie compoſita: radicem habet ſuperiorum radici ſimilem, vivacem, & ſingulis annis plures caules proferentem. *Trifolium majus III.* *Trifolij majoris III ſpecies altera.*

2. Hujus generis alia eſt ſpecies, quæ vel magnitudine vel foliorum & florum formâ aut

 colore,

Trifolij majoris III. altera ſpecies.

Trifolium montanum ſpica longiſſima rubente C.B. Pin. 328



colore, nihil, aut quàm minimum differt: folia tamen anguſtiora illorum longitudinem aliquantulum excedere videntur, & florum ſpica longior eſſe.

Natales.

INVENIVNTVR non modò in Hamburgenſi Pannoniæ monte, & illi vicino Prellenberg, ſed alijs etiam Pannoniæ & Auſtriæ, Stiriæque montibus alpeſtribusque pratis & ſilvis, ſecundum & tertium utrumque genus præſertim: priora etiam duo genera, ſiccioribus pratis Viennæ vicinis, tum pariter in Moraviâ & Bohemiâ. Florent Maio & Iunio.

Groſſer Geyßklee. Cytiſus Tragi. Lagopus alter Lobelij.

TRAGVS Tertij generis alteram ſpeciem Groſſer Geyßklee/ hoc eſt, magnum hircinum trifolium, & Cytiſum appellavit: Lobelius, alterum Lagopum nuncupaſſe videtur. De eo autem quem Lagopum maximum vocat, proximo capite Deo volente agemus. Vngari porrò vulgare Trifolium *Lo here* appellant, quia equis in pabulum cedit.

Lohere.

LAGOPVS MAIOR.

CAP. LVII.

Lagopus maximus Lobelij.

Trifolium ſpica rotunda rubra C.B. Pin. 328.



Lagopus maximus Lob.

QVEM Lobelius Lagopum maximum vocavit, Belgicæ primum innotuit Anno M.D.LXX. C.V. Alphonſi Pancij munere, qui ejus ſemẽ dum Machliniꝫ viveremus mittebat, è quo nobis tum natæ plantæ, quæ cùm annuꝫ ſint, & maturius ſuum ſemen perficiant, ſpontaneâ ſatione genus ſuum tum iſtic, tum toto Belgio hactenus conſervarunt.

MVLTA autem illi Trifolio ſeu Lagopo, ſtatim à radice prodeunt folia, terna ſimul in oblongo pediculo naſcentia, pænè orbiculata, mollia, dilutius virentia; inter quæ pedalis aut amplior nonnunquam aſſurgit caulis, in aliquot ramos diviſus: ſub quibus adnaſcuntur ſimilia folia, non adeò tamen orbiculata, ſed paullo longiora: extremis ramis inſident in quinque lacinias anguſtas diviſi utriculi, in longiuſculum caput, ſeu ſpicam congeſti, è quibus emergunt floſculi coloris elegantiſſimi, ex purpura rubri: quibus excuſſis, ſuccedunt in utriculis ſemina, in ſingulis ſingula, flaveſcentia, rotunda, craſſiuſcula. Floret totâ æſtate, nonnunquam etiam in Autumnum uſque, & ſubinde ſemen profert, quod ſponte decidens, etiam ante brumam novellas plantas procreat, inſequentis anni æſtate flores daturas, ut Lugduni apud Batavos obſervabam.

Lagopus Hiſpan. major.

ALIVD porrò Lagopi majoris genus, ſemine ex Hiſpanijs accepto natum, cujus iconem ad me mittebat Iacobus Plateau: Id unicum fert caulem gracilem & ſatis firmum, nodis quibuſdam diſtinctum, & in aliquot ramos diviſum, naſcentibus ad ſingulos nodos pediculis, ſatis laxâ ſede caulem & ramulos amplectentibus, quorum extremis terna inſident folia ut in ſuperiore, non orbiculata tamen, ſed

trifolium Hispanicum angustifolium spica dilute rubente B: Pin: 328 trifolium pratense folliculatum B: Pin: 329

Lagopus anguſtifol. Hiſpanicus.



Trifolium pratenſe Salmantic.



Hepatica trifolia cærul. flore.



men , ſed longiuſcula & anguſta , carinata, ſive dorſo elatiore , caneſcentia inſtar foliorum vulgaris Lagopi: ſummi rami deſinunt in longas caliculorum ſpicas,è quibus emergunt floſculi vulgaris floribus formâ ſimiles,& ferè concolores,hoc eſt dilutè rubentes.

Simile , vel forte illud ipſum genus obſervare memini Salmanticenſi agro , dum in eâ urbe vivebam, ad vinetorum aggeres. *Natalis.*

TRIFOLIVM PRATENSE Salmanticum. CAP. LVIII.

LICET non multum à Belgico vulgari Trifolio differat illud,quod paſſim in pratis circa urbem Salmanticam naſcitur : quia tamen quaſdam notas habet diſſimiles, illius hiſtoriam negligendam eſſe non exiſtimavi.

Cauliculis autem eſt pedalibus, quinis aut ſenis, humi ſparſis, folia terna ſimul conjuncta habet uni petiolo inhærentia, uti Belgicum,minora tamen,in ambitu ſerrata,& parvâ lividiuſculâ maculâ inſignita : virgulæ teretes ex alarum ſinubus prodeunt, ſuſtinentes capitella floſculorum elegantiſſima purpurâ rubentium : quibus ſuccedunt membranacei folliculi,& in his ſemen exile ſubrufum: radix qualis in vulgari Trifolio. *Trifolium pratenſe Salmant.*

Totâ æſtate floret. Hiſpani, *Trebol de prados*, & ſimpliciter etiam *Trebol*, quemadmodum & cetera Trifolij genera, vocant. Trebol de prados. Trebol.


CETERVM, quoniam in Trifoliorum hiſtoriâ verſamur: obiter etiam meminiſſe hoc loco libuit Plantæ illius, quam nonnulli Trifolium nobile, vel Trifolium aureum (ad imitationem Germanicæ appellationis Gulden klee) & Hepaticam trifoliam appellant. *Trifolium nobile. Trifolium aureum. Hepatica trifolia.*

Eam

Hepatica trifolia rubro flore.



Hepatica trifolia cærul. pleno flo.



ejus varietas Eam flore vel cæruleo, vel ad violaceum tendente alunt Belgici horti: alunt & flore rubello & albo munere Alphonſi Pancij, qui nobis utramque mittebat Machliniam: atque πολυφύλλῳ flore cæruleo, bis aut ter: ſed quæ nunquam comprehendere voluit.

Natales. Omnes autem, præter eam quæ pleno flore eſt, Viennenſi agro ſponte naſcentes obſervabam. Nam Viennenſis ſaltus, & cæruleam præcociorem, & eam quæ florem ad purpuram tendentem habet paullo ſerius florentem, alit, tum illas quæ incarnato ſive rubello, tum albo ſunt flore, ubi aliquot earum ſtirpes eruebam anno M. D. LXXIX atque eam quæ *Hepatic. trifol. albo flore.* niveo prorſus eſt flore (diverſam ab ea quæ à Pancio mittebatur) priùs apud Gamingam cœnobium Cartuſianorum. Priores verò duæ, non modo Viennenſi agro, ſed in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ inferioris ſilvis abundanter proveniunt: quæ autem rubello eſt flore, *Hepatic. trifol. rubello flore.* apud Niſſam Sileſiæ, & Ienam Thuringiæ etiam ſponte naſci ab amicis intelligebam: at albo flore præditam apud Sabaudos, ſuperato monte Senis, qua iter faciunt qui ex Italiâ in Galliam proficiſcuntur, non procul à pago Lunenburg, frequentiſſimam naſci mihi referebat D. Balthaſar à Nerden Medicus. Anno autem octogeſimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum & ſequentibus, jam venalem proponere cæperant ſatis frequentem Viennenſi foro rhizotomæ mulierculæ è montanis ſilvis erutam. Poſt meum verò Viennâ diſceſſum, inventa eſt apud arçem Starnbeg Mag^ci^ Domini de Heuſenſtain in ſilvis illis *Hepatic. trifol. cærul. pleno flore.* quæ ab illâ arce ad Niveum montem extenduntur, etiam illa quæ pleno eſt cæruleo flore, ut ipſius Dn. de Heuſenſtain uxor Francofurtum ad me perſcribebat, quin & florem illius, ne dubitarem, papyro involutum & epiſtolæ incluſum mittebat, brevi additura dimidiam ejus plantæ (quam unicam habebat) partem, niſi Turcicum in eâ Provinciâ bellum fuiſſet exortum.

OXYS FLAVO FLORE. CAP. LIX.

Oxys flavo flore. AD Trifoliorum etiam claſſem pertinet hæc elegans plantula, quæ ramulos dodrantem pedis longos habet, interdum longiores, graciles, rotundos, rubentes, nodoſos, per terram repentes, & ſubinde ad ſingulos nodos radices agentes, novóſque ſurculos & ramulos proferentes: folia illi oxydis vulgaris, terna in ſingulis petiolis, ſed minora & ex pallido virentia, acidi ſaporis, quæ ſub veſperam, aut ingruente imbre, complicantur, & veluti in umbonis cujuſdam figuram coëunt: flores in oblõgis pediculis terni aut quaterni ſimul enaſcuntur,

Oxys flavo flore. *Trifolium acetosum corniculatum B: Pin: 330.*



enaſcuntur, quinque foliolis ſtellatim decuſſatis conſpicui, vulgari minores, flavi coloris: quibus ſuccedunt oblongiora mucronatáque capitula, ſive cornicula, ſemine exili, rufo, plena, quod (per maturitatem dehiſcentibus corniculis) exilit, & recentes plantulas, inſequente anno flores & ſemina prolaturas, generat: radix tenuis & capillata, ſingulis annis perit.

Vmbroſis quibuſdam circa Hiſpalim locis naſcitur: olim ſimilem etiam videre memini, Mompelij in horto D. Guichardi, profeſſoris Medici in illâ Academiâ, quem in urbe quidem, ſed ad mœnia ſitum colebat, in quo & Cyclaminum folio hederaceo & anguloſo conſpiciebam. *Natales.*

Apud Belgas, atque adeò in omni ſolo ſata, provenit, quin & ſemel ſata, poſtquam florere cœpit, tota deinde æſtate flores producit, & ſemen fert: plantæ tamen omnes, ut jam dixi, hiemis inclementiâ pereunt: ſed & ſemine deciduo renatæ (ſi rigida hiems ſubſequatur) plerumque corrumpuntur, prorſúſque genus interit, frigidioribus præſertim regionibus.

OXYDIS Plinio, ut putant, dictæ, genus eſt hæc planta, quam terna habere folia; & ad diſſolutum ſtomachum dari, atque adverſus enterocœlen edi, lib. XXIIII. cap. XII. ſcribit. *Oxys Plinij. ejus facultates.*

MVSCVS TERRESTRIS. Luſitanicus. CAP. LX.

Muſcus terreſtris Luſitanicus. *Muscus denticulatus minor B: Pin: 360*



TENERRIMA herbula eſt hic Muſcus, dodrantalibus aut pedalibus interdum repẽs viticulis filo tenuioribus, numeroſis utrinque adnatis ramulis in obliquum expanſis, & ſubinde capillaribus quibuſdam, quas producunt, fibris, terræ inhærentibus. Omnes autem viticulæ tectæ ſunt frequentiſſimis foliolis, ſive ſquamulis potiùs tenuiſſimis & tenerrimis, pulcherrima ſerie digeſtis, dilutioréque & quodammodo palleſcente viriditate præditis, tactu quidem mollibus, ſed veluti ſiccis, adſtringente guſtu, cui tamẽ grata quædam dulcedo admiſta ſit. *Muſcus terreſtris Luſitanicus.*

Nuſquam hoc Muſci genus mihi conſpectum, quàm in umbroſis aggeribus Olivetorum, ad Colibriam Luſitaniæ urbem, & Academiam totius regni celeberrimam, vulgo Coimbra dictam, trans flumen Mondego, Latinis Munda nuncupatum, non procul à deſerto quodam ſacello, in colle ſito, juxta quod linum ſilveſtre latifolium alterum legere me dixi, & pone ipſum ſacellum, Ruſcum ſuis baccis onuſtum obſervare memini. *Natales.*

PELAGICÆ quædam & AQVATILES plantæ.


TRADITA *Terreſtrium ſtirpium hiſtoriâ, pro Coronide Sexti & Vltimi mearum Obſervationum Libri, plantas quaſdam adijcere volui, quæ in mari & aquis naſci gaudent: inter quas primum locum obtinebunt tres elegantes peregrè ad me miſſæ.*

MVSCVS

MVSCVS MARINVS. CAP. LXI.

Muscus maritimus viridis multifido folio B: Pin: 363

Muſcus marinus.



Palma marina Theoph.

HARVM prima, Muſci marini genus quoddam videtur, quatuor unciarum, aut paullo amplioris lõgitudinis, in frequentes & latè ſparſos ramos diviſum, qui deinde in alios plures minores & multifidos deſinunt inſtar foliorum Chamęmeli, vel ſi quæ ſint illis minora aut tenuius inciſa, molles initio, & flexiles, tranſparentes, ſi lumini opponantur, virides infimâ parte, ſupremâ verò purpuraſcentes: ſed nec reſiccata planta, licet aſperior ſiccitate reddita, valde fragilis eſt ut Corallina vulgo dicta, tametſi ad ejus aliquod genus quodammodo referri poſſit, ſaporem tamen valde ſalſum retinens, &, ſi aquæ immergatur & aliquantulum maceretur, denuo molleſcens.


Illam Neapoli ad me mittebat Doctiſſimus vir Ferdinandus Imperatus anno M. D. XCII. Palmæ marinæ Theophraſti appellatione: ſed quiſquis VII. cap. lib. IIII. Theophraſti de Hiſtoria Plantarum leget, & Palmæ marinę hiſtoriam eo capite deſcriptam, diligenter expendet, nullas hanc habere notas cum Palmâ marinâ convenientes comperiet: & forſitan ad Brũ genus quodpiam potiùs eſſe referendam, pronunciabit.

LICHEN MARINVS. CAP. LXII.

Fucus folio rotundo B: Pin: 369.

Lichen marinus.

Lichen marinus.



Sertularia.

Corallina latifolia.

Opuntia marina.

PALMARES habet elegans hæc Planta ramulos, quaqua verſum in latera expanſos, foliaceos, quia ſingula folia alia pariunt vel ſingularia, vel bina vel etiam terna interdum, & illa deinceps alia, ſic ut tota planta ramulis prædita ſit, qui folijs ſuper altero inſidentibus conſtant, iiſque planis & orbiculari formâ præditis, ſibi invicem autem ita connexis, ut tenui aliquo filo vix conſpicuo duntaxat trajecta videantur, admirando ſpectaculo. Infima porrò folia, quâ ſaxis adhærent, fuſci ſunt coloris, reliqua candicant, extima (ut quæ novella) dilutius virent: omnia verò ſplendent & lævia ſunt, etiam inter chartaceas paginas aliquot annis adſervata: vetuſtate tamen lævorem illum priſtinum amittunt, & rugas contrahunt, aſperioráq; fiunt, ſalſedinem autem retinẽt.

Eam etiam ad me cum ſuperiore Neapoli mittebat Imperatus, iconem verò infeliciter expreſſam, Ampliſſimus vir Iacobus Antonius Cortuſus, curante Illuſtri viro Ioanne Vincentio Pinello. Imperatus quidem, adſcripto Sertularię nomine, quia veluti ſertum aliquod aut corallam ipſius folia ita connexa repręſentant: Cortuſus verò è Corſica plantam accepiſſe ſcribebat Corallinæ latifoliæ appellatione: nomen autem illi impoſuiſſe, Opuntiæ marinæ littoralis & ſaxatilis, ſatis (meâ quidem ſententiâ) commodâ ratione. Nam Theophraſtus libro I. capite XII. Hiſtor. Plant. ſcribit circa Opuntem

herbulam eſſe quandam, quæ ex folijs radicem mittat, ac cum ſuavitate mandi poſſit. Plinius verò ipſum ſequutus, lib. Naturalis Hiſt. XXI. cap XVII. circa Opuntem, inquit, Opuntia eſt herba, etiam homini dulcis: mirúmque, è folio ejus radicem fieri, ac ſic eam naſci. *Opuntia herba.* Et certè credibile eſt, hanc plantam recentem cum aceto, ſale & oleo, vel etiam ſine ſale, non minus ſuaviter edi poſſe, quàm portulacæ marinæ & ſimilium folia.

CETERVM qui Cortuſo plantam è Corſicâ inſulâ mittebat, & Corallinam latifoliam nuncupabat, addebat, ijſdem facultatibus eam pollere, quibus reliquæ Corallinæ. *Facultates.*

MYRIOPHYLLON PELAGIVM Cortuſi. CAP. LXIII.

Muscus maritimus filicis folio B. Pin: 363. Millefolium maritimum filicis folio B. Pin 491



SVPERIORIBVS non minùs elegans & peregrina hæc Planta, cujus iconem, cum caulis infimâ parte & radice, ab eodem Cortuſo accipiebam anno M.D.XCII.

QVANTVM porrò ex ipsâ picturâ conijcere licebat, fuerat hæc planta cubitalis *Myriophyllon pelagium.* altitudinis caule recto, ſatis tamen gracili, prædita, in plures ramos, ſeu potiùs, ut Pliniano utar verbo, ramuloſa folia diviſo: foliorum filicis pęnè formâ & effigie, ſed longè tenuiora, nutantia inſtar ramorum Palmæ, colore palleſcente, ſummus caulis minoribus folijs obſitus deſinebat in nuculas quaſdam veluti in caput congeſtas, quæ nullum aliud ſemen continere deprehenſæ ſunt, quàm tenellas plantulas jam formatas, matri facie ſimiles, quæ cadentes infimum mare petunt, deinde creſcunt, & in eandem magnitudinem evadūt, quam matres obtinent: ipſe caulis quàm plurimis tenuiſſimis & pluſquam capillaceis fibris, tanquam radice nititur, non ſuper ſaxis, aut oſtreorum teſtis, ut pleræque aliæ pelagicæ plantæ, ſed ſuper arena aut luto in imo mari ſito: fragilis eſt caulis non minùs quàm vitrum aut Corallina, dum ſiccus eſt: at viridis, & terræ adhuc inhærens, lentus eſt & flexibilis inſtar ſparti.

Naſcitur in altiſſimis gurgitibus maris Illyrici, unde piſcatores extrahunt hamis & inſtrumentis, quæ ipſi *ſperne* appellant. Tota planta etiam exſiccata, ſalſedinem ſuam retinet.

IPSE Cortuſus valde apto nomine Myriophyllon pelagium appellavit. Piſcatores verò *Penachio delle Ninfe*, & *Palma di Nettuno*, quidam etiam *Scettro di Nettuno* nuncupabant. *Penachio delle Ninfe. Palma di Nettuno. Scettro di Nettuno.*

REFEREBANT præterea utilem eſſe adverſus morſum omnium ſerpentum marinorum, & virulentos ictus piſcium: applicatam ſupra levia recentia vulnera, ea viginti quatuor horarum ſpatio curare. *Facultates.* Cortuſus autem ejus periculum feciſſe ſcribebat, ad vermes necandos & eijciendos, illámque non minoris eſſe efficaciæ deprehendiſſe, quàm quævis Corallina, etiam minore quantitate datam.

MYRIOPHYLLON AQVATICVM minus. CAP. LXIIII.

VVLGARE admodum eſt in Pannoniæ, Auſtriæ, vicinarumque Provinciarum fluviolis, quorum aquæ verſandarum molarum cauſa retinentur, Millefolium illud *Millefolium aquaticum.* aquaticum flore albo, à Neotericis deſcriptum.

SED in lacunis ſecundùm rivos ſitis, nec profundis, exiguum aliud genus obſervabam, *Myriophyllon aquaticum minus.* latè ſe fundentibus ſcapis præditum, qui rotundi, virides frequentibúſque nodis intercepti ſunt, è quibus tenues capillaceáſque fibras ſpargit, quibus telluri inhæret: ſuperior ſcaporum pars palmum ſupra aquas eminet, quam ad ſingulos nodos quinæ tenuium parvíſque foliolis præditorum foliorum alæ ambiunt, vix unciam longæ, virides admodum, quæ ſenſim circa ſcaporum ſummitatem minuuntur, ſic ut in pyramidalem quaſi formam ſcapi

deſinant,

Myriophyllon aquaticum minus.

Millefolium aquaticum flosculis ad foliorum nodos C.B: Pin: 141



deſinant, qui ſummo faſtigio totidem floſculos, quot foliorum alas in ſingulis nodis ferunt, puſillos valde, octonis candidis foliolis ſimul junctis, nec ſeſe explicantibus, præditos, qui deinde in quædam tubercula quatuor radiolos in capite habentia tranſeunt.

Flore & ſemine onuſtam conſpiciebam hanc plantam menſe Iunio.

TRIBVLVS AQVATICVS MINOR. CAP. LXV.

BICVBITALES, tricubitaleſque, aut longiores, pro aquæ altitudine, ex radice profert hæc planta, ſcapos, tenues, punicantis coloris, planos, nodoſos (qui reſiccati, lenti ſunt & flexibiles) circa ſummum diviſos in plures ramos, alternatim ferentes in ſingulis nodis ſingularia folia, duarum interdum unciarum lōgitudine, & ſemiunciali latitudine, tenuia & quaſi tranſparentia, in ambitu adeò criſpa & ſinuoſa, ut laciniata videantur, colore ex viridi ſubpuniceo: pediculi exiguos candicantes floſculos uvæque in morem cōgeſtos ſuſtinentes, oblongi craſſiuſculíq; ſunt, & inter folia exoriuntur, quæ bina ſemper ex adverſo ſita naſcuntur, contrario quàm reliqua inferiora modo: ſingulis floſculis plerumque ſuccedūt quaterna aculeata grana ſimul cohærentia, paucam cādidam medullam continētia: ſcapi infimâ parte ad ſingulos nodos oblongas, tenues, candicantes fibras agunt, quibus firmantur, & alimētum neceſſarium attrahunt. Tota planta aquis immergitur.

Tribulus aquaticus minor.

Potamogeton foliis criſpis, ſive Lactuca ranarum C.B: Pin: 193.



Tribuli aquatici minoris ſpecies altera.

PRIMVM in ſtagnis apud Nemeth-wywar, maximâ copiâ, interdū tribulum aquaticum majorem fructu eduli, & Nymphæam flore albo naſcentem, atque Iunij initio florētem, & ſemine prægnantem obſervabam anno M. D. XXC. maturius tamen florere exiſtimo, quia omnes fermè plantæ ſemine abundabant: deinde eodem menſe Viennam reverſus, in ejus urbis foſſis, ad portam quæ vulgò Stubenthorn nuncupatur, creſcentem, de ponte proſpiciebam.

SIMILEM deinde ferè plantam illo ipſo menſe videbam apud Ebreſtorf Mag^ci Dn. Hieronymi Beck à Leopoldstorf arcem (ad cujus hortū, in muro meridiei obverſo plurimæ veteres Inſcriptiones latinæ in Pannoniâ repertæ, ſeriè quadam ſunt repoſitæ, ut Nobilis ille vir totius Antiquitatis diligēs eſt obſervator) in lacunis ſecundùm puriſſimæ aquæ rivos decurrentes naſcētem, ſcapis autem non planis, ſed rotundis, eodem tamen modo geniculatis, bina ſemper inter ſe oppoſita foliola, ad ſingulos nodos ferentē ſuperioribus breviora, mucronata, in ambitu minimè criſpa vel ſinuoſa: floſculos deinde ternos vel quaternos, puſillos, Muſcatellę Cordi floſculis perſimiles, tenui brevique petiolo inſidentes: ſemen non obſervabam, quia non licebat mihi quovis momento iſtuc recurrere: ſerpit hæc, & ad ramulorum nodos atque alas plerumque fibras agit.

FINIS LIBRI SEXTI.

APPENDIX
AD HISTORIAM PLANTARVM CAROLI CLVSI.

QVIA nonnullæ plantæ demùm à me ſunt obſervatæ, jam traditâ Typographo, ut cuderetur, meâ Hiſtoriâ, eas in Appendicem congerendas cenſui, quæ ad ejus calcem accederet, indicatis capite & libro, quibus inſeri deberent.

CORAL ARBOR. ad finem Cap. IX. lib. I.

PROPTER foliorum quandam cum Siliquæ ſilveſtris folijs ſimilitudinem, peregrinæ cujuſdam arboris hiſtoriam adijcere volui, cujus tres aut quatuor ramulos, Hiſpali ad me mittebat doctiſſimus vir Simon de Tovar, ejus urbis primarius Medicus.

Coral arboris ramulus. Siliqua ſylveſtris ſpinoſa arbor indica B: Pin: 402.



EAM arborem in horto alere ſcribebat, ſemine ex Americâ accepto ipſi natam, cui nomen inditũ eſſet Coral, ob flores Corallij æmulos, ſed eorũ formam non addebat; illud dumtaxat in epiſtolâ adſcriptum, binas ipſum habuiſſe arbuſculas, quæ florem tuliſſent, in quarum adultiore etiã ſiliquæ ſive lobi nati eſſent, prægrandibus phaſeolis pleni, rigidiſſimâ autem, quæ iſtic anno præcedente fuerat, hieme, non modò illam arborem, atque ceteras Indico ſemine natas, verùm etiam pleraſque alias plantas, ipſi perijſſe. Quandoquidem porrò lobos profert ea arbor, conjecturam facio, ejus flores piſorum floribus formâ nõ eſſe diſſimiles, quales in Siliqua ſilveſtri, vulgo arbore Iudæ nuncupatâ naſcuntur, ſed alterius coloris, videlicet rubri ut coralliũ, præſertim quũ in Indice horti ipſius, quem ad me anno præcedente miſerat, adſcriptum eſſet, Arbor indica, dicta *Coral*, ob ejus florem ſimilem Corallo: cujus folia valde ſimilia ſunt folijs arboris Iudæ, ſed ſpinas illa habet, quibus hæc caret. Et certè ramuli quos mittebat (etenim ramulos cum folijs mittere ſcribebat, duplo autem & triplo majora arborem etiam proferre) folia habebant, arboris Iudæ folijs non valde diſſimilia, ſed breviore innixa pediculo, atque ex adverſo naſcentia, extremum ramulum, qui aliquot ſpinis, ut hamus recurvis, præditus erat, occupante ſingulari folio: an verò hi ramuli ſint dumtaxat foliorum coſtæ, aut veri ramuli, hæreo, quia quotquot mittebat, terna ſolummodo folia habebant: facilè autem mihi perſuaſerim, dumtaxat folia fuiſſe, quum extrema coſta in unicũ folium deſineret, & infima unius, inter ceteros, ramuli pars, veſtigium adhuc retineret, quo ramo inhæſiſſe videbatur. Nihil verò aſſero, quum, ob brevi ſubſequutã ejus, qui mittebat, mortem, nemo fuerit à quo percontari poſſem. Foliorum tamen aliquot formam, ut ramo adnata fuiſſe conjecturam faciebam, in tabellâ adpoſitâ exprimi curabam. *Coral arboris hiſtoria.*

AN verò iſtam adumbrare voluerit C. V. Matthiolus icone Acaciæ primæ, quæ ſpinoſa, & folijs, arboris Iudæ foliorum æmulis eſt expreſſa in Commentariorum ipſius in Dioſcoridem poſtremâ editione, ignoro: ſed ſi hanc arborem voluit, pictor iconem fideliter non expreſſit. *Acacia 1. Matthioli.*

GVAYAVA ARBOR. ad Cap. xxix. lib. 1.

Guajabo pomifera indica C.B: Pin: 437

Guayavæ arboris ramus.



Guayavæ arboris hiſt.

TAMETSI hæc arbor nullã affinitatem cum Pruno, cap. xxix. lib. 1 meæ Plantarum hiſtoriæ deſcripto, habeat, quia tamen dubius eram cuinam arbori in eâ hiſtoriâ deſcriptæ, illã ſubjicere poſſem, jam dicto tandem capiti accõmodandam eſſe cenſui, præſertim quũ ejus fructus, pulpam pruno non diſſimilem habuiſſe videatur, licet officuli expertem. Quòd ſi hanc Plantarũ hiſtoriam recudi cõtingat, peculiare caput illi dari poterit, & commodiore ordine reponi: interea fruatur benevolus lector ejus in hac Appendice hiſtoriâ, & illi adpoſitâ icone.

ISTVM etiam ramulum ad me mittebat vir eruditiſſimus Simon de Tovar, addito ipſius arboris fructu, ſed prorſus rugoſo, &, ut opinor, immaturo, *Guayavæ* appellatione.

Erat autem is ramulus, cujus ſummã partem cum fructu exprimi curabam, pedalis longitudinis, quadrangulus, alternatim binis folijs ex adverſo ſemper ſitis obſitus, quatuor uncias longis, unam cum ſemiſſe vel binas interdum latis, laurinorum foliorum formâ, ſatis firmis, quæ pronâ parte, tumente nervo ſecundùm longitudinem, & in latera excurrentibus venis erant inſignita, ciner aceiq; & incani coloris, ſupinâ verò læviora, minusq; apparentibus venis, quæ confracta, licet vetuſta eſſent, laurinorum foliorum odorẽ adhuc retinebant, ac etiam quodammodo ſaporem manducata: fructus, ut dixi, rugoſus erat, & levis, quia forſitan immaturus, exigui mali magnitudine, oblongiuſculus, foris nigricans inſtar prunorum maturorum, intus pulpâ rubeſcente plenus, acidiuſculi ſaporis, in cujus meditullio multa grana candicantia congeſta erant, milij, aut granorum, quæ in ficubus reperiuntur, magnitudine.

Guayabi porrò hiſtoriam deſcribit Ferdinandus Oviedus cap. XIX. lib. VIII. Primæ partis Hiſtoriæ generalis & naturalis, quam Lector reperiet inter peregrinas plantas, quarum Hiſtoriã ex varijs Auctoribus concinnare (Deo vitã concedẽte) in animo habemus.

Guayabus Ovidi.

Cneorum album folio oleæ argenteo molli C.B. Pin: 463

Dorycnium Plateau.



DORYCNIVM VERVM Iacobo Plateau creditum. ad Cap. LXVIII. lib. 1. ante ſectionem, VETERES porrò.

CETERVM aliud Dorycnium proponebat ornatiſſimus vir Iacobus Plateau, ipſi ſemine natum, quod, ejus opinione, legitimum erat. Sed quum ipſe plantam naſcentem nõ conſpexerim, nihil pronunciare poſſum: ejus tamen qualemcumque deſcriptionem ex notis quas ipſe Plateau ad me mittebat unà cum ramulis folia etiamnũ retinentibus, & icone ipſius manu delineatâ, concinnavimus, quam ſubjectã etiam tabellâ expreſſam hîc damus.

Dorycnij alterius hiſtoria.

EST igitur Dorycnium illud, planta fruticoſa, ad duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgens, & multos ramos lignoſos ſpargens, non valde diſſimiles tenellis ramis Zyziphi albæ,

albæ,cui etiam ſimilia folia habet,hoc eſt, incanâ lanugine pubeſcentia, verùm minora & firmiora: ſummis ramis multas florum gemmas profert veluti in umbellam congeſtas,quę deinde aperiuntur inſtar florum convolvoli aut ſtramoniæ,ſed ſatis fugaces, quia uno marceſcente, alter ſeſe expandere incipit: fructum ſe obſervare non potuiſſe ſcribebat, quoniam nullus floribus deciduis ſucceſſiſſet,ipſam deinde plantam perijſſe: fruticem tamen eſſe ſemper virentem, & hieme folia non abjicientem.

ASCLEPIAS CRETICA. ad Cap. LXXXIX. Lib. I.

TAMETSI in meâ Plantarum hiſtoriâ de Aſclepiade non agam,quia illa à multis eſt deſcripta:quum tamen ejus quoddam genus Cretico ſemine natum obſervarim ab alijs nondum proditum, illius hiſtoriam in hac Appendice ponendam eſſe exiſtimavi, quæ ad calcem capitis LXXXIX. lib. I. meæ Plantarum hiſtoriæ adijci poſſit: illo enim capite quædam congeneres plantæ continentur.

MVLTIS porrò ab eadem radice virgis aſſurgit,lentis,flexibilibus,gracilibus & viridibus, quas alternis ambiunt folia,vulgaris Aſclepiadis folijs non diſſimilia,bina ut plurimũ,contrarijs inter ſe pediculis naſcentia, dilutius virentia: inter quæ terni aut quaterni prodeunt floſculi brevibus petiolis nitentes,quinque pallidis foliolis conſtantes, quibus ſuccedũt interdum ſingulares,nonnunquã geminæ ſiliquæ, breviores quàm in vulgari, ſed craſſiores, ſtriatæ, bifido mucrone, continentes ſemen planum ſuâ lanugine involutum, perinde atque vulgaris. Tota planta gravis eſt odoris,buxeum referentis. Eam muſcis pernicioſam eſſe deprehendebam,quandoquidem illas floribus inſidentes,enecatas reperiebam. *Aſclepiadis cretica hiſtoria.*

LILIVM MONTANVM FLAVO FLORE. ad Cap. IIII. Lib. II. ante ſectionem Lilij porrò ſilveſtris. Si verò contingat Plantarum hiſtoriam rurſus cudi, peculiare Caput illi dari poterit.

ELEGANS eſt hoc Lilij montani genus, quod proximis his annis demum obſeruatum, nec à quopiam hactenus,quod ſciam, deſcriptum. De hoc enim primùm ad me ſcribebat, in Plantarum cognitione egregiè verſatus Ioannes Robinus Sereniſſimi Regis Galliarum atque Chriſtianiſſimi Simpliciſta, ut vulgo appellant, Lutetiæ Pariſiorum habitans,bulbos ejus ſe habere ſignificans anno M. D. XCVIII. menſe Februario, unum ex illis ſe miſſurum pollicitus, quem inſequente Novembri accipiebam, ſed valde corruptum, quia pyxidulæ terrâ plenæ fuerat incluſus, cujus attritu ex geſtatione ſquamæ plurimùm afflictæ: terræ tamen creditus,comprehendit, & ſequente anno caulem cubitalem protulit,nullum florem,rigidiſſima deinde quæ ſubſequuta hiems prorſus corrupit,ut & ſelectiſſimas pleraſque alias plantas. Scribebat verò, florem habere ex aureo flaveſcentem, folijs inſtar Lilij montani,aut Byzantini miniati reflexis, diſtinctum maculis nigris, ut ſunt Lilij montani,ſive Martagonis Matthioli flores. Ceterùm illam ipſam plantam eſſe cenſebam, de qua Nobilis vir Ioannes Boiſot ad me ſcribebat ejuſdem anni menſe Auguſto, his verbis. Superioribus diebus,meus vicinus accepit à N. Bidaut, nepote Ioannis Bidaut canonici Inſulani,Lilij montani picturam,cujus exemplar ad te mitto. Is ante ſeptennium, vel circiter,in montanis Pompeiopoli proximis, regno Navarræ, ſemina cujuſdam Lilij montani iſtic reperti collegerat,dum radicem,quæ nimis altè demerſa, aut nimis tenaciter hærens,commodo inſtrumento deſtitutus, eruere nequiret ob temporis anguſtiam, quia ejus comites jam longius proceſſerant,quos aſſequi cupiebat: ea ſemina patruo mittebat, qui plantarum culturâ valde delectabatur, quæ partim ipſe ſerebat, partim alijs communicabat,inter quos fuit Medicus Inſulanus,cui anno M. D. XCVIII. binæ plantæ illo ſemine natæ flores tulerunt,nonnihil (ut me monebat Iacobus Plateau, qui eas florentes viderat) differentes: natæ etiam binæ Canonico,ſed quæ nondum flores tulerant. Boiſoto etiam ſemina miſerat,cui unica planta nata, ſed ab ipſo neglecta,donec picturam videret: tum demum requiſitam plantam invenit. Habebat autem, ipſo aſſerente,radicem Lilio albo ſimilem,aut,ſi quid flavi admixtum,modicum id erat: certè quam accipiebam,alba erat, ſin alius color admixtus fuerit, corruptus is erat ex attritu. Sed & alij bulbi quos poſtea mittebat amicus,albis ſquamis erant prædití.

Ceterùm pictura quam Boiſotus mittebat, anguſtiora folia habebat, quàm Lilium Byzantinum miniatum,quod etiam aſſerebat Bidautius,incondito ordine (ut ſequente anno in meâ plantâ obſervabam) per caulem ſparſa, & (quod ille omittebat) dilutiore viredine prædita atque parte ſupina magis ſplendentia,quàm in Lilio miniato aut vulgari cruento: in cujus ſummo, bini inter folia nati flores, longo pediculo ſubnixi, ſex folijs reflexis conſtantes, inſtar florum Lilij Byzantini miniati, colore flavo, nigris punctis circa umbilicum diſtincti: è quo ſex ſtamina miniatis apicibus prædita prodibant, inter quæ media clava vireſcens ſurgebat, ſiue, ut Nicander Georgicorum ſecundo apud Athenæum libro XV. appellat,turpe armamentum rudentis aſini. An autem,adultæ plantæ plures flores proferant, ignoro: ſed tempus nos docebit. *Lilij montani flavo flore hiſtoria.*

Lilium mont. flavo flo. maculis diſtincto. Liliũ mont. fla. flo. nullis macul. diſtin.

Lilium flavum angustifolium B: Pin: 79





CERTE ea quam illo ipſo anno Robinus donabat nobiliſſimo viro Philippo Marnixio Sanct'-Aldegondio (ex quâ adpoſitam iconem exprimi curabam) quatuor flores tulit ſummo caule, ut Lilium Byzantinum miniatum, ab eodem exortu naſcentes, colore flavo dilutiore, & quaſi pallente, circa umbilicum nigricantibus maculis diſtincto, & ſex ſtamina apicibus miniatis donata, habentes. Florebat extremo Maio; ſed nullum ſemen ferebat.

QVVM porrò hæc de Lilio montano flavum florem gerente commentatus eſſem, mittebat ad me Burdegalâ erudititiſſimus vir Ioachimus Venerius, quatuor iſtius Lilij craſſos bulbos, monebátque duorum generum eſſe, alterum enim altero magis præcoces flores proferre: addebat inſuper ſe aliud adhuc genus obſervaſſe, cujus flores nullis punctis internè diſtincti, ſed omnino flavi eſſent, illiúsque unicum bulbum ſe duntaxat habere. Ipſo autem teſte, naſcitur Lilium iſtud de quo agimus, in *Cazeire en barechs* nuncupatis locis, atque Pyrenæorum montium alijs, unde ipſe retulerat, cum quibuſdam alijs elegantibus plantis, quæ in illis montibus ſponte proveniunt. Plures deinde hujus Lilij bulbos ab ipſo ſuperiore Martio accipiebam, quos amicis communicabam.

Lil. mont fla. flo. varietas.

Lilij montani flavo flore plenior hiſtoria.

CETERVM quatuor illi priores bulbi hoc anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum flores tulerunt, non, ut adſcriptum erat, alij præcocius alijs, ſed omnes eadem hebdomada, bini ternos, tertius quinos, quartus ſeptenos: qui ternos, extimo caule & eodem exortu natos: qui plures, paulo infra ſummum caulis faſtigium, in ala binos habuerunt. Erant porrò omnes flores (quum primùm aperiebantur) coloris ex viridi pallentis, deinde pallidi, tandem flavi, ſex folijs conſtantes ſurſum reflexis & convolutis, inſtar florum Lilij Byzantini miniati & montani, à medio ad umbilicum internè punctis ſeu maculis ex atro pupureis diſtinctis, ſex ſtaminibus vireſcentibus, miniato apice præditis cum piſtillo triangulari craſſiuſculo ex umbilico prodeuntibus, quo piſtillo nonnullos flores carere animadvertebam, etiam in eadem plantâ quâ alij: odor medius inter gravem & ſuavem, qualis ferè in Sambuci & quarundam Iridum floribus. Caules flores ſuſtinentes, bicubitales aut ampliores fuerunt, rotundi, virides, quos incondito ordine plurima ambiebant folia longa, anguſta, viridia, mollia, trinervia, oris albicantibus, & veluti lanugine quadam obſitis: radix craſſa multis ſquamis prædita, inſtar radicis Lilij albi. Flores produxit dumtaxat (ut hic annus ſerotinus) Iunio, maturiùs tamen Byzantino & montano.

FRITILLARIA PYRENÆA. ad Cap. XI. Lib. II. Plant. Hiſtoriæ, ante ſectionem, QVI ad me primum genus.

MITTEBAT idem Venerius cum Lilij montani flavo flore bulbis, paucos etiam Fritillariæ cujuſdam è Pyrenæis montibus erutos, è cujus floribus quos inſequente anno pro-

no proferebat, diverſam eſſe obſervabam ab ijs quas cap. XI. lib. II. Hiſt. Plant. exhibui.

Fritillaria Pyrenea hiſt.

BVLBVM quidem habebat Fritillariæ illo cap. deſcriptæ formâ ſimilem, minorem tamen, ex quo prodibat pedalis cauliculus, gracilis, viridis, ſenis aut ſeptenis folijs ſeptus ex viridi cineraceis, qualia ferè ſunt in alijs fritillarijs, in cujus ſummo faſtigio naſcebatur flos, aliarum Fritillariarum flore minor, ſex folijs conſtans, quæ extimas oras nonnihil reflexas habebant, ut parvi tintinnabuli formam exprimeret, quorum terna exteriora, internis erant anguſtiora, omnia obſoleti foris coloris, circa oras tamen (præſertim interiora) venis quibuſdam flaveſcentibus diſtincta, internè verò ex viridi flaveſcentis & ſplendentis: à medijs porrò folijs ad ipſos uſque ungues (qui ſimilem colorem habebant) plurimis maculis ſaturatè purpuraſcentibus teſſelatim diſpoſitis notata: ex umbilico prodibant ſex brevia ſtamina longis apicibus pallidis prædita, triſulco ſtilo è medio illorum procedente: odor ejus gravis, quaſi phalli odorem referens, & proximè ad eum, qui in ſpatula fœtida percipitur, accedens.

Tempus.

Florebat Maio cum Fritillaria ſerotina: nullum ſemen tulit, aliundè tamen accipiebam, prorſus ſimile Fritillariæ vulgaris ſemini, à quo natæ quinque aut ſex plantulæ, quæ, ubi adoleverint, an matri ſimiles flores dabunt, aut ab illis variantes, tempus nos (ſi vivemus) docebit: ſin minùs, alios, ad quos eæ plantæ pervenient.

NARCISSVS IVNCIFOLIVS MINOR. ad Cap. XII. Lib. II. Hiſt. Plant.

EODEM tempore, ab illo ipſo accipiebam Narciſſi juncifolij alterius generis binos bulbos, qui minor, ad aliorum differentiam vocari poterit.

Narciſſi juncifolij minoris hiſtoria.

PRODVCEBAT autem is Narciſſus, ex bulbo aliorum Narciſſorum junceo folio bulbis formâ non diſſimili, valde tamen puſillo, quinque aut ſex folia, anguſta quidem illa & juncea, aliquantulum tamen planiora, dodrantem aut pedem longa, nonnihil procumbentia, viridia: inter quæ prodibat unus aut alter cauliculus, gracilis, nudus, viridis, pedalis longitudinis, ſummo faſtigio geſtans folliculum membranaceum inſtar aliorum Narciſſorum, è quo exiliebāt unus aut alter flos longo pediculo innixus, formâ juncifolij vulgaris floribus ſimilis, ſed paullò minor, ſex folijs pallidioribus conſtans, cum medio calice flavo, majore aliquantulum & magis patente, quàm in vulgaris Narciſſi juncifolij flore, è cujus umbilico pallidula breviáque ſtamina emergebant, medio ſtilo prominente: odoratus quidem eſt flos, paullo tamen gravior eſt ejus odor quàm vulgaris juncifolij. Florebat Aprili.

Sponte naſci in illa Galliæ parte ſcribebat, quæ vulgo *Rovergue* nuncupatur.

HYACINTHVS MAVRITANICVS. ad Cap XXVI. Lib. II. Hiſt. Plant calcem. Sin hanc Hiſtoriam denuo cudi continget, peculiari capite donari poterit.

Hyacinthi Mauritanici hiſtoria.

EX eâ Mauritaniæ parte in qua *Feza* & *Marocco* urbes ſitæ, initio anni nonageſimi noni ſupra milleſimum & quingenteſimum, cum alijs bulbaceis plantis adferebatur Hyacinthi genus exoticum, illi non valde diſſimile, quod in Hiſpaniâ natum, XXVI. cap. lib. II. meæ Plantarum deſcriptum eſt, quum folijs, tum floribus: omnia tamen in hoc paullò majora. Nam hujus folia Hyacinthinis, aut Ornithogali Arabici legitimi folijs ſatis reſpondebant: & inter illa prodibat caulis pedalis longitudinis aut amplior, craſſior quàm in Hiſpanico, firmus, impensè viridis, vicenos interdum etiam plures flores ſuſtinens ſex folijs conſtantes, quorum externa tria nonnihil explicantur, interna quodammodo coëunt, & tubi cujuſdam formam exprimunt, extremitate tamen aliquantulum reflexâ, veluti in Hiſpanico jam dicto, coloris autem magis obſoleti & fuſci: de ſemine nihil pronunciare poſſum, quia nullum tulit: radix bulbacea, alba, Hiſpanici radici non diſſimilis, paullo tamen major, & ad Ornithogali Arabici legitimi radicem valde accedens.

Flores dabat Maio inſequente: plantas verò omnes corrumpebat cum multis alijs ſingularibus, aſperrima quæ ſubſequebatur hiems.

Hunc cum alijs, ut dixi, bulbis, è Mauritania acceptum, honeſtiſſimi viri Willelmus Parduyn, & Ioannes Somer cives Medioburgenſes in Walachriâ, amicis communicabant.

Siſyrinchium Mauritanic.

INTER reliquos porrò bulbos, fuerunt Narciſſi, quorum flores jam prætererant, & Siſyrinchij majoris genus, quod mihi flores protulit, Siſyrinchio majori quod in Luſitaniâ obſervabam, formâ prorſus ſimiles, non tamen cæruleos, ut illius, ſed purpurei dilutioris coloris, valde etiam fugaces & ephemeros, quorum terna majora folia inflexa & terram ſpectantia, albâ maculâ erant inſignita.

ORNITHOGALVM MAXIMVM. ad cap. XXXIII. lib. II. Hiſt. Plant. ante ſect. ALTERVM.

TAMETSI cap. XXXIII. Lib. II. meæ Plantarum Hiſtoriæ ſcripſerim, Ornithogalum illud, quod C. V. Dodonæus Aſphodelum Galeni appellat, omnium maximum eſſe: nunc tamen ſententiam muto. Nam poſtea aliud genus mihi conſpectum eſt illo longè majus, cujus hiſtoriam in hac Appendice Lectori proponendam cenſui.

Ornithogali maximi hiſt.

MVLTA id ineunte vere ab radice producit folia, longa, dilutius virentia, latioráque,

quàm Narbonenſe & Byzantinum, inter quæ prodit ſeſquicubitalis, & amplior interdum, caulis craſſus, viridis, lævis, magnam longámque florum ſpicam gerẽs, ut centenos aut plures in eadem ſpicâ numerare meminerim, ſex folijs conſtantes, nivei prorſus candoris, & nullo nervo viridi, ut aliorum flores, inſignitos, qui interdiu explicantur, ſéxque ſtamina brevia & latiuſcula, alba, flavis apicibus prædita, capitulúmque trigonum cingentia & umbilicum occupantia oſtendunt, noctu verò contrahuntur, aliorum inſtar: floribus excuſſis, ſuccedunt trigona capita, ſemen rotundum, nigrum continentia: radix bulboſa, craſſa, candida, è latâ ſede multas fibras emittens.

Tempus. Floret cum alijs majoribus Maio, interdum etiam Iunio, pro anni præcocioris aut magis ſerotini ratione.

EVM bulbum accipiebã Ornithogali Arabici Lilij Alexandrini appellatione inſignitum: quemadmodum etiam Byzantinũ eadem appellatione non ſemel ex Italia ad me miſſum.

ORNITHOGALVM MINVS è Pyrenæis.
ad idem Cap. XXXIII. Lib. II. ante ſectionem SEPTIMVM.

Ornithogalũ minus è Pyren. BINOS etiam à Venerio exiguos bulbos in Pyrenæis erutos accipiebã Hyacinthi ſtellati albicantibus floribus appellatione inſignitos, quorum flores quum hoc anno M.DC. conſpicerẽ, non Hyacinthi, ſed Ornithogali parvi eſſe deprehendebam: etenim & ſimilima folia, & flores nõ diſſimiles Ornithogali minoris ſexto loco deſcripti cap. XXXIII. lib. II. meæ Plant. Hiſt. folijs & floribus habuerunt: in eo dũtaxat differre mihi videbantur, quod illius flores paullo majores apparerent, ſex etiam folijs conſtantes, ut illius, quorum ſingula foris nervo, ſeu venâ ſubcæruleâ ſecũdùm longitudinem per medium eſſent diſtincta, & ſex ſtaminulorum apices in hoc furvi, qui in illo violacei. Florebat Maio.


ASPHODELVS MINIMVS.
ad Cap. XXXIX. Lib. II. Plant. Hiſt. ante ſectionem GRÆCIS ἀσφόδελος.

NOVVM porrò Aſphodeli genus, & à nemine deſcriptũ, ſemine natum ſibi eſſe ſcribebat Iacobus Plateau, à quo iconem ipſius manu delineatã XXI. Iulij hoc anno M.DC. accipiebam cum aliquot notis, quarum adminiculo hanc hiſtoriam concinnabam.

Aſphodelus minimus.

Aſphodelus minimus.

Aſphodelus albus minimus B: Pin: 29



MINOR eſt Tertio jam deſcripto, & ab eo plurimum differt: nam grãduloſas radices habet inſtar Secundi generis, licet minores, è quarum capite prodeunt quina aut ſena folia valde anguſta, & longiuſcula, inter quæ aſſurgit cauliculus rotundus dodrantẽ aut pedem altus, ſingularis, nec ullis ramis præditus, in quo ſpicæ in modum naſcuntur multi flores albi, ſex folijs conſtantes, quorum ſingula internè & externè venâ quadam ſecundùm longitudinem ſunt notata, perinde ac Tertij præcedentis flores.

Tempus. Iulij initio flores proferre incipere ſcribebat, quum reliqua genera ſuos abjecerunt, propterea magis illis ſerotinum cenſendum: hieme folia amittere, & nova denuo adquirere circa Aprilis initium.

COLCHICVM ποικιλανθὲς alterum.
ad Cap. XL. Lib. II. Hiſt. Plant. ante ſect. QVARTVM genus.

Colchicum ποικιλανθὲς alterum. ALIVD Colchici verſicolore flore genus accipiebam ab honeſto viro Theodorico Coornhart anno M.D.XCIX. quod bulbo, folijs, cum vulgari prorſus conveniebat, & perinde altè aſſurgebat, flores proferens vulgaris floribus formâ quidẽ ſimiles, ſed diverſo colore, ex albo videlicet & purpuraſcente vario, diſſimili tamen à præcedente, quia in hoc colores magis permixti, & purpuraſcens dilutior: binos vel ternos tulit flores, quibus ſucceſſerunt longa, craſſa, & trigona capita, vulgaris capitibus non diſſimilia, ſemen etiam ſimile continentia. Florebat cum vulgari, paullò maturiùs præcedente.

Eodem

Eodem capite, ad finem ſectionis PAVCOS porrò Colchici.

Ex illis tamen ipſis, binos habui bulbos, quorum ſinguli quaternos aut quinos flores protulerunt anno M.D.XCVIII. & eum inſequente, non adeò altè aſſurgentes ut in vulgari, ſed breviores, quorúmque folia luci oppoſita, teſſellatim diſtincta apparebant, perinde ferè ac in dilutiore Fritillariæ flore: ſemen etiam abundè præbet id genus, ſed in minoribus brevioribúſque capitibus quàm vulgare.

Eodem etiam capite, ad finem ſectionis, ALIVD porrò elegans.

Hujus autem Colchici plenos flores anno M. D. XCIX. obſervabam eſſe verſicolores, & folia habere ſimilibus coloribus diſtincta, quibus Colchici verſicoloris alterius flores diſtincti ſunt, hoc eſt, ex albo & dilutius purpuraſcente mixtos.

CROCVM VERNVM capillari folio.
ad Cap. XLII. Lib. II. Plant. Hiſt. ante ſect. NONNVLLI.

MITTEBAT præterea idem Venerius Croci verno tempore florentis genus capillari folio, quod Burdegalenſi agro locis deſertis naſci ſcribebat, & duorum generum inveniri: unum, purpuraſcente flore. alterum (quod rarius) albo.

ID autem exiguam radicem habebat, bulboſam, duro ſpadiceo cortice tectam, inſtar illius quod in Hiſpaniâ obſervabam ad Anam flumen, vel ejus, quod Caſabonus mittebat: *Croc. vern. capillari folio hiſtoria.* è qua inſequente anno bina aut terna prodibant anguſtiſſima & quaſi capillaria folia viridia, ſurrecta, inter quæ pediculus verius quàm cauliculus uncialis longitudinis aut paullò major, ab unâ parte planus, ſuſtinens ſemuncialis magnitudinis florem ſex foliolis conſtantem, quorum terna exteriora paullò longiora, erant, & purpurei coloris, tribus venis ſaturatioribus ſecundùm longitudinem exterius diſtincta, tria interna breviora & dilutiore colore prædita, omnia autem internè dilutè purpuraſcebant, & ungues habebant pallidos, ternis venis diſtinctos, prodeuntibus ex umbilico tribus ſtaminulis brevibus, longo apice flavo præditis, & medio ſtilo extremâ parte diviſo.

Florem proferebat initio Maij, qui ſole ſplendente aperiebatur, ſub noctem autem claudebatur, & paucos dies durabat, nullius, aut pertenuis odoris. *Tempus.*

STACHYS SPINOSA. ad calcem Cap. XX. Lib IIII. niſi quis peculiare caput illi tribuendum exiſtimet, quod ſtatim poſt caput de *Marrubio* collocandum eſſet.

QVANQVAM hujus plantæ deſcriptionē in Epiſtolis C. V. Honorij Belli Lector inveniet: quia tamē Iacobus Plateau ejus iconem cū aliquot notis (nam & ipſi nata erat, & mihi non conſpectâ exiſtimabat) miſit, eam denuo, cū icone in tabellâ expreſsâ, hîc ſubijcimus.

Stachys ſpinoſa. Cretica B: Pin: 236



PRIMO quo hæc planta mihi nata fuit anno, ad Stachydem à C. V. Matthiolo propoſitam valde accedere videbatur: etenim folia illi non diſſimilia habebat, oblongiuſcula videlicet, incanâ lanugine tecta, nullo autem grato odore prædita: ſecundo anno cauliculi excreſcebant in cubitalem pænè altitudinem, & in plures ramulos dividebantur, in molles quaſdam ſpinas deſinentes, ad quorum exortus bina ex adverſo ſemper naſcebantur folia, prioribus minora & anguſtiora: flores rari per ramulos ſparſi naſcebantur, floribus Teucrij Bætici non valde diſſimiles, minores tamē, qui valde caduci, nullum ſemē tulerunt: radix lignoſa & dura. Semine porrò ab Honorio Bello è Cretâ miſſo, *Gaiderthymo*, hoc eſt, aſinini thymi appellatione nata hæc planta, priore anno tota hieme virens in horto permanſit, eo loco ubi ſata fuerat, vitreo vaſe tecta: altero anno, famuli negligentiâ, qui, ut præceperam, hieme non texerat, perijt. Ejus qui, plantę apud ſe etiam Cretico ſemine natæ, iconem ad me mittebat, opinione (cui etiam mea accedit) non incommodè Stachys ſpinoſa dici poterit, quo nomine etiam illam exhibemus, donec aliud magis aptum occurrat.

Stachydis ſpinoſa hiſt.

Gaiderthymo.


PISTOLOCHIA altera ſemper virens.
ad Cap. XLVII. Lib. IIII. ante ſectionem NOVVM autem &c.

CRETICO ſemine natum eſt hoc Ariſtolochiæ genus Iacobo Plateau, cujus in hac

Planta-

Piſtolochia altera. | Hieracium parvum Creticum.

Piſtolochia cretica C.B. Pin: 307. | Hieracium minus flore albo creticum C.B. Pin: 127.





Plantarum hiſtoria frequens mentio. Is autem anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum à nato Chriſto, illius aliquot ramulos cum eicone ipſius manu delineata, additis quibuſdam notis ad me mittebat.

Piſtolochia altera. Multa porrò è ſummo radicum capite proferre ſcribebat tenuia ſarmẽta, pedem aut plus vel minus longa, anguloſa, ſtriata, ramoſa, lenta, fractu contumacia, humi ſparſa, & ex atro virentia, in quibus incondito ordine naſcũtur folia nervoſa, ſuperiori ſimilia, magis tamen mucronata & ad ſmilacis aſperæ foliorum formam quodãmodo accedentia, minora, atraq; & immarceſſibili viriditate prædita, oblongis pediculis nitentia, è quorum ſinu naſcuntur longi caviq; flores, Ariſtolochiæ longæ floribus formâ ſimiles, ſaturâ tamen rubedine foris magis diſtincti, internè verò aliquantulum flaveſcentes, oblongiſq; pediculis inhærẽtes: his ſuccedit fructus Ariſtolochię longę fructui non diſſimilis, ſed minor: numeroſas autem hoc genus habet radices inſtar præcedentis, vel ſmilacis aſperæ, verùm graciliores, & fibris quibuſdam tenuibus donatas, odoratas. Flores proferre monebat Iulio & Auguſto.

HIERACIVM PARVVM, CRETICVM. ad finem Cap. XXXVII. Lib. V.

SEMINE natum etiam eſt Iacobo Plateau iſtud Hieracij genus, cujus iconem vivis coloribus depictam Tornaco ad me mittebat qualem tabulâ ſubjectâ proponimus.

Hieracij parvi hiſtoria. ELEGANS autem eſt plantula, cujus ſena aut plura folia ſummâ tellure diffunduntur, quâ parte radici adhærent, anguſtiora, extremâ parte latiora, per ambitum inciſa, medio nervo purpuraſcente: inter quę naſcuntur bini aut terni cauliculi, circiter pedem alti, enodes, præterquam ſupremâ ferè parte, ubi in binos ramulos dividuntur, ſubnaſcentibus parvis foliolis valde inciſis: flores in extremis faſtigijs naſcuntur ſatis grandes pro plantæ proportione, ex multis foliolis ſibi invicem incumbentibus conſtantes, ſuperna parte prorſus albis, ſubtus carnei (ſi ita appellare licet) coloris: radix eſt ſingularis, oblongiuſcula, ſupernè craſſior, deinde paulatim ad infimum vſque gracileſcens, aliquot lateralibus fibris donata, inſtar radicis cichorij ſilveſtris.

FINIS APPENDICIS.

FVNGO-

FVNGORVM

IN PANNONIIS OBSERVATORVM

BREVIS HISTORIA,

A

CAROLO CLVSIO ATREBATE

CONSCRIPTA.

ILLVSTRI HEROI

IOANNI VINCENTIO PINELLO, &c.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS.

MEMINI, Illuſtris Heros, ante annum me ad te ſcribere, occupatum eſſe in concinnando de Fungis Commentariolo (abs te verò monitum, Clariſſimum virum Vlyſſem Aldrovandum in eodem argumēto verſari) reſpondere, de ijs duntaxat agere inſtituiſſe, quos in Pannoniâ vario tempore obſervaſſem, qui, licet alijs etiam in Provincijs ſint communes, fieri tamen poſſe, ut quædam notæ mihi perſpectæ fuerint, ab alijs forſitan minimè animadverſæ. Et ſanè nunquam exiſtimaſſem tot tamque varia genera in unâ Pannoniâ reperiri, aut illa in adeò diverſas ſpecies diſtingui potuiſſe.

DVM verò iſtic verſabar, ſumma mea cura fuit, ut in illis obſervandis, viros mihi adjungerem, in eorum dignotione induſtrios & adprime exercitatos, qui monerēt, quales innoxij, quales pernicioſi eſſent: nam, niſi valde exercitatis, difficile eſt Fungos dignoſcere, cùm plerique inter lethales reperiantur eſculentis perſimiles.

SINGVLORVM itaque, cùm edulium, tum pernicioſorum, quæ obſervabā genera, nativis coloribus à perito pictore exprimi curabam, ſumptus faciente Illuſtri Heroe Balthaſare de Batthyan, hæreditario Dapiferorum Regni Vngariæ Præfecto, qui me unicè amabat.

CETERVM omnium brevem hiſtoriam concinnavi, eamq; in duo ſumma capita diſtribuendam cenſui: Primo quidem eſculentos fungos deſcripturus, eóſq; in varia genera, & illa rurſus interdum in ſuas ſpecies diſtributurus, addito etiam apparandi & condiendi (prout intellexi) modo: Altero autem, pernicioſos & lethales, eorumque varia genera & ſpecies.

HVNC porrò libellum, Illuſtris Heros, tibi nuncupare, meæq; erga te obſervantiæ publicum teſtimonium eſſe volui, certo mihi perſuadens, minimè ingratum tibi futurum. Deum autem Opt. Max. oro, ut te quàm diutiſſimè ſervet incolumem. Lugduni in Batavis VII. Cal. Maij M. D. IIC.

FVNGORVM
IN PANNONIIS OBSERVATORVM
BREVIS HISTORIA,
à Carolo Cluſio conſcripta.

FVNGORVM, cùm Viennæ Auſtriæ viverem, multa & varia meis in Pannonias peregrinationibus obſervabam genera, quorum magnam partem, cùm in vicinis, tum alijs Provincijs etiam creſcere non dubito: ſed quia iſtic diligentius (ſubinde in prata, cæduas ſilvas, nemora, montanáque & aperta loca excurrens, cum ijs qui noxios & pernicioſos ab eſculentis diſcernere norant) obſervare potui, non inutilem operam me ſumpturum exiſtimavi, ſi eorum brevem hiſtoriam pertexerem.

ILLAM porrò in bina ſumma capita dividendam eſſe judicavi: ut ſcilicet Primo de ijs fungis agam, qui edules & minimè pernicioſi æſtimantur: quanquam (ut ait Plinius) quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Altero autem eos percurram, quibus nemo veſci ſolet: ſed pernicioſi ſunt & lethales. *Fungorum in bina capita diſtributio.*

FVNGI ESCVLENTI — CAP. I.

ESCVLENTORVM Fungorum, quos primo hoc capite deſcribere inſtitui, varia ſunt genera, atque ſingulorum diverſæ etiam interdum ſpecies. Singulorum autem generum hiſtoriam pro temporis, quo naſcuntur, ordine, tradendam exiſtimavi, atque etiam ſingula genera, in ſuas ſpecies (ſi quas habebunt) diſtribuenda. *Fungi eſculenti.*

PRIMVM GENVS.

APRILI creſcit genus illud, quod apud Vngaros, atque per univerſam Germaniam adeò in delitiis eſt, ut filo trajectum & in corallas compoſitum è clavo ſuſpendant, & adſervent, ut etiam media hieme eo veſci poſſint. Vocatur autem ab Vngaris *Szemerchyek*, à Germanis Maurachen: Cujus quatuor obſervantur ſpecies, colore & magnitudine inter ſe differentes. *Primi eſculēt. fung. gen. varia ſpecies.* Szemerchyek.

Prima enim, pollicis extremum articulum magnitudine rarò ſuperat, valde rugoſa, & quaſi favi inſtar in cellulas diſtinctâ membranaceâ cute, coloris albicantis quaſi fuligine infecti, præſertim illius venæ rugoſæ & prominentes, pediculo, quo nititur, cavo, ut & totum fungi corpus. Mauzachē I.

Altera, priorem magnitudine non multum ſuperans, aliquantulum contractior eſt, & pyri in clybano cocti inſtar rugoſa, vel potiùs tuber aut radicem Ariſtolochiæ rotundæ vetuſtate contractam & multis rugis præditam, valde mentitur, coloris ex rufo fuſci: cujus rei cauſa Germani Braun maurachen cognominant. II. Braun

Tertia, Primæ formâ non diſſimilis, ſed duplo amplior, orbicularis plerumque, præter pediculum quo ſuſtinetur: interdum autem in trium unciarum longitudinem, æqualémque aut ampliorem craſſitudinem excreſcit, ejuſdem cum Prima coloris, nec minùs quàm illa rugoſa, & veluti in cellulas diſtincta, internè etiam cava: Germanis Stock maurachen dicitur. Maurachē III. Stock maurachen.

Quartæ recens natæ figura, quodammodo ad Tertiam, quæ orbicularis eſt, accedit, ſed rugis magis turbatis & compreſſis, ut in Secundâ, color etiam magis candicans, & pediculus longior. Paulò adultior verò, in longitudinem excreſcit metæ inſtar, aut pilei ſive petaſi Germanici longioris qui limbo caret, cujúſque apud eos uſus duntaxat hieme, foris etiam rugoſa, & in cellulas diſtincta, quæ colorem palleſcentem veluti fuligine quadam infe- IIII

I. Generis eſculentorum Fungorũ 3. ſpecies.



Vol maurachen. *Natales.*

Fungus ſpongioſus.

Morilles.

Spongiole.

Parandi ratio.

Alterũ genus fung. eſculẽt.


fectum habet: internâ autem parte cava & hiante: Germani illã Vol maurachen nominãt.

Naſcitur autem Prima ſpecies apud Vngaros plerumque ſub abietibus, in dumetis, atque pratis, ſed in his Altera pręſertim: Tertia verò & Quarta ſub quercubus, magna ex parte.

Videtur porrò hic fungus is eſſe, quẽ Dalechãpius ſpongioſum cognominat, in aſperis & ſaxoſis naſcentem, ſæpe tamen ad Caſtanearũ radices, colore fulvo, corpore ſpongioſo, figurâ in metam deſinente, ſuaviſſimi guſtus: quam ob rem in delicijs haberi varijs modis præparatum, ut hominum palatũ varijs condimentis oblectatur. Gallos vocare *Morilles*, inde fortaſſe, quòd ad mori fructus figuram nonnihil accedat. Et quem Baptiſta porta, à Neapolitanis *Spongiolas* appellari ſcribit.

Ceterùm Maurachen recentes ſolent Vngari aſſare ſupra craticulam, vel ex oleo decoquere: ſed etiam reſiccati torreri poſſunt, priùs tamen macerati: qui verò elixis veſci mavult, macerari non oportet.

III. Genus eſculentorum Fungorum.



Tertiũ genus fung eſculẽt. Szent Gyevvrgi gambaia. S. Gröꝛg ſchwãmen.

Natales

Parandi ratio.

GENVS II.

VLTRA Balatonem lacum Vngariæ, in parva inſula cui nomẽ *Fanot*, Simidienſi Comitatu, Aprili etiam menſe naſci intelligebam Fungi genus delicatiſſimi ſaporis, cujus nomen indicare nemo poterat: ſed illi ſimilis eſſe ferebatur, qui inter pernicioſos & lethales Decimum ſextum genus eſt, & ab Vngaris *Kygio gomba*, à Germanis Natter ſchwammen dicitur: pyramidali tamen dodrantaliq; apice & anguſto hunc fungũ eſſe.

GENVS III.

TERTII generis, quod Vngari *Szent Gyewrgi gambaia*, Germani Sant Gröꝛg ſchwammen appellant, quia circa diẽ D. Georgio ſacrum (qui in viceſimum tertium Aprilis incidit) invenitur, unicam obſervabam ſpeciem.

Parva autem illa eſt, duarum unciarũ amplitudinem vix æquans, orbiculari ferè formâ, ſupernè quidem aliquantulum extuberante, & quodãmodo pulvinatâ: infernè verò concameratâ, & quibuſdam veluti venis diſtincta, pediculo craſſo, breviq; , coloris exalbidi, cui flavi quidpiam admiſtum ſit.

Creſcit in ſiccioribus atque paſcuis pratis: & fortaſſe is erit fungus, quem Horatius ſatyra quarta lib. II. Sermonum, optimum pronunciat his verbis,

——— pratenſibus optima fungis
Natura eſt: alijs malè creditur.

Eſt verò Tertium hoc genus, aliorum fungorum modo præparandus, qui repurgati, ut plurimùm elixari ſolent, & in fruſta concidi, quæ inter binas lances repoſita, inſperſo oleo olivarum vel butyro, & pipere addito, ſuper prunas coquuntur: aut cum larido injicitur juſculum ex lactis cremore paratum, quod Germani Milchraum appellant.

GENVS IIII.

QVARTI generis, Vngaris *Szilwa alya* dicti, quia ſub pruni arboribus naſcitur (Germanicum nomen nullum novi) plures etiam ſunt ſpecies. Nam aut parvæ ſunt, aut mediocres, aut majores. *IIII. Genus eſculēt. fung.* Szilvva alya.

IIII. Generis eſculent. Fungor. 3. ſpecies.



Prima, uncialis duntaxat eſt magnitudinis, aut paulò amplior, craſſo ſubnixa pediculo, infernâ parte convexa, & quaſi fornicata, ſulcis vel ſtrijs quibuſdam apparentibus notata: ſupernâ autē in mucronem quodammodo vel metam faſtigiata, coloris albicantis fuſco tincti. I.


Media ſpecies paulò planior eſt, quaſi in orbem circinata, duarum unciarum, aut majoris amplitudinis, infernâ parte ſimiliter fornicatâ, & ſtrijs quibuſdam veluti exaratâ: color idem qui in ſuperiore. II.

Major, quæ & Tertia, formam quidem Primæ ſimilem habet; etenim ſupernâ parte in mucronem faſtigiata eſt, infernâ cava & fornicata: ſed ejus magnitudo plerumque eſt trium unciarum, craſſioreque pediculo nititur: color hujus magnâ ex parte magis fuſcus eſt, & notis quibuſdam interdum diſtinctus: deinde ſuperna pars, ut plurimùm lacera & ſciſſa apparet. III.

GENVS V.

PLVRES item habet Quintum genus differentias, ſed omnes uno nomine appellatas: ab Vngaris quidem *Peztricz*, à Germanis verò Paſternitz. Sola porro earum differentia in magnitudine conſiſtit, quandoquidem formâ, materiâ, & colore pænè conveniunt. *V. Genus eſculēt fung.* Peſtricz Paſteznitz

V. Generis eſculent. Fungor. I. ſpecies.



Prima autem ſpecies angulosâ figurâ eſt, quatuor unciarum amplitudinis, brevi & quaſi nullo pediculo, ſed eo valde craſſo: inferna pars candicante & ſatis denſa materiâ conſtat: ſuperna veluti ſpongioſa eſt, & villis quibuſdam obſita, coloris ex rufo fuſci. I.

Altera magis orbiculatâ eſt figurâ, craſſiore & paullò longiore pediculo prædita, quinas aut plures uncias lata, totidem longa, infernè & ſupernè à Prima ſpecie non multùm differens: materiâ autem, ſeu corpore, paulo craſſiore, & magnitudini reſpondente. II.

Tertia longè major eſt, orbiculata ferè figura, in tres tamen lacinias diviſa, ut trifolij frondem quodammodo referre videatur: ſex autem aut plures uncias in longitudinem patet, totidem in latitudinem: craſſiore etiam ea conſtat pediculo, unciámque lato, brevi tamen: color idem qui in ſuperioribus, infernè; ſed ſupernè, dilutior illis, & ſpongioſis quibuſdam craſſiſq; villis ſive potiùs frōdium rudimentis ex fuſco palleſcentibus prædita. III.

In Vlmorum, Populíque albæ caudicibus dejectis naſci ſolet, & bis plerumque, etiam ter interdum, in anno provenire. *Natalis.*

Pezica fungus.


An autem genus illud quod Plinius à Græcis Pezicas dici, & ſine radice, ſine pediculo naſci aſſerit?

Parandi ratio.

Ceterùm *Peztricz* repurgati, eodem modo condiri poſſunt, quo Keyſezling/ de quo infra Decimo ſeptimo veſcorum fungorum genere: ſed & elixi conciduntur, atque in lance compoſitis fruſtis, laridum accenſum inſtillatur.

GENVS VI.

VI. Genus eſculentorum Fungorum.



VI. Genus eſculẽt. fung.

EXIGVA eſt in Sexto genere diverſitas: aut ſi quæ eſt in magnitudine differentia, eam ex ætate duntaxat provenire arbitror. Hoc autem peculiare habet iſtud genus, quod non ſingulare, ſed confertim plures ſimul plerumque creſcunt: nam vel bini, ternive ſimul fungi conjunctim naſcuntur, vel etiam quini, ſenive, aut plures.

Sunt autem omnes ferè orbicularis formæ, planæ tamen, infernâ parte albi, & ſtriati, ſupernâ aliquantulum protuberantes, mediâ autem nonnihil depreſſi, ut umbilicum exprimere quodammodo videantur, colore magis fuſco quàm infernâ. Minores, circiter unciam lati ſunt, aut paulò ampliores: Medij, binarum unciarum latitudinem adquirunt, vel explent: Maximos, quaternarum etiam unciarum amplitudinem ſuperare exiſtimo.

Szil fa termevvt alya. Buchen ſchwãmen. Gilvva gyerthyan fa termevvt.

Omnes verò hæ Vngarico nomine dicuntur *Szil fa termewt alya*, hoc eſt, ad ulmos naſcens fungus: tametſi indifferenter ad ulmi, quercus, cerri, fagi, oſtriæ (quam Galli *Heſtre*, Germani Hagenbuchen appellant) betulæ, populi albæ, & juglandis radices, aut earum dejectarum caudices, creſcant: Germani Buchenſchwammen/ id eſt, faginos fungos nominant. Vngari autem eum qui ad Oſtriæ radices naſcitur, coloréque magis fuſco tinctus eſſe videtur, peculiariter *Gilwa gyerthyan fa termewt* appellant.

Natales.

Magna etiam copia naſcuntur in truncis reſectis ſupradictarum arborum, præſertim verò ulmi & juglandis, ſi leviter terrâ, vel etiam ſolo ſtramine ſepulti & tecti putreſcãt. Quod valde conſonum eſt cum his quæ Matthiolus Comment. in Dioſcorid. lib. 1. cap. de Populo ſcribit: cujus verba in ſtudioſorum gratiam, hîc adſcribere libuit, ne quis vana eſſe exiſtimet, quæ Vngari de fungi modò deſcripti natalibus aiunt.

Fungorum educendorum ratio.

Atqui, inquit, præter ea quæ à Galeno de Populi facultatibus ſcripta ſunt, ſciant velim rei medicæ ſtudioſi, populum albam, humo tenus ſectam ad radicem uſque, & aquâ calidâ, in qua fermentum fuerit diſſolutum, perfuſam, infra quadriduum fungos copioſos edere, eſui quoque gratiſſimos.

Reperitur autem à novo Vere in Autumnum uſque.

Parandi ratio.

Simili porrò ratione apparatur hic fungus (ne eam repetere cogar) qua Decimum ſeptimum eſculentorum genus Germanis Keyſezling/ Vngaris *Vr gomba* dictum: unde petere licet.

GENVS VII.

VII. Genus eſculẽt fung.

SEPTIMI generis forma duplex eſſe mihi viſa eſt: Nam vel planos conſpiciebam ſupernâ parte nonnihil tumentes, interdum etiam in ambitu laceros, coloris aut albi fuſco permiſti, vel maculis quibuſdam diſtincti: infernâ nonnihil convexâ, & veluti ſtrijs

ſive

VII.Genus eſculent. Fungorum.





ſive ſulcis, à pediculo craſſiore in oras uſque ductis, exaratâ, fuſci coloris. Aut orbiculari pęnè figurâ, ſupernè, immò totâ ſuperficie, candicantes, ut ovum excalptum exprimere videatur, præſertim adempto pediculo.


Hoc genus Vngari *Chöpörke gomba*, id eſt, tuberoſum fungum, appellant: Germani Angerling/ quoniam in ſiccioribus pratis, ſive paſcuis juxta pagos ſitis (quæ ipſi Angern nominant) proveniat. Ter autem in anno reperitur. Chöpörke gomba. Angerling.

Sed & iſtud genus non incõmodè forſitan referri poſſit ad illud Horatij, de quo in Tertio genere.

GENVS VIII.

OCTAVVM genus nõ ineptè in tres ſpecies (meâ opinione) quis dividat: quarum Primæ & ſecundæ diſcrimen in ſolâ magnitudine conſiſtit, nonnihil & colore: omnes tamen tres, ſimilis formæ. Vngari, *Keſerew gomba*, hoc eſt, amarum fungũ: Germani, Pfifferling: Galli, *Champignon* & *Potiron* vocant; tametſi in univerſum omnia pænè Fungorum genera ijs nominibus donent. VIII. *Genus eſculẽt fung.* Keſerevv gomba. Pfifferling. Châpignon. Potiron.

VIII.Generis eſculent Fung. 2.ſpecies.





Prima ergo ſpecies, binas ferè uncias lata eſt, planæ, ſed orbiculatæ figuræ, ſupernè tamen quodammodo pulvinata, & candicãs, infernè veluti camerata & convexa, ſtrijs quibuſdam à craſſo pediculo in oras ductis diſtincta. I.

Altera, huic prorſus ſimilis, ſed amplioris magnitudinis, ut quæ quaternas aut plures uncias æquet, ejuſdem cum Primâ figuræ, ſed craſſiore pediculo ſubnixa: ſupernè albâ cute, cui inſperſæ aliquot maculæ fuſcæ & flaveſcentes: infernè flaveſcens aliquantulum, & magis conſpicuis ſtrijs à pediculo in extremas oras productis, exarata. II.

Tertiam ſpeciem Vngari *Vörös Keſerew gomba*: Germani eadem de cauſa Rode pfifferling nominant, quia magis rubet præcedentibus: ſed & Vngaris *Bik alya* dicitur, quòd ſub fagis interdum creſcat. Amplior eſt hæc Secunda ſpecie, & magis circinatæ rotunditatis, longiore graciliorèque ſubnixa pediculo, & colore ſupernâ & infernâ parte ex fuſco ſubrubente, non minùs evidentibus & conſpicuis ſtrijs, à pediculo in orbem diffuſis, inferius diſtincta, quàm Secunda ſpecies. III. Vörös Keſerevv gomba. Rode pfifferling. Bikalya.

Omnes autem ſpecies, ut plurimùm, in cæduis ſilvis naſcuntur, circiter Pentecoſten, hoc eſt, ſub extremum Maium, aut Iunij initium. *Natales.*

Priores duæ ſpecies, palato gratæ eſſe feruntur, atque ijs plerique veſcuntur eodem modo paratis, quo Decimum ſeptimum genus. Tertiam edunt etiam nonnulli, ſed perpauci. *Parandi ratio.*

GENVS

GENVS IX.

IX. *Genus eſ ulēt. fung.* Herench. Kremling. IN Nono genere plures etiam obſervabam differentias, quas ordine deſcribo: ſed omnes uno nomine dictas cùm apud Vngaros, tum apud Germanos: etenim illi *Herench*, hi Kremling ſua lingua appellant.

I. *Prior* autem ſpecies, Secundo generi valde abſimilis non eſt: nam circinatæ in plano ferè eſt rotunditatis, unciam aut binas magna, ſupinâ parte pulvinata & candicans, infernè autem magis eſt fuſca, & evidentioribus ſtrijs donata, quàm Secundum genus.

II. Ad Quinti generis Primam ſpeciem plurimùm accedit *Altera* ſpecies: etenim anguloſa eſt, ſed amplior, ut quam uncias quatuor aut plures æquare exiſtimem, ſupernè etiam albicans, non, ut illa, fuſca: infernè verò nō lævis & glabra, inſtar illius, aut alba, ſed craſſis ſtrijs ab umbilico, ſive pediculo, in oras ductis, inſignita.

III. *Tertia* magnam affinitatem habet cum Octavi generis *Altera* ſpecie: quia ferè orbiculata eſt, & æqualis pænè magnitudinis: ſupernè tamen in albedine magis fuſca eſt: infernè illi non diſſimilis, niſi quod ejus ſtriæ craſſiores ſunt, & pediculus illam ſuſtinens craſſior, brevior, atque magis nigricans.

IIII. Sola magnitudine ab Octavi generis Tertia ſpecie differt hujus *Quarta* ſpecies. Illa enim amplior eſt, hæc minor, utraque autem circinatæ ferè in plano rotunditatis: illa ſupernè rubeſcens, hæc multò magis rufeſcens, eámque adeò ob cauſam Vngaris *Vörös Herench*, Germanis Rotte Kremling dicta: graciliore illa pediculo ſubnixa, hæc craſſiore & magis albo, ut etiam inferna hujus pars candidior eſt illâ, & minus evidentibus ſtrijs exarata.

(Vörös Herench. Rotte Kremling.)

Natales. Naſcuntur autem omnes eodem, quo Octavi generis ſpecies, tempore, atque in cæduis, ut plurimùm, ſilvis, quemadmodum & illæ.

GENVS X.

X. *Genus eſculēt. fung.* Hirſchling. MANIFESTVM eſt inter utramque Decimi generis ſpeciem (binas enim ejus ſpecies obſervabam) diſcrimen, licet magnitudo ferè ſit æqualis. Nomen utrique apud Germanos Hirſchling/ quaſi cervinum dicas: Vngari ut vocent, ignoro.

x. Generis eſculentor. Fungor. I. ſpecies.



I. *Prima* ſpecies pediculo binas uncias longo, minimum digitum craſſo nititur: ipſius verò fungi orbicularis in plano eſt forma (cujus diameter duarum unciarum aut amplioris magnitudinis eſt) ſupernè nonnihil extumeſcens, & veluti ſericeis villis obſita, colore puniceo dilutiore, & veluti carneo, oris in infernam partem valde reflexis, quæ ex albo rufeſcit, & multis ſtrijs, inſtar aliorum fungorum diſtincta eſt. Hanc ſpeciem Germani Rauche hirſchling/ hoc eſt, hirſutum ſive villoſum cervinum fungum, quemadmodū Alteram ſequentem Schwartze hirſchling/ quod ſignificat nigrum cervinum fungum.


(Rauche hirſchling. Schwartze hirſchling.)

II. *Altera* ſpecies longiore conſtat pediculo, ejuſdem tamen cum ſuperiore craſſitudinis, ſed infima hujus pars craſſior eſt & veluti limbo circumvoluta: præterea in hac bini plerumque fungi conjunctim ex eodem pede oriuntur: orbicularis etiam in plano ſunt figuræ (præterquam qua parte ſeſe mutuo comprimunt) ejuſdem cū ſuperiore magnitudinis, aut paulò amplior, paululum extumuſcens ſuperiore parte, & glabra, coloris ex rufo fuſci, oris non adeò in infernam partem inflexis, quæ non minùs frequentibus ſtrijs eſt prædita, quàm Prima ſpecies, colore ex pallido nigreſcente.

Natales. Naſcuntur in cæduis ſilvis, eodem propemodum tempore quo Nonum genus.

GENVS XI.

XI. Genus eſculentorum Fungorum.



ISDEM locis,atque eodem quo Decimum tempore reperitur Vndecimum genus, cujus unicam ſpeciem videre memini: aut, ſi quæ eſt differentia, ex fungi ætate duntaxat provenit. Germani Geyßklaw/hoc eſt,caprinum pedem ſive ungulam appellant,ab Vngaris nullum nomen intelligere potui,niſi illud à Germanis mutuatum. *XI. Genus eſculēt. fung.* Geyßklaw

Initio quidem inæquali eſt figurâ hic fungus, magis tamen ad orbicularem tendente, per oras lacer, duarum unciarum latitudine, ſupernè ſubfuſci coloris; infernè candicantis, & ſtrijs diſtincti. Adultior autem, magis orbiculatæ eſt figuræ, & per oras magis laceræ, quàm recens natus, tum longè amplior, ut cujus diameter ſit quatuor unciarum: ejus item color magis fuſcus ſupernè, & albicans infernè, cui fuſcedo quædam admixta.

GENVS XII.

PROVENIT etiam in ſilvis Duodecimum genus, & reperitur circa Pentecoſten. Id Germanis Reheling/quaſi Capreoli fungus dicitur: Vngaricum nomen mihi ignotum. *XII. Genus eſculēt. fung.* Reheling.

Vnicam etiam hujus Fungi ſpeciem obſervabam, nec formâ, nec magnitudine à Primâ ſpecie Octavi generis valde differentem: ſed color diverſus, qui ſupernè flaveſcit, infernè ex flavo rufeſcit, ſtriáſque habet in ſuperiorem pediculi (qui eum ſuſtinet) partem uſque productas, illáſque in eum radiatim deſinentes: gracilior autem is eſt pediculus, quàm Octavi generis.

GENVS XIII.

DECIMI-TERTII generis variæ ſunt ſpecies: eam ob cauſam apud Vngaros & Germanos varia obtinuit hoc fungi genus cognomina: generali autem appellatione Vngaris *Galambicza*, Germanis Teubelinge dicitur. *XIII. Genus eſculēt. fung.* Galambicza. Teubelinge

Naſcuntur autem omnes ejus ſpecies promiſcuè in ſilvis, & Iunio Iulióque menſibus inveniuntur. Germanorum porrò diſtinctionem ſequentes, quinque hujus generis ſpecies faciemus. *Natales.*

Prima, omnium ampliſſima eſt, ut cujus plana ſuperficies quincuncialem diametrum habeat, orbicularis, ut plurimùm, eſt ejus figura, digitalis longitudinis pediculo, unciam craſſo, ſubnixa: ſupernâ parte protuberante, colore ex albo vireſcente prædita: infernâ candicante & ſtriata. Iſtam Germani Fraw Teubelinge/ hoc eſt, Dominarum cognominant. I. Fraw Teubelinge

Alterius paullò minor eſt amplitudo, ut cujus diameter quaternas uncias non excedat, orbicularis etiam & planæ eſt figuræ, ſupernè tumeſcentis, ſed in medio & quaſi centro nonnihil compreſſæ, ut umbilicum mentiatur, coloris ex cæruleo, viridi, & fuſco commixti: infernè ex albo ſubfuſci, pediculo fulta pollicaris craſſitudinis, ſed breviore quàm Prima. Huic Vngari, *Keek galambicza*, Germani Blaw Teubelinge/quod ejuſdem eſt ſignificationis, cognomen dederunt. II. Keek galambicza. Blaw Teubelinge

Aequalis


XIII. Generis eſculent. Fung. 2. ſpecies.

III.



Võrevvs galambicza. Rott Teubelinge.

IIII.



Schwartze Teubelinge

V.

Rauhe Teubelinge

Aequalis ferè cum ſuperiore eſt *Tertia* amplitudinis (interdum autem vix binas uncias ſuperat ejus diameter) ſed paulùlum anguloſa, coloris ſupernè elegantis, ut qui ex purpureo & ſaturato rubro commixtus videatur, emicantibus aliquando, ſed raris albis maculis, quas cõtrahi arbitror flore illo ex cõtactu deterſo: inferna pars candicat, & fuſcis ſtrijs exarata eſt, oris in ambitu parũ & dilutè purpuraſcentibus, extremis nempe ſupernæ partis oris aliquàtulum inflexis. Vngaris *Verews Galãbicza*, Germanis Rott Teubelinge/ quod idem eſt, dicitur.

Quarta ſpecies minor eſt Tertiâ, nec ejus ſuperficiei (quæ orbicularis eſt figuræ) diametrum binas uncias excedere puto. Vncialis longitudinis pediculo ſuſtinetur, graciliore quàm ſuperior: ſuperna pars quodam modo pulvinata, in medio nonnihil cõpreſſa, & umbilici formam exprimens, colore flaveſcente, veluti fuligine infecto: inferna pars alba, fuſcis ſtrijs à pediculo ad circũferentiam diſtincta. Germani Schwartze Teubelinge/ id eſt, nigrum cognominant.

Quintæ ſpeciei, cognomen dederũt Vngari *Waras galambicza*, Germani Rauhe teubelinge/ quaſi dicas aſperum. Æqualis autem eſt cum Quartâ magnitudinis, circinatę in plano quodammodo rotunditatis, ſupernè etiam intumeſcens, & pulvinata, aſperiorq; reliquis ſpeciebus, coloris ſupernè ex albo fuſci: infernâ verò parte, candicante quidem, ſed quam fuſcæ ſtriæ in oras excurrentes, veluti inficiunt.

GENVS XIIII.

XIIII. gen. eſcul. fung. Nivvl gõba. Haſen örlein.

EODEM, quo ſuperioris generis ſpecies, tẽpore in ſilvis oritur *Decimum-quartum* eſculentorum fungorum genus, quod Vngari *Niwl gomba*, hoc eſt, Leporinum fungum: Germani Haſen örlein/ Leporinam auriculam, appellant. Videtur autem in duas ſpecies poſſe diſtingui: niſi quis forſitan ætate duntaxat differre putat.

I. *Prioris* ſpeciei forma anguloſa eſt, magis tamen in orbẽ circinata, unciam, aut paulo amplius lata, brevi craſsóq; pediculo ſubnixa, ſupernâ parte extuberans, pallidi coloris, quem flavæ aliquot maculæ varium faciunt: inferna pars flaveſcit, fuſcisque ſtrijs exarata eſt.

XIIII. Generis eſculentorum Fungorum ſecunda ſpecies.




II. *Altera* ſpecies duplo major, non minus tamen, quàm Prior in ambitu anguloſa, & veluti craſſioribus quibuſdam lacinijs ſecta, ſupernâ parte non pulvinatâ, ut ſuperioris, ſed potius

cavâ,

xv. Generis eſculentor. Fungor. 2 ſpecies.



xvi. Generis eſculent. Fungor. 2. ſpecies.



cavâ, ita ut, ſi quis manu teneat, & obliquè ſive ex latere duntaxat conſpiciat, flavum (nam talis eſt ejus color) floré tenere videatur: inferna pars multis ſtrijs in oras excurrentibus & productis, inſignita eſt, croceoque colore infecta.

GENVS XV.

DECIMO-QVINTO generi, nomen dederunt Vngari *Dizno gomba*, hoc eſt, Suilli fungi: Germani ejuſdem ſignificationis vocabulo Schwaindling/ expreſſerunt. *xv. gen. eſcul. fungor.* Dizno gõba. Schwaindling.

Naſcitur in ſilvis eodem, quo Decimumquartum genus, tempore. Duæ autem ſunt ejus ſpecies manifeſto diſcrimine inter ſe differentes: quarum *Natales.*

Prior orbicularis ferè eſt figuræ, circiter quatuor uncias lata, brevi craſſioréque pediculo fulta: ſupernè nonnihil extuberans & pulvinata, coloris ſubalbidi, ſed veluti fuligine infecti, per quem ſparſę ſunt aliquot albæ maculæ: inferna pars ſubalbi etiam eſt coloris fuligine infecti, multis craſſioribus ſtrijs nigricantibus, à pediculo in circuitum excurrentibus, notata. I.

Altera Priorem amplitudine ſuperat, & ejus oræ in interioré partem magis reflexæ, orbiculatæ quodámodo figuræ, cujus ſuperior pars pulvinata, coloréque tincta purpureo, cui ruber ſaturatior commixtus, in meditullio tamen flaveſcens, & ſecundum oras, albis maculis diſtincta: inferior pars ex albo fuſca eſt, & tenuioribus ſtrijs exarata, pediculo, quàm in Primâ, longiore. II.

Germani hanc poſtremam ſpeciem à rubro colore Rott Schwaindling nominant. Rott Schwaindling.

Tametſi autem non valde probetur hoc fungi genus: non deſunt tamen qui illo veſcantur, adeo intemperantis gulæ reperiuntur quidam. An porrò hoc genus, tertium illud Plinij, quod XXII. Natural. Hiſtoriæ cap. XXIII. venenis accommodatiſſimum eſſe aſſerit? Certè nomen convenit: licet ille formam non expreſſerit, ſed circa radices quercus, roboris, cupreſſi & pini, gigni ſcribit. Ioannes Baptiſta Porta, Suillos antiquum nomen apud Neapolitanos adhuc retinere ait, atque illis Silli dici. *Suilli.*

GENVS XVI.

DECIMO-SEXTO veſcorũ fungorum generi, nomen ſatis obſcœnum apud Vngaros: nam illi *Varganya* appellant: Germani autem Bültz/ quia pediculi, quo ſuſtinetur, pars infima, in majorem creſcat amplitudinem quàm ſuprema, ad ejus pęnè ſagittę formam, quæ craſſiore & veluti orbiculata eſt cuſpide, ipſis bültz nuncupatæ, Gallis autem *materaz*. Reperitur in ſilvis circiter extremum Auguſtum. *xvi. gen eſc. fungor.* Varganya. Bültz. *Natales.*

Ejus porrò tres obſervabam ſpecies inter ſe differentes: nonnulli quartam addebant, ſed eam propter formæ diſſimilitudiné, ad aliud potius fungi genus referendá cenſui, dubiamq; feci, reponens inter Vndeviceſimum & Viceſimum pernicioſorum fungorum genera. *Plures ejus ſpecies.*

Prima

I. *Prima* verò quatuor uncias longo fulcitur pediculo, ſupernâ parte ſatis gracili, & minimi digiti craſſitudinem vix ſuperante, infernâ craſſo, ut qui uncialis ſit aut amplior, coloris varie mixti ex cæruleo, viridi, & fuſco: ſuperior fungi pars orbicularis in plano eſt figuræ, tumeſcens & quaſi pulvinata, cujus diameter trium unciarum aut paulo major, color ex candicante ſubfuſcus: inferior pars, cui pediculus inhæret, nullis ſtrijs deformata eſt, ſed plana & alba: quam ob cauſam Vngari *feyer varganya*, hoc eſt, album cognominant.

Feyer varganya.

II. *Secunda* ſpecies breviore conſtat pediculo, ſed eo longè craſſiore quàm Prima, ut qui digitalem craſſitudinem ſupernè æquet, vel etiam ſuperet, infernè, binas uncias cum ſemiſſe, & coloris ex albo flaveſcentis: ipſius fungi caput orbiculatæ quidem eſt figuræ, ſed inæqualis & quaſi ſinuoſæ, cujus diameter, pediculi infimam partem amplitudine non valde ſuperat, coloríſque eſt ex flavo rubeſcentis: verſa pars nonnihil camerata eſt, coloríſque eſt ex flavo rubeſcentis, nullis ſtrijs exarata. Vngaris *verews varganya*, id eſt, ruber dicitur, cùm verius *ſarga varganya* appellari deberet, meâ opinione, id eſt, flavus: niſi fortè eo cognomine donare voluerunt, quia ejus averſa pars, aliquantulum, ut dixi, rubet.

Verevvs varganya. Sarga varganya.

III. *Tertiæ* ſpeciei duplex eſt differentia. Nam, alia eſt junioris & recens natæ facies, alia adultioris. Iunioris porrò figura prorſus orbicularis eſt, diametrum duarum circiter unciarum habens, valde in rotundum elata ſupernè, & fuſci admodum coloris, fulginoſique: infernè cava & fornicata, coloris albi & nullis ſtrijs deformati: pediculus illam ſuſtinens binas uncias longus eſt, aut paulò longior, ſupremâ parte pollicaris craſſitudinis, infimâ, duorum digitorum. Adultior autem, longè amplior eſt: nam quaternas aut quinas uncias latus eſt, ternâs ferè altus. & in rotundum quaſi faſtigiatus, coloris ſupernè ex fuſco rufeſcentis: inferne planus, æqualis, albus, nec ullis ſtrijs exaratus: pediculo fulcitur ternas uncias longo, ſupernâ parte unciam craſſo, infernâ binas, coloris ex albicante fuſci. Iſtam ſpeciem Germani *grawer bültz* cognominant.


Grawer bültz. ἀμανῖται.

Habet verò hoc fungi genus aliquot notas, ob quas Pauli ἀμανίταν eſſe liceat conijcere: etenim colore fuliginoſo ſunt ejus ſpecies, orbe etiam quarundam tam amplo, ut ſæpe humanum caput æquent, pediculo omnium craſſo, infra colore nigro vireſcente.

Parandi ratio.

Ceterùm hic fungus apud Vngaros in hunc modum apparari ſolet. Repurgatus conciditur, fruſta paululum in clibano exſiccantur, deinde in aqua elixantur: ijs deinde exemptis, panis vulgaris, quo videlicet familia uti ſolet, taleæ ſuper craticulam toſtæ, in prædicto juſculo coquuntur, id demum juſculum cribro farinario ſuccernunt: poſtremò, huic condimento (quod nec tenue nimium, nec craſſum nimis eſſe debet) elixa fungi fruſta imponuntur, additóque aceto, piperis, gingiberis, atque caryophyllorum aromaticorum polline eduntur. Tenuis autem fortunæ homines & ruſtici, illo cum panici ſemine pultis inſtar decocto, & pipere denique inſperſo, veſcuntur.

XVII. Genus eſculent. Fung. primum prodiens.]



XVII. Genus eſculēt. fung.

Natales

Vr gomba.

Keyſerling.

GENVS XVII.


AD nobiliſſimum porrò eſculenti fungi genus (quod, ſecundùm ordinem à nobis obſervatum, Decimum-ſeptimum eſt) tranſeamus.

Provenit autē id in ſilvis rarâ quercu conſitis, ijsque cæduis præſertim, & editioribus ſiccioribúſque locis, bis ſingulis annis, circa meſſem videlicet, & ante vindemiam. Vngari propter excellentiam *Vr gomba*, veluti ſi diceres Dominorum fungum, ſeu primarium fungum: Germani ob eandem cauſam *Keyſerling* appellant, quaſi Cæſareum, quòd inter fungos principatum teneat. Et ſanè adeò elegans eſt, ut non mirādum ſit, ſi eos qui libenter fungis veſcuntur, præ ceteris generibus fungorum, ad ſe edendum invitet.

Illius unicam duntaxat ſpeciem videre & obſervare memini: licet ex ætate diſcrimen quodpiam eſſe videatur.

Primùm è terra erūpentis hujus fungi forma, ovum quodāmodo candore & figurâ refert: altera aut tertia die laceratur hæc alba cutis, ſeu (ut Plinij vocabulo utar) volva, ſupernâ parte, & veluti ovi luteum oſtendit: deinde magis extuberat illud luteum, & fungi formam induit, paulatim & ſenſim evaneſcente pereūtéque volvâ: magnitudo autem fungi

XVII. Genus eſculent. Fung. jam expanſum.



fungi ſua volvâ incluſi, ternas uncias in longitudinem patet, binas in latitudinem. Conſumpta volvâ, fungus in planam orbicularem ſeſe explicat formam, cujus diameter quatuor pænè unciarum eſt, cujus ſuperna pars aliquantulum intumeſcens, aureum ſive croceum colorem elegantiſſimum habet: inferna flava eſt, & multis ſtrijs à pediculo in extremas oras productis inſignita: pediculus fungum ſuſtinēs, digitalis lōgitudinis & craſſitudinis eſt, flaviq; coloris. At cùm jam adolevit, paulò amplior eſt ejus magnitudo, & in ternas aut quaternas partes ſcinditur, coloríſque illum florem & elegantiam deperdit: nam supernè, languidioris eſt aurei coloris, infernè, omnino pallidi.

Non dubium autem eſt, quin hic fungus, ſit ille Veteribus adeò celebratus Boletus, à Principibus viris ſic in delicijs habitus: nam ſi conferantur quæ de Boleto ſcripſit Plinius, cum hujus hiſtoria, ſimilis eſſe deprehendetur. Infamis autem, & immenſo exemplo in crimen adductus fuit, Plinio teſte, quod Tiberium Claudium Cæſarem (qui Boletorum eſu impēsè delectabatur) cōjunx Agrippina, boleto veneno illito, ſuſtulerit, ut Neronem filium ipſi ſucceſſorē in Imperio daret. Hinc illi Iuvenalis in ſatyris ſales de Boleto. Nam ſatyra quinta, *Boletus veterum.*

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: ſed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Et ſatyra ſexta, ——*minus ergo nocens erit Agrippinæ*
Boletus: ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulúmque caput deſcendere iuſſit
In cælum —— —— ——

Sed & ipſe Nero, Boletum Deorum eſſe cibum cavillari ſolebat, quia illo perijſſet Claudius Cæſar, & defuncti Cæſares in Deorum numerum referri ſolerent.

Ceterùm ad Boleti parandi rationem, quali Vngari utuntur, nunc tranſeamus.

Recentes boleti (ſuaviores enim & delicatiores illi ſunt adultioribus) repurgati, in aquâ elixantur, deinde in tenuia fruſta conciduntur: fruſta conciſa in juſculum è cremore lactis confectum inijciuntur, adjectis ſelini folijs minutim ſectis & pipere. Vel repurgati, præciſo pediculo invertuntur, & ſuper prunas poſiti, addito ovi luteo torrentur. Vel recentes etiam (emundati videlicet) reciſis pediculis, friguntur cum butyro atque ovo ſimul in ſartagine coctis, diſſolutis & ſimul mixtis, inſtar ejus ferculi ex ovis & butyro in ſartagine frixis parati, quod Germanis eſt in delicijs & paratu facile, illis Eyer ſchmaltz nuncupatum. Sed & exſiccati ſervantur: deinde ovorum inſtar coquuntur, aut in aqua elixantur: tum demum, ut præcedens genus, cum condimēto illo ex ipſorum juſculo & pane toſto parato, additis aceto, piperis, gingiberis, & caryophyllorum aromaticorum polline, eduntur. *Parandi boleti ratio.*

MEMINI anno M.D.XXCIIII. ad Illuſtrē Heroem Balthaſarem de Batthyan ſub vindemiæ tēpus accerſitū (ſolebat enim ille bis aut ter ſingulis annis, miſsâ, qua veherer, rhedâ, ad ſe evocare) in ejus arce firmiſſimâ Nemeth-Wywar hoſpitio exceptum, atque forte fortuna ſemel in menſa, dum pranderemus, adpoſitum hunc fungū in lance cum ſuo jure elixum: tum ego, qui fungis minimè veſci ſoleo, & ignarus croceam illam tincturam è boleti ſucco eſſe, gallico ſermone ad ipſum (plures enim ille Heros peregrinas linguas præter vernaculam perfectè callebat, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam, & Vandalicam, ſive Croaticam, ab Vngarica diverſam) valde crocatum, ſive croco tinctum eſt hoc juſculum, inquam. Ille ſuaviter ridens, ad Nobiles viros, qui ejus menſæ aſſidere ſoliti erant octo aut decem, converſus: *Cluſius Vram*, hoc eſt, Dominus Cluſius (& cetera verba ungarico idiomate proloquutus) exiſtimat hoc juſculū, croco in eo diſſoluto eſſe tinctum: tum omnes illi cachinnum ſuſtollere, & mirari, mihi ignotam boleti naturam, præſertim cùm ſcirent, & illo, & præcedentibus aliquot annis, diligenter obſervaſſe, præter alias multas elegantes ſtirpes, fungorum quæ apud eos naſcerentur genera. *Ill. Balthaſar de Batthyan multarum linguarum peritus.*

GENVS XVIII.

XVIII. Genus eſculent. Fungorum.

XVIII gen. eſcul. fung.



NVLLVM inter fungi, qui innoxius æſtimatur, genera eſſe puto, quod longiore præditum pediculo, quàm Decimum-octavum: eſt enim ille in octo aut novem unciarum longitudinem porrectus, digiti minimi craſſitudine, rectus, verſicolor, & ποικίλος, ſtrijs quibuſdam, & maculis parvis & magnis, ex albo, rufo, & fuſco coloribus commixtis diſtinctus marmoris varij inſtar. Ipſum verò fungi corpus pilei ſeu galeri formã quodammodo refert, valde laxis oris, deinde ſenſim in turbinatam metam deſinens, altitudine trium unciarum, aut ampliore, orarum diametro uncias ferè octo occupante, candicantis ſupernè coloris, multis tamẽ maculis magnis & exiguis ex fuſco rufeſcentibus infecti, ſupremo faſtigio prorſus fuſco: inferna pars cava admodum & camerata, candicans quidem, ſed plurimis ſtrijs fuſcis obliquè & veluti in cincinnos compoſitis, diſtincta: duabus autem ferè uncijs infra ſupremum pediculi faſtigium, corolla digitalis circiter latitudinis ipſum amplectitur, unde corporis ipſius fungi oræ abruptæ videntur, dum in laxitatem ſeſe diffudit.

Evvz lab.

Waitzling

Conoccielle.

Hujus unicam ſpeciem obſervabam, quæ in arvis plerumque provenit. Tribus verò diverſis anni temporibus interdũ naſci intelligebam. Vngari *Ewz lab*, hoc eſt, capreoli pedem, ſatis improprio, ut mihi quidẽ videtur, nomine appellant: Germani Waitzling.

An autem ille fungus, quẽ Ioan. Bap. Porta à Neapolitanis *Conoccielle* vocari ſcribit?

XIX. Generis eſculent. Fung. I. ſpecies.

XIX Genus eſculẽt. fung. Szarvvas gomba. Zigenbart. Geiſsbart. Schöberling. Hirſchling.



GENVS XIX.

SETEMBRI menſe ſub corylis naſci gaudet Vndeviceſimum fungorum eſculentorum genus: quod Vngari *Szarwas gomba*: Germani Zigenbart oder Geiſsbart (quod idem eſt, utraque enim vox caprinam barbam ſignificat) tum Schöberling appellant: nonnulli etiam Hirſchling/ eodem quo Decimum genus, nomine.

III. ejus ſpecies.

Diverſæ porrò à reliquis fungi generibus eſt formæ, eæque elegantis, quod in tres ſpecies colore inter ſe differentes, nõnihil etiam formâ dividi poſſe arbitror.

I.

Primum autem locum dabo illi, quæ & reliquis elegãtior videtur, & colore magis conſpicua. Ipſum corpus binarum ferè unciarum craſſitudinem habet, intus cavum, coloris fuſci & fuliginoſi, in quo elucet albedo quædam pallido mixta: deinde corpus illud in plurimos tenues ramos dividitur, duas aut amplius uncias longos, coloris ſuprema parte flavi elegantis, cui inſperſæ croceæ maculæ, floſculorum formam quodammodo exprimere videntur. Hanc Germani Gelber Zigenbart/ id eſt, flavam caprinam barbã, aut Hirſchling cognominant; ad quorũ imitationem Vngaris *ſarga Szarwas gomba* dici poſſe exiſtimo.

Gelber Zigenbart.

ſarga Szarvvas gomba.

Non mi-

Non minus craſſo eſt *Altera* ſpecies trunco, coloris tamen albi: in eandem interdum ma- II.
gnitudinem creſcit cum Priore: nonnunquam brevior eſt, aliquando autem vix binas un-
cias alta, videlicet primum nata, cujus rami unciales, & illi ferè prorſus dilutè rubeſcentes:
jam adulta verò, candicantes ramos habet, quorum extimæ partes rubeſcunt, formámque
totum fungi corpus habet, quale cerebrum braſſicæ Cypriæ degeneris, & quæ ob præma-
turas pruinas ad frugem pervenire non potuit. Huic Germani Rotte Geiſsbart/ hoc eſt, rufæ Rotte
capринæ barbæ cognomen indiderunt, ſive Rotte Hirſchling. Geiſsbart. Rotte hir-ſchling.

Minus craſſo corpore eſt *Tertia*, coloris ex albo palleſcentis: hujus rami longiores & craſ-
ſiores ſunt quàm in binis ſuperioribus ſpeciebus, & aliquantulum rariores, coloris, ut ipſe III.
truncus, pallidi albo commiſti: exſiccatam & marcidam eam eſſe, quis credere poſſet.

Affinitatem quandam habere videtur hoc fungi genus, cum illis fungis quos Bapt. Porta *Fungi è ſaxis*
è ſaxis ex Gargano monte erutis naſci ſcribit non pileatos, ſed turiones ut aſparagos, & in *naſcentes.*
ramos diviſos.

GENVS XX.

VICESIMVM genus eſculenti fungi rurſus ad vulgatiorem fungorum formam redit, *xx. gen. eſcu-*
& ſub extremum Autumnum in ſilvis, plerumque autem ſub abietibus naſcitur: cu- *lent. fungor.*
jus rei cauſa Vngari *Fenyo alya gomba*, Germani Thanneling appellãt, licet illis Greſſeling etiam Fenyo alya
dicatur: nam Vngaris *fenyo-fa* Abies eſt, atque Germanis Thannenbaum idem ſignificat. Hoc gomba.
autem genus in tres ſpecies dividemus. Thanne-ling. Greſſeling.

xx. Generis eſculent. Fung. 3. ſpecies.





Prima, orbiculatæ (planæ tamẽ) eſt figu- I.
ræ, binas aut ternas uncias lata, ſupernè,
coloris vel dilutè admodũ rubẽtis, aut la-
teritij, venis quibuſdã ſic exarata, ut hir-
ta videatur, non ſecus ac Decimi generis
Prima ſpecies, cui valde ſimilis eſt, in me-
dio nonnihil compreſſa, & veluti umbi-
licata: infernè palleſcens, & multis ſtrijs
fuſcis à pediculo (qui unciâ paullò lon-
gior eſt, minimum digitum craſſus) in or-
bem ductis, inſignita.

Altera, Priorem magnitudine nõ val- II.
de ſuperat, paullò tamen craſſiore pedi-
culo conſtat, magnâ etiam ex parte orbi-
culata eſt, ſed non compreſſa ſupernè,
immò potiùs extuberans, coloris ex al-
bo, pallido, & fuſco permixti: infernè
candicans, & ſtrijs fuliginoſi coloris, à
pediculo in oras productis, exarata.

Tertia, longè amplior eſt binis ſuperio- III.
ribus, orbiculatæ tamen perinde, atque
illæ, figuræ, cujus diameter pænè quinc-
uncialis eſt, pediculo ſubnixa non majo-
re quàm præcedentes duæ: ſupernâ parte
etiam extuberans, mixtíque ex albo, pal-
lido, rufo, fuliginoſóque, coloris: inferna
pars plana eſt, rubeſcentis coloris, craſſis
ſtrijs ex atro purpuraſcentibus, à pedicu-
lo in ambitum excurrentibus, notata.

GENVS XXI.

MONSTRVM verius fungi, quàm fungus cenſeri poteſt Viceſimum-primum genus *xxi. gen eſcu-*
eſculentorum fungorum, quia adeò vaſtę interdum eſt amplitudinis, ut integrã etiam *lent. fungor.*
μυκητοφάγων familiam explere & ſatiare poſſit: nam audiebam (dum hunc fungum in Vn- *monſtroſum.*
gariâ obſervabam) circa Lewa Dominorum Dobo oppidum, in extremæ Vngariæ limiti-
bus Croatiæ vicinis, tantâ nonnunquam amplitudine excreſcere, ut bigam facilè impleret,
præſertim, ut aiebant, ſi quis præteriens (quod ſuperſtitione non caret) admirabundus ſub-
ſiſtat: immò (quod magis ridiculum) aſſerebant nonnulli, convitijs proſcindendum eſſe, ut
in tantam molem excreſcat, alioqui manere in eâ magnitudine, qua primùm conſpectus
eſt, quaſi ægrè ferentem ſe negligi.

Naſcitur autem in Vngariâ ſub extremum Autumnum, vel circiter diẽ Divo Michaëli *Natales*
ſacrum, ad quercuum radices. Vocatur ab Vngaris *Bokros gomba*, à Germanis Scheberling. Bokros gõba Scheber-ling.

Ceterùm, tantæ magnitudinis non erat, quem in Vngariâ obſervabam, ſed illius molis duntaxat, quæ ternos aut quaternos paſcere poſſet, multos flatus pariens, ut ab ijs intelligebam, qui ederant. Amplitudine tamen ſuperabat omnes quos unquam conſpexerim fungos: nam pediculum ſeſquipalmarem aut ampliorem, & ſemipedalis altitudinis habebat, corpus fungi ſuſtinentem in longitudinem & latitudinem diffuſum bipedalem aut majorem, multis veluti amplis & laciniatis folijs, ſquamatim vel imbricatim ſibi invicè incumbentibus conſtans, quorum etiam nonnulla, quercus ſinuoſa folia imitarentur: coloris ex rufo nigricantis, vel ex albo nigri, aut multis maculis nigris in albo conſperſis, notati.

Si quis porrò Quinti generis ſpecies cum hoc monſtroſo fungo conferat, non ſine cauſa forſitan exiſtimabit, illas eſſe hujus generis nondum adultas ſpecies, adeo illæ ad iſtius formam accedunt.

Fungus latinis litteris inſcriptus. Conſiderandum autem eſt, an ſimilis fuerit fungus, qui (referente Diodoro Caſſio Nicæo) Traiano Cæſare adverſus Decebalum Daciæ Regem proficiſcente, ingens latinis litteris inſcriptus circumferebatur à Barbaris.

Gallinaccia. Eum certè eſſe conijcio, quem Ioan. Baptiſta Porta vulgo à Neapolitanis *Gallinaccia* appellari ſcribit, tantæ magnitudinis, ut ſexaginta libras interdum pendat, ſufficereque poſſit ad univerſam familiam paſcendam.

Et hæc quidem ſunt, quæ de Fungis eſculentis apud Pannones naſcentibus, cùm apud eos diverſis anni temporibus verſarer, intelligere potui. Ea ut Lector boni conſulat, etiam atque etiam rogo: etenim mihi nō licuit, de ſingulorum ſapore vel guſtu certi quidpiā pronunciare, quandoquidem fungis non veſcor, & naturâ ab illorum uſu ſemper abhorrui.

Ill. Balthaſaris de Batthyan mors. Quamobrem Illuſtris ille Heros Balthaſar de Batthyan, cujus memoriam, dum vivam, colam (è vivis autem ille exceſſit anno M.D.XC. hoc eſt, circiter biennium poſt quàm Viennâ Francofurtum me contuli) cùm intelligeret me de fungis in eo Regno naſcētibus aliquid commentari velle, ridens (ut erat vir lepidus & valde facetus) dicere ſolebat: ubi, inquit, quę meditaris in lucem protuleris, inſigniter te nugari dicā, qui de ijs rebus ſcribere in animum induxeris, quas ne ſemel quidem guſtare unquam volueris. Sed de his ſatis. Nūc ad eorum Fungorum, qui non ſunt eſculenti, ſed pernicioſi potiùs & lethales, brevem hiſtoriam conſcribendam accingamur.


FVNGI NOXII ET PERNICIOSI. CAP. II.

Fungi pernicioſi. BREVIOR ero in ſcribenda horum Fungorum hiſtoria: nam cùm apud Veteres nulla eorum fiat mentio (niſi fortè generatim, & nullo nomine addito) atque Recentiores ſupervacuum æſtimarint quidquam de ijs fungis ſcribere, quibus nemo veſceretur, omnes mihi erunt ex propriâ obſervatione deſcribendi. Et ſanè, licet à ruſticis & peritis facilè agnoſcantur: operæpretium tamen eſſe putavi, de illis aliquid commētari, atque eorum formam exponere, ne quis imprudens pro innoxijs legat, quandoquidem multi inveniantur, ijs qui eſculenti ſunt perſimiles.

Eundem porrò ordinem ſequemur, quem in veſcorum fungorum hiſtoriâ tradendâ obſervavimus, atque ſingula genera in ſuas ſpecies, ſi quæ erunt, diſtribuemus.

GENVS I.

1. Genus pernicioſorum Fungorum.



1. genus pernicioſor. fungorum PRIMI generis unicam ſpeciem obſervare memini, licet magnitudo ejus una non ſit: ſed eam diverſitatem ex ætate oriri arbitror. Quotquot autem conſpexi, breviſſimo, vel po-

vel potiùs nullo pediculo nituntur, ſed caudici arboris inhærent, aut ſingulares, aut gemini, mēbranaceâ cute conſtantes implicatâ & ſinuosâ, coloris ex cineraceo nigricantis. Vulgus auriculam Iudæ nominat, cartilagineâ enim & membranaceâ eſt ſubſtantiâ, quemadmodum auris. Vngari *Boza fa termewt*: Germani Holder ſchwammen appellant, quia in Sambuci caudice naſcitur, cùm huic arbori primum prorumpunt folia. *Auricula Iuda.* Boza fa termevvt. Holder ſchwāmen.

Solet is fungus, tametſi non eſculentus, à pleriſque adſervari exſiccatus, in uſum: nam in gutturis tumoribus, acetum in quo maceratus ſit, exhibere ſolent, ad gargarizandum & guttur eluendum. *Facultates.*

GENVS II.

SVB Pruni arboribus novo Vere naſcitur Secundum genus, ideóque ab Vngaris *Szilwa alya* nuncupatur. *II. Genus noxior. fung.* Szilvva alya.

Illius unicam ſpeciem etiam obſervabam, numeroſam ex eodem pede, nullo tamen pediculo conſpicuo, confertim naſcentem, variâ magnitudine & formâ: nam fungorum nonnulli, binas aut ternas uncias lati ſunt, atque etiam ampliores, vel orbiculatæ figuræ, aut anguloſæ: alij paulò minores, nonnulli vix unciam lati: omnes coloris ex albo, pallido, & fuſco commixti.

GENVS III.

TERTIVM genus Vngari *Ganejou:* Germani Miſt ſchwammen appellant, quoniam in ſterquilinijs naſcitur primo Vere. *III. Genus noxior. fung.* Ganejou. Miſt ſchwāmen.

Vulgaris admodum eſt hic fungus, propterea nemini nō notus, formæ orbicularis in plano, veluti circino ductæ, exili & tenui fultus pediculo, tenui non craſſo corpore, candidus omnino, & veluti farina conſperſus cùm infernè, tum supernè: pars tamen averſa ſeu ſupina, fuſcis ſtrijs, à pediculo in oras ductis, diſtincta eſt.


GENVS IIII.

QVIA novo vere poſt præmaturas pluvias plerumque naſci ſolet in Salicum caudicibus Quartum genus, ideo ab Vngaris *Fiz fa gomba*, à Germanis verò Felber ſchwammen vocatur. *IIII. Genus noxior. fung.* Fiz fa gōba. Felber ſchwāmen.

Eſt porrò hic fungus confertim naſcens, & caudicibus Salicum firmiter inhærens, Lichenis inſtar, in corpus tuberoſum excreſcens varia formâ & magnitudine: nam pleraque tubera uncialem magnitudinem non ſuperant, alia binas & ternas uncias interdum ampla ſunt, coloris elegantis & variè commixti: nam in eis & albedo conſpicua eſt, & pallor, & ſuave rubens color, & ſatur, atque etiam flavus, addo his fuſcum ſive fuliginoſum colorem hinc inde ipſis inſperſum.

GENVS V.

V. Genus pernicioſorum Fungorum.



NASCITVR etiam novo Vere in putreſcentibus Ceraſorum caudicibus, Quintum genus pernicioſorum fungorum: eam ob cauſam apud Vngaros *Rewes cereſnye fa gomba*, apud Germanos, Kerſenbaum ſchwammen nomen invenit. *V. Genus noxior. fung.* Revves cereſnye fa gomba. Kerſēbaum ſchwāmen.

Plures autem fungi ex eodem pede nati, imbricatim, ſive tegularum inſtar, alter ſuper alterum conferti naſcuntur, infimâ parte unciam lati, deinde ſenſim altitudine creſcente, ternarum aut quaternarum unciarum in extremis oris, palmum autem longi. Superna corporis fungi pars varijs coloribus infecta eſt: nam circa pedem ex albo palleſcit ad uncialem altitudinem, deinde tranſverſi colores ſecant, ex flavo rubróque commixti, poſtea flavus: ſupra illum denuo tranſverſim ſecant colores flavus & ruber ſimul mixti: hos ſequitur flavus color, quibuſdam tamen veluti fuliginoſis maculis infectus: extimæ oræ ſaturâ rubedine nitent, quam nonnihil fœdat linea quædam veluti farina conſperſa: ſupinâ verò parte, aut palleſcit, aut flavus eſt.

Vtilitas. Sed & hic fungus, tametſi hominibus noxius, alicujus tamen eſt uſus: nam Ruſtici exſiccatum recondere ſolent, quia illius pollinem cum ſale & pabulo mixtum, ægris bobus & vaccis ſalubriter dari, ſibi perſuadent.

GENVS VI.

VI. Genus noxior. fung. Monyaro alya gomba.

SEXTVM genus, quia ſub corylis creſcit, Vngari *Monyaro alya gomba* vocant: orbicularis autem eſt figuræ, binas uncias latus aut major, ſupernè nonnihil tumeſcens, extremis oris in ſupinam partem flexis, coloris ex rubeſcente fuliginoſi, cui albedo quædam permiſta videtur, interdum etiam omnino fuliginoſi & fuſci: infernè nonnihil rubeſcit, ſtrijsque exaratum eſt, à pediculo gracili binas uncias longo, in ambitum ductis, craſſiuſculis, fuſci coloris.

Invenitur circiter Pentecoſten, hoc eſt Maio, aut ſub Iunij initium.

GENVS VII.

VII. Genus noxior. fung Bagoly gomba. Krotten ſchwämen.

CIRCA idem tempus prorumpit etiam Septimum fungi pernicioſi genus, quod Vngaris *Bagoly gomba*, Germanis Krotten ſchwammen dicitur, utriuſque linguæ nominibus eandem rem ſignificantibus, nimirum rubetæ, vulgo buffonis dictæ, fungum. Cujus tres obſervabam ſpecies.

I. *Vnam* valde gracili, & plus quàm duas uncias longo pediculo fultam, pilei ſive galeri pænè figurâ in metam ſublatâ, unciali ferè latitudine, orarum verò circiter trientali ambitu, coloris albi fuligine quodammodo infecti, ſummo faſtigio flaveſcẽte: interior & cava pars fuſca eſt prorſus, & nigris ſtrijs, à pediculo in oras ductis, exarata.

II. *Alteram* magis orbiculato & tumente corpore, craſſiore pediculo ſubnixam: ſuperna & tumeſcens pars duas interdum uncias duntaxat eſt ampla, nonnunquam etiam tres, modo fuſci omnino coloris, ex albo palleſcentis, modo flavi fuligine infecti, ſinguli autem maculis albis & nigris ſummâ parte notati, ut rubetæ colorem, præſertim fuſcus, valde referre videatur: pars inferna alba eſt, levib⁹ ſtrijs ſubfuſcis, à pediculo in oras excurrẽtibus, diſtincta.

III. *Tertia* reliquis major eſt, & orbiculatæ prorſus in plano figuræ, cujus diamater trium unciarum eſt, ſupernè alba, cui rubeſcens aliquantulum color eſt admixtus, & raræ palleſcentes maculæ inſperſæ: inferna pars quodammodo palleſcit, & frequentibus fuliginoſis ſtrijs, à pediculo minimum digitum craſſo, ad extremas uſque oras ſecta.

GENVS VIII.

VIII. Genus noxior fung. Nyrſa gombaya. Birchen ſchwämen.

OCTAVVM genus etiam circa Pentecoſten provenit in ſilvis, ad betularum caudices & truncos, cujus rei cauſa Vngari *Nyrſa gombaya*, Germani Birchen ſchwammen appellant, hoc eſt, betulaceum fungum.

Orbiculatæ pænè eſt figuræ, ſupernè paulo elatioris, albi coloris levi fuligine adumbrati, in quo maculæ quædam rufeſcentes, latitudo duarum unciarum: inferna pars tota alba eſt, exceptis ſtrijs, quæ fuligine infectæ, à pediculo binas uncias longo & gracili ductæ, in extremas oras deſinunt.

GENVS IX.

IX Genus noxior. fung. Borſos gomba. Hohen ſchwämen.

CIRCA Solſtitium æſtivum invenitur Nonum pernicioſorum fungorum genus in ſilvis naſcens: quod Vngari, *Borſos gomba*, Germani, Hohen ſchwammen nominant, quia (ni fallor) craſſo & tumente ſit corpore: nam ſatis brevi eſt pediculo, unciam non multum ſuperante, digitum aut pollicem craſſo.

Ejus licet binæ videantur ſpecies, ætate tamen inter ſe duntaxat differre arbitror. Conſtat verò, ut dixi, craſſo & protuberante corpore, ſphericæ quodammodo & orbicularis figuræ, binas uncias lato in minoribus: in adultioribus autem, tres atq. etiam quatuor, vel etiam ampliore, colore ſupernâ parte ex atro rufeſcente; infernâ, exalbido, & multis ſtrijs rufeſcentibus, à pediculo ad oras uſque ductis, inſignito.

GENVS

GENVS X.

x. Genus pernicioſorum Fungorum.



BIs in anno reperitur Decimum noxiorum fungorum genus, circa meſſem videlicet, & vindemiam, in ſilvis proveniens: Vngari *Keſke gomba*, Germani Geyſs Schwãmen appellant, hoc eſt, caprinum fungum. x. Genus noxior. fung. Keske gomba. Geyſs ſchwãmen.

Valde exilis eſt hic fungus: nam primùm emergens, vix uncialis eſt magnitudinis, interdum ſingularis, nonnunquam geminus, id eſt, bini ſimul naſcentes, ipſo fungi corpore, minimi digiti unguem vix æquante, rufeſcentis coloris: cùm adolevit corpus, in uncialem magnitudinem excreſcit, infernâ parte valde à pediculo ſtriata ſeſe invertente, adeo ut ſuperna pars veluti camerata & cava reddatur, &, cum ſuo pediculo, parvum infundibulum mentiri videatur: color flaveſcit tam externè quàm internè; & ſuperna pars jam in umbilici ſpeciem contracta, rufis maculis eſt diſtincta.

GENVS XI.

EODEM tempore, ſimilibúsque locis reperitur Vndecimum genus, quod è terrâ primùm erumpens, valde boletum imitatur, immò quodammodo mentitur. Vngaricum nomen nullum intellexi, ſed Germanicum eſt Narzen ſchwammen/ ac ſi diceres fatuum vel fatuorum fungum, quoniam fortè, ſi quis veſcatur, mente turbetur, quod facilè cõtingere poteſt, ad ejus eſum invitante pręſertim pirmùm naſcentis tanta cum boleto ſimilitudine. XI. Genus noxior. fung. Narzen ſchwãmen.

Corpore, dum è ſua volva erumpit, eſt boleto diſſimili, longiore pediculo ſubnixum minimo digito graciliore, ſeſcuncialis latitudinis, in metam aſſurgens, ſupernâ parte candidâ, infernâ cameratâ, & multis ſtrijs, à pediculo in ambitum productis, notatâ.

GENVS XII.

NEc hujus pernicioſi Duodecimi generis nomen Vngaricum mihi notum eſt: Germani Fliegen ſchwammen appellationem dederunt à muſcis, quæ illud valde appetunt, & plerumque huic inſident, non ſine ipſarum pernicie, ſiquidem quotquot deguſtant intereunt. Variæ autem ſunt ejus ſpecies, omnes extremo Sextili in cæduis ſilvis provenientes: quas hac ſerie deſcribo. XII. Genus noxior. fung. Fliegen ſchwãmen. *Natales.*

I. *Primæ* ſpeciei duas obſervabam differentias, magnitudine quidem convenientes, ſed colore diverſas. Orbicularis & quaſi circino ductæ utraque eſt figuræ, unam interdum, ſæpiſſimè binas uncias latæ: Vni, color ſupernè parti palleſcens, cui quidpiam rubedinis & fuliginis admixtum ſit: Alteri autem luridus & fuligine infectus, cui inſperſæ albicantes maculæ atro permixtæ, non ſecus ac in Septimi generis pernicioſorum Secunda ſpecie: pars ſupina in utraque perſimilis, hoc eſt, alba, exarata tamen fuſcis ſtrijs, à pediculo (qui gracilis eſt, & circiter ſeſcunciam longus) ad extremas oras ductis.

II. Paullò major eſt *Altera* ſpecies, & longiore craſſioréque pediculo ſubnixa, ut qui minimi digiti longitudinem & craſſitudinem æquet: ejus autem forma pænè orbiculata, cujus diameter triente paullò minor, color ſupernè varius, hoc eſt, ex purpurâ dilutiore & ſaturâ, rufo, pallido, & albo coloribus variè mixtus: infernè pallet, & nigris craſſioribus ſtrijs, à pediculo in extremas oras ductis, notata eſt.

III. *Tertia* ſpecies differentiam habet ex ætate perpetuam: nam primùm emergens contracto eſt corpore, craſſo & unciali, quaſiq; ari radicem mentiente, pediculo fulta, duas uncias lata, totidem longa, in metæ formam ſublata, coloris rubri, ſive potiùs lateritij, frequentibus maculis albicantibus conſperſa, ſummo tamen faſtigio pallida: Adultior verò palmari pediculo, eóque digitalis craſſitudinis, aſſurgit, infernâ parte tuberoſo: ipſum corpus fungi in orbicularem figuram compoſitum (cujus diameter quatuor uncias ſive trientem latus)

per

per oras interdum fiſſus & lacer, coloris pronâ parte rubri, & albis quibuſdam maculis infecti, oræ rufæ ſunt: ſupinâ autem, albâ prorſus, ſtrijs tamen levi fuligine infectis, à pediculo in ambitum procurrentibus.

XII. Generis pernicioſor. Fung. 4. ſpecies.



IIII. Omnium elegãtiſſima eſt *Quarta* ſpecies, cujus ab ętate duntaxat quoddam diſcrimen eſt: Iunioris enim & recens natæ corpus minorem habet orbem, & binas uncias ſolummodo latum, rubro colore valde ſaturo inſtar concreti ſanguinis tinctum, per cujus ſuperficiem frequentes exalbidæ ſunt cõſperſæ maculæ: Adultior in majorem latitudinem patet, ut quæ quincuncialis ſit, aut amplior tumida ſupernè, rubro etiam colore, ſed paullò remiſſiore, quàm in juniore, tincta, obſcurioribus veluti undis intercurſantibus diſtincta, & crebris etiã exalbidis maculis infecta: pediculo autẽ conſtat protuberante infimâ parte, deinde trientem longo, unciam craſſo; à quo infernâ parte craſſæ nigræ ſtriæ ductæ in ambitum: bini interdum ex eodem pede conjunctim naſcuntur.

Natales. Invenitur etiam hæc ſpecies in cæduis ſilvis Francofurto ad Mœnum vicinis, unde ruſticæ mulieres lectam, in urbem deferunt venalem, cùm non ignorent pleroſque empturos ad muſcas necandas: nam cùm, ut dixi, muſcæ libenter illi inſideãt, divulſam in fragmenta, varijs in conclavi locis ante feneſtras ſpargere ſolẽt, ad quæ invitatæ & excîtæ muſcæ, ſuccum ſugunt ipſis pernicioſum, & paulò pòſt etiam lethalem.

V. Craſſo etiam eſt *Quinta* ſpecies pediculo, nec minùs longo, quàm ſuperior: atque ex ætate conſpicitur etiam in ea aliquod diſcrimen: nam Recens nata, binas uncias vix eſt lata, in totidem unciarum metam aſſurgens, coloris ex rufo fuſci, & fuligine veluti infecti: Adultioris corpus longè majus eſt, trientalem videlicet latitudinem aut ampliorem habẽs, in metæ formam aſſurgens, & oris valde laceris, coloris ſupernè mixti ex albo, rufo, pallido, fuſco, mixturâ vel radiatim, vel maculis duntaxat inſperſis, conſtante: color infernâ parte prorſus fuliginoſus, quem nigræ ſtriæ, à pediculo in extimas oras ductæ, interſecant.

GENVS XIII.

XIII. Genus pernic. fung. Wt felem terevvm gomba. Froſchen ſtuel.

DECIMVM-TERTIVM genus noxiorum fungorum, ſecundùm vias & ſemitas in cæduis ſilvis provenit extremo etiam Auguſto. Vngari wt *felem terewm gomba*, hoc eſt, ad ſemitas naſcentem fungum: Germani autem Froſchen ſtuel/ quaſi ranarum ſedem, appellant, quoniam ranæ his libenter inſidere conſpectæ ſunt.

In hoc genere obſervari poteſt diſcrimen quoddam, ſed illud ex ætate duntaxat proveniens: nam Recens nati corpus, ad binarum unciarum latitudinem non pertingit, & ſupernâ parte candicans, fuligine quadam infectum eſt: infernâ etiam ejuſdem coloris, ſed raris ſtrijs, vixque apparentibus præditum: ubi autem Adolevit, majorem habet latitudinem, quatuor videlicet unciarum, & in orbem ferè circinatum eſt, immaculati ſupernè candoris, niſi orbis centrum palleret: infernâ pars etiam candida eſt, multis purpuraſcentibus ſtrijs exarata: pediculus gracilis & longus.

GENVS XIIII.

XIIII. Genus noxior. fung. Saw taſchen.

IN cæduis etiam ſilvis creſcit Decimum-quartum genus, atque eodem quo præcedens tempore invenitur. Vngaricum nomen intelligere non licuit: ſed Germani Saw taſchen appellant, cauſa nominis me latet, niſi quòd à ſue appellatio deſumpta videtur. Ejus autem binas obſervabam ſpecies, magnitudine, & infernæ ſeu ſupinæ partis colore inter ſe differentes.

Prima inęqualem habet magnitudinem: nam Recenter natę corpus, unciâ majus non eſt, faſtigiatum, coloris albi fuligine velut infecti, uncialis longitudinis pediculo, minimum autem digitum craſſo, ſubnixum, interdum geminum ex eodem pede naſcens: Adulta triuncialem diametrum habet, in orbem ferè circumſcriptâ figurâ, ſupernè alba quidem, ſed fuſco colore infecta, flavo faſtigio: infernè verò pallida, & rufis ſtrijs, à pediculo excurrentibus, exarata: pediculus digitalis longitudinis & craſſitudinis. I.

Alterius forma, orbiculatæ, & veluti circino circumductæ, eſt rotunditatis, cujus diameter trientem latus eſt, pediculo brevi pollicémque craſſo prædita, ſupernâ parte candida, cui maculæ parvæ fuſcæ, & flaveſcens nonnihil color, inſperſus eſt, & oris aliquantulum in infernam partem converſa: infernâ ipſa parte pallidâ, fuliginosíſque ſtrijs inſignitâ. II.

GENVS XV.

xv. Generis pernicioſor. Fung. I. ſpecies.



xv. Genus noxior. fung. Ti nor gomba. Smeer⸗ſchwämen.

DECIMVM-QVINTVM pernicioſi fungi genus, quod Vngari *Ti nor gomba*, Germani Smeer ſchwammen appellant, perinde ac ſi unguinoſum fungum diceres, in cæduis quoque ſilvis creſcit extremo Sextili, hoc eſt, circa diem D. Bartholomæo ſacrum: cujus variæ dicuntur inveniri ſpecies: ego binas obſervabam.

Priorem, triuncialis amplitudinis cum ſuo pediculo, alioqui corpus ipſum fungi uncialem magnitudinem non ſuperat, pediculus autem binas, ſupremâ parte pollicaris craſſitudinis, infernâ ſeſcũcialis, in bulbi formam excreſcens, coloris ex albo palleſcẽtis: ipſum etiam fungi corpus ſupernè pallidum eſt, ſed maculis dilutè nigricantibus diſtinctum, atque oris in ſupinam partem inflexis: infernè multis ſtrijs ex pallido fuſcis, à pediculo in ambitum porrectis, diſtinctum. I.

Hanc ſpeciem *feyer ti nor*, id eſt, albam, Vngari cognominant. feyer ti nor.

Alteri, cognomen dederunt à nigro colore, Vngari, *Fekete ti nor*; Germani, Schwartz ſmeer ſchwammen. Informis hæc eſt ſpecies, & valde tetri coloris, ut verius ligni, ſive radicis cujuſdam nodoſum & nigrum fragmẽtum videatur, quàm fungus, quod utraque manu vix comprehendi queat: craſſo brevíque pediculo innititur. II.

Fekete ti nor Schwartz ſmeer⸗ſchwämen.

GENVS XVI.

xvi Genus noxior. fung. Kigyo gomba. Natter ſchwämen.

EXTREMO etiam Sextili provenit ſub corylis Decimum-ſextum genus, fœtidi admodum odoris, quod Vngaris *Kigyo gomba*, Germani Natter ſchwammen/ quaſi ſerpentinum, ſive colubrinum fungum appellabant. Ejus porrò tres ſpecies obſeruabam magnitudine pænè inter ſe æquales, ſed colore & formâ diſpares.

Prior oblongo graciliq; fulcitur pediculo, cui inſidet initio veluti ovum excalptum, uncialis magnitudinis, coloris albi fuligine perfuſi externâ parte, nigri ſtriati infernâ & ſupinâ: deinde, oras explicans, ſeſcuncialem amplitudinem adquirit, in pilei parvíque galeri ſimilitudinem formatam, albi ſupernè coloris, frequentibus fuſcis maculis diſtinctam, atque ipſo faſtigio veluti fuligine infecto. I.

Altera longo gracilíque pediculo ſuſtinet fungi corpus, parvi galeri figurâ formatum, vix ungue majus initio, dilutiore fuligine infectum: ſeſcuncialis autẽ magnitudinis cùm adolevit, galeri etiam formâ, colore ſupernâ parte atra fuligine tincto: infernâ autem, inſtar fornicis cameratâ, & nigris ſtrijs exaratâ, quemadmodum & junior. II.

Tertiæ

xvi. Generis pernicioſorum Fungorum 3. ſpecies.




III. *Tertiæ* corpus, ejuſdem cum ſuperiore magnitudinis, valde laceris eſt oris, & quodammodo in lacinias diviſum, rufi interdum coloris ſupernè, fuliginoſis ſtrijs notatũ infernè: nonnunquam autem albi coloris fuligine infecti ſupernè, & nigris ſtrijs exaratum infernè: aliquando etiam infernâ & ſupinâ parte adeò inverſâ & reflexâ, ſurrectiſque lacinijs, ut florem aliquem exprimere vel mentiri videatur.

GENVS XVII.


xvii. Generis pernicioſ. Fung. 2. ſpecies.

XVII. Genus noxior. fung. Hoꝛ gæyl/ſen.

I.



II.



CIRCITER diem D. Bartholomæo ſacrum, planis & apertis locis provenit Decimum-ſeptimum noxiorum fungorum genus, à Germanis Hoꝛ gæyllen appellatum, Vngaricum nomen nemo mihi indicare potuit, & an ullum etiam apud Vngaros obtinuerit, haud ſcio: quandoquidem magna ex parte negligere ſolent eos fungos qui nõ ſunt eſculẽti. Ejus autem duas obſervabã ſpecies:

Primam, dodrantalem amplitudinem habentem, & minimi digiti craſſitudine præditum pediculum, binas aut ternas uncias longum, ex cujus imo plerumque ſubnaſcitur exigua proles: orbiculatæ ferè eſt figuræ, oris in inferiorem partem nonnihil inflexis, colore ſupernâ parte rufo ad nigredinem tendente, cui flaveſcens circa medium admixtus eſt: inferna pars pallida eſt, ſtrijſque fuliginoſis exarata.

Secundam, ejuſdem cum illa magnitudinis, ſed graciliore pediculo præditam, circinatæ etiam rotunditatis, niſi laceras haberet oras in ambitu: color in hac ſupernè planè luridus, hoc eſt, ex palleſcente fuliginoſus, & venis quibuſdã exalbidis maculoſus, ipſa fungi ſubſtãtia, ſub externâ illa cute, omnino atra, ut etiam eſt pars infima, ſic tamen ut craſſæ nigræ ſtriæ obſcurè appareant. Hanc ſpeciem Schwartze hoꝛ gæyllen Germani cognominare poſſent, ut Priorem Rott hoꝛ gæyllen.

GENVS XVIII.

XVIII. Genus noxior. fung. Kueling.

EODEM quo proximè præcedens tempore creſcit Decimum-octavum pernicioſorum fungorum genus, in ſilvis proveniens, & à Germanis Kueling appellatur: quoniam vaccæ valde appetunt.

Longè


Longè minor eſt hic fungus Decimo-ſeptimo, nec uncialem aut ſeſcuncialem magnitudinem ſuperat, pilei ſive parvi galeri figuram exprimens in metam quodammodo ſublatam, coloris ſupernè rufi, infernè exalbidi, fuſcis ſtrijs diſtincti: pediculus gracilis eſt, & binas ternáſve uncias longus.

EIVS Fungi pernicioſi quem Vngari *Varganya* appellant, duo comperio genera: Vnum à Germanis Bingſtin dictum: alterum ab ijſdem Bultz nuncupatum: quod diſcrimen, non ſine judicio ab ijſdem factum eſſe cenſeo: nam alia eſt Primi, altera eſt Secundi facies. Nos Germanorum diſtinctionem ſequemur, & bina genera conſtituemus. Bingſtin. Bultz.

GENVS XIX.

VNDEVICESIMVM ergò pernicioſorum fungorum genus nobis erit, quod Germani Bingſtin appellant, ſecundùm vias & in quercetis naſcens circa Calendas Septembres. Hujus autem multæ ſunt ſpecies, omnéſque pernicioſæ, prẹſentémq; interdum mortem ijs inferentes, qui veſcuntur; quia ſimilitudine, quam cum XVI. genere Veſcorum habent, illecti, illos ab innoxijs diſcernere non ſciverunt. XIX. Genus noxior. fung. Bingſtin.

XIX. Generis pernicioſor. Fungor. I. ſpecies.



Prima, valde gracili ſubnixa eſt pediculo, binas uncias aut amplius longo, ſuſtinente ipſum fungi corpus orbiculatę formæ, ſeſcunciam latum, aliquâtulum in ſupinam partem inflexum, coloris ex flavo, rufo, fuliginoſo, commixti ſupernè, ex pallido fuſci infernè, & multis ſtrijs exarato. I.

Altera amplior eſt, nec adeò gracilem habet pediculum: orbiculatæ etiam eſt figuræ, paululum ſupernè tumeſcens, & coloris vel ruffi, raris quibuſdam maculis conſperſi, vel fuſci omnino & fuliginoſi: infernè autem pallidi, frequentibus fuſcis maculis notati, vel ex fuſco pallidi omnino, nec ullis ſtrijs diſtincti. II.

Tertia ſpecies, Quarti generis eſculentorum Tertiam ſpeciem plurimùm imitatur: craſſo etenim prædita eſt pediculo, unciam longo, corpore in metam aſſurgente, uncialis magnitudinis dum recens nata, & ex cineraceo fuſci coloris: adulta autem, binarum unciarum, coloriſque magis exalbidi, & notis quibuſdam diſtincta, lacera & hians. III.

Quarta ſpecies, duplex eſſe videtur: nam, vel infra duarum unciarum magnitudinem conſiſtit, craſſo corpore, graciliorẹque pediculo prædita, ſupernè ex atro rufeſcentis coloris, infernè flavi, frequentiſſimis parvis maculis inſperſis: Vel trientalem amplitudinem adquirit, craſſo & protuberante corpore, fuſco ſupernè & ſciſſuris quibuſdam albis lacero: infernè ex flavo palleſcente, ſtriarúmque experte. IIII.

Quinta ſpecies ſatis informis eſt, tuberis (dum junior) figurâ, ſupernè valde fuſcâ, infernè rubra ſatura & nigricans, circa oras flava & ochræ colore, binas uncias lata: in Adultâ magnitudo amplior, quatuor videlicet unciarum, orbiculatæ pænè figuræ, per intervalla protuberantis ſupernè, & fuſci coloris, in quo dilutior rubeſcens color quibuſdam locis elucet: infernè autem ex rubro atri atque obſcuri, ſtrijs carente, pediculo valde craſſo, inæquali & fuſco, ipſum autem fungi corpus confractum cærulei, vireſcente intercepti, eſt coloris. V.

Sexta ſpecies, magnum cyclamini tuber valde refert, tum amplitudine, tum colore, & inæquali rotunditate: infernâ autem parte ochræ colore eſt, venis quibuſdam rubeſcentibus aut ſubfuſcis diſtincto, nullis tamen ſtrijs. Hanc ſpeciem Vngari *Baba Varganya* appellant. VI. Baba Varganya.

Omnium autem ampliſſima eſt *Septima* ſpecies, ut quæ ſeſquipalmaris ſit, inæquali tamen ambitu, ſupernè magna ex parte purpuraſcentis coloris, cui permixti ſint rufus & fuliginoſus: ipſum interne corpus ſubcærulei coloris, ut etiam pars ſupina cui pediculus inhę- VII.

ſit: reli-

xix. Generis perniciosorum Fungorum 5.species.



ſit: reliqua pars inferior flava eſt, binis aut ternis magnis maculis rufis infecta. Iunior verò & primum emergens, longè minor eſt, duarum videlicet unciarum duntaxat, supernè & infernè ejuſdem cum Adultiore coloris.

Varganya *dubia ſpecies.*

ANTE quàm ad Viceſimi generis noxiorum fungorum hiſtoriam deſcribendam accedam, operæpretium me facturum arbitror, ſi dubij cujuſdam fungi mentionem hoc loco faciam, tanquam ejus qui à nonnullis inter innoxios reponebatur nomine *Varganya* inſignitos: meâ tamen opinione potiùs ad præcedens non veſcorum genus referendi.

Rotter bultz.

Triunciali autem is eſt pediculo, digitalis pænè craſſitudinis, albicantis coloris, ſed multis fuſcis venis varij: ipſe fungus circinatæ in plano rotunditatis, tres uncias latus, ſupernè aliquantulum tumens, & lateritij coloris, propter quem Germani Rotter bultz cognominabant: infernâ parte cineraceum quodammodo habet colorem, nullis ſtrijs diſtinctum. Sunt tamen, qui inter ejus generis, quod proximè deſcribam, ſpecies, referendum cenſent: quorum ſententiam etiam improbare non poſſum in re dubiâ.


GENVS XX.

xx. Generis pernicioſor. Fung. 1. ſpecies.

xx. Genus noxior. fung. Varganya. Bultz.

Natales.

I.



II.

Sarga Varganya.

III.

VICESIMI Fungorum noxiorum generis (quod, ut dixi, Vngaris, *Varganya* etiam dictũ, Germanis verò Bultz/perinde ac xvi. veſcorum fungorum genus, ob eã quam iſtic expreſſi cauſam) variæ etiam ſunt ſpecies, quæ eodem quo Vndeviceſimũ genus, tẽpore, in cæduis ſilvis naſcentes reperiũtur.

Graſs bultz.

Craſſo eſt corpore *Prima* ſpecies, in metæ formam ſurrecto, cineraceo ſupernè colore, infernè ex flavo pallente, nullis ſtrijs rimoſo, brevi, ſed craſſo pediculo, hoc eſt, ſeſcũciam longo, unciam craſſo: à Germanis Graſs bultz cognominatur.

Longiore eſt *Altera* pediculo, non minus tamen craſſo, parte terræ proximâ, ſummâ autem, graciliore: ipſum fungi corpus craſſum, binas uncias latum, etiam in metã quodammodo aſſurgens, colore, vel ex pallido fuſco, vel fuliginoſo prorſus & inelegãti: inferna pars nullis ſtrijs notata, ochræ colore eſt, quam ob cauſam ab Vngaris *ſarga Varganya* appellatã puto, licet aliæ ſpecies etiam infernè flavæ ſint, ſed non adeò eleganti colore præditæ.

Tertia ſpecies craſſo ſimiliter conſtat pediculo, parte terræ proximâ: corpus ipſum in primum nato fungo ſeſcuncialem magnitudinem non excedit, & rufo colore eſt: in adulto duarum unciarum, aut amplioris latitudinis,

dinis,circinatę uterque ferè rotunditatis,& nonnihil extumeſcens:inferna pars ſtrijs etiam caret,& colorem ochræ fuligine perfuſam habet. Germani Rotte bultz vocant, non minus tamen propriè (meâ opinione) Schwartze bultz nuncupaturi.

Rotte bultz. Schwartze bultz.

Quartæ ſpeciei orbis trium unciarum eſt,inelegantis coloris, ut qui ex rufo & fuliginoſo commixtus ſit,pediculo ſubnixus binas ferè uncias longo,minimi digiti craſſitudine:inferna pars ſubrufo eſt colore, & præter ſuperioris generis omnes ſpecies, hujúſque reliquas, multis fuliginoſis ſtrijs ſciſſa eſt: cujus rei,ut opinor,cauſa,Germani Wilder bultz/hoc eſt,ſilveſtris cognomen indidêre.

IIII. Wilder bultz.

GENVS XXI.

SVB extremum Septembrem provenit *Viceſimum-primum* genus ſubter abietibus,quemadmodum & Viceſimum genus eſculentorum, cui perſimile eſt:ſed quoniam interiore parte hirſutum eſt,reijcitur.Germani falſche Gæſling/ quaſi ſpurium nominant: Vngari, *fenyoalya gomba*, hoc eſt, ſub abietibus naſcentem fungum : ſed additis his duabus vocibus, *nem io*,ut ſolent omnibus fungis non veſcis.

XXI. Genus noxior. fung. Falſche Gæſling. Fenyo alya gomba.

Recens natus hic fungus unciâ non multo major eſt, & oris valde in ſupinam partem inflexis, craſſiuſculo corpore, & veluti craſſis quibuſdam venis ſubrubentibus in orbem ſupernè ductis notato in albicante planicie: Adultus autem, Viceſimi eſculenti amplitudinem adquirit, ſupernè ejuſdem cum primùm naſcente coloris, & pari ratione ſubrubentibus venis in orbem ductis inſignito, oris tamen magis inæqualibus: inferna pars dilutè rubet,& multis rufis ſtrijs exarata eſt: pediculus digitalis ferè craſſitudinis, bináſq; uncias longus,qui confractus, rubrâ ſubſtantiâ conſtare deprehenditur.

GENVS XXII.

VICESIMI-SECVNDI generis noxiorum fungorũ, quod Vngaris dicitur *Tuuis alya gomba*, Germanis Vnder dorn ſchwammen (quod nomen Vngarici interpretationem exprimit) quia ad Spinarum, quæ vetuſtate corrumpi incipiunt, atque inter dumeta naſcuntur: multæ ſunt ſpecies,quarum proventus circiter Calendas Octobris.

XXII. Genus noxior. fung. Tuuis alya gomba. Vnderdorn ſchwämen.

Primæ ſpeciei,ſeni aut ſepteni naſcuntur ex uno pede fungi,longis & gracilibus pediculis fulti,orbiculato ferè corpore (fornicato tamen,ſeu camerato infernè) vel ſemũciali,vel unciali, colore flavo,quemadmodum ipſi etiam pediculi,qui maculis tamen nigris diſtincti. *Natales.* I.

Confertim etiam naſcuntur in *Altera* ſpecie, octo aut novem fungi ex uno exortu, breviore & perinde gracili ſubnixi pediculo, in orbem veluti expanſo corpore, quod unciâ aut ſeſcunciam latum eſt,ſupernè preſſum,& tanquam umbilicatum, coloris flavi rufo ſuffuſi: infernâ autem parte flavâ,& multis fuliginoſis ſtrijs diſtinctâ. II.

Rufi coloris ſunt, qui confertim etiam in *Tertia* ſpecie naſcuntur fungi viceni & plures ex eodem pede, gracilibus pediculis fulti: ipſius corporis fungi forma orbiculata eſt, latitudo inæqualis,pro ætatis ut arbitror vetuſtate: nam & inveniuntur ungue nõ majores,& unciales,& ſeſcunciales,omnes rufo colore tincti supernè, infernè fuſcis ſtrijs exarati. III.

Quarta ſpecies plurimos habet ex eodem ortu provenientes fungos, tricenos videlicet aut plures,pediculo,pro ſingulorum ætate, brevi aut longo ſuffultos, orbiculatæ omnes figuræ, magnitudine tertiæ ſpeciei fungis pares, colore tamen inter ſe variant in hac ſpecie: nam vel flavi ſunt, multo tamen rufo colore perfuſi, aut omnino rufi, ſed nonnihil tumeſcentes & fuſci:infernè autem nigricantibus ſtrijs notati. Germani Stock ſchwammen appellant,quia in ipſis truncis humi jacentibus naſcuntur. IIII.

Stock ſchwämen.

XXII. Generis pernicioſorum Fungorum 5. ſpecies.



v. Majorem orbem habent *Quintæ* ſpeciei fungi, quippe cujus diameter ſit duarum unciarum,& quindeni aut plures ex eodem ortu naſcuntur ſimul, dodrantalibus, gracilibus, candicantibúſque pediculis fulti, colore ſupernâ parte vel rufo, vel ex rufo dilutè albeſcente: infernâ parte, quæ aliquantulum camerata eſt, ſubalbidâ, & craſſis fuſcis ſtrijs diſtinctâ.

vi. Turbinato, & quaſi in metam aſſurgente ſunt *Sextæ* ſpeciei fungi corpore, ſeni aut plures ab eodem exortu naſcentes, & oblongis gracilibúſque pediculis, mediâ parte craſſiuſculis, inſtar caulis ceparum, fulti; latitudinem habentes uncialem, aut duarum unciarum; ſupernè cineracei quodámodo ex rufo coloris, aut fuſci: infernè craſſis nigris ſtrijs exarati.


GENVS XXIII.

xxiii. *Genus noxior fung.* CIRCA idem tempus, cùm ſecundùm vias, tum in lignis putridis & paluſtribus locis proveniunt aliquot alia fungorum genera, quorum nomina Vngaris & Germanis, ut exiſtimo, ignota, certè nullius nomen ab ipſis edoceri potui. Nos ea omnia ſub Viceſimam tertiam claſſem pernicioſorum fungorum reducemus.


i. *Primus*, uncialis magnitudinis habet orbem, ſupernè tumidum, & rubri perelegantis coloris: infernè albicantem, fuſcis tamen ſtrijs exaratum, unciali pediculo, non valde tamen gracili fultum.

ii. *Alter*, orbiculatæ etiam eſt formæ, paulò tamen amplior ſuperiore, longioréque pediculo ſubnixus, prolem fungi ab exortu plerumque proferente: ſupernè rufi, & ad lateritium tendentis coloris: infernè dilutior, & frequentibus ſtrijs diſtinctus.

xxiii. Generis pernicioſ. Fung. 3. ſpecies.



xxiii. Generis pernicioſ. Fung. 5. ſpecies.



iii. In nodum veluti collecto eſt corpore *Tertius*, infernè fornicato atque camerato, ſuis oris pediculum uncialis craſſitudinis, duarum autem unciarum longitudinis ſtringente & amplectente, coloris ex albo, rufo, & fuſco variè commixti.

iiii. *Quartus*, binas uncias latus eſt, ſed inæquali orbe, ſupernâ parte candicans ex cineraceo, infernè ſimiliter, ſed fuſcis ſtrijs à pediculo ad extimas oras productis: pediculus brevis & craſſus.

v. *Quintus*, informi pænè figurâ emergit, tuberis inſtar: deinde ruptâ illâ externâ membranâ, ſive volvâ, ſtilus exilit pollicari craſſitudine, digitali autem longitudine, penis aut verêtri canini inſtar, & tanquam unciali glande ſummò faſtigio præditus, initio quidem ex atro vireſcente, deinde nigrâ, & cellulis quodámodo præditâ, quales ferè in Primi generis eſculentorum

lentorum fungorum ſpeciebus conſpiciuntur: ea autem ſuo tempore expanditur, & ſtrijs infernè diſtincta eſt. Volva ipſa cineracei quodammodo eſt coloris, interdum etiam ſubrufi, ipſe ſtilus ſive coles initio albus, deinde ποικίλος & varius, parvíſque notis ſubfuſcis maculoſus: fœtidus eſt hic fungus, & jam periturus quodāmodo liqueſcit, atque in atramentum diſſolvitur, nigro colore tellurem inficiens. Intelligo etiam muſcas eo deguſtato interire. Valde autem accedere videtur ad Phallum à C. V. Hadriano Iunio olim in ſabuloſis aggeribus Hollandiæ, Oceano objectis, obſervatum & decantatum.

Phallus Hadr. Iunij.

Ab his porrò omnibus, prorſus diverſus eſt is fungus, quem ἀνώνυμον vocabo, & omnium minimum eſſe exiſtimo: nam vix ſemunciam altus; Autumno plerumque nullo petiolo fultus, ligneis tabellis pulvinos & areolas in hortis ab invicem ſegregantibus adnaſcitur, cineracei vel exalbidi coloris, formâ pænè groſſum immaturam referens, minimi digiti extremum articulū magnitudine & craſſitudine vix æquans, ſingularis plerumque, vel (quando plurimi) bini, terni, aut quaterni ſimul cohærentes, qui maturi ſupernâ parte dehiſcentes, pleni apparent lento quodam ſucco, & ſeminibus, magnitudine quidem ſeminis cyclamini, ſed exiles fungulos formâ figuræ exprimentes, cineracei, ut parens, coloris.

Fungus minimus ἀνώνυμος.

Naſci etiam in Italiâ hunc fungum, nullum eſt dubium: nam memini ejus ſemen exſiccatum, iſtinc olim ad me miſſum ab amico, exotici cujuſdam ſeminis nomine, explorandi gratiâ, an dignoſcere poſſem: ut reperiuntur quædam ingenia, quæ ex aliorum ignorantiâ laudem captare & venari ſtudent.

GENVS XXIIII.

xxiiii Genus noxior. fung. Holtz ſchwāmen.

VICESIMVM-QVARTVM fungorum noxiorū genus Germani Holtz ſchwammen appellant, quoniam Octobri menſe, in putridis dejectarum arborum ramis creſcat. Vngaricum nomen mihi ignotum. Tres autem ejus ſpecies obſervabam: quarum,

I. *Prima* reliquis major in majuſculis ramorum fragmentis humi jacentibus naſcitur: formâ Primo generi non eſculentorum fungorum haud valde diſſimili, ſed colore elegantiore, nempe rubro, uncialis aut duarum unciarum magnitudinis: interdum plures ſimul cohærentes, & in unum corpus veluti coaleſcentes, valde tamen ſe remittente colore.

II. *Altera* longè exilior eſt, & unguis latitudinem interdum non ſuperans, nonnunquā etiam latior, ſingularis aliquando, interdum bini ſimul conjuncti, formâ veluti ſupernè exſcalptâ, coloris egregiè rubentis, & adeò floridi, ut coccineum provocare videatur. Inhæret plerumque tenuibus ramorum humi jacentium, aut corticis illorum fragmentis, in vijs obſcuris & ab arboribus obſeſſis, quæ Solis radios adimunt.

III. Prorſus rugoſo eſt *Tertia* corpore, uncialis aliquando magnitudinis, nonnūquam ſeſcuncialis: interdum bini ſimul cohærent unciâ minores, plerumque etiam terni, & illi quidem elegantiore aureo colore prædIti, reliqui flavo: adnaſcuntur ſimiliter tenuibus vel ramulis vel eorum fragmentis humi jacentibus.

GENVS XXV.

xxv. Feyer ſzarvvas gomba. Wilde hirſchling.

IN putridis dejectarum arborum caudicibus creſcit Viceſimum-quintum fungorum non eſculentorum, immo pernicialium genus circa Calendas Novembres. Vngari *feyer ſzarwas gomba*, à candore cognominãt: Germani wilde Hirſchling/ id eſt, ſilveſtrem cervinum fungum, ad ejus differentiam, qui Vndeviceſimo veſcorum genere deſcriptus eſt.

Semipedalis magnitudinis eſt hic fungus, aut amplior, elegantiſſimæ formæ: nam fruticoſus eſt, & in innumeros quodammodo ramulos diviſus, candoris immaculati, quorum nonnulli abiegnorum ramulorum figuram exprimunt, adeò ut ſi ſplenderet, ex puro puto argento conflatum quis æſtimare poſſit: aliquando nullum habet pediculum, ſed ipſi dejectæ arboris caudici inhæret: interdum ſeſcunciali fulcitur pediculo.

GENVS XXVI.

xxvi. *Genus noxior. fung.* Pőffeteg. Weiber fiſt. Veſſe de loup. *Crepitus lupi.*

SVPEREST Viceſimum-ſextum noxiorum fungorum, quos in Vngariâ obſervabam, genus, quod circiter Calendas Novembres etiam provenit, non in arborum dejectarum caudicibus aut ramis, ſed in ſiccioribus pratis, & cæduis ſilvis. Vngari *Pőffeteg*; Germani, Weiber fiſt/ id eſt, muliebrem crepitum; Galli, *Veſſe de loup*, hoc eſt, crepitum lupi, appellant, quod nomen etiam apud Herbariorum vulgus obtinuit.

Ejus autem tres obſervabam differentias, magnitudine, nonnihil etiam formâ inter ſe diſcrepantes.

I. *Prima*, omnium vulgatiſſima, etiam ipſis pueris nota: nam in omnibus, quas adij, provincijs, naſcentem obſervare memini. Boletum terrâ primùm erumpentem valde mentitur, & initio eximij candoris eſt: deinde evaneſcente candido colore, ſuccedit alius palleſcens, & tanquam fuligine ſuffuſus: internum corpus albâ ſubſtantiâ conſtare deprehenditur per medium ſectum. Cùm verò maturum eſt; confractum & preſſum, pulverulentum quen-


dam fumum effundit, ut memini me puerum frequenter obſervare, cum æqualibus ludentem in ſiccioribus pratis (ad quæ nos ſæpiuſculè deducere ſolebat noſter pædagogus animi relaxandi gratiâ) in quibus hæc ſpecies creſcit, & certantem, uter plures hujus fungos maturos extimo pede propelleret, ad pulverulentum illum fumum excitandum.

XXVI. Generis pernicioſ. Fung. 3. ſpecies.

II.



III.



Altera in cæduis ſilvis creſcit in pleriſque, ut credibile eſt, Provincijs: ſed mihi in Vngariâ duntaxat obſervata. Magno illa conſtat corpore, amplitudine capitis pueri aliquot annos nati, cineraceâ cute tecta: ſed quæ deinde, multis locis lacera, ſubſtantiam oſtendit ſpongioſam, coloris prorſus fuliginoſi, quæ compreſſa, multum pulverem effundit.

Tertiam ſola amplitudine à Secundâ differre arbitror: nam cutis illa tenella ipſum corpus tegens, ejuſdem eſt coloris, & perinde atque illa varijs locis lacera, ipſúmque fungi corpus illâ amictum & tectum, planè etiam ſpongioſum, fuliginoſique coloris, pulverem, ſi comprimatur, non ſecus ac illa effundens. Excreſcit hæc interdum in follis pugillatorij, quem vulgo ballonem appellant, amplitudinem. Eam exſiccatam, & omni pulvere, quem continebat, vacuam, adſervare ſolent tonſores, illáque uti ad ſanguinis fluxum in vulneribus reſtinguendum: quam ob cauſam in ſuis officinis penſilem eos habere plerumque, etiam in Germania multis locis obſervabam.

ISTA etiam de pernicioſis fungis in medium adferre libuit. Quiſquis autem perfectam & abſolutam fungorum cognitionem adquirere volet: his adjungat, & diligenter evolvat quæ Plinius cap. VIII. lib. XVI. Naturalis Hiſtoriæ, quæ item cap. XXII. & XXIII. lib XXII. ejuſdem Natural. Hiſtoriæ ſcripſit de fungis: quæ ſimiliter Dioſc. cap. LXXVIII. lib. IIII. atque cap. XXIIII lib. VI. de ijſdem fungis tradidit, atque Matthioli in eundem Commentarios. Deinde Athenæi lib. II. Deipnoſoph. poſtremò quæ cap. LXX. lib. X. Villæ ſuæ ſcripſit Ioan. Bapt. Porta, vir nobilis & in Philoſophico ſtudio ſummâ cum laude verſatus, qui omnium diligentiſſimè, quidquid Veteres de fungis ſcriptum reliquerunt, peculiari complexus eſt capite.

QVIA verò plerique ejus librum fortè non conſpexerunt, aut etiam conſpectum ad manum non habent: non abs re me facturum exiſtimavi, ſi, in illorum gratiam, totum illud caput hîc ſubijcerem.

DE

DE FVNGIS.

Caput LXX. Libri x. Villæ Ioan. Baptiſtæ Portæ Neapolitani.

INTER Cartilaginea referemus & fungos: nec niſi ſupra terram totus eſt. Diocles Cariſtius inter ruſticas dapes recenſet apud Athenæum. Nunc autem ſua jucunditate tam moroſo divitum palato placent, ut eos in mortis diſcrimen ſæpiùs adducant. Euripides, quum in Icarum inſulam adnavigaſſet, matrémque cum duobus filijs & virgine, fungorum eſu mortuos vidiſſet, hoc epigramma feciſſe dicitur, teſte Athenæo.

Sol, qui perpetuo cœlorum tramite curris,
An viſum facinus huic ſimile ante tibi eſt?
Pars eadem lucis geminos cum virgine fratres
Abſtulit, & matrem: quatuor urna tegit.

Libuit Plinio coquendi dare aliquas communes in omni genere obſervationes, quando ipſæ ſuis manibus deliciæ preparant hunc cibum ſolum, & cogitatione ante paſcuntur, ſuccineis novaculis, aut argenteo apparatu comitante. Noxij erunt fungi, qui in coquendo duriores fient; innocentiores, qui nitro addito coquentur, ſi utique percoquentur. Tutiores fient cum carne cocti, aut cum pediculo pyri, proſunt & pyra confeſtim ſumpta. Debellat eos & aceti natura, contraria ijs. Diphilus Medicus ijs, qui hoc cibo ſtrangulantur, remedio eſſe dicit, aquæ mulſæ, nitri & aceti potum, ita ut in vomitione reddatur: itaque parari debent ex aceto, aqua mulſa, vel melle & ſale, ex Athenæo. Apitius de fungorum apparatu hæc habet. Fungi farnei elixi, calidi, exſiccati, in garo cum pipere excipiuntur, ita ut piper cum liquamine feratur. Aliter: In fungis farneis piper, carenum, acetum & oleum laudantur. Vel, fungi farnei ex ſale, oleo, mero & corianno conciſo inferuntur. Fungos boletos, carenum, faſciculum corianni viridis ubi ferbuerint, exempto faſciculo inferes. Vel, boletorum coliculos, liquamine, vel ſale aſperſos inferunt: vel, boletorum thyrſos conciſos in patellam ováque perfundes, addito pipere liguſtico, modico melle, & liquamine, temperabis oleo modico. Platina coquendi rationes aliquas affert. Cum ſuccoſa illa thyrſi parte, qua terræ inhæret, in aqua primum cum excavato pane, cúmque pyris, aut pyrorum ſurculis, ac pediculis coquendi ſunt. Allium quidam indunt, quod obſtare venenis putatur. Elixi ac ſaliti, in oleo aut liquamine friguntur, fricti, moreto, quod ſalſam vocant, aut alliato ſuffunduntur. Sunt etiam qui eos ablata pelle, aut ſuperiore folliculo (indito ſale atque oleo) ſurſum verſum in carbonibus decoquant, piperéque aut cinnamomo aſperſos devorent. *Fungorum condiendorũ ratio.*

Græci μύκητας ab enſis capulo, vel ſummo vertice vaginam occludente appellarunt. Significat μύκης enſis manubrium, ſicuti ex Herodoto liquet, unde & Mycenas nuncupari credunt, quòd ibi à Perſeo ſint conditæ Mercurij præcepto, ubi excidit gladij manubrium. Poëtæ γηγενεῖς vocant, hoc eſt terræ natos: nam quorum pater ignotus eſt, filios terræ vocare ſolent. Quod Cicero ad Atticum in epiſtola confirmat. Porphyrius θεϛρόφους, Deorum filios, quòd ſine ſemine provenire videantur. Latini fungos vocant, noménque (aliquorum opinione) à funere deducitur, quòd ſuo veneno ad funus veſcentes ducant. Italis *fonghi*. *Nomen.*

Nunc genus, ſuis verò particulatim tractationibus ſpecies ſubſcribemus. Theophraſtus cortice, medulla, nervo, & vena carere dixit, ac radice penitus. Sed Athenæus Theophraſti teſtimonio fretus, levi cortice eſſe dicit, ſine radice: ſed principium habere ſuæ pullulationis caulem in longitudinem propenſum, atque per ipſum nervum ſe extendere. Phanias verò, neque florem, neque ſeminum veſtigia demonſtrare. Quod falſum eſſe, jam alibi diximus, quippe ſemen ferunt. *Deſcriptio.*

Fungorum pernicioſa natura. Nos paucis genera perſtringemus. Fungorum genus, vel naturæ, vel artis opus. Sunt enim ægiritæ ex induſtria, ut dicemus. Naturalium duplex diſcrimen, Dioſcoride auctore: ait enim. Qui manduntur, aliquando perniciales ſunt. Letales multifariam virus contrahunt, vel ubi clavus ferreus, in quo ſit rubigo, vel ubi putridi panni, vel ſerpentum latibula & cava, vel ſi juxta arbores erumpunt, qui noxios privatim pariunt fungos: omnibúſque ijs colluvies quædam inſidet, & ſpuma, ijdémque à carptu celeriter computreſcunt, atque marcore vitiantur. Plinius, à Dioſcoride & alijs excipiendo, hæc habet. Pernicialia prorſus improbanda: ſi enim caligaris clavus, ferríve aliqua rubigo, aut panni marcor adfuerit naſcenti, omnem illico ſuccum alienum, ſaporémque in venenum concoquit, deprehendiſſéque niſi agreſtes poſſunt, atque qui colligunt. Ducunt ipſi alia vitia, nunc quidem ſi ſerpentis caverna juxta fuerit, ſi pateſcentes primo adhalaverit, capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum: itaque caveri conveniet prius quàm ſe condant ſerpentes. Signa erunt tot herbæ, tot arbores, fruticéſque, ab emerſu earum ad latebram uſque vernantes: & vel fraxini tantum folia nec poſtea naſcentia, nec antè decidentia. Quorundam ex his facilè noſcuntur venena, diluto rubore, rancido aſpectu, livido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro. Non ſunt hæc in quibuſdam: ſiccique & *Genera.* *Fungi naturales duplices.* *Pernicialis ut dignoſcantur.*

 que &

que & nitri ſimiles, veluti guttas in vertice albas ex tunica ſua gerunt. Vnde à peritis regionum legendi ſunt.

Quæ arbores noxios fungos pariant.

Arborum verò, quæ varios fungos parere ſolent, qui cibis abdicantur, ſparſim Authores meminere. Nicander in Georgicis ſuis Athenæo teſte.

———— oleis inimica propago,
Quercu, & puniceæ malo triſtiſsima peſtis,
Ilicibúſque venit fungus gravis, humidus atque
Letifer. ————————

Plinius, robur, cupreſſus, & pinus noxios pariunt, item fagus. Theophraſtus: robur è radicibus, & juxta radices emittit fungos. Avicenna, ex olea improbos. Platina noxios emitti. Sed edules autumnali, vel verno tempore naſcuntur.

Dicemus de Autumnalibus qui primis imbribus naſcuntur. Horum genus tripliciter partiemur: vel enim in pratis, vel arboribus, vel lapidibus adnaſcuntur. Dicemus primo de

Fungi laudabiles.

pratenſibus quum ſint laudabiliores. Horatius,

———— pratenſibus optima fungis
Natura eſt, alijs malè creditur:

Pratenſium optimi, quíque principatum tenent, boleti ſunt dicti à Latinis, à Græcis verò *βωλῖται*, Galeno, & Paulo Æginetæ ſuo aſſeclæ. Sunt qui dictum volunt *ἀπὸ τȣ̃ βώλȣ*, quod glebam, & privatim rubricam illam vulgo bolus dictam, ſignificat, unde colos boleti. Neapolitani *ouole* & *boloccioli* vocant: ita enim ovorum vitellum dicunt, cujus formam præ ſe ferunt. Quanti olim exiſtimati fuerint, indicat vel illud Martialis:

Argentum atque aurum facile eſt, lenamq́; togamq́;
Mittere: boletos mittere, difficile eſt.

Boleti.

Plinius, Inter ea, quæ temerè mandentur, boletos meritò poſuerim: optimi [opimi] quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per hanc occaſionem à conjuge Agrippina dato. Origo talis eſt. Volvam terra ob hoc priùs gignit, ipſum poſtea in volva, ceu in ovo eſt luteum: nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti. Rumpitur hæc primò naſcente, mox in pediculo corpus abſumitur, raróque unquam geminis ex uno pede. Origo prima cauſáque è limo, & aceſcente ſucco madentis terræ, aut radicis fermè glandiferæ: initióque ſpuma lentior, dein corpus membranæ ſimile, mox partus. Ortus, occaſúſque ejus omnis intra dies ſeptem eſt. Robur boletos producit circa radices. Glaucias ſtomacho utiles putat boletos. Galenus: omnium fungorũ ſunt minimè noxij. Sed ne quis largius eis utatur: pravi enim ſunt ſucci, atque interimere poſſunt. Variè condiuntur, ut ea, quæ nulla inſigni qualitate prædita ſunt. Eadémque Paulus aſſerit.

ἀμανῖται. Suilli. Farnei fungi.

Succedunt quos Græci *ἀμανῖτας* vocant, Latini Suillos, quos ad hunc uſque diem Neapolitani vocant *ſilli* & *ammoniti*. Apicius farneos fungos vocat, à farno roboris genere, ut ſuſpicor. Dixit enim Plinius, robur eos producere. Proximi bonitate jam dictis. Galenus: Secundi poſt hos ſunt amanitæ. Et Paulus: Colore ſunt fuliginoſo, pediculo omnium craſſo, orbe, ut ſæpe humanum caput æquent, infra colore nigro vireſcẽte. Quum elixantur fiunt mucoſi. Naſcuntur in ſilvis, ubi ſolum incultum. Nicander eum non torreri debere dixit

Suilli fungi venenis accommodatiſſimi.

ex Athenæo. Plinius: venenis accommodatiſſimum. Familias nuper interemêre, & tota convivia, Annæum Serenum præfectum Neronis vigilum, & tribunos & cẽturiones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Siccantur pendentes ſuilli junco transfixi, quales è Bithynia veniunt. Suilli gulæ noviſſima irritamenta. Circa roborum radices gignuntur. Tutiſſimi qui rubent callo, minus diluto rubore, quàm boleti. Mox candidi, velut apice flaminis

Conocchielle.

inſignibus pediculis. Hos Neapolitani *Conocchielle* vocant, longo enim prodeunt pediculo, callo corporis in turbinem mucronato: à neto fuſorum glomere, *conocchia* vulgo dicto, ita appellantur, placéntque moroſo divitum palato. Sunt in fungorum genere à Græcis dicti

Pezicæ.

Pezicæ, qui ſine radice aut pediculo naſcuntur, ex Plinio.

Nunc aliquos ſubjungemus antiquis indictos. Eſt fungorum ſpecies, Neapolitanis

Gallinaccia.

Gallinaccia vulgò dicta, mirabili profectò forma, ut neſcias cui aſſimiles: ad magnam creſcit altitudinem, ut brachijs diductis vix homo complecti poſſit, pondus ſexaginta librarum, non orbiculari forma, ut ceteri, ſed veluti manus in digitos plures diducta, ut quercus frondibus

Galinella.

aſſimiletur, albi, calloſi, ut vix integro univerſa familia veſci poſſit. *Galinella* verò parva eſt forma, ſpongijs vel naſcentibus porris ſimilis, quatuor digitorum longitudine: naſcitur Au-

Piperitis.

tumno locis umbroſis. Eſt & fungus quem *Piperitim* vocant: quia veſcendo linguam vellicat, ac ſi piper voraremus, ac fauces incendit: naſcitur etiam Autumno, coloris albi, vul-

Peperella.

góque *peperella* dicitur. Eſt & candidus, odoratiſſimus, orbem vix utraque manu diductis pollice & indice cinges, tam eſui ſuavis, ut crudus edatur: præbetur ægris innoxiè, incolæ

Richione. Galucci.

Richione vocant, quaſi magnum fungorum regem dicas. Qui vulgo *galucci* dicuntur, candoris ſunt immaculati, bini, aut terni ab uno pediculo juncti, forma non rotundi, ſed veluti galli criſtæ, unde nomen ſumpſiſſe ſuſpicor, croci odore, coma velut villoſa. Sed ne moleſti ſimus, ſumma eſt, quod unaquæque regio ſuos populares habet.

Fungi ex arboribus.

Nunc ad aliud genus deveniendum, quod ſcilicet circa arbores adnaſcitur. Nicander maximè fungos, qui ficui adnaſcuntur, laudat, inquiens:

Quum fuerit ficus multo ſub ſtercore tecta,
Si mox perpetuo fluxu conſperſeris illam,
Innocui ſurgent radicibus undique fungi,
Quos tu ne vertas, radicem cædito nullam.

Plinius non ſolùm ex ficus arbore: ſed, his aberit, inquit, veneni argumentum, quo ſimilior fuerit arborum fici. Quidam diſcrevere arborum generibus, fico, ferula, & gummi ferentibus. Populus alpina fungis naſcentibus laudatiſſima. Quercus probatiſſimos, inquit Plinius. Sed apud nos noxij ſunt: neſcio cur quercus probatiſſimos ab eo producere dicatur, robur verò noxios, quum ejuſdem generis ſit, ne dicam idem. Diphilus medicus: Familiares & innoxij creduntur recentes, minutiſſimi, molles, friabiles, qui in ulmis & piceis naſcuntur, ex Athenæo. Sed omnium optimi, qui in Sambuci radicibus adnaſcuntur: eos hieme edimus.

Poſtremum genus è ſaxis naſcitur. Præciditur ad eſum, alius ſubnaſcitur, ſemperq; novos producit, reſtibili fœcunditate: ſeptem diebus perficitur, ſexies anno demetitur, terra dodrante operitur. Neapolim afferuntur ex Veſuvio monte lapides: Surrentum ex Fageto altiſſimo ſui tractus monte: Abellini, ex Partenio monte; in Apulia, ex Gargano, & celſioribus montium partibus: nam ſaxa, ubi ſemel produxiſſe vident, ſuffodiunt, & venum exportant. Naſcuntur aliquando non pileati, ſed turiones ut aſparagi, & in ramos diviſi. *Fungi è ſaxis.*

Nunc & genera indicabimus, quæ verno naſcuntur tempore. Plinius: Nec non & carnoſa aliqua appellabimus, ut ſpongias in humore pratorum enaſcentes. Naſcuntur Martio menſe, eiſque veſcimur quadrageſimalibus jejunijs. A ſpongiarum ſimilitudine *ſpongiolas* dicimus. Strobilos magnitudine & forma præferunt, ut trium librarum pondus ſæpe expleant; foraminibus perviæ, & vacuæ ſunt. Simul & cum his naſcuntur, quas vulgo *monacelle* vocamus, colore nigro, cauli ſex foliolis rotundis per centrum annexis hærentibus, ſed ſapore inferiores. Sunt & omnium fungorum optimi, qui vulgo *Virni* dicuntur, quòd verno tempore naſcantur, Romanis *prignoli*; primis Aprilis imbribus erumpunt, odorati, guſtui ſuaves, & innocui: naſcuntur in ſilvis ſub arborum umbris, & ubi naſcuntur, quotannis repullulant. Aliquando, cæſis arboribus, è loco evaneſcunt: ſolum in quo creſcũt cinerei coloris. Hermolaus innocentiſſimos dixit, qui è rubis vere naſcuntur rotunditate cluſili, quos inde *prunello* & *ſpinulo* vocant, & è carduis, quos inde *cardueles* appellant. *Fungi verno tempore naſcentes.* Spongiolo. Monacelle. Virni. Prignioli. Prunello. Spinulo. Cardueles.

Poſtremò eos proſequemur, quos ars reperit. Dioſcorides tradit eſſe qui dicãt, utriuſque populi, albæ nigræq; cortices in minutias conciſos, & ſtercoratis ſegetibus inſperſos, fungos utiles innocenteſque parere toto anno reſtibiles. Ait Tarentinus: Fermento in ipſis populi nigræ truncis, juxta terram reciſis aqua diluto, protinus coaleſcunt *ægiritæ*: additque, ſi montanum arvum, multis calamis, ſtipulis, & fruticibus ſcatens, quũ cælum imbres parturit, incendatur, permulti ſponte naturæ prorumpent fungi: ſi tamen arvo jam ignem experto, non ſubſequitur imber, qui impendêre videbatur, aqua linteo rarò ſtillatim, imbris imitatione conſpergenda ijs incenſis locis, naſcentúrque fungi quidem, ſed aliquanto deteriores: ſiquidem meliores in hoc genere ſunt, qui imbre aluntur. *Fungi arte parati.* Aegiritæ.

Hactenus Ioan. Bapt. Porta, qui, quum Athenæi verſionem poſtremam à C. V. Iacobo Dalechampio factam multis alijs Villæ ſuæ locis ſit ſequutus, eam toto libro Decimo neglexiſſe videtur: quæ tamen longè elegantior eſt, & magis probata.

FVNGO.

FVNGORVM ALIQVOT ALIÆ ICONES.

QVONIAM *Typographus aliquot fungorum icones jam ſculptas habebat, quibus C. V. Matthias Lobelius ad calcem ſui Herbarij Germaniæ inferioris Idiomate conſcripti uſus eſt: eas hîc ſubijcere, atque illius deſcriptione uti libuit. Fatemur tamen binas in noſtrum Commentarium intuliſſe, quæ ſolæ, ad eorum, quos deſcripſimus, Fungorum Hiſtoriam accommodari potuerunt, ad primum videlicet Eſculentorum genus, & ad poſtremum Perniciosorum: quorum quidem icones vivis coloribus expreſſas totidem habemus, ac utriuſque generis ſpecies deſcripſimus: ſed paucas in tabellis ſcalpi voluimus, ne nimijs ſumptibus Typographũ gravaremus.*

E vernaculo Lobelij Herbario deſumptæ icones & deſcriptiones.

VVLGARES EDVLES FVNGI, PLANI, ET IN METAM QVODAMMODO ELATI. A.

Vulgares edules fungi. A.



VVLGARES, quibus fermè paſſim veſcuntur, ſatis ſunt cogniti: carne conſtant illi prorſus alba, dum recentes ſunt, & infernè ſubrubent. Vetuſtate vitium contrahunt, &c, noxij fiunt, gravem odorem contrahentes, & fuſcum colorem. Deglubati elixantur, deinde condiuntur butyro, vel oleo olivarum, omphacio vel aceto: minus nocent, ſi piper tritum inſpergatur. Naſcuntur Vere & Autumno ſabuloſis recens ſtercoratis agris, ſubinde etiam in fimetis, in quibus inſalubres oriuntur.

Horum fungorum in tabula A. delineatorum, alij ad Tertium & Quartum genus Fungorum eſculentorum à Carolo Cluſio deſcriptorum referri poſſent, majores verò ad Octavi generis primam ſpeciem.

SINVOSI NEMORVM FVNGI. B.

IN ſilvis & nemoroſis locis naſcuntur quidam fungi ſinuoſis oris, ſupernè pallentes, & maculis rubris infecti, infernè ſubalbidi & ſtriati: qui à nonnullis, primum repurgati elixantur, aut friguntur, denique eduntur: ac perinde probantur, ut alij ejuſdem generis prope arbores, aut ſub illis naſcentes, quia purioris ſunt naturæ, & abſunt à ferreis

Sinuoſi nemorum Fungi. B.





Amplus nemorum Fungus. C.



ferreis clavis, aut putrilaginoſis locis: niſi fortè ſub pernicioſis arboribus, & circa ſerpentum latibula creſcant.

AMPLVS NEMORVM FVNGVS. C.

ISDEM locis reperitur aliud Fungi genus planum, quod interdum in tantam amplitudinem excreſcit, ut lancem implere queat. Id aliquando prorſus album, nonnunquam ſupernè maculis nigris & rufis diſtinctum, infernè album & nigris ſtrijs exaratum, pediculi inferiore parte nigra.

VVLGARES PERNICIOSI FVNGI.


EXILES PERNICIOSI FVNGI. D.

PASSIM iſti naſcuntur, in agris, pratis, hortis, & veteribus ædificijs, qui facilè à ſuperioribus dignoſci poſſunt, ut & reliqua genera. Horum autem,

Quidam ſunt exiles, in rotunditate oblongiuſculi, & præalti galericuli inſtar concavi, colore flavo præditi.

Alij ampliores, albi, aut cineraceis fuſcíſve interdum maculis notati, infernè aut in cavitate nigri. Sunt & plani ut acetabula, nonnulli etiam parmis ſimiles.

Exiles pernicioſi Fungi. D.





FVNGI ALII CLYPEIFORMES PERNICIOSI. E.

Fungi alij Clypeiformes pernicioſi. E.



HORVM forma plana quidem eſt, ſed rugoſa & per oras reflexa, flavi coloris, pediculis fuſcis. Innaſcuntur plerumque putridis lignis aut aſſeribus vetuſtarum ædium ruſticanarum & ſtabulorum.

Ijſdem locis & ſecundùm ruſticorum caſas inveniuntur etiam alij ejuſdem quidē formæ, planę & orbiculatæ, ſed qui non ſunt reflexi, quorum etiam aliqui per oras crenati.


Inveniuntur adhuc alij his non valde diſſimiles in arvorum aggeribus, ſub ſepibus, rubri coloris, quorum nonnulli nullo peculiari odore ſunt præditi: alij verò moſchi odorem quodammodo referunt.

FVNGI IN ARBORIBVS NASCENTES.

ARBORVM FVNGVS AVRICVLÆ IVDÆ FACIE. F.

EX vetuſtarum arborum truncis oriuntur quædam alia Fungorum genera, quorum alia alba ſunt aut flaveſcentia, rugoſáque & cartilaginoſa, inſtar Auriculæ Iudæ vulgo appellatæ.

Arborum fungus auriculæ Iudæ facie. F.




Alia etiam ſpongioſâ materiâ prædita, ortu, ſubſtantiâ & formâ Agarico non valde diſſimili, colore quo ſpongiæ, aut ex flavo fuſci. Hoc genus aliquoties in lixivio coctum & recoctum, aut in aquâ additis cineribus, exſiccatur, & paratur ad ellychnia conficienda, nam ignem fovet, adeò ut nonnullis locis igniarij vicem ſuppleat. Vidi enim uſurpari, & ipſe uſus ſum in caſtris igniarij fomitis loco, ad ſclopum explodendum. Solebat Antuerpiæ venalis reperiri ad publicam porticum, quo mercatores ſingulis diebus bis convenire ſolent, cum ignitabulis ad ignem excipiendum. Fortè lucernæ fungus Cornarij.

Frequenter & magnâ copiâ hujuſmodi fungum præparatum in foro venalem expoſitum ſingulis hebdomadibus conſpexit Carolus Cluſius, & interdum emit, præſertim hiberno tempore, ad ignis ſcintillas chalybeato ferro excitatas excipiendum, tamquam fomite uſurus, ut ſulphurato flammam excitaret.

PHALLVS

PHALLVS HADRIANI IVNII. G.

Glans ſeu capitellum PHALLI.



Manium, Cacodæmoniumve ova.

INTER Naturæ miracula celebratur hic Fungus apud Batavos, anno M. D. LIX. Antverpiam ad nos miſſus. Similem deinde ſeptennio poſt arenoſo loco ad Ligeris fluvij ripam non procul Blæſis reperiebam Septembri. Copioſè creſcit in Hollandia è radicibus ſparti, Helm ab indigenis appellati (quemadmodum in Gallia Narbonenſi Hypociſtis ex Ciſti radicibus oritur) diverſis ſabuloſis aggeribus ſparto illo rudi conſitis, præſertim verò ijs qui Harlemo & Alcmariæ ſunt vicini. Sed quandoquidem Hadrianus Iunius elegāter & prolixè illum deſcripſit, breviter eum adumbrabimus.

† *Scapus coléſve Phalli.*

* *Thyrſus.*

Volva ſive matrix, glomus aut ſcrotum formâ referens (è qua ſcapus exilit) gemino involucro prædita eſt, albo, deinde fuſco flaveſcente, inſidēs pediculo per quem alimentum exugere credibile eſt. Eſt verò ea volva plena frigidiſſimo, fœtido, gravi & coagulato ſucco, qui quodammodo liqueſcit, volva è terra erutâ: coles arrectus, cavus, & bipalmaris, maculis cineraceis diſtinctus, & è media volva prorumpens, brevi etiam flacceſcit, quaſi deſtitutus ſuo alimento & naturali ſemine: habet autem per mediam longitudinem æquale anguſtum foramen, in extremo tamen anguſtius, in quo flava ſtamina: ſummum caput veluti galea tectum eſt, tamquam penis glandem exprimens, albi initio coloris, deinde vetuſtate fuſci, foramine in vertice præditum, ex quo fœtidus odor exhalat. Sunt qui aſſerant frigidiſſimum illum volvæ coagulatum & lentum muccum valde utilem eſſe ad podagram ex humore calido prognatam profligandam. Muſcæ valde appetunt hunc Phallum, perinde atque alios fœtidos fungos.

§ *Volvæ tunica ſeparata & aperta.*

Cùm anno M. D. XCVII. *Amſterodami eſſet Carolus Cluſius Septembri menſe, oſtendebantur illi à diverſis aliquot ejuſmodi volvæ recens ex arenoſis aggeribus erutæ, quæ omnes albæ erant præter unicam, in quâ purpuraſcens & veluti carneus color elucebat: ſed omnes adeò frigidæ, ut manu retinenti, non minus rigorem & veluti torporem quendam illi in eâ inducerent, atque ſi torpedinem apprehendiſſet: harum unâ per medium ſectâ, apparuit coagulatus ille & craſſus humor inſtar lactis coagulati, & in ipſo meditullio liquor quidam pellucidus inſtar nervi optici in oculo. Sed cùm volva illa, tametſi non fœtida, nauſeam illi quodammodo excitaret, diligentius obſervare ſuperſedit. Phallum porrò è volva prominentem nullum vidit.*

FINIS FVNGORVM.

HO

V

Medic

AD

A

De r

HONORII BELLI VICENTINI,

Medici Cydonienſis in Creta inſula,

AD CAROLVM CLVSIVM ALIQVOT EPISTOLÆ,

De rarioribus quibuſdam plantis agentes.

CAROLO CLVSIO ATREBATI,

HONORIVS BELLVS VICENTINVS,

P. S. D.

CVM Venetijs eſſem, Adrachnes & Oenopliæ Bellonij icones, à me ad vivum delineatas miſi: nunc autem Cydoniam reverſus (ubi Medicinam me facere tum ſignificabam) licet nullas adhuc à te litteras acceperim, ut tamen certior ſis quanti te faciam, & quantum opus tuum juvare cupiã, mitto tibi ejuſdem Oenopliæ duos ramos, ex quibus facilimè cognoſcere poteris, an icon rectè arborem exprimat. Mitto etiam ſemina Cypri Plinij ex Ægypto accepta: tum aliquot ſemina aliarum plantarum hîc naſcẽtium, ſimul cùm aliquibus earundem plantarum ramis ſiccis, à nullo, quòd ſciam, deſcriptarum, quæ fortaſſe tibi non ingratæ erunt, præſertim cùm aliquas legitimas eſſe comperies. Ego enim diu in hac Inſula legitimas antiquorum ſtirpes perquirere ſumma cura conatus ſum, ut & Rempublicam iuvarem, & inventas amicis communicarẽ. Si autem in aliquibus me lapſum deprehendes, rogo, ut æqui boniq; conſulas, atque mihi ut homini parum exercitato, mediocriq; ingenio prædito condones.

Petromarvla, Cretica planta eſt, & nuſquam alibi, quod ſciam, ſponte provenit: folia *Petromarula.*
profert cichoracea, magna, profundè inciſa, in orbem diffuſa, ſaturè virentia, infernè ſplendentia, ad purpuram aliquando tendentia, ut Cyclaminus, lævia, cùm autem ſemine nata prodit, prima ejus folia violæ nigræ folijs ſimillima ſunt, rotunda, &, aut nihil, aut parum duntaxat ſerrata: cauliculos autem multos habet, rotundos, ſtriatos, cubitales, bicubitales, aut tricubitales, quibus innaſcuntur flores copioſiſſimi, purpurei, hyacinthi orientalis florum æmuli, densè compacti, ut ſpicam, eámque magnam referre videantur: quibus ſuccedunt ſemina minutiſſima: radice firmatur magna, alba, in alas diffuſa, eduli, ſapore rapunculi radicem imitante. Tota planta lacte abundat: provenit ubique in arvorum marginibus *Rapunculi genus videtur.*
ſecus vias, læto ſolo, inter ſaxa, & ſuper parietes. Floret Vere, & æſtatis Principio, Maióque aut Iunio areſcit tota præter radicem, quæ Octobri folia proferre incipit, & viret tota hieme. Vocatur vulgo πετρομάρουλα, hoc eſt, petræa lactuca, licet cum lactucis nihil aliud commune habeat, quàm quod lacte abundat. Radix manducata, tum etiam caulis adhuc tener, venerem ſtimulare vulgo creditur: & ideo nomine obſcœno πετροκαυλὶ vocatur.

Coris legitima, Ericæ ſimilis, provenit lætis collibus ſatis frequens, in omnibus rectiſſimè Dioſcoridis Hiſtoriæ conveniens, niſi quod frutex eſt multos annos durans, perpetuóque virens: &, ſi pingui ſolo oriatur, ad ſeſquicubitalem altitudinem aſſurgit. Bellonius lib. primo Obſervationum cap. xvii. tribuit Cori radicem ingratiſſimi ſaporis, quod minimè verum eſt: unde facilè ſuſpicor, ipſum legitimam Corin non vidiſſe, ſed aliam ſtirpem, quæ vulgo appellatur ἀγούδουρο, meóque judicio Aſcyrum legitimum eſt. Nam fruticoſius eſt Hyperico, majores habens ramos, rubentes, in multas alas diviſos, folia longa, flores luteos, Hyperico ſimilimos, quibus attritis, digiti cruentantur: ſemina reſinoſa ut Hypericum profert: radice nititur ſatis firma, eáque ingratiſſimi ſaporis: ex hoc ſcopæ fiunt parvæ, eſtque tota planta longè major Cori: utriuſque plantæ ramulos ſeminibus onuſtos mitto, ut facilè, an legitimæ ſint, dignoſcere poſſis. Legitima autem Coris vocatur ορπιλόχορτο, hoc eſt, herba orpilo.

Coris. *Bellonij lapſus.* *ἀγούδουρο.* *Aſcyrum.* *ορπιλόχορτο.*

Pæonia alba ubique in celſiſſimorum montium convallibus provenit, promiſcuáque eſt: marem enim vel feminam nondum in hac Inſula vidi, quemadmodum neque rubram: licet non ſatis conſtanter eam inveniri, ruſtici quidam mihi aſſeruerunt: vocatur autem Pæonia ψιφακιά.

Pæonia alba. *ψιφακια.*

Roris marini hujus folia Selino ſimilia ſunt, ſerrata, floréſque in umbellis albi: quibus ſuccedunt ſemina, oblonga, aſpera: radice nititur craſſa, foris nigro cortice eóque tenui, veſtita, intus alba, thus maximè olente: ideo Libanotis legitima mihi videtur, quam Theophr. lib. ix. cap. xii. deſcripſit: licet radix ſit nigra, quia detracto levi cortice, ſpectatur maximè alba. Appellatur vulgo σκοτίσαρα, quòd vertiginem inducere credatur: &, ni fallor, Siler Creticum à quibuſdam perperam vocatur.

Ros marinus. *Libanotis Theophr.* *σκοτίσαρα.* *Siler Creticum.*

Elegantis plantæ, quam Arcturum Creticum voco, licet legitimus non ſit: nam neque rotunda folia habet, neque Cymino ſemen ſimile: ſed folia ſerrata profert, Betonicæ

Arcturus Creticus.

 & Verba-

& Verbaſco ſimilia, minora verò, & tota lanugine quadam, ut Æthyopidis folia, operta: cauliculi inſunt recti, floribus luteis, Verbaſco aut Blattariæ ſimilibus onuſti: quibus ſuccedunt pillulæ rotundæ, parvæ, Blattariæ ſimiles, in quibus ſemina parva continentur: provenit inter ſaxa, & ſuper parietes. Nomine caret.

Smyrnion Cephalon. σμύρνιον.

SMYRNII hujus virentem plantam non vidi, ſed in itinere, in Cefalonia, ſemina ex ſiccis umbellis legi, atque à ruſticis ejuſdem Inſulæ σμύρνιον vocari audivi.

Chryſanthemum. ματελίδα.

CHRYSANTHEMVM hoc vocatur ματελίδα, & à ruſticis editur: mihi tamen ſapore & odore parum probatur, licet in multis cum legitimo conveniat.

Ariſtolochia Clematitis.

ARISTOLOCHIA Clematitis hæc, niſi fallor, optimè deſcribitur à te lib. II. Hiſpan. ſtirp. cap. XXIII. eam autem legitimam Clematitidem eſſe cenſeo, licet hiſtorię Dioſcoridis non conueniat: textus enim corruptus eſt, ut etiam alij optimè animadverterunt. Nam Plinius, neque Theophraſtus, neque Antiquorum aliquis ullam foliorum differentiam faciũt: immò correctio textus Theophraſti à Dodonæo, optimè quadrat huic: nam folia ſimilia helxini cyſſampelo profert: adde, quod Plinius lib. XXV. cap. VIII. ſcribit, Ariſtolochiam Clematitidem vocari Creticam. Sed in Creta hucuſque nullum aliud Ariſtolochiæ genus obſervavi: longam enim aut rotundam nondum vidi: ſed hæc ubique provenit copioſiſſime, & adhuc ἀριςολοκυ appellatur: hieme folia retinet, & tota odoratiſſima eſt, radicem tenuem, longam, odoratiſſimámque habet, colore buxeo.

Ariſtolochia Cretica Plinij. ἀρίςολοκυ.

Hippomarathrum.

HIPPOMARATHRVM folia tenuia, fœniculo quodammodo ſimilia, profert, caulem lævem, duos aut tres cubitos longum, minimi digiti craſſitudine, geniculatum: florem luteum in umbellis, ut Anethum, ſemina magna cachryi ſimilia: radice nititur firma, magna, odorata. Vocatur πλατηκύμινο, quod latum cuminum ſonat. Hujus ſemen vulgariter à mulieribus coquitur in lixivio ad capillos aureo colore tingendos.

πλατηκύμινο. Ejus uſus.

Leontopodium.

LEONTOPODIVM herbula eſt parva, folia ferens quatuor aut quinque, plantagini anguſtifoliæ ſimilima, longitudine quatuor digitorum, cauliculos tres, quatuor, quinque, aliquando plures, binos digitos longos: in quibus continentur flores parvi, nigris punctis diſtincti, quibus ſuccedunt capitula, incana, lanoſa, ſemen parvum, pſylio ſimile continentia: radix verò minima eſt. Cùm areſcit, capitula in ſe contrahuntur ad ſpeciem unguium milvi exanimati, ut in Catanance prima Dioſcoridis: ſed Catanance non eſt, nam folia Coronopi non ſunt, neque ſemen Orobo ſimile habet. Si autem hęc duo haberet, legitima eſſet Catanance. Vtuntur hac vulgariter ad ſolvendos quos putant ex maleficio venere uti non poſſe: nam herbâ ſuper prunas poſitâ, ter patientem nudum per fumum tranſire faciunt, & totidem vicibus induſium ejus fumigant: & ſine dubio liberum à maleficio fore prædicãt.

Catanance Dioſcor. Vſus ejus.

Anthriſcus.

ANTHRISCVS herba ſimilima Scandici legitimæ eſt, folia ferens tenuiora, crebrius diviſa, odoratiora multò; cauliculi ejus dodrantales, flores in umbellis albi, ſemina longa, ſed minora quàm Scandicis: tota planta ſuaviſſimi guſtus eſt: provenit lætis collibus, locis ſiccis, & inter ſaxa: manditur in acetarijs vere, & maximè appetitur. Venerem mirum in modum excitat & adjuvat, ideo τζιλιμονίδια nomine obſcœno vulgo vocatur, quod vulvæ purgamentum ſignificat. Meminit Anthriſci Plinius lib. XXII. cap. XXII. his verbis. Eadem erat Anthriſcus, ſi tenuiora folia & odoratiora haberet, &c. quæ quidem verba corrupta ſunt, & hoc modo legenda cenſeo. Eadem erat Anthriſcus, niſi tenuiora folia & odoratiora haberet. Nam ſi legatur (*ſi*) & non (*niſi*) Anthriſcus eſſet Pecten Veneris vulgaris: cui non conveniunt vires à Plinio tributæ Anthriſco. Nam Pecten Veneris neque odoratus eſt, neque ab ullo comeditur: vocatur autẽ ἀγριοκάντζικα: Scandix verò legitima dicitur κάντζικα & σκανδικὶ, quæ comeditur quidem, ſed ipſa neque Venerem excitat, neque fatigato Venere corpori ſuccurrit. Vnde apparet error Andrææ Tiraquelli comment. in legem Connubialem: qui Scandici hoc tribuit, quod Plinius Anthriſci peculiare eſſe ſcripſerat. Scandix ab exc[mo] Dodonæo affabre pingitur. Hanc autem herbam, Anthriſcum eſſe, primus Silverius Todeſchini Fundanus agnovit (vir in cognitione ſtirpium exercitatiſſimus, tuiq; ſtudioſiſſimus) mihíque oſtendit, atque excellentiſſimo piæ memoriæ Melchiori Guilandino Patavium miſit.

Ejus uſus. τζιλιμονίδια. Plinij locus emaculatus. Pecten Veneris. ἀγριοκάντζικα. κάντζικα. σκανδικὶ. Andr. Tiraquelli lapſus. Silverius Todeſchinus.

Eleochryſum.

ELIOCHRYSVM hoc elegantiſſima planta eſt, tota tomentoſa, folia fert longa, anguſta, caules dodrantales, in quibus inſunt umbellati flores, aurei, pulcherrimi, corymborũ æmuli, qui in pappos reſolvuntur: ij autem perpetuo durant eodem aureo colore fulgentes, ſi loco ſicco condantur.

Ranunculi varia genera.

RANVNCVLI hi, quia elegantes flores proferunt, & copioſiſſimi in collibus verno tempore ſpectantur, tibi eorum ſemina & radices mittendas duxi: nam plurimum temporis effoſſæ durant.

BRYONIA

Bryonia hæc dicoccos frequentiſſimè in Creta provenit: elegans eſt, & differt ab alijs quæ alibi naſcuntur. *Bryonia dicoccos.*

Cavcalis, hîc & in tota Græcia vulgatiſſima eſt: vocatur καφκαλυτρα, & eadem eſt, quæ pro Tordylio accipitur, & quam Bellonius lib. III. Obſervat. cap. XLIX. legitimam cenſet. *Caucalis. καφκαλυτρα.*

An legitimi Tordilij ſemina hæc ſint, neſcio: nam folia adhuc videre non potui, quia tota herba erat arida: ſed terræ committam, & diligenter obſervabo: quod & tu facias, etiam atque etiam rogo. *Tordylion.*

Chamæleon albus, gummi, ut Maſtix, ferens, copioſiſſimus eſt: radicem habet maximam, odoratam: Iunio & Iulio circa echinum gummi diſtillat, quod pueri legunt, & aliquantulum maſticant, poſtea digitis lævigant, & complanant, complicatúmque in veſiculæ formam, ſuper alteram manum fortiter impellunt, ita ut ex ictu veſicula rumpatur & crepitum edat: quo ludi genere, ſummopere pueri delectantur. Quod autem, ut ſcribit Bellonius, loco maſtichis id gummi dentibus atterant, nondum ſcire potui: nam hîc Cydoniæ neque legitur, neque curatur: radices vocantur κολλες. *Chamæleon albus. κολλες.*

Davcvs tertius folia Coriandri, ſed minora & craſſa aliquantulum profert, caulem ſeſquicubitalis longitudinis, flores luteos in umbellis ut Anethum, ſeménque cumini. Vere manduntur radices & folia, quæ aromatici guſtus ſunt. Vulgo appellant κουρνόποδι, quod cornicis pedem ſignificat. *Daucus tertius. κουρνόποδι.*

Anagyris paſſim ſecus vias provenit, differtque ab ea, quam tu lib. I. Hiſt. Hiſpan. ſtirp. cap. XLIII. deſcribis: nam rotundiora folia profert: vocatur αζόηρα, accidítque interdum, ut capræ & oves fame vexatæ, folia hujus depaſcant, licet odoris ſit ingratiſſimi, & poſtea ex harum lacte caſeus conficiatur: quo ſi fortè ignarus aliquis veſcatur, aut lac bibat, ſtatim excitantur tum vehementiſſimi vomitus, tum fluxus ventris; & cùm hoc ſæpiſſimè accidat, multi in vitæ diſcrimen venerunt: eam ob cauſam frutex hic omnibus eſt exoſus. *Anagyris Cretica. αζόηρα. Noxa.*

Lycivm hoc Creticum, vulgo vocatur λουτζια: frutex eſt ad quatuor aut quinque cubitos aſſurgens, totus ſpinis horridus, ſpináſq; tres ſimul (ut in berberi vulgari cernuntur) proferens: folia habet parva, ad buxi foliorum formam accedentia, leviter ſerrata, flores copioſos, luteos, inſtar Paliuri, ſed minores, quibus ſuccedunt fructus aliquantulum longi, ut Berberis fructus, coloris autem nigri, ſaporis inter acidũ & dulcem medij: in quibus vel unum, vel duo granula continentur. cortex ligni non lævis ut Berberi, ſed aſper & pallidus eſt: materies ligni lutea, atque radix ipſius elegantiſſimo luteo inficit: oritur in altiſſimorum montium convallibus: differt autem à Berberi, cujus folia majora ſunt, & fructus racematim naſcuntur. Legitimum verò Lycium non eſt, quia fructus neque rotundus ut piper, neque amarus eſt. Propterea potiùs vocanda erit Berberis alpina aut montana, quàm Lycium, quemadmodum Silverius Todeſchini cenſet: qui hunc fruticem frequentiſſimum in Libano monte etiam invenit. Ceterùm duo alia Lycij genera hîc reperiuntur, quorũ Vnum maximè hiſtoriæ convenit: id etiam in Libano monte oritur: cujus cùm ad manus neque ſemina, neque rami ſint, ideo de ipſo in præſentia verba non facio. Alterius verò ramos ſiccos ſimul cum ejus fructu nondum maturo mitto: vocatur λαζηγιρι, & πετροαμυγδαλα, hoc eſt, petræa amygdala, licet cum amygdalis nihil commune habeat: frutex eſt ad duorum aut trium cubitorum altitudinem aſſurgens, denſus, folia parva firmáque ferens, ſpinis totus plenus eſt, & fructum rotundum fermè, parvum ut piper habet, cùm ad maturitatem pervenit, nigricantem: radix lignoſa eſt, maxima, eáque firmiſſima: Hebræi ex hujus fructu elegantem luteum colorem parant. *Lycium Creticum. λουτζια. Berberis mõtana. Lycij duo alia genera. λαζηγιρι. πετροαμυγδαλα.*

Aspalathvs hic eſt ſecundus Dioſcoridis verus & legitimus: atque in tota Græcia nomen adhuc retinet: illo ſepes conficiunt, & integræ ſilvæ hoc ſolo conſtare ſpectantur: ligni materies alba, duriſſima & gravis eſt: medium autem ligni, nigreſcit, odore carens: flores habet luteos, geniſtæ æmulos, parum odoratos: vento autem ſpirante, eorum odor ſatis ſuavis manè longiùs percipitur: ſuccedunt parvæ ſiliquæ, in quibus tria quatuórve ſemina continentur: folia Rutæ ſimilia ſunt, terna ſimul juncta: ſpinis totus frutex ſcatet: radice nititur firma, lignoſa, odoris experte. Excmus Matthiolus hunc fruticem non ſine errore Acaciam alteram appellat, cùm ſit Aſpalathus alter Dioſcoridis. *Aſpalathus alter Dioſc. Acacia altera Matth.*

Cytisvs Creticus frutex eſt totus obliquus, ad quatuor aut quinque cubitorum altitudinem aſſurgens: folia profert terna ſimul juncta, argentea, trifolij æmula, dorſo aliquantulum prominente: flores trifolij majoris, adhuc tamen majores, rubros, in quibus intermixti ſunt albi quidam villi, qui ſtruthiocameli pennas, eáſque in minutiſſimas partes diviſas æmulantur: ea ratione flos elegantiſſimus apparet, videtur enim ex purpura, & argento quodammodo à natura formatus: ſuccedunt ſemina milio majora: materies ligni nigra duriſſimáque eſt: cortex cinereus, & totus profundis ſciſſuris plenus. Oritur ubique in *Cytiſus Creticus, idemq; legitimus.*

ἀρχονδόξυλο. aſperrimis collium locis & præcipitijs. vocatúrq; vulgo *ἀρχονδόξυλο*, quod nobile lignum ſonat. Hunc fruticem, Cytiſum, & fortaſſe legitimum eſſe judico.

Hæc ſunt Vir Clariſſime, quæ tibi nunc mittenda duxi: quæ ſi tibi grata fuiſſe intellexero: alia & alia mittam: interea ſi aliquod ſemen peregrinum habes, ut & mihi portiunculam mittas, etiam atque etiam rogo. Deus opt. max. incolumem te conſervet. Cydoniæ Cretæ XXIIII. Septembris M. D. XCIII.

Qvanto *autem cum meo mœrore hæc omnia, quorum in epiſtola meminit, perierint: ſatis declaravi cap.* XIX. *lib.* I. *mearum Obſervationum, quod Oenopliæ hiſtoriam complectitur. Sed nec hoc infortunium intellexiſſem: niſi ipſe ad calcem ſuæ epiſtolæ hæc ſequentia adjeciſſet.*

Hanc epiſtolam ſimul cum ſeminibus & herbis ſiccis Illmo Pinello miſeram, ut tibi reddendam curaret, eámq; Silverio Todeſchini Fundano qui navi Venetias petebat, commendaveram. Sed, ut, audio, navis ipſa, maximâ tempeſtate vexata, in Siciliam appellere coacta fuit, adeò afflicta, ut ad ampliùs navigandum inutilis judicetur: quare timens, ne herbæ, ſemina & literæ perierint: exemplum earundem litterarum mittendum ſtatueram ſimul cum aliqua portione eorundem ſeminum, quæ mihi, neſcio quo caſu ſupererant: ut, niſi omnia ad te pervenirent, eorum ſaltem portione non priveris. Exemplum autem jam conſcripſeram, méque ad complicandum paraveram: quando tuæ mihi redduntur, Coloniæ Agrippinæ XI. Octobris ſcriptæ: quæ mihi mirum in modum gratæ fuerũt: ex ijs enim cognovi animi tui candorem, & quantum remp. juvare cupias. Propterea ſi Deus opt. max. incolumem me ſervabit æſtate futura, tibi ſemina herbáſque ſiccas mittam, & omni conatu efficiam, ut ad te perveniant. Si liber quem miſiſti, ad manus pervenerit, eum libentiſſimè perlegam, & inter cariora recondam, atque diligentiſſimè, ut noſtrę contractæ amicitiæ pignus, ſervabo. Bene vale, Cydoniæ Cretæ, XXII. Ianuarij M. D. XCIIII.

Accipiebam *autem ipſum hoc exemplar* XXV. *Maij inſequentis, & pridie Calend. Iunij reſpondebam.*

CLARISS. V. CAROLO CLVSIO, HONORIVS BELLVS S. P. D.

Iam annus eſt, quòd tibi aliquot ſemina miſerim: ſed navi quæ ea ferebat, maximâ terribilique tempeſtate in Siciliam ejectâ, omnia perierunt. Quod ſtatim ut intellexi, XXII. Ianuarij tibi iterum alia miſi, ſed non omnia, quia non ſupererant: illa an acceperis, & quid de his ſentias, pergratum mihi erit intelligere. Sed quoniam, ut aliàs ſcripſi, opus tuum juvare cupio, alia ſtirpium aliquot adhuc (ut puto) incognitarum ſemina nunc mitto, ſimul cum illis quæ deerant, & quorum hiſtoriam dedi: addidi Oenopliæ florentis ramulum, & Leontopodij iconem ſuis coloribus pictam, quæ omnia, ut credo, non prorſus tibi deſpicienda videbuntur, nova enim ſunt, & à nullo, quod ſciam, deſcripta.

Abelicea. Abelicea, cujus ſemina nunc mitto, arbor eſt magna, recta, multis ramis prædita, aſpectu pulchra, cui folia Alaterni, ſed rotundiora, profundè ſerrata (quos flores proferat ignoro) fructus magnitudine piperis, figurâ quaſi rotundus, colore inter viridem & nigrum medio: materies ligni dura, & paululũ odorata, pulvis enim hujus ſantala imitatur, unde Pſeudo-ſantalus Cretica jure appellari poſſet. Arbor hæc in ſolis montibus Leucis, eorumque altiſſimis jugis provenit, & ex ea trabes fiunt: Antiquis ignotam fuiſſe puto, ni ſit ulmus montana Theophraſto deſcripta lib. de Hiſtoria Plant. III. cap. XIIII. ſed folia neque leviter ſerrata ſunt, neque magna, ut pyri, verùm longè minora. vocatur *ἀπελικεα.*

Pſeudo ſantalus Cretica Natales. Vlmus montana. ἀπελικεα.

Pulcherrimus frutex. Pvlcherrimvs frutex, cujus ſemina etiam mitto, ad duorum cubitorum altitudinem aſſurgit, in orbem diffunditur, perpetuoq; viret: folia habet longa, rotundiuſcula tamen inſtar foliorum mali, firmiora, lætiſſimè virentia ſupernè, inferiùs verò albâ quadam lanugine obducta, ut argentea videantur, cauliculos albos, lanuginoſos, quos folia utrinque ambiunt, in quorúmq; extremitate flores cernuntur ſpecie thyrſi, ut in ſaponaria vulgari diſpoſiti, ſed figurâ Cyani, colore phœniceo, calice tamen longiore quàm Cyani, ſquamato, albo & rubro diluto colore prædito: flores in pappos reſolvuntur, ſemen longiùs quàm cymini, caliceſque ſunt perennes. In altiſſimis præcipitijs inter ſaxa provenit: quo nomine autem vocetur, nondum ſcire potui.

Natales.

Echinopoda. Echinopoda, vulgariſſima planta eſt, & multum cum Erinacea à te deſcripta convenit, niſi quod hæc folijs caret, & flores luteos profert, totáque colore viridi cernitur, in orbem dif-

bem diffuſa, & erinaceum mirum in modum multitudine ſpinarum repræſentans. Hujus ſtirpis meminit Plutarchus Sympoſiacων lib. I. quæſtione quarta, & lib. de Auditione quaſi circa finem, antiquum hujuſmodi diſtichum citans.

Ὡς ἀν ἐχινόποδας, καὶ ἀνὰ τρηχεῖαν ὄνωνιν
Φύονται μαλακῶν ἄνθεα λευκοΐων
Iuter Echinopodas velut, aſperam & inter onωnin
Interdum creſcunt mollia leucoïa.

Meminit etiam hujus Athenæus lib. Dipnoſophiſt. tertio, perinde ac ſi ſemper inter echinopodas & aſperam ononin verſeris. ſed fallitur in margine Dalechampius Athenæi interpres, quod per echinopodam Cardui Chij genus intelligat: nam Echinopoda tam hîc Cretæ quàm in inſula Chio totâq; Græcia vulgariſſima eſt, non cardui genus, ſed fruticis cenſenda: *Carduus Chius.* & hanc ſub Chenopodis nomine intellexiſſe Plinium exiſtimo lib. Natural. Hiſt. XI. *Chenopus.* cap. VIII. quod etiam ante me animadverterat Turnebus vir ſumma laude dignus Adverſariorum lib. XXIII. cap. XII. nam licet hæc plãta copioſiſſimos flores proferat, & ubique oriatur, ejus tamen flores apes non attingũt, ut quotidie obſervari poteſt. *Echinopodæ flores non attingunt apes.* Excellentiſſimus p.m. Melchior Guilandinus Echinopodam non novit: nam epiſtola ad Langium eam inter ignotas ſtirpes enumerat. Bellonius verò lib. I. Obſervat. cap. XVIII. ipſam nouiſſe videtur, ſed non deſcripſit; neque ita congener eſt Aſpalatho ut ipſe putat. Nam Aſpalathus frutex ſatis magnus viſitur, folia terna ſimul juncta ferens, licet æſtate ipſa amittat, ut Autumno alijs *Aſpalathus.* induatur, nec ſpinis adeò crebris ſcatet, ut iſta.

Elegantissima Planta, quam (ni fallor) nonnulli Poterium perperam appellant: alij *Poterium quorundam.* Pimpinellam ſpinoſam, *Pimpinella ſpinoſa.* cujus ſemina nunc accipies, legitimam Dioſcoridis Stœben eſſe contendo, licet ipſe nullam Stœbes deſcriptionem reliquerit: ſed affinitate nominis fretus, quòd in tota ferè Græcia adhuc retinet, facultatibúſque quas in Medicina habet, alijſque *Stœbe Dioſc.* non levibus conjecturis adjutus, non vereor affirmare legitimam eſſe: differréque multum à Stœbe Galeni, quam libro primo de Antidotis deſcribit. Planta iſta perpetuò hîc viret, *Stœbe Galeni.* multóſque annos durat, in orbem diffuſa, ſurculoſáque ad cubiti altitudinem aſſurgit, folia ferens carnoſa, diviſa, in uno pediculo plura utrinque diſpoſita, quæ cũ Autumno primùm erumpunt, in ſe contracta videntur, & Aſpleni folia quodammodo imitantur, ſed longè minora, quæ tamen ſucceſſu temporis majora apparent, & Pimpinellam ſorbaſtellam vocatam foliorum poſitu & diviſuris æmulantur, minora verò ſunt. *Pimpinella ſorbaſtella.* Tota planta crebris, firmis & tenuibus ſpinis ſcatet: ſemina fructus rubi aut mori imitantur, plures enim ſimul congeſti ſunt, initio virides, poſtea ad rufum tendẽtes: flores parvos, carnoſos, ex viridi rufeſcentes, multóſque ſimul congeſtos profert. Super hanc ſtirpem naſcitur Epithymum, quemadmodum *Epithymum.* ſuper thymum, ijſdémq; collibus frequentiſſimè invenitur, in quibus & thymum, & thymbra, & aſparagus proveniunt: nunquam autem invenitur paluſtris. Adſtringendi vi pollet, vulgaritérque in tota Græcia στοιβῆδα vocatur. Quod autem ſit Dioſcoridis Stœbe, *στοιβῆδα.* clariſſimè patebit, ubi priùs oſtendero phleos & Stœbe unum & idem eſſe, & ex aculeatarum genere eſſe, phleum autem nomine neutro multum à Stœbe differre: nam pleroſque doctiſſimos viros ex confuſione horum nominum in maximas tenebras incidiſſe comperio. Omnes enim qui phleos & phleum apud Theophr. confundentes eãdem eſſe plantam putant, fruſtra ſtœben cognoſcere conati ſunt. Nam phleos quæ vocatur ſtœbe, à Theophraſto lib. VI. de Hiſt. Plant. capite I. enumeratur inter eas ſtirpes, quæ præter ſpinam folium habent, *Phleos ſive Stœbe, ſpinoſa planta.* ut hæc Pimpinella ſpinoſa: & non, ut vertit Gaza, quæ juxta folium aculeatum, altero quoque folio conduntur: eámque comparat Ononidi & Tribulo: quæ quidem phleos, ſive ſtœbe, folio conſtat carnoſo, in ramos ſparſa, multáſque radices habet, non tamen altè deſcendit, germinat cum vergilijs, primóque aratro unà, nec folia dimittit, non enim annua, ſed diuturnior eſt, ut idem Theophr. lib. VI. de Hiſt. Plant. cap. I. affirmat. Et Plutarchus in vita Theſei circa initium, Stœben inter ſpinas enumerat: Menalippi, inquit, filius Ioxus ornyto ſocius deducendæ in Cariam Coloniæ fuit: unde Ioxides originem traxerunt, quibus mos eſt patrius neque ſpinas aſparagi, neque ſtœbes igne cremare, ſed honore & cultu proſequi. Aëtius verò libro tertio, capite vigeſimo nono, ſuper ſtœbem epithymum naſci affirmat. Quòd autem Theophr. cap. III. lib. VI. de Hiſt. Plant. tribuat phleo, cappari & tribulo peculiare, quod non ſolùm habeant caulem aculeatũ, ſed etiam folium hiſpidum, mendum eſſe ſuſpicor: nam eodem libro cap. V. Inturi ſive cappari hoc peculiare eſſe voluit, & manifeſtè tribuit phleo folium minimè pungens: dicit enim nec phleum & ippophium æmulatur quæ folijs mitibus conſtant. Plinius etiam lib. XXI. cap. XV. non rectè animadvertens quæ Theophr. locis citatis de phleo ſeu ſtœbe ſcripſerat, erravit & ipſe, & multis errandi occaſionem præbuit. Phleum verò, longè alia diverſáque planta eſt à Stœbe, & ab antiquis Græcis non inter ſpinoſas, ſed inter paluſtres ſtirpes enumeratur. *Phleum, paluſtris planta.* Plutarchus enim Naturalium quæſtionum ſecunda, Phleum paluſtrem ſtirpem facit, dicens, Ignoravit Laytus, quod etiam paluſtres ſtirpes, ut ſunt tipha, phleum, & ulva, neque germinant, neque augeſcunt, ubi imbres ſuo tempore non decidunt. Idem fecit Ariſtophanes in Ranis: Chorus enim ait, ſaltavimus per Cypirum & phleo, gaudẽtes cantibus. Et Theoph.

lib. IIII

Phleum mas. Phleum femina. Anthella.

lib. IIII. cap. XI. de Hiſtor. Stirpium, Phleum inter lacus Orchomenij ſtirpes enumerat, ejúſque genera ſtatuit, marem fructiferam, & feminam ſterilem ad nexus duntaxat utilem: fructus hujus Phlei Anthella vocatur, quo ad lixivia utuntur: eſtque placentaceum quoddam molle, & rubidum: quæ quidem planta adhuc mihi ignota eſt. Ex his liquido conſtare arbitror, Pimpinellam hanc ſpinoſam, ſive Græcorum στοιβήδα legitimam Dioſcoridis eſſe Stœben: nam hæc planta rectiſſimè Theophraſti deſcriptioni convenit, cùm ex aculeatarum ſit genere, & vulgaris notitiæ, facultatis adſtringentis, & adhuc in ſanandis alvi fluoribus indiſtinctè à ruſticis uſurpetur. Nam ejus in aqua decoctionem jejuni bibunt, & à morbo, ut aiunt, liberantur: præterea antiquum nomen quaſi retinet: nam στοιβήδα à στοιβὴ derivatum eſſe cenſeo.

Facultates ſtœbes. στοιβή.

Gethyum. Cepa agreſtis. Gethyllides.

BVLBVS hic quem mitto, Gethyum antiquorum eſſe judico: nam folijs concavis conſtat ut cepa, iiſque longis, floréſque & ſemina cepis ſimilia profert: capite ampeloprasis ſimillimus eſt, guſtúque cepam & porrum æmulatur. Cepam agreſtem olim putabam: ſed Plinius lib. XX. cap. V. negat cepę genus inveniri ſilveſtre. Licet autem Theophraſtus Gethyum ſine capite eſſe ſcripſerit lib. VII. de Hiſtor. Plant. cap. IIII. & duntaxat cervice longa conſtare: capitati tamen genus inveniri, ex eodem Theophr. hinc, inde colligitur. Nam lib. I. cap. X. ait, radix enim bulbi & Gethyi caule omnino carebit: & lib. VII. cap. IX. & aliæ multis tunicis conſtant, ut bulbi, ſcillæ vel cujuſvis generis bulboſi: adde cepæ & Gethyi, & ſimilium: & eodem lib. cap. XI. ſcribit, ac Enſis appellati radix, rotunda hæc eſt, & ſine cortice, capillamentis Gethyi modo fibrata: ex quibus apparet apud Theophraſtum Gethyi genus extare capitatum, cui folia ut cepæ concava ſunt. Idem enim Theophr. lib. I. de Hiſt. Plant. cap. XVI. ait, peculiare in oleribus, ceu cepa & Gethyo, foliorum concavitas. Atheneus verò Deipnoſophiſt. lib. IX. clariſſimè Gethyum deſcribit capitatum, cùm ait. Quidam capitatum id eſſe volunt quod Gethyum nominant. hujus meminit Phrynicus in Saturno, cujus fabulæ interpres Didymus, Ampeloprasis ſimilia tradit eſſe Gethya, quæ & Gethyllides vocant: licet Epenetus apud eundem Athenæum, porrum capitatum Gethyllidem vocarit: fortaſſe ob ſimilitudinem bulbi. Gethyllides autem Latonæ ſacras credidit antiquitas, quoniam Latonam, cùm Apollinem utero gereret Gethyllidem expetiviſſe, memoriæ mandarunt.

Struthium Dioſc. χυμένη & ejus uſus.

STRVTHIVM legitimum Dioſcoridis hanc herbam puto: ſed ejus deſcriptionem nunc deſcribere ſuperfluum mihi videtur: cùm excellentiſs. p.m. Melchior Guilandinus rectiſſimè ipſam deſcripſit epiſtola ad Maximilianum II. Cæſ. anno M.D.LXXII. Sed tantùm addam quod in tota Gręcia vocatur χυμενη, qua utuntur fullones in tingendo ſerico luteo excellentiſſimo, cujus quidem χυμένης fit mentio apud Actuarium inter recentiores Græcos, libro de Vrinarum differentijs cap. VIII. At verò poſtquam aliquam tincturam urinæ capiunt, longè à crudidate diſcedentes, primum ſpiceæ exiſtunt, deinde ſpiceæ, ita ut aliæ videantur ſimiles χυμένῃ quæ mediocriter fuerit infuſa humori: ſic enim legendum eſt, non bili: & ita in manuſcripto antiquo exemplari legitur. Interpres autem ignorans quænam herba eſſet χυμένη, repoſuit χολὴ. Addam etiam quod Phyteuma (Antirrhinum videlicet ſilveſtre Dodonæi) cujus folia rectiſſimè cõparantur huic Struthio, vulgariter adhuc uſurpatur à Græcis mulieribus ad amatoria, eam multoties conjurantes, ſilente luna manu ſiniſtrâ colligentes, demum ſuſpendentes fumigantéſque, & alijs modis utentes: vocatúrque Cydoniæ Cretæ χασκουσα.

χυμένη. Phyteuma Antirrhin. ſilveſt. Phyteumatis uſus. χασκουσα.

Stratiotes Millefolium. μιρελοφυλο.

STRATIOTES Millefolium ita legitimũ eſt, & ſic Dioſcoridis deſcriptioni quadrat, ut ipſi aliquid addere, ſupervacuũ mihi viſum ſit: ſemina igitur duntaxat mitto: vocatur μιριοφυλο.

Thymbra legitima. θυμβελ, θρυβι

THYMBRAM Bellonij, Antiquorum legitimam eſſe cẽſeo: vetus nomen adhuc retinet, vocatur enim θυμβρι & θρυβι: ſuper hanc frequentius invenitur epithymum quàm ſuper Thymum.

ἀγριοανζιναρι.

ΑΓΡΙΟΑΝΖΙΝΑΡΙ, hoc eſt, Cynara ſilveſtris planta ſic vulgo vocata, ex aculeatarum eſt genere, cujus echini ut Cynaræ primo vere, ante quàm aperiantur, ab omnibus & crudi & elixi eduntur ex ſale, oleo, & pipere, licet ſpinoſiſſimi ſint: ſed mira facilitate ruſtici eos mundant. Stirpem non deſcribo: nam licet vulgariſſima ſit, ejus tamen formam non rectè memoria teneo.

σκοτισαρα.

SEMINA autem Leontopodij, Dauci tertij, Roris marini Theophraſti σκοτισαρα vocati, anagyridis, Cytiſi, Anthriſci, Aſcyri, Coris, ſine deſcriptionibus mitto: eorum enim anno elapſo hiſtorias dedi.

AB Illmo Pinello librum tuum accepi, pro quo gratias ago immortales, agámque dum vivam, & ipſum inter cariora ſervabo. Vale è Cydonia Cretæ, prima Octobris M.D.XCIIII.

CL^mo

CL.^MO V. CAROLO CLVSIO ATREBATI
HONORIVS BELLVS S. P. D.

POSTQVAM ventis reluctantibus navis ex hac inſula ſolvere non potuit, hęc deinceps Tragij quæſita ſemina ſeorſim mitto, quæ non minùs tibi grata fore judico, quàm reliqua, quia à nullo forſan alias miſſa fuerunt, aut obſervata.

TRAGIVM porrò frutex eſt rectus, aſpectu pulcher, ad tria, nõnunquam *Tragium.*
& quinque cubita aſſurgẽs, brachiali interdum craſſitudine, perpetuo virens,
folia ferens glycyrrhizæ aut Terebinthi, læto virore prædita, flores in umbellis luteos, Hyperico ſimiles, ſed quadruplo majores, multis ſtaminibus luteis, longis, plenos:
quibus ſuccedunt capitula oblonga, rotunda, terebinthino fructui æqualia, tenuiſſimo ſemine referta, quæ à planta non decidunt, ſed ei perpetuò inhærent: cortex ligni ad rufum
tendit, æſtatéque reſinam fundit, ſed paucam. Secus fontes & rivulos provenit, nec alibi in- *Natales.*
venitur. Tota planta ita hircinum virus olet, ut longius percipi poſſit: vocatur à ruſticis *νε-*
ροικτι. Sed quoniam Dioſcorides Tragium, fructum, folia, & virgas lentiſco ſimilia profer- *νεροικτι.*
re ſcribit, verùm minora omnia: mendum ineſſe ex Plinio lib. Natural. Hiſtoriæ. XIII. cap.
XXI. convinci poteſt, qui Tragio fruticem Terebintho, non Lentiſco ſimilem tribuit: Gui-
landinique opinionem probo, legentis *μακρότερα* non *μικρότερα*. Quod verò Diptamum al- *Diptamum*
bum vulgo appellatum Tragium ſit, minimè concedo. Nam Diptamum album hirci odo- *album.*
rem non ſpirat, ſed gravem, neque in tota Creta id invenitur. Vniverſam enim inſulam ipſe
luſtravi, diligentiſſimeq; Tragiũ perquiſivi, nullo labori parcens, ſed fruſtra: nullum enim
aliud Tragij genus invenire potùi, quàm iſtud: nec etiam ullum comperi, qui Diptamum
album in hac inſula vidiſſet. Differt hæc arbuſcula à Ruta ſilveſtri Dodonæi: quoniam hęc *Ruta ſil. Do-*
arboris in morem excreſcit, non autem herba eſt, nec ſatura viriditate nigricat, ſed lætè vi- *donæi.*
ret, non lanuginem in folijs habet, non ſanguinis æmulum ſuccum reddit, neque ejus ſemina reſinam olent, ſed hircum, quemadmodum & folia: unde hanc Tragium eſſe, jure exiſtimari poteſt.

Mittó etiam ſemina Galoſtividæ ſic vocatæ, ob ſimilitudinem quam cum Stivida habet, *Galoſtivida.*
multitudine videlicet ſpinarum. Sed ejus deſcriptionem in præſentia non accipies, quia ad
manum planta non eſt: oritur enim in parte auſtrali inſulæ, quæ quinquaginta milliaribus
diſtat à Cydonia: nec ejus formã rectè memini. Sed aliàs diligentiſſimè deſcribam: interea *Natales.*
ſemina terræ mandare poteris, & ipſe eam obſervare. Vale è Cydonia Cretæ ultima Octobris. M. D. XCIIII.

POSTREMAM utramque hanc epiſtolam accipiebam Lugduni apud Batavos XVI. Maij anni inſequentis, & XV. Kl. Novembris ejuſdem anni reſpondebam.

CL. V. CAROLO CLVSIO
HONORIVS BELLVS MEDICVS. S. P. D.

IVCVNDISSIMÆ mihi tuæ literæ fuerunt, quas Leonida frater Coloniâ Agrippinâ, ubi nunc habitat, incolumes miſit, &, ſi alias dabis, ut mihi reddantur, diligentiſſimè curabit. Quod autem ſemina tibi miſſa, ob Regionis intemperiem non naſcantur, diſplicet ſanè plurimùm: nam ſi ſtirpes vivas obſervare potuiſſes, magnam voluptatem accepiſſes, eandem enim ex ſiccarum intuitu percipere nõ potes. Nunc autem tibi mitto hiſtorias quarundam ſtirpium peregrinarum, quas in fictilibus ſervo, ſemine ex Ægypto miſſo natas, earundémque ſemina cum herbis ſiccis, nec non quarundam hîc naſcentium, quæ omnia gratiſſima fore ſpero.

Mitto etiam fructum quendam peregrinum nomine *Abavo*, quem amicus Cayro miſit, *Abavo.*
è Zeila nobili Æthiopiæ emporio extra Erythræum mare ſito, allatum. EST autem hic *Ejus hiſto-*
fructus magnitudine mali citrij mediocris, denſo duróque cortice ut Cucurbita veſtitus, *ria.*
nullis excurrentibus ſulcis, ſed tantùm extremâ ejus parte mucronatâ, quâ arbori adhæret pediculo craſſo & firmo, ſulcorum rudimentum cernitur, in quibus lanugo quædam ineſt, quemadmodum in Cydonijs malis videre licet, reliquo corpore lævis: alterâ non in mucronem, ſed in obtuſam rotunditatem deſinit, ut primo aſpectu Cucurbita ſicca appareat colore fuſco: pulpam continet ſubrubram, friabilem, ut facilè in pollinem reſolvatur, acidam, ori gratam, adſtrictionis expertem, per quam ſparſa ſunt ſemina renibus animalium ſimilia, ſeminum Anagyridis æmula, duro cortice, qui rubẽte quadam membranâ tegitur,

quâ

quâ demptâ ſemina fuſca, ad nigrum inclinantia, & ſplendẽtia cernuntur, intus medullam albam continentia, edulem, Avellanæ guſtu: verùm ſemina ex umbilico fibris non ſuſpenduntur (licet per pulpam multæ fibræ rectæ excurrant) ut ſemina fructus quem tu Guanabano Scaligeri ſimilem ex Mozanbique allatum ſpectandum proponis. Convenire autem *Guanabanus forte Scaligeri.* multum mihi videtur cum fructu, quem tu Guanabano ſimilem ex Theveti America deſcribis, folio fici: ſed hic longè minor eſt. Affinitatem etiam habet cum Bahobab ab Alpino *Bahobab Alpini.* deſcripto partibus internis; ſed formâ differt: nam Bahobab utrinque mucronatus eſt, pulpámque continet (ut ille ſcribit) non acidam tantùm ut hic, ſed adſtringentem Lemniæ terræ inſtar, quæ nota in hoc deſideratur. Sed quoniam vereor, ne ob difficultatem itineris Ill^mus Pinellus tibi fructum mittere poſſit, ipſum rogavi, ut Patavij delineandum curet, iconemque ſaltem & ſemina mittat. Æſtate præteritâ hujus fructus ſemina terræ commiſi, quorum nonnulla feliciſſimè nata, eáque bina rotunda folia protulerunt eis ſimillima, quæ Staphiſagria è ſemine prodiens ferre conſpicitur, at majora, in quorum medio caudicis rudimentum apparuit, qui ſenſim incrementum ſumens, folia malo citrio ſimilia produxit, ſed ſine pediculo: augeſcẽte autem caudice, aucta ſunt & folia, pediculoq; niti cœperunt: at ubi caudex pedalem longitudinem attigit, illico ramos ſpargere cœpit, & folia ipſis inhærentia longiores pediculos adquiſiverũt, neque ſingularia tantùm ſingulis pediculis inhæſerunt, ſed initio bina, poſtea terna, quaterna & quina, eo modo diſpoſita, quo ſua proferunt Pentaphyllum, Lupinus, Caſtanea equina, & reliquæ quæ hujuſmodi folijs præditæ ſunt, eo quod medium locum occupat ſemper majore apparente, deinde alijs duobus quæ utrinque ipſi proxima, ipſi magnitudine cedentibus, poſtremo reliquis duobus, ut in ſicco folio quod mitto obſervare poteris. Radice firmatur rotundâ, tuberosâ, ovi magnitudine, appendicibus paucis & tenuibus utrinque exeuntibus, cortice tenui veſtita, quem tenuiſſima pellicula fuliginei coloris tegit, facileque digiti attritu detergitur, ut tunc radix alba appareat, carnoſa, ſubſtãtiâ raphano ſimili, ſed tenerior, in quâ per tranſverſum ſectâ, à centro ad circumferentiam multæ lineæ ductæ conſpiciuntur, ut in raphani radice. Præmanſa, tota ferè in aqueum ſuccum vertitur, ſubdulcem, terrei odoris, quique in ore adſtrictionem quandam relinquit, non ſine exiguo caloris ſenſu, ſalivámque ſatis copiosè elicit. Hoc in unicâ tantum radice adhuc obſervavi, mirúmque mihi viſum eſt, arbores reperiri tali radice præditas. Martio arbuſculas in viridarium trãsferam, & an omnes hujuſmodi radicibus præditæ ſint, diligentiſſimè animadvertam: nam, ut dixi, in fictilibus adſervo jam ad ſeſquipedalem altitudinem elatas, pollicari craſſitudine, cortice albo ſcabróque, medulla magna abundantes. Ligni materies ſatis infirma eſſe videtur, quapropter inter eas arbores hanc recenſendam judico, quæ brevi incrementum ſumunt, & fortaſſe brevi ſeneſcunt, tum inter eas quæ perpetuâ fronde natali ſolo virent: Nam hîc Cydoniæ per totum Decembrem folia non amiſit. Illud addam, plantas licet ſemine ex uno eodémque fructu exempto & terræ commiſto natas, diverſa tamen folia protuliſſe: alia enim malo citrio ſimilima fuerunt, minimè ſerrata, alia longiora & ſerrata, plurimum ad Caſtaneæ folium accedentia, ſed inodora omnia: unde ſuſpicari licet hunc fructum diverſi generis arbores generare.

Oſſar. OSSAR frutex eſt ſtolones multos à radice proferens rectos, rotundos, leves, geniculatos, quibus circa genicula inſunt folia longa, rotunda, craſſa, per quorum medium nervus excurrit albus, è quo utrinque venæ exeunt aversâ foliorum parte ſatis conſpicuæ, folia autem ex intervallis bina ſemper inter ſe oppoſita ſine pediculis ſtolones undique ambiunt, ex quorum alis multi rami nunc erumpere incipiunt, non quidem ex omnibus, ſed alternatim, ita ut ſi, à primo initium ſumens, lineam ab uno ad alium ducas uſque ad ultimum, perfectiſſimè lineã helicen deſcribes. Radice firmatur validâ in multas fibras diuisâ, luteos flores profert, fructúſque mali magnitudine, cordis figurâ, colore virides, binos aut ternos ex uno pediculo pendentes, in quibus ſemina lata, lanugine quadam molliſſimo candidiſſimóque ſerico ſimillimâ involuta: Caules & folia incana ſunt, lanugine quadam tecta, ut craſſiore quapiam farinâ tota planta conſperſa videatur, quæ imbribus eluitur, eóque tempore folia & caulis colorem ex viridi ad album tendentẽ contrahunt: pars caulis radici proxima albo cortice tecta eſt, fungoſo, rimis diſſecto, ut Sambuci caulis videri poſſit, & illius inſtar multa medulla alba refertus eſt. Stolonum cortex & foliorum nervus copioſo lacte amaro & acri abundant: breviter tota planta aſpectu pulcra eſt, & quas in fictilibus ſervo ſemine ex Ægypto accepto natas, ad trium cubitorum altitudinem jam excreverunt, foliaq; hieme retinent: nondum autem vel flores vel fructum tulerunt. Planta hæc in Ægypto vul- *Beid el oſſar.* gariter *Oſſar* appellatur, fructus verò *Beid el oſſar*, hoc eſt, ovum ex oſſar, aut Italicè *Ovo del* *Vſus.* *Oſſar*, *Beid* enim Arabicè ovum ſignificat, & *el* eſt articulus, qui Italicè dicitur *del*. Hujus fructus lanugine pulvinaria implent, lacte autem coria depilant. Sine dubio, hæc planta illa eſt *Saccharum albuſar.* ſuper quam Avicenna & alij Arabes Saccharum Alhuſar (mannæ ſpeciem) inveniri ſcribunt: & quam Serapio ex Abnanifæ ſententia, Mutono interprete deſcripſit his verbis.

Haoſer, Alaſer, Albuſar. HAOSER, ſeu Alaſer, ſeu Alhuſar, planta eſt quę lata habet folia, ſingulis annis ſuccreſcẽs, ſaccharũ ex ramis extillans, & à foliorum cavis quod copioſiſſimè legitur, non parũ quidem

amareſcens:

amareſcens: poma profert camelorum teſtibus non diſſimilia, à quibus res quædam cauſtica, adurénſve emanat, cauterijs maximè accommoda, ex qua etiam & culcitræ, & pulvinaria fulciuntur, planta cujus Cherca nuncupatur: folia autem Haoſer inciſa humorem deſtillant in Maio colligi ſolitum, in quo coria depilantur, adeoq; exſudat, ut vas quàm capaciſſimum ex una vel altera expreſſione adimpleatur: lignum verò Haoſer, leve eſt, craſſum, erectum, pulcherrimũ, ut non injuriâ ſuis carminibus tum brachia, tum crura formoſarum ſanè mulierum, ligno Haoſer Poëtæ bellè comparent. Eſt & alia planta Haoſer nominata ex Tithymallorum quidem genere. Hæc Serapio. Sed animadvertẽdum eſt, veterem Serapionis interpretationem rectius huic plantæ quadrare, quam Mutoni, ut utramque cum noſtrâ conferenti facilè patêre poterit. Deſcribitur etiam hic frutex ab Abembitar Medico Arabe Hiſpano, in ſua Simplicium Hiſtoria, & à Malahyſah Medico Perſa, qui Abembitaris Hiſtoriam in Epitomen contraxit: quorũ libros manuſcriptos apud Haym Abenxuſem medicum Hebræum Hiſpanico ſermone vidi, qui mihi Oſſaris hiſtoriam ex eorum ſcriptis ad verbum hoc modo humaniſſimè interpretatus eſt.

Cherca. *Haoſer aliud genus.* *Abembitar Medicus. Malayſah Medicus.*

OSSAR frutex eſt Tithymalaceus, longus & parte ſuperiore tenuis, folia habens lata, ſuper quę decidit manna quæ *Zuccar el Oſſar* vocatur (florem fert Oleandro ſimilem) hoc addit Malayſah: Abembitar enim nullam floris mentionem facit, ſed fructus duntaxat: folia ipſius plana & levia ſunt, caulem habet viridem, concavum: fert fructum quẽdam ſimilem ſacculo pendenti, qui intus continet particulas albas unas ſuper alias, quibus utuntur Arabes ad accendendum ignem, nihilq; (dicunt ipſi) ad hoc munus peragẽdum præſtantius inveniri poſſe: pulvinaria etiam hac materiâ implent. Oritur in montium cavitatibus, ſcilicet ubi mons jungitur monti, quandoque etiam in arenis naſci conſpicitur. Si caulem aut folium incidas, lac magnâ copiâ emanat, ita ut quatuor & ampliùs libræ ex unâ plãtâ exeant, quod quidem eſt acre, calidum & ſiccum, corrodit & incidit, ut ſit in principio quarti gradus caliditatis, planta verò ipſa calida eſt in fine ſecundi aut principio tertij. Habitatores Mechę pilos extrahunt à corijs, depilant videlicet coria cum hoc lacte, ea in ipſo infundentes: quod quidem eſt vehementius lacte omnium tithymallorum: drachma enim una & ſemis per os aſſumpta interficit euacuando & excoriando: folia verò in pulverem redacta, & inſperſa ſuper ulcera maligna atque corrodentia, ampliùs progredi non ſinunt: exſiccat ulcera ſordida, humiditatem excrementitiam, carnémque ſuperfluam conſumit, lac confert maculis cutem inficientibus. Hujuſmodi ſtirpes nonnullæ Tripoli reperiuntur, nonnullæ etiam Cayri. Sed cavendum ne propinquius accedas ipſis, aut ſub umbrâ dormias.

Alia Oſſaris hiſtoria. *Natales.* *Ejus temperamentum.*

Bellonius lib II. Obſervationum cap. LX. hanc ſtirpem fortè intellexit ſub arboris lanigeræ nomine, non tamen deſcripſit. Si verò hanc lanigeram eſſe Theophraſti aut Plinij putavit, valde hallucinatus eſt: nam lanigeræ Theophraſti nihil aliud ſunt quàm Goſſipium, quod in Arabia & Ægypto arboreſcit, & multos annos durat: ſed in Cretâ hieme perit. Alpinus quoque hunc fruticem deſcribere videtur libro quem de plantis Ægyptijs edidit ſub nomine *Beid el ſar*: ſed ut ingenuè fatear, ipſius deſcriptionem non ſatis aſſequor. Neſcio enim quid commune habeant hujus plantæ folia cum Aloës folijs, quibus ipſa comparat, neque in quibus ſemina hujus conveniant cum lactucæ ſeminibus: & icon quam ſpectandam proponit diligentiorem pictorem requirebat: ſemina verò & fructus ſatis rectè expreſſi: at majores ſunt his quos ex Ægypto accepi, ut ex ſiccis folijs & fructu quem cum ſua lanugine & ſeminibus mitto, obſervare poteris. De ſaccharo autem quod ſuper hanc ſtirpem inveniri ſcribunt, aut ab ipsâ manare, nihil adhuc compertum habeo: nam in novellis plantis illud obſervare non potui. Illud tantum animadverti, quod lac detracto folio emanans, ſucceſſu temporis circa vulnus concreſcit inſtar gummi cujuſdam albi, Tragacanthæ valde ſimili, dulcedinis tamen experte.

Arbor lanigera Theophraſti. *Beid el ſar Alpini.*

SOFERA ſuffrutex eſt, ad duorum triúmve cubitorum altitudinem aſſurgens, caule firmo, recto, fibroſo, multos ramos firmos è foliorum alis undique ſpargente, in quibus folia Myrti folijs ſimilia quidem, verùm anguſtiora, alata, hoc eſt, in longo pediculo utrinque ſita contrarijs ſemper inter ſe petiolis, numeróque paria, ut in Lentiſci folio conſpicere licet, ſupernè lætè virentia, infernè verò ſatura viriditate prædita, graviter olentia, veſperi, ſupernâ folij parte qua petiolo inhærent, coëuntia, infernâ parte terram ſpectante, ſicque clauſa tota nocte permanent, manè verò circa Solis ortum denuò expanduntur: croceos fert flores, inodoros, plures in uno ramulo pendentes, multáque intus ſtamina cum ſiliquæ rudimento continentes, in caulis & ramorum ſummitatibus naſcentes: quibus ſuccedunt ſiliquæ rotundæ, digitum longæ & cælum ſpectantes, plurima ſemina continentes rotunda aliquantulùm compreſſa: non omnes tamen ſiliquæ ad perfectionem veniunt, ſed plurima ante decidunt. Elegans planta eſt, diutiſſiméque floret, ſubinde novos & recentes flores proferens, ſempérque virens: radicem habet multifidam, lignoſam. Semine primùm nata, duo, ut obſervavi, duntaxat profert folia, deinde quatuor, longo pediculo inhærentia, utrinque bina, poſtea ſex, utrinque terna, atque ita deinceps quemadmodum caulis augetur, foliorum numerus creſcit, eáque majora apparent: duodecimum tamen numerum non excedunt

Soſera.

cedunt

cedunt ea quæ caulem ambiunt, hoc eſt, utrinque ſena: nam ramorum folia tametſi eodem modo numero creſcant, decimum tamen non ſuperant, quina videlicet utrinque. Hieme (quam ſatis commodè ferre poſſe videtur, ſi diligens aliqua cura adhibeatur & loco quodam calidiore & à ventis libero adſervetur) facilè à ventis præſertim ſeptentrionalibus læditur, qui folia & flores exſiccant, ea tamen, licet ſicciſſima, à ramis non defluunt, ut in mihi natis plantis obſervo, imò ferè ſtatim nova folia & ramos proferre cæperunt. Hoc eodem nomine Alpinus plantam deſcribit, quæ tamen plurimum ab hac differre videtur, ut ex ipſius deſcriptione & icone colligere licet.

Sofera Alpini.

Nardus Cretica.

NARDUS Cretica herba eſt Valerianæ ſimillima, odore, caule, flore & forſitan etiam ſemine, quod longiuſculum & depreſſum eſt, figura ad Lini ſemen accedens & in pappum deſinens: folia prima herbacei ſunt coloris, rotunda, ut Aſari eſſe videantur, interdum majora, craſſa, ſucci plena, quæ deinde ſubſequuntur paulo longiora ſunt & nonnihil inciſa, quibus alia magis ſecta ſuccedunt, & ſimiliter alia, ut tandem ultima, ante quàm caulis emergat, Valerianæ majoris folia rectiſſimè æmulentur. Caulem Valerianæ perſimilem habet, concavum, ad ſeſquicubitalem altitudinem aſſurgentem, quem bina folia Valerianæ diviſura utrinque per intervalla ambiunt: flores albos in umbellis Valerianæ ſimiles, majores aliquantulum, odoratos: radicem tuberoſam, ex primaria enim, cui caulis nititur, minimique digiti eſt craſſitudine & longitudine, tenues quędam radices per terram ſparguntur, quibus aliæ tuberoſæ adnexæ, ut in Filipendulæ radicibus, nardi odorem referentes: tota hieme viret, & novo Vere caulem emittit, qui Aprili aut Maio marceſcit, & exſiccatur: tota autem æſtate radices ſub terrâ latent, & Autumno primis imbribus germinare incipiunt. Oritur humentibus collium locis, invenitúrque etiam inter ſaxa. Ad Nardi genus accedere videtur Antiquis forte ignotum. Nam licet Galenus Lib. IX. de comp. medic. ſec. locos cap. IIII. dum Philonis Tarſenſis medicamentum exponit, Nardi Creticæ meminerit, tamen præter nudum nomen, nihil aliud de Nardo Creticâ apud ipſum legere memini. Plinius verò Lib. XII. cap. XII. Nardi genera enumerans, Creticum recenſet, quod à nonnullis agrium, ab alijs Phu appellari ſcribit, folio Olusatri, caule cubitali, geniculato, in purpurâ albicante, radice obliquâ, villosâ, imitante avium pedes: quæ quidem deſcriptio, non huic noſtræ Nardo, ſed Valerianæ, ſive Phu à Dioſcoride deſcripto quadrat, licet nullam floris Narciſſo ſimilis mentionem faciat, ut Dioſcorides. Dalechampius autem Annotationibus in Plinium ad calcem cap. XII. legendum cenſet in græco Dioſcoridis textu ἄνθη πρὸς τὰ τοῦ κισσοῦ, quod optimè convenire ait colori & figuræ. Non me latet nonnullos legiſſe ἄνθη πρὸς τὰ τοῦ νάρδου, aliquos etiam πρὸς τὰ τοῦ νάρθηκος, ſed ultimæ lectiones minimè placent. Quocunque tamen modo legatur deſcriptio, noſtræ huic plantæ convenire non videtur: nam radices repugnant. Hoc tantùm addam, in hac Inſula Nardum frequenter inveniri; Valerianam autem minimam frequentius, ubique enim oritur: aliæ verò ſpecies admodum raræ ſunt.

Natales.

Phu.

Cichorium ſpinoſum.

CICHORIUM ſpinoſum frutex eſt in maritimis proveniens, ſiccíſque collibus, & arenoſis locis: folia ferens cichoracea, profundè diviſa, craſſiora tamen & minora, magíſq; amara, quàm cichorij vulgaris: caules dodrantales, albos, in orbem diffuſos, crebris albis ſpinis ſcatentes, erinaceum quemadmodum Echinopoda totâ facie repręſentans: flores inter ſpinas figurâ Cichorio ſimiles profert, colore cyaneos: quibus ſuccedunt ſemina Cichorij: radice firmatur ſingulari, magnâ ut Cichorium. Recens ſemine nata, ante quam in caulem abeat, in acetarijs manditur, ſed durior & amarior eſt Cichorio. Vocatur vulgo ϛαμναγατι, hoc eſt, Hydriæ ſpina, quia vulgariter in tota Cretâ fictilibus hydrijs utuntur ad hauriendam aquam è fontibus, quas hac herbâ obturant, ne mures aliúdve animal intus penetrare poſſit, videtur enim ad hoc munus iſta planta à naturâ formata: nam ſemper rotundâ figurâ cernitur. Hydria vulgo dicitur ϛαμνι & ἄγατι ſpinam ſignificat, nomine ab ἄκανθη corrupto: quibuſdam Inſulæ locis dicitur etiam ῥαδικοϛιβιδα, hoc eſt, radichium ſtividam, ob ſimilitudinem quam cum cichorio habet, quod in Græcia vulgariter ῥαδίχιο vocatur, & Stœbe quæ dicitur ϛιβιδα. Hujus uſus in defectu cichorij.

ϛαμναγατι. Hydria ſpina.

ῥαδικοϛιβιδα

Galaſtivida.

GALASTIVIDA, cujus ſemina aliàs miſi, radicem habet multifidam, lignoſam, firmam, longam, multos caules conjunctim proferens, in orbem diffunditur & latè fruticat, pedem altitudine non excedens; caules albi ſunt, crebris firmíſque ſpinis præditi: inter quos folia leucoij albi folijs ſimilia, licet minora, & quadam lanugine obſita: flores verbaſco aut Blattariæ ſimiles, albi, paulùlum ad flavum tendentes, in quorum medio ſtamina quædam purpurea: floribus ſuccedunt exiles ſiliquæ, rotundæ, tenuiſſimum ſemen continentes. Ruſtici ad ſtruendum ignem calefaciendáſque fornaces eâ utuntur; ob ſimilitudinem verò ſpinarum, quam cum Stœbe habet, & album colorem, galam ſtividam nuncupant, non quòd lac emittat. Sed & alia eſt planta ex Tithymali genere, hoc nomine donata, quæ ſpinas ut hæc profert, luteos flores, folia parva rotunda, lac copioſum effundens, radice (ſi rectè memini) carnosâ, cujus hiſtoriam aliàs dabo.

Vſus.

Galaſtivida altera.

MITTO

Molochia. Cyprus Plinij. Buna.

Mitto etiam ſemina Molochiæ, Cypri Plinij, ſive Alcannæ, Bunæ, ex qua in Ægypto potionis illud genus conficitur Cave vocatum, præterea Seysban fruticis pulcherrimi, jam modò cùm epiſtolam ſcribebam ex Ægypto accepta.

Lignũ Rhodium ſive Cytiſus verus. *Natales.* *Vſus.*

Mitto ſimiliter ramum floribus & folijs onuſtum, ſimul cum fructu ligni illius Rhodij quod clar ſs. Matthiolus Olivaſtrum, nonnulli Agallochum vocant, à quamplurimis etiam pro legitimo Aſpalatho in Theriacis uſurpatum: ex cujus intuitu facilimè cognoſces in quantis tenebris omnes adhuc verſentur. Nam lignum illud neque ſpinoſum eſt, neque oleæ, & multo minùs Aſpalathi: ſed veri & legitimi Cytiſi, perquam ſimilis Cytiſo à Marantha deſcripto, ſic ut eundem eſſe credam. Oritur hic frutex in Inſulis Rhodo propinquis, & Rhodo ipsâ, unde ramos & truncos accepi: frequentius tamen in parva quadam inſulâ prope Rhodum ſitâ, cui nomen Aſtachida, ubi ſingulis annis quamplurimi cæduntur trunci (mercimonium enim non vile eſt) Rhodumq́; , & Pathmon, & Conſtantinopolim, aliaq́; loca aſportantur: nam Turcæ vulgo pro manubrijs enſium conficiendis uſurpant, & Caloieri Pathmi in ſpherularum precariarum uſum convertunt: flores croceos fert in extremis ramulis, quibus ſuccedũt falcatę ſiliquæ ut Maranthę Cytiſo, ſed aliquantulũ minores, quãtum ex aliquibus obſervare potui: ſemen idẽ quod Maranthæ Cytiſo, & terna folia ſimul conjuncta, ut nihil deſit legitimæ deſcriptioni: frutex ipſe humanã altitudinem ſuperat, brachialiq́; aut majore eſt craſſitudine: cùm floret, aliquãtulum acris eſt, queȧdmodum Ariſtoteles lib. III. de Hiſt anim. cap. XXI. ſcriptum reliquit. Theoph. verò lib. V. cap. IIII. tribuit Cytiſo medullam ſpiſſam & nigram, ut Ebeni proxima videatur, quod in hoc ligno obſervare licet: idem etiam affirmavit Plinius lib. XVI. cap. XL. licet ex Hygino lib. XIII. cap. XXIIII. ligno nullam gratiam tribuerit. Ex quibus colligi poteſt erraſſe Matthiolum credentem & lignum ſpinoſum eſſe, & oleæ ſpeciem: non eſſe autem Aſpalathum rectè judicat. Erravit & Anguillarius cum ſuo Rhodienſi pharmacopæo, qui illud ſuffumigij genus ſomniavit, hoc enim ſcire diligentiſſimè cupiens, mendacium eſſe deprehendi. Sed omnium maximè in errore verſantur, qui hoc ligno in Theriacis pro Aſpalatho rectè uti judicant, quemadmodum celeberrimum Patavinorum collegium; & me quoque erraſſe nunc deprehendo, quando Cytiſum creticum ἀρχοντόξυλον vocatum, cujus ſemina tibi miſi, & iterum cum ramo ſuis floribus onuſto mitto, legitimum fuiſſe putavi. Nam differt ab hoc folijs quæ longiora & anguſtiora ſunt, neque ſemper uno pediculo terna ſimul profert, ſed quaterna & quina, ut nuper obſervavi, ſeménque non in ſiliquis, ſed trifolij modo, quod ſignificare neglexeram, profert: hanc ob cauſam, non amplius Cytiſum, ſed Ebenum Creticam vocandam hanc ſtirpem cenſeo. Materies enim ligni plurimum ad Ebenum accedit colore nigro, ſplendore, & duritie, ut ex fragmento adjecto judicare poteris.

Ebenus Cretica.

Hæc tibi nunc mittenda habui, quæ non minorem voluptatem allatura ſpero, quàm prima. Quòd autem rogas, ut tibi permittam meas epiſtolas publici juris facere, hoc quidem gratiſſimum mihi eſſet, maximáſque tibi gratias agerem, quòd eas tanti æſtimes, ut tuis doctiſſimis elegantiſſimíſque ſcriptis adijciendas judices. Sed quia optimè novi, quàm parum facundiâ valeam, & quàm confuſo ordine ſint ſcriptæ: vereor ne tuæ Hiſtoriæ, quæ elegantiſſimo ſtilo conſcripta eſt, plus dedecoris adferant, quàm decoris: attamen cùm tuæ ſint, inq́; tui gratiam eas candidiſſimo animo ſcripſerim, ijs veluti tuis utaris licet: interea vive felix, méque tui amantiſſimum amare perge. Cydoniæ Cretæ XV. Februarij M. D. XCVI.

Hanc *epiſtolam Lugduni Batavorum accipiebam* IX. *Maij ejuſdem anni, & pridie Cal. Iunij reſpondebam.*

CLARISSIMO CAROLO CLVSIO ATREBATI

HONORIVS BELLVS P. S. D.

EX tuis litteris penultima Maij nuper præteriti ſcriptis vidi, meas XV. Februarij te accepiſſe cum aliquibus iconibus, & ſeminum, quæ tibi miſeram, parte, quòd mihi maximam lætitiam attulit: licet eas ſerò acceperis, mirum mihi viſum non eſt, locorum enim diſtantia, & itineris incommoda hæc efficiunt, ſatis eſt ſemina non perijſſe: nunc autem pauca tibi mitto, implicitus enim rebus familiaribus, & uxoris infirmitate, quæ diuturna, ſeminibus colligendis vacare non potui: adde etiam quòd hoc anno in hoc climate, ex nimio diuturnóque æſtu præter conſuetudinem, ſiccitatéque maxima, & imbrium inopia, omnia ferè herbarum frugúmque genera perierunt, ita ut nunc ea rerum omnium ſit difficultas, ut incommodis multis vexari omnes cogantur: imò Ægei maris inſulæ ab ipſis incolis deſertæ relinquuntur, qui huc & illuc, ne fame pereant, confugiunt.

Oſſa. Nunc iconem OSSARIS rami florentis ſuis coloribus pictam accipies, ex qua facilè unuſquiſque præcipuè poterit Malaiſah, Alpinúmque non rectè hujus ſtirpis florem deſcripſiſſe: nam neque Oleandro, neque Ranunculo ſimilis eſt, nec minus coloris lutei, ut aliàs mihi relatum fuit: ſed à te ex Weixij ramo optimè deſcribitur: conſtat enim unico folio quinque profundis inciſuris diviſo, coloris foris quidem palleſcentis, intus autem circa cuſpides inciſurarum purpuraſcentis, in cujus medio quinque veluti ſtamina firma maximo artificio confecta cernuntur, colore obſoletè purpuraſcente, quibus ſuccedunt fructus. Hujus fruticis ſtirpes octo in fictilibus maximis alo, quæ jam ad quinque cubitorum altitudinem ſublatæ, innumeros flores protulerunt, ſed omnes inanes deciderunt, ita ut in hac inſula fructum ferre non poſſe credam: nunc tamen tres fructus uno pediculo inhærentes ferre incipit, ex quibus ſemen maturum colligere poſſe ſpero. Quod autem ſcribis à Weixio te intellexiſſe hanc ſtirpem multo ſucco, eóque palleſcente abundare, hoc planè falſum eſt, niſi circa Iordanem alterius ſit naturæ: nam in Ægypto, & hìc Cydoniæ, lacte candidiſſimo abundat, non pallido: nec minus planta gravis eſt odoris, imò prorſus odore tota caret. Circa finem Iulij à medio caule radicem verſus, folia decidunt, ita ut trunci omnino folijs nudi conſpiciantur: radice firmatur alba in multos ramos diuiſa, craſſo cortice veſtita, lacteq; albo plena, ex qua novi ſtolones continuo ferè erumpunt.

Abavi. ABAVI plantæ quatuor adhuc mihi ſuperſunt, quas in fictilibus magnis ſervo: alias Martio in viridarijs tranſtuli, ſed aquarum defectu (nam ex anni intemperie ſicciſſima plurimi fontes, quibus irrigari ſolebant viridaria, aruerunt) cultorúmque negligentia perierunt: hæ omnes radice conſtabant tuberoſa, una eadémque figura elaborata, quod maximum mihi naturæ miraculum viſum eſt. Sed illæ quas domi ſervo circa Solſtitium tantum folia emiſerunt, hoc eſt, circa principium menſis Iulij, ſed ita diverſa, ut nemo, qui plantas anno præterito viderit, ignarúſque fuerit ex unico fructu ſatas fuiſſe, nunquam congeneres eas arbores eſſe judicabit. Nam una folia aliquantulum ſerrata, ad Caſtaneæ folia accedentia, ſingularia, aut bina, vel terna aliquando unico petiolo inhærentia profert: altera folia minimè ſerrata, eáque bina aut terna unico petiolo conſtantia habet: tertia ſimilis eſt huic, ſed folia aliqua quinque alijs folijs ex unico petiolo pendentibus prædita fert: quarta ſingularia tantum folia breviſſimis petiolis hærentia profert, eáque minimè ſerrata, illius generis mali citrij folijs ſimilia, quod Limones appellant. ita ut merito affirmare poſſimus Abavi arbores diverſorum generum inveniri. folia verò quæ nunc proferunt, minora ſunt ijs, quę primo anno protulerunt: hujus etiam Abavi tres plantæ Iulio menſe mihi natæ ſunt, ſemine anno elapſo terræ commiſſo, & fortaſſe aliæ naſcentur.

NUNC aliquot plantarum hìc naſcentium ſemina tibi mitto, quæ in hac temporis anguſtia colligere potui: ſunt autem Agavani, Calochierni, Gaidarothimi, Phaſeoli novum genus, Scordotis, Agriopaſtinaca, & Agrioſtari, quæ omnia fortaſſe tibi nova erunt, & ideo valde grata.

Agavanus. AGAVANUS planta eſt ſpinoſa, folia habens aliquantulum lata & ſpinoſa, caules bicubitales aut tricubitales, in quibus capitula Echini æmula, è foliorum quæ caulem ambiunt cavis, ut ex extremo caule exeunt, in quibus flores obſoletæ purpuræ, deinde ſemen rotundum, aliquantulum compreſſum, cannabis ſemen colore æmulans: vulgaris eſt notitiæ in hac inſula, & ante quàm in caulem abeat, comeditur. Hanc ſtirpem Acanon Veteribus dictam fuiſſe judico, à qua reliqua ſpinarum genera Acanacea nuncupata: cujus quidem Acani licet pauca ab Antiquis prodita ſint (fortaſſe quia vulgatiſſimæ plantæ omnibúſque cognitæ notas deſcribere ſuperfluum viſum fuit) tamen ipſam legitimum Acanon eſſe affirmare audeo, conjecturis non deſpiciendis fretus: nam acanus inter φυλλάκανθα recenſetur à Theophraſto lib. I. Hiſtor. cap. XVI. ἄκορνα, ἡ δρυπὶς καὶ ὁ ἄκανος, & VI. Hiſtor. Plantar. cap. I. Alia conſtant folijs aculeatis, ut ἄκανος, ἠρίγγιον, κνῆκος. Acanus etiam apud eundem

Acani nomen πολύσημον. Theophraſtum dicitur illud quod veluti malum extuberat in ſpinarum genere, à Dioſcoride ἐχῖνος nuncupatum, vel ἀκανθώδη κεφαλὴ: ut patet apud Theophraſtum in deſcriptione Chamæleontis, quem Gaza vernilaginem interpretatus eſt: dicit enim Theophraſtus lib. IX. cap. XIII. de Hiſtor. Plantar. τὴν δὲ κεφαλὴν ἔχει ὅμοιαν ἀκάνῳ μεγάλην· οἱ δ' ἄκανον καλοῦσιν. & lib. VI cap. IIII. ejuſdem Hiſtor. de Ixine verba faciens, dixit, ἀπὸ δὲ τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον: hinc ἀκανίζειν vocant hujuſmodi acanon ferre, ut apud ipſum eodem loco χαμαιλέων ἀκανίζει. Ex quibus Theophraſti locis clariſſimè colligitur Acani nomine apud antiquos Græcos duo ſignificari; uno herbam vulgatiſſimam aculeatam echinos proferentem, ſui generis plantam: altero fructum quarundam aliarum ſpinarum, quæ omnia huic Agavano conveniunt rectiſſimè. Nam herba eſt aculeata vulgaris notitiæ, echinos ferens, & eſt ſui generis planta: & agavani appellatione vulgariter omnium aliarum ſpinarum echinos vocant, unóque & eodem modo à Cretenſibus nunc Agavani nomen vſurpatur, quo veteres acano uſi fuere: unde Agavanum ab Acano corruptum fuiſſe credo, ſtirpémque hanc legitimum eſſe Acanum. Quod autem Bellonius Obſervationum lib. I. cap. XVIII. aſſerit acanon in Creta aconachia vocari, ipſi impoſitum fuiſſe ſuſpicor: nam hoc nomen omnibus cùm nobilibus tum ruſticis ignotum eſt, licet enim innumeros interrogaverim, omnes tamen hoc nomen nunquam aliàs audiviſſe

confeſſi

confeſſi ſunt Hoc tamen prætereundum mihi non videtur, Guilandinum virum doctiſſimum, præceptorémque ſemper colendum, commentario de Papyro pag. 128. aſſerere ixinem à Theophraſto alio nomine acanon vocari, unde ſecundùm ipſum ixine & acanus unum & idem eſſet, quod mihi nullo modo convenire poſſe videtur. Hoc etiam addam ἀνκανο vulgariter à Cretenſibus vocari ariſtæ cuſpidem aſperam.

Hujus ſemine ab Honorio accepto, natæ ſunt mihi anno M. D. XCVII. *aliquot plantæ, quæ ad ſeſquicubitalem altitudinem excreverunt, & florem purpureum in echinatis capitibus tulerunt; ſed ante quàm ſemen perficerent, maturè ſuperveniens gelu abſtulit. Conveniebant autem plantæ mihi natæ, cum ea, quam elegatiſſimè Honorius hac epiſtola deſcribit.*

Calochierni, ſpina eſt Atractylidi & Cnico ſilveſtri ſimilis, major tamen, echinos & ipſa proferens, flores non vidi: nam tota ſicca erat, ſemen duntaxat collegi. Hæc etiam à ruſticis ante quàm caules exeant, comeditur, & niſi acarna ſive acorna ſit Theophraſti, ingenuè me eam ignorare fateor: interea ſemina terræ committere poteris, & eam obſervare, vocatur καλοκιέρνη ἀγαθὴ, hoc eſt, æſtiva ſpina. *Calochierni.*

Et hæc ſemine nata, quæ ante quàm florem proferret, gelu corrupta, valde autem ſimilis Atractylidi.

Gaidarothymo, planta elegantiſſima eſt, & prorſus nova, pedalis, in orbem per terram diffuſa, multis ſpinis ſive aculeis horrida, folia longa, digitali magnitudine aliquantulum anguſta abſque petiolis proferens, quæ caules undique, ſed inordinata ambiunt, caules quadranguli ſunt, incani quemadmodum folia, ita ut tota colore cineris appareat, ramos utrimque proferens figura quaſi crucis, qui in ſpinas deſinunt, & in alios ramulos omnes dividuntur, ſpinâ, quę medium locum obtinet, majore alijs ſemper exiſtente: flores ſalviæ colore, magnitudine & figurâ ſimiles profert in hiſpidis quibuſdam caliculis ternos aut quaternos ſimul junctos, quibus ſuccedũt ſemina inæqualia colore nigra: perpetuo viret & Iulio floret, totáque odore caret: radicem habet magnam pro portione plantę & lignoſam. Echinopoda mirũ in modum æmulatur multitudine ſpinarũ, ſed colore tota alba apparet. Naſcitur occidentali parte inſulæ circa pagum *Larda* vocatum, qui triginta ſex millia paſſuum diſtat à Cydonia, locis ſicciſſimis inter thymum & thymbram, neque alibi vidiſſe memini. Ignotam prorſus fuiſſe antiquis credo: vocatur à ruſticis γαιδαροθυμο, quod aſininum thymum ſonat, licet nihil cum thymo commune habeat, niſi ſolum in quo oritur. *Gaiderothymo.*

Hæc planta anno M. D. XCVII. *ſatis frequens mihi ſemine nata eſt, quæ illo anno multis duntaxat folijs prædita fuit incanis & lanugine obſitis, ſalviæ minori non diſſimilibus nullo petiolo, aut eo breviſſimo fultis, nec in caulem abijt. omnes autem plantas, hiems corrupit, præter tres, quæ ſequente anno caules protulerunt frequentes ab eadem radice prodeuntes: ſed facies valde immutata, nam folia prioribus longè minora fuerunt & omnes rami qui in alios ramulos ex aduerſo ſemper naſcentes finduntur, in ſpinas deſinunt, quarum media ſemper craſſior & firmior eſt: ſub ramulorum ſeparatione bina ſemper nata fuerunt foliola thymbræ folijs æqualia ferè & incana. In firmioribus ſpinis circa medium nati ſunt inter foliola ſingulares duntaxat caliculi quinque lacinijs diviſi, Septembri menſe, in quibus flos Salviæ flori nõ diſſimilis, ſed ſuperna parte repandus & dilutioris coloris. Cùm verò tardè admodum flores protulerit, ſemen ad frugem pervenire nequivit. An porrò hanc plantam in proximum annum conſervare potero, dies me docebit.*

Nova prorſus & elegantiſſima etiam hæc eſt planta, quæ apud me nondum nomen invenit, ſed interim ob ſimilitudinem quandam ſeminis, quam cum phaſeolis habet, Phaſeoli novum genus vocare mihi liceat. Ad ſeſquicubitalem aſſurgit altitudinem, modò ſimplici caule, modò pluribus ſtolonibus ab una radice prodeuntibus, digiti minimi craſſitudine: folia illi pinnata, hoc eſt, longo pediculo utrinque hærentia, ſemper contrarijs petiolis, lentiſci æmula, ſed mucrone obtuſo ut ſecuridacæ folia; è foliorum cavis ſiliquas fert rotundas, pollicari craſſitudine, tumentes & multo aëre plenas, colore rubras, in quibus continentur ſex aut octo ſemina ad luteum tendentia, compreſſa, phaſeoli figura: quos flores proferat, compertum mihi non eſt, nam eam ſponte naſcentem in Spagia inſula adverſus Matonem Peloponeſi ſita, frequentiſſimam inveni M. D. XCII. dum Venetias petebam, menſe Aprili, quo tempore ſiliquæ ad maturitatem nondum pervenerant: à nautis grana cruda libentiſſimè edebantur, græcéque lupinos ſilveſtres vocabant, licet nihil cum lupinis commune habeãt: hujus plantæ ſemina his diebus ex eadem inſula ab amico accepi, quem ut colligeret rogaveram: nam inſula habitatoribus caret, & non niſi adverſis ventis à triremibus petitur, & à piratis: eam ob cauſam ſemina citius habere non potui. *Phaſeoli novum genus.*

Valde reſpondet hæc planta (nam ea etiam ſemine miſſo mihi nata eodem cum ſuperiore anno) Bætico aſtragalo, quam inter Hiſpanicas plantas deſcripſi, & cap. XLV. *lib.* VI. *hujus Tomi primum locum* *Aſtragalus Bæticus.*

locum obtinet, quantum quidem ex ejus facie conijcere licet: ſuperiorem hiemem in horto perulit, & novo vere denuo germinavit, nullum tamen floris ſpecimen adhuc dedit: neſcio an proximo anno (ſi per hiemem conſervare potero, perenni enim eſt radice) dabit.

Scordotis Plinij.

SCORDOTIS folia tomentoſa, Menthaſtro Marrubióque albo ſimilia profert, per terram in orbem diffunditur, multis ramis è radice, quæ magna & perennis eſt, prodeuntibus, quadrangulis, tomento albo obſitis ut marrubium, in quorum ſummitatibus flores marrubij albi in quadam magna & denſa ſpica hærent, quibus ſuccedit ſemen nigrum: tota planta major & craſſior eſt Scordio vulgari. Naſcitur ubique inter ſaxa, ſecus vias, & in marginibus agrorum: allij odorem, ut Scordium, refert, & in tota ferè Creta ſeplaſiarij pro ſcordio promiſcuè hac herba utuntur. Hanc herbam, legitimam Scordotim Plinij eſſe aſſero: nam rectiſſimè deſcriptioni ipſius quadrat, & fortaſſe nemini adhuc cognita eſt, licet jam octo aut novem abhinc annos, ſemina Vicentiam, Pataviúmque miſerim. Lobelius, Pena, & Dalechampius, pro ſcordoti ſtachyn Dioſcoridis, ſalviam ſilveſtrem, & gallitrichum officinarum deſcribunt, quæ quidem ſtirpes omnes nothæ ſpuriæque ſunt: nam neque allij odorem ſpirant, neque viribus à Plinio attributis reſpondent. Scordotis inquit ipſe, miſcetur antidotis, tuſſi, miſto naſturtio & reſina cum melle tuſa & arida opitulatur, facit & per ſe faciles excreationes, ſtomachum corroborat ejus ſuccus, ſiſtit alvum recentis drachma cum vino trita, vel decocta potu, vetuſta vulnera cum melle purgat, farina ejus carnes excreſcentes per ſe inſperſa conſumit, menſes & ſudores provocat potu & illitu, partus accelerat pota drachma ſucci in aqua mulſa cyathis quatuor, venenis magicíſque incantationibus adverſatur. Hujus plantæ aliquot folia in hac epiſtola occluſa invenies, ut, an legitima ſit, judicare poſſis.

Vt illa epiſtola perijt (cujus hoc duntaxat exemplar poſtea miſſum) ſic etiam ea folia addita: ejus autem ſemina ſine epiſtola accepta, cum quibuſdam alijs ab Honorio eodem tempore miſſis & terræ creditis, non ſunt nata, eam ob cauſam de ea nihil pronunciare poſſum.

Agriopaſtinaca.

AGRIOPASTINACA vulgariter hodie vocatur in Creta herba quædam petroſelino vulgari ſimillima, niſi quod minor eſt, foliáque eiſdem etiam inciſuris prædita licet habeat, minora tamen & aliquantulum craſſiora profert, caulis petroſelini eſt, flores in umbellis albos ſuſtinens, quibus ſuccedunt ſemina petroſelini, ſed minora, colore ad atrum accedentia: radice firmatur unica pollicis magnitudine, ſemper figura longa, cortice tenui tecta, qui digiti attritu facilimè à radice ſeparatur, quæ candida edulíſque eſt, bulbocaſtani guſtu: tota hieme viret, ſeménque Maio profert, poſtea tota areſcit præter radicem, quæ terra latet, & primis Autumni imbribus germina protrudere incipit. Hujus ſtirpis duo reperiuntur genera, colore corticis radicum tantum differentia: nam unius rufus, alterius niger conſpicitur. Nigrum genus in montibus totius Cretæ & etiam in Dalmatia provenit. At rufum abundantiſſimè tantum in ſcopulis Cretæ propinquis inter ſaxa, & copioſè admodum in quadam inſula parva, nunc *Grabuſſa* vocata Occidentali Cretæ parte ſita, ubi arx munitiſſima extructa eſt, quam inſulam unam ex tribus Muſſagoris à Plinio appellatis eſſe judico. Hæc herba ad Buſelinon à Plinio lib. XX. cap. XII. deſcriptum accedere plurimum videtur: nam differt à Petroſelino brevitate caulis & radicis colore rufo: à Seplaſiarijs pro ſaxifragia uſurpatur, & ſaxifragia vocatur, à ruſticis verò ἀγριοπαστινακα, id eſt, ſilveſtris paſtinaca, à qua tamen longè differt, paſtinaca ſilveſtris adhuc in Creta legitimum nomen retinet, nam eam σταφυλινον vocant, frequentiſſiméque radice & herba cocta, verno tempore, veſcuntur ruſtici.

Eaq; gemina.

Muſſagoris Inſulæ.

Buſelinon Plinij.

Hæc anno M.D.XCVII. *ſemine mihi nata, ſed cùm valde ſerò germinaſſet, & maximè tenella adhuc eſſet planta, hiems proximè ſequens corrupit, ut obſervare nequiverim: erant verò ejus folia ex atro ſplendentia, non minùs quàm eleoſelini.*

Agrioſtari.

AGRIOSTARI, quod triticum ſilveſtre ſignificat, frequentiſſimè in Cretâ invenitur, negligitúrque. Herba eſt tritico ſimilis, folia & caules tritici ferens, ſpicáſque aliquantulum aſperas, nigriores, & ariſtas breviores, ejus grana minora ſunt tritico ſativo, & altera parte obtuſa, ita ut ſecales grana potiùs quàm tritici æmulentur. Hæc ſemina nulla alia cauſa tibi mitto, niſi ut tibi compertum ſit, non in ſola Sicilia triticum oriri ſilveſtre, quemadmodum Poëtæ tradiderunt: & quòd non abſque ratione Cretéſes triticum primo à Cerere in Creta inventum fuiſſe ſibi perſuaſerint, quemadmodum Diodorus Siculus in ſuæ Bibliothecæ lib. VI. ſcriptum reliquit.

Feliciſſimè & abundanter mihi nata erat hæc planta, ſed ante quàm caules proferre inciperet, ab eo cui repurgandi horti curam dederam, pro inutili herba evulſa & abjecta fuit, licet ſerie quadam & ad normam, quemadmodum ſata erat, nata.

Ιεραζυνη,

Ιεραζένη, trifolij, aut loti genus eſt edule: in foro enim ejus ſiliquæ, ante quàm dureſcere incipiant, venales reperiuntur, à pueris & fœminis libentiſſimè eduntur, ſuccoſæ ſunt, & dulces, piſi recentis guſtu: multos tenues caules à radice profert folia trifolij anguſta, craſſiuſcula, aliquantulum mucronata, terna ſemper ſimul conjuncta, flores luteos piſi, quibus ſuccedunt ſiliquæ rotundæ, falcatæ, ac, pro ratione plantæ, magnæ: inter ſegetes invenitur, & in marginibus agrorum frequentiſſimè, herbáque omnibus nota eſt. *Ιεραζένη.*

Hujus etiam ſemen (quod Aſtragalo Monſpellienſium non multum abſimile videbatur) cum alijs ab Honorio acceptis terræ commiſeram: ſed non eſt natum.

Iulio nuper præterito ex Ægypto ſemina accepi Oenopliæ ſpinoſæ, Bamiæ ab Alpino deſcriptæ, Leplap diverſi ab eo quem in Pannonicarum hiſtoria deſcribis, Balſami veri, & Phaſeoli ex Iemen, id eſt, ex Arabia felici, quæ omnia terræ commiſſa feliciſſimè nata ſunt, maxima mea voluptate, & tibi naſcitura confido, nam recentiſſima ſunt.

Oenopliæ ſpinoſæ oſſa rotunda ferè figura exiſtunt & duriſſima, in quibus duplex ſemper invenitur medulla in duabus ipſius ejuſdem oſſis quaſi cellis oſſea membrana diſtinctis, ita ut ex ijs terræ creditis binæ ſemper arbores naſcantur parum inter ſe diſtantes: folia in nuper natis aliquantulum ſerrata ſunt, & ſpinis acutiſſimis circa petiolos munita, quæ ſemper binæ circa ſingula folia viſuntur, hoc eſt, utrinque una: folia figura & nervis ſimilia ſunt eis quæ Oenoplia ſine ſpinis profert, at non adeò firma nec parte averſa incana, fortaſſe hoc in novellis tantum evenire credibile eſt. *Oenoplia ſpinoſa.*

Bamia, folia malvæ fert, aliquantulum villoſa, maxima, ita ut ad Cucurbitæ folia quaſi accedant, longo pediculo inhærent, & procul intuenti malva arborea videtur: florem malvæ profert magnum, quinque folijs conſtantem, colore pallido inter luteum & album medio, in umbilico purpureum, cui ſuccedit fructus cucumeri ſilveſtri ſimilimus, altera parte acutus, quinque angulis diſtinctus, plenus ſeminibus rotundis ad nigrum tendentibus, magnitudine Orobi: ad quinque cubitos aſſurgit, & in Creta hieme perit. Hanc Trionum Theophraſti, ſic interpretante Gaza, Leonardus Rauwolfius in Appendice Hiſtoriæ generalis Rovilij, appellat, ſed quàm rectè, neſcio. Ignotam veteribus fuiſſe judico. *Bamia.*

Leblab, fructu, ſiliqua, & colore differt ab eo quem tu deſcripſiſti: nam hic ſiliquas profert magnas, longas & latas, caulis color purpureus ad nigrum tendens, pediculi & nervi foliorum ejuſdem ſunt coloris, flores plures uno petiolo inhærent. Ab Alpino rectè planta delineatur: ſed flores valde differunt: nam non in fine caulium, ſed è foliorum cavis exeunt longo pediculo plures quaſi ſpicatim, magni, figura aliorum phaſeolorum, ſed colore atropurpureo, qui Italicè *pauonazzo* dicitur, phaſeolíque ad rubrum tendunt nigris maculis inſigniti, longo hilo (ut niger) & albo. *Leblab.*

Balsami ſemen idem eſt cum eo quo vulgariter utuntur: ſed ego recentiſſimum accepi, quod opobalſami odore maximè fragrabat, ejuſdémque odoris reſina ſicca multis ſeminibus inhærebat: ſed brevi tempore odor ferè evanuit, ita ut nunc obſcurè ſentiatur, ſemina tamen in ore retenta, levitérque manſa ſuavem odorem relinqunt, terebintho proximum. Ex his ſeminibus terræ commiſſis quinque plantulæ mihi natæ ſunt, quæ duo folia figura quaſi rotunda protulerunt, in quorum medio cauliculum aſſurgentem, folijs primo ſingularibus, & poſtea ternis, parvis, longo tenuíque pediculo hærentibus præditum, colore ex viridi albeſcente: plantulæ ſeptem tantum folia adhuc habent, tardéque creſcunt: caulis nunc craſſior aliquantulum fieri incipit prope terram, ita ut quaſi pyramidali figura cernatur, colore ad rufum tendente. Hujus tam nobilis plantæ novellæ, ſi tibi iconem ad vivum delineatam mitterem, gratiſſimam fore judicans, eadem magnitudine qua nunc ſpectatur, majore qua potui diligentia ipſam delineavi: adultæ enim Alpinus publicavit. Hiemem in hac inſula ferre poſſe confido: nam Creta & Hiericho ſub uno eodémque ferè climate ſunt, &, ſi voti compos fiam, diligentiſſimè eas obſervabo: folia opobalſamum olent, licet adeò parva ſint. *Balſamum.*

Phaseolos ex Iemen ab Alpino ſub Abrus nomine deſcribi puto, licet ipſe fructum non rectè (meo judicio) deſcripſerit: nam figura phaſeoli non eſt, ſed ovali, orobi granis paulo major, nec totus corallij colore, ſed parte, qua ſiliquæ aut ſuo fructui adhæret (neſcio enim quo modo oriatur) hebeni nigerrimi cernitur: durus eſt, & difficile dentibus cedit, ſapore legumina imitatur, & inſuavis eſt, in cibóſque vix admitti poſſe ob duritiem credo. Hujus tres plantæ natæ ſunt, quæ folia protulerunt ſimilia ijs quæ in Alpini icone ſpectantur, & ad Solem mirum in modum conuertuntur: nam folia quæ pinnata ſunt, hoc eſt, longo pediculo hærentia contrarijs petiolis, & ſemper numero paria, parte averſa unum contra aliud arctiſſimè circa Solis occaſum clauduntur, ita ut mucrones foliorum terram ſpectent, pediculíque longi quibus folia hærent, noctu terram verſus inclinantur, ita ut caulem ferè tangant, & ſic tota nocte permanent: at cùm Sol oritur, pan- *Phaſeolus ex Iemen. Abrus Alpini.*

tur, panduntur, & pediculi ſuo in ſitu ad angulos ferè rectos cum caule convertuntur: Circa meridiem paulatim folia cælum ſpectare incipiunt, & meridie parte ſuperiore unum contra aliud invicem clauduntur ita arctè, ut unum aliud tangat, mucroneſque cælum ſpectent, contrario prorſus modo quo noctu permanent, poſtea inclinante jam Sole panduntur. Hæc foliorum ad Solem converſio mirabilis & obſervatione digniſſima mihi viſa eſt: & ideo particulariter tibi ſignificandam duxi.

Hæc, vir clariſſime, tibi ſcribenda habui: alia Deo optimo maximo favente aliàs ſcribam, interea vive felix, meque, ut ſoles, ama. Cydoniæ Cretæ die XV. Auguſti more veteri M. D. XCVI.

Seminum, quorum hæc epiſtola meminit, pars ſub anni M. D. XCVI. *finem mihi fuit reddita, ſed epiſtola minimè: quod cùm illi ſignificaſſem* XXV. *Iunij anni inſequentis, hoc illius epiſtolæ exemplar cum ſequente epiſtola ad me miſit* X. *Octobris ejuſdem anni* M. D. XCVII. *ſed quæ mihi demum reddita (curante ipſius fratre Leonida)* XXVII. *Auguſti* M. D. XCVIII. *Ad utramque autem reſpondebam* VI. *Septembris inſequentis.*

CLARISSIMO VIRO CAROLO CLVSIO,

HONORIVS BELLVS

S. P. D.

SEPTEMBRI nuper præterito epiſtolam tuam accepi XXV. Iunij ſcriptam, qua certior factus ſum, te ſemina tantum accepiſſe, litteras verò nullas: quod me maxima admiratione affecit, ipſis enim fuerat adjuncta epiſtola, cujus exemplar iterum tibi mitto. Et ſi tardius fortè, quàm deſideras, ad te perveniet, locorum diſtantiæ adſcribendum erit: nam ſi maturius certior factus fuiſſem, citius etiam exemplar miſiſſem. Cum hac nullum ſemen accipies: nam uxoris morte, quæ IIII. Nonas Aprilis accidit, ita malè affectus fui, ut per totam æſtatem nullum conſolationi locum reliquerim, neque ſemina colligendi, neque ſtirpes indagandi voluntas adfuit. Quare me excuſatum apud te eſſe velim, ſi promiſſis ſatisfacere non valui: æſtate enim futura, abundè tibi ſatisfaciam. Sed quia per temporis anguſtiam plura non licet, Vale, meque ut ſoles, ama. Cydoniæ Cretæ ad X. Octobris vetere calculo M. D. XCVII.

CLARISS.

CLARISS° VIRO CAROLO CLVSIO,

THOBIAS ROELSIVS

Reip. Medioburgenſis Medicus

S. P. D.

SVPERIORIBVS menſibus, ad cœnam, mihi apud Pharmacopœum amicum indictam, acceſſi libens: ad quam affinis meus Ioan. Iunior, florum imprimis ſtudioſus venerat, in qua corporis noſtri vires vario ac lauto ciborum apparatu reparabantur, & convivarum animus tum vivâ contemplatione herbarum, ac omnifaria florum amœnitate refocillabatur (quis credat hiberno illo tempore apud Mattiacam gentem, Zelandos hodie vocant, Anemones coccineas duplices, Narciſſos juncifolios, Antirrhinum, & Caryophylleorum florum ſpecies floruiſſe paſſim in hortis, non aliter quàm æſtate mediâ, ac cãdida Leucoia, & flaventia lumina Calthæ, ut loquitur Columella de cultu hortorum lib. x?) tum honeſto ac utili de floribus ſermone delectabatur. Ex his ſermonibus delapſi ſumus in peregrinas & exoticas plantas: & dum in frequenti convivio ſæpe alternantur verba, opportunè mentionem feci epiſtolæ tuæ, amicorum optime, qua petis ac mones, ut de fructu Caryoces, de farinâ cujus tibi aliquando ſpecimen miſi, & de radice *Inhame* ſcribam aliquid, ut verius de his hiſtoriam ſcribere queas.

Oſtendit nobis hoſpes & dominus convivij Wilhelmus Parduynius, cùm in ſua arte peritiſſimus, tum diligentiſſimus, radicem craſſam, dodrantalem, utrinque obtuſam, quæ ab extrema & obtuſiore radicis parte ſex ſeptémve ſarmenta ſicca, humi diffuſa, & multis exiguis ſpinis munita produxerat. Sarmentis plurima folia inhærent, quinque aut ſex diviſuris inſecta, ſúntque ea palmari amplitudine: verùm non licuit folia videre. Radix habet exteriorem corticem nigricantem, partem verò interiorem albiſſimam: virgultum hoc unum, quod nunc tibi mitto, à radice præcidi, éſtque, ut videre potes, lignoſum, rotundum, lentum ac vimineum, ſpiníſque frequentibus quidem horridum, ſed admodum exiguis. Admonui, ut hanc radicem ad te daret (quod ipſum feciſſe cognovi) quæ quidem ab ipſo pro *Inhame* habita fuit: ſed aliter ab Indorum Præfecto, qui ad famulitium ſuum duodecim mancipatos nigros ab Inſula S. Thomæ adduxerat, edoctus fui. Quum enim ex aëris mutatione in morbum incidiſſet, me vocavit ſanitatis recuperandæ cauſa: atque hac tam commodâ occaſione oblatâ, ſtudui pleniſſimè ab ipſis reſcire, quæ ad hiſtoriam illam ſpectarent. Atque ipſe hanc radicem affirmavit illam eſſe, ex qua fit farina, quam radicis Manyoucæ farinam nominant, & ab advenis Mandioca perperam dicitur. Manyoucæ radix nec florem, nec fructum facit, ſed radice ſeritur, nimirum in malleolos diſſecta. Malleoli novelli terræ commiſſi in radicem craſſam & magnam efformãtur, ſingulis ut plurimum annis, & nonnunquam ſemeſtribus intervallis, prout ſolum fuerit fœcundum. Fœcunditas ſoli facit, ut radices interdum in duorum dodrantûm longitudinem excreſcant. Cæterùm Manyouca ante paucos annos è Braſiliâ in Inſulam D. Thomæ delata eſt, quæ Æquatori ſubjacet in longitudinis gradu XXXIII.

Manyouca ſerendæ ratio.

Nomen quidem legitimum apud incolas hujus Inſulæ eſt Manyouca: ſed eorum aliqui Yucam à Braſilianis nominari volunt. Non dubium quin plantæ hujus nomen veteribus ignotum fuerit, cùm ne quidem occidentales iſtæ nationes ſatis ipſis innotuerint.

Manyouca. Yuca.

Radicis duntaxat uſus eſt illis ad victum neceſſarius: continet radix ſuccum lethalem, & tamen ab eſu radicis non abſtinent. Verùm ita præparare norunt, ut farina & panis è radice conflatus edatur innoxiè. Cortice primum abraſo ſecant radices cultris lapideis in fruſtula, & taleolas, ſolique exponunt, & ligneis vel lapideis quibuſdam inſtrumentis contundunt, & in minutiſſimas partes comminuunt: deinde ſaccis è cortice raris, vel à ſtramine contextis imponunt, ac pedibus ſubigunt, donec omnem expreſſerint liquorem, qui non ſine vitæ diſcrimine deguſtari poſſit. Non potui ex Nigris his cognoſcere, hunc ſuccum ulla ratione poſſe fieri ſalutarem, ne coctione quidem, quod tamen de Yuca teſtatur doctiſſimus medicus Nicolaus de Monardes Hiſpalenſis in eo libello quem de ſimplicibus medicamentis novi orbis inſtituit, & tu latinum feciſti. Sed alios quoſdam de Manyouca conveni, maximè verò nautam iſtum, qui in Hiſpaniola Novi orbis Inſula, triennium captivus fuit, & Cheirurgum Luſitanum, qui ab urbe S. Dominici ejuſdem Inſulæ, ante paucos dies ad nos venit, qui mihi affirmarunt, hunc ſuccum crudum valde eſſe inutilem, maximéque lethalem, exuere nihilominus omnem qualitatem noxiam, ſi recentes radices cum carnibus elixẽtur, uti ipſimet ſępius experti ſunt: quod quidem à multis Nigris ignoratur. Fieri etiam

Manyouca paranda ratio.

poteſt

poteſt aliquam radicem pro Yuca habitam, eſſe innoxiam: ſed quam multum iſta differat ab ea radice, de qua nunc fit ſermo, dicemus paucis, ubi de Inhame.

Cæterum panem ſeu placentam formaturi, ſumunt totam hanc maſſam compreſſam, quæ ſimilis eſt amygdalarum congeriei, cui oleum recens ſit expreſſum, & ut planè exſucca reddatur, furnis imponunt & ſiccant: atque hic eſt planus ille ac depreſſus panis & libum *Cazabi.* Americanum *Cazabi* dictum, quo nunc Americani multis ſeculis vitam ſuſtentant. Farinam etiam ex eadem maſſa conficiunt, quam non in furnis ſiccant, ſed ſubactam & diligenter expreſſam minutim dividunt, & in ſole ſiccandam collocant. Atque huic proprium *Manyoucæ farina.* & indigenum nomen eſt farina Manyoucæ, quam ad te cum ſuperioribus litteris miſi. Vix dici poſſit quantum tumeſcat & infletur hic panis, ſi liquor aliquis illi affundatur, & aliquamdiu maceretur, ut exigua hujus ſicci aſſumpta moles abdomen turgere mirum in modum faciat. Atque adeo hinc factum eſt, ut publicis decretis edictíſque cautum ſit in Occidentali India, ne quis hunc panem in menſa apponat, quin aqua vel vinum adſit: ne qui edant non maceratum, ſed abſque liquore ſiccum, ſuffocationis periculum incurrant. Commodè hi panes incorrupti ſervantur multo tempore: quare etiam navibus, quæ ab India in Hiſpaniam appellunt, imponuntur panis biſcocti vice, pro alimento, ut de Yuca ſcribit Nic. de Monardis. Verum magis nobis favit alma Ceres, &, ut Poëtæ fabulantur, frugum inventrix, quę nobis largita eſt cereales fructus ſalubriores, qui plus alimoniæ, & alimentum Naturæ familiare, abſque ulla facultate noxia ſuppeditant. Quod ipſum abſque ratione Petrus Martyr refragatur lib. VII. Decadis III. ubi de terræ iſtius inaudita fœcunditate ſic ſcribit. Si cui animus aliquando fuit, de ſerendo in montibus tritico, ubi parumper frigoris vigeat (in plano minimè, ab nimiam agrorum pinguedinem) eſt incredibile auditu, ſpicam ſuperare lacerti craſſitudinem, ſpithama longiorem, granáque nutrire quamlibet duo millia amplius aſſeveranter inquiunt, & jurejurando affirmant. Sed ſalubriorem Inſulæ panem Yucæ præſertim ajunt, quem vocant Cazabi, quia ſit digeſtioni aptior. Hactenus Martyr. Quod etiam ab ipſo ſcriptum eſt Lib. IX. ejuſdem Decadis. Et eo modo, inquit, exſiccata, conditáque & deducta in Cazabi, panem præbet ſtomachis humanis triticeo ſaniorem, quod aptior ſit digeſtioni.

Sed cùm illorum panes exigua mole plurimum ponderis adferant, tardiſſimè ſanè dejiciantur neceſſum eſt. Cæterùm quod hi panes denſi ſint, & à furfuraceis, quos πιτυρίας Græci nominant, ſint alieni, perſpicuum eſt quod idcirco & fermento copioſiore indigeant, omniumque maximè ſubigere eos oporteat, nec ſtatim poſt fermentum & ſubactionem aſſare, ut pulchrè de ejuſmodi panibus ſummum illud Medicorum decus Galenus ſcripſit. Verùm barbaries apud eos tanta eſt, ut non norint cibum gravem efficere ad coquendum facilem & ſuaviſſimum, in quo Epicuræi noſtræ gentis primas tenent: ſed peccant rurſus in adverſum, dum nullum in cibis & potionibus modum ſervant, & tantum ſæpe cibi atque potionis adhibeant, ut opprimantur vires, non reficiantur.

Inhame. Altera radix ex Inſula S. Thomæ allata ipſis Inhame dicitur. Inhame autem illud ex una radice germina ſatis craſſa, candida, & ſucculenta mittit, uti planta una oſtendit quam ad te *Ejus ferendi ratio.* dedi: hujus folia oblonga ſunt, ampla, & non inciſa. Quoſcunque conveni, & florem & fructum ferre negant. Plantatur autem è germine ſtatim à prima germinatione, non aliter quàm apud nos in Siſaro ſativo fit: turiones ſunt tanquam ſemen, hi enim à radicibus ſucciſi & terra reconditi, repullulant, atque in radicem tranſeunt, quam ſingulis annis perficiunt, in eámque molem brevi excreſcunt, quæ neceſſaria ſit ad uſum vitæ. Binas has radices Veteribus fuiſſe ignotas puto, & ideo nullum nomen græcum aut latinum proditum. Occidentales Indi ac Hiſpani hanc vocant Inhame, illam Manyoucam. Ego conveni Indos quam plurimos, nec ullum inuenire potui, qui alio nomine has radices appellaret. Præterquam quod Indorum Præfectus diceret ipſam Manyoucam eſſe radicis Inhame ſpeciem, & eſſe in ſua patria alias Inhamæ ſpecies, præter has binas radices, quæ inter ſe parum differant. Editur ab ipſis Inhame radix cruda vel cocta, & coctione amittit lentorem, ac tenacem humorem, quem in ſe habet, fitque cibus ſiccus, & ſatis etiam gratus. Interim cuiquam mirum videri poſſit, indigenas S. Thomæ neglexiſſe uſum Inhamæ, quæ tamen innoxia eſt, poſtquam ad ipſos venit Manyouca, quæ, ut præmonui, aconito lethaliorem in ſe continet ſuccum. Sed hoc factum intelligo, quod ſentiant corporis texturam, hujus quàm illius uſu firmiorem fieri. Nec dubium, quin alimentum ſolidum à naturali noſtro calore ſuperatum, reddat corpora fortia, & ad labores ferendos apta. Exemplo ſint agreſtes noſtri mortales, qui cibis duris, & carnibus crudis, more Leonum, Vrſarum, ac Luporum victitant. Quod autem illorum ventriculus cibum hujuſmodi durum ac gravem ferat, facit multum ipſa conſuetudo. Tametſi ipſi familiarem uſum Manyoucæ ineant, ob rationem allatam, habent nihilominus Indici Americi ſuas etiam Batatas, & ſuaviſſimos fructus Ananas, ac gratiſſimi ſaporis plurimos alios: præterea habent & Indicas Nuces prægrandes Palmæ arboris, quæ, ut teſtatur in Aromatum hiſtoria Garcias ab Horto, humanis uſibus aptior eſt quàm ulla arbor. Porrò cùm Manyouca ſit Inhamæ ſpecies, & ſerendi ſeu plantandi ratio

fere

ferè eadem ſit utrique, nec forma externa utriuſque radicis multum ſit diſſimilis, facilè aliquem in errorem abripere poſſet, ut, quòd diverſis radicibus ſit adſcribendum, uni tantum attribuatur. Etenim Inhame ſalubris & minimè noxia eſt: Manyouca pernicioſa & lethalis: ſitne hæc Braſilienſium Yuca, tibi, doctiſſime Cluſi, dijudicandum relinquo, cùm Autores aliqu ſcribant Yucam omnem in Continenti naſcentem ſalutarem eſſe, eandémque in omnibus inſulis præſens eſſe venenum, Manyouca verò cruda neque in continenti neque in Inſulis facultatem ſortitur unquam ſalutarem. Inhame autem ubique & cruda & cocta eſtur innoxiè ab hominibus nigris novi Orbis. Sed prolixior ſum, quàm par ſit. Quare hinc ad fructum Caryoces ſive Caryoſſo venio.

Palma tria genera in Inſula S. Thomæ.

Fructus eſt Palmæ arboris, quæ ad differentiam reliquarum Palmarum à Nigris S. Thomæ dicitur Palma Ady. Triplicem habet iſta inſula Palmam: quarum una fert dactylos, & ab ipſis nominatur Palma Tamara quod dactylum ſonat: nam *Tamar* Arabica lingua dactylum ſignificat. Et notum ſatis eſt omnibus, hanc Palmam Tamaram longè diverſam eſſe à Tamarindifera arbore: licet non rectè ſenſerit in Nomenclatore ſuo Hadrianus Iunius vir alioqui doctiſſimus, dum φοινικοβάλανον Dioſcoridis, officinarum Tamarindum fuiſſe ſcribat.

Palma Cocoihne.

Altera Palma *Cocoihne* ab ipſis dicitur, & hæc eſt Indica Palma prægrandem illam nucem Indicam producens, cui Luſitani nomen *Coco* indiderunt ob tria illa foraminum veſtigia, quibus Cercopitheci, aut alterius ſimilis animalis caput repræſentat, atque hinc *Cocoihne* dicta eſt. Habui hujus Palmæ aliquot nuces integras, cum ſuis villoſis corticibus, quæ in itinere vaſi incluſæ, germinare cœperunt: harum tibi binas mitto, alterius nucis corticem ſuſtuli, ut germinis exortum, & ejuſdem radicationem poſſem videre commodius: tertiam cum germine nucem penes me ſervaveram, cujus prædurum ac ligneum putamen internum aperiens, ex hujus medulla germen traxiſſe initium obſervavi: nucleus ſive medulla concluſam in ſe nō habebat aquā (quæ nucibus Indicis recentibus & non germinantibus ineſt ſemper) ſed aqueum illud in materiam fungoſam excreverat, dum fortè in germinis alimentum converti cœpit. Germen exit è nucum harum foramine tertio, & mox extra foramen, ſtatim ab exortu per corticem exteriorem craſſum ac villoſum quinas ſenáſve radicum fibras dimittit in terram, per quas alimentum ſuæ naturæ conveniens attrahat. Germen quod per foramen emergit unicum, ſimiliter perferat villoſum corticem: atque in unius nucis ſtolone veſtigia foliorum arundineorum conſpiciuntur, quæ bifida vel bina ſunt, & vix aliquam videntur habere latitudinem, quod quinque vel ſex plicis commiſſa ſint: folia primum in vagina latuiſſe videntur, è qua prodierunt necdum expanſa, ſed plicis commiſſa, uti metipſe hæc omnia in altera hac quam mitto nuce contemplari potes, cujus germen in longum exceſſiſſe videbis trium palmarum menſuram. Decreveram Indicas has nuces dum recentes eſſent, terræ committere: ſed per ægrorum frequentiam neglexi, nec putem germen futurum alicujus evidentis magnitudinis, vel admodum diu poſſe excreſcere ac ſuperſtitem manere: quandoquidem climatis noſtri temperies earum naturis adverſetur. Hæc Palma omni tempore fert Indicas nuces, virétque toto anno, fructibus ſemper alijs ſubnaſcentibus; aliæ enim præcarpuntur, aliæ matureſcunt: & quod Pontanus alibi in Heſperidum hortis, de malis Citrijs teſtatur, de hac palma dici poteſt;

Flore novo ſemper, ſemper quoque fœtibus aucta.

Hujus Palmæ arboris formam atque figuram nobis exhibuit Ioan. Hugo Linſcotius capite LVI. ſui Itinerarij: attamen nuces rotundas depingi curavit, cùm ex Guinea, ex Inſula S. Thomæ, & occiduis terræ tractibus triangulares ad nos advehantur quotidie. Verùm aruerunt hæ nuces triquetræ: at ſucco plenæ fortè ſunt rotundiores, non tamen omni ex parte putem eas eſſe rotundas, quod tamen * vigilantiſſimi Linſcotij figura videtur innuere. In hujus arboris deſcriptione multa videtur à Garcia mutuatus. Sed hoc addit: Arboris truncus nudus eſt, nulli in eo ſparguntur rami, præterquam quod in ſummitate folia excreſcant ſimiliter extenſa ac in Phœnicea Palma, & nuces *Cocos* dictas conjunctim profert, aliquando decem vel duodecem connectuntur, raro ſolitariæ conſpiciuntur creviſſe, quæ exeunt ſubter folia trunco cum pediculo annexæ. Cæterùm cùm arbores ſint excelſæ altitudinis, non habent radices nimis magnas, inquit Linſcotius, & tamen firmiter terræ hærent: quod mirum videri poſſit, quum ament ſolum arenoſum, infirmum aliàs: exiſtimandum idcirco profundè eas radices agere. Sunt autem, inquit, arbores tam vaſtæ altitudinis, ut non ſine horrore poſſes quenquam videre aſcendentem: tanta tamen celeritate eas conſcendunt Orientales populi *Canarin*, ut verius ſimiæ quàm homines eſſe videantur. Arbores incidunt ad modum graduum, per quos

** imò minimè vigilans, cùm hanc Palmam, & pleraſque alias in ſuo itinerario exhibitas depingi curavit. Plures enim de eodem craſſo pediculo peculiaribus petiolis inhærentes dependent, ut in ſcholijs ad Garciam monui, & de ipſis Indis anno 1597. Amſtelrodami audivi, interdum vicena, non ſingulares trunco annexa, ut ille pinxit, nec orbiculata forma, ſed triquetra, etiam cum recentes, quales me & Vlyſipone & Antuerpia habuiſſe memini, primùm ex India Orientali delatas, in quibus bina interdum aqua libra continerentur.*

quos nullo negotio conſcendunt,quod nullus unquam Luſitanus tentare auſus fuit. Ratio conſcendendi arborem Palmam à Garcia deſcripta videtur eſſe cum minori arboris diſcrimine, quàm prior modus: inquit enim, ut ex altioribus ramis colligant vinoſum liquorem, arborem conſcendunt aptatis ad pedes compedibus & laqueis, aut faſcijs vinculiſve quibuſdam arbores per intervalla colligantes. Hunc liquorem *çuram* ſive *Suram* nominant. Rurſum Linſcotius paulo pòſt eodem capite inquit. Aluntur hæ arbores in duplicem finem: quædam ut fructus Cocos ferant, & quædam ut vinum ab ijs elici poſſit. Cùm propoſuerint negligere Cocos, flores reſecant, & ampullam rotundam cui ſit orificium ſtrictum, *Collao* nominant, alligant, & arctiſſimè claudunt argilla commiſtionis anguſtiſſimas rimas, ut arceant omnem externum aërem, & impediant liquoris exhalationem: ac brevi impletur ampulla vinoſo liquore Palmæ, quem *Suram* nominant, eſtque grati ſaporis. Hinc patet Autoris ſententiam eſſe, quod ex ijſdem arboribus potum *Suram* colligant, ex quibus alioqui provenirent Indicæ nuces, niſi præcarperentur flores. *Suram* hæc colligendi ratio diverſa eſt ab ea quam Garcias & Luſitani referunt, cujus infra meminero.

Palma Ady.

Tertia Palma, Ady nominata, arbor valde celſa eſt & inſigni proceritate, arboriſque truncus craſſus, nudus, & erectus eſt, non ſuffruticat, ipſáque Pinum ſuperat altitudine, ut mihi à varijs relatum fuit. Trunci atque ramorum materies rara eſt, ſucco prægnans; folijs prioris Palmæ ſimilibus conſtat. In vertice plurima excreſcunt germina, quibus præciſis vel cæſim læſis, vas aliquod idoneum appendunt, in quo lachrymantem colligant ſuccum, qui vini vicem apud Indos tenet, & facilè inebriat. Dulce hoc vinum eſt, verùm poſt paucos dies aceſcit: Non omnes Palmæ hunc vini liquorem fundunt, ſed ea tantum quæ Ady ab ipſis Nigris nominatur: nec idcirco fructus ſuos facere deſinunt ejuſdem arboris reliqua germina, quæ à ferro intacta manſerunt. Hujus autem Palmæ Ady germen non edunt incolæ iſtius inſulæ, quæ quidem majori cura & diligentia percontatus ſum, quod apud Garciam legerim, incolas regionum Orientalium, Palmarum germinibus veſci: & quod ſublato germine pereat Palma. Sed hæc ipſe de Palma Indica generatim loquitur.

Abanga fructus Palmæ Ady.

Nunc ſupereſt ut de fructu Palmæ Ady aliquid ſubijciam. Integer fructus Luſitanis dicitur *Caryoces* & *Carioſſo*, ab indigenis nigris iſtius inſulæ *Abanga* nominatur: qui ſatione producit arborem. Abangæ nucleum ad te miſi, cui etiam tum putaminis præduri pars inhærebat: putamen hujuſmodi tegit pulpa ſeu caro fulveſcens, ac pariter luteus eſt exterior cortex. Itaque cortici caro ſubeſt (non aliter quàm in malo Perſico) quam pullum putamen oſſeum ſequitur: hoc verò intus nigrum continet nucleum eſui aptum, qui adempta pellicula candidus eſt. Fructus integer forma & magnitudine eſt Citrij iſtius mali quod limam ſive limonem vocant. Edunt ipſi hos fructus inaſſatos, frequenter etiam crudos: Caryoces nucleos integros inter edendum miſcent farinæ Manyoucæ. Hos nucleos credunt ipſi mirum in modum reparare languentes ex morbo vires, adeò ut ſuis ægris bis terve in die confortandi cauſa tres quatuórve Abangæ nucleos exhibeant. Quod ipſis tam familiare eſt, quàm nobis eſt ovum ſorbile, vel pullus gallinaceus, uti aſſerebant Luſitani, qui Indorum Præfecto tunc temporis aderant. Præterea ipſi ex hoc fructu oleum conficiunt: nempe ut carni à nucleis avulſæ adijciant aquæ ferventis bonam partem: deinde jubent ut pulpa in lebete diu agitetur, commiſceatúrque exactè ſuper ignem, deinde remotum ab igne lebetem tanto temporis intervallo ſtare ſinunt, donec amurca omnis in fundum ſubſederit: tandem oleum aquæ ſupernatans cochleari excipiunt: quo exhauſto, iterum affuſa aqua fervente bene commiſcent ut prius, & poſtquam decoxerint, quidquid olei puri ſupernataverit vaſculo rurſum excipiunt. Olei color croceus eſt, qualem Caryoces pulpam eſſe diximus, cujus tibi nunc ſpecimen * mitto in vitreo vaſe, concrevítque ex frigore noſtræ patriæ, alias autem liquidum eſt oleum. Niſi vererer epiſtolæ limites nimis excedere, moverem quæſtionem, quæ inter ſcribendum occurrebat: Cur nimirum oleum in aqua ſupernatet? dicunt aliqui corpora ob gravitatem ſubmergi, & ob levitatem natare. Quòd autem corpora non ponderis aut levitatis ratione natent, vel ſubſideant, ſed pro elementorum, ex quibus conſtant, proportione & dominio, locum inter elementa petant: parvus ſcrupulus in flumine oſtendit, qui ob terream & compactam lapidis ſubſtantiam ſubſidet: in quo ingens trabs lignea, ob aëream ejus & poroſam ſubſtantiam ſupernatat. Sed his præteritis ad oleum Caryoces revertor, quod famem non minus tollere poteſt, quàm olivarum oleum & butyrum noſtrum vaccinum: quare pranſuri vel cœnaturi, ſuis edulijs hoc oleum miſcent. Et cùm apud nos Medioburgi eſſent, piſces, carnes, pyra, poma, aliáque cibaria ex hoc oleo in ſartagine torrebant, atque ad omnia obſonia tam aſſa quàm elixa adhibebant hoc oleum Nigræ, ad quæ videlicet cernebant noſtras venuſtas ancillas butyrum addere. Sed butyri noſtri ex Batavia allati ſapor & odor magis mihi placet: ipſiſque profectò ancillis nigris Gellia deformioribus cum oleo iſto inſtructa fercula epuláſque lubens relinquam, quouſque olivarum & amygdalarum oleum, atque butyrum præſtans Bataviæ & Zelandiæ, ancillæ, roſeo genarum rubore decoræ, appoſuerint.

Abanga oleum, & ejus parandi ratio.

** Simile etiã ad me miſit vir honeſtiſſimus Franciſcus Peninus cum nucleo integro ſuo duro putamine tecto; qualem nudum magna copia anteacceperam ab honeſtiſſimo etiam viro Willelmo Parduyn, & etiam paucos quibus pura minus fragmẽta adhuc inhærebant.*

Olei

Olei hujus uſus apud ipſos etiam vulgaris eſt ad inungendas corporis partes rigidas, atque contractas, imprimiſque nervos diſtentos relaxare dicunt. Exercitatos etiam, & quoſvis labore feſſos toto corpore inungunt: nempe quod exercitijs ſimilares corporis partes exſiccantur, & colliqueſcunt: quod ipſum humectatione ſua impedit hujus olei perfunctoria ac lubrica frictio. Hoc ipſorum acopum eſt, & inſigne laſſitudinis remedium eſſe prædicant. Olim hæc corporum inunctio frequenti in uſu fuit tam apud priſcos Græcos, quàm apud Romanos, illorum in delitijs æmulos: & habita certè fuit non poſtrema ſalubrioris Medicinæ prophylacticæ, id eſt, ſanitatis conſervatricis, pars, ut paſſim Galeni ſcripta perhibent. *Olei uſus medicus.*

Hujus Palmæ Ady meminit autor deſcriptionis Guineæ, Manicongi, Angolæ & vicinarum regionum occidui Oceani, ubi dotes regni Congo refert, inquiens, In campis proveniunt permultæ & variæ Palmæ, utpote, quæ Nuces fert Indicas, & quæ dactylos gignit. Creſcit præterea alia ibidem Palmæ ſpecies, non multum à duabus primis fronde diverſâ, ex qua oleum, vinum, acetum, fructus ac panem colligunt. Per viam expreſſionis fit oleum è fructus pulpa, uti ex olivis fieri ſolet, colore & ſubſtantia ſimile noſtro butyro, preterquam quod è viridi in flavum colorem magis declinet. Vtuntur ipſi eo pro butyro ac oleo; lampadum flammas eo alunt, eodem oleo ſua perungunt corpora, ut glabra & agilia reddantur. Denique cibi vicem gerit neceſſitatis tempore, uti nobis evenit, qui fame perijſſemus, niſi hoc oleum habuiſſemus. Hujus Palmæ vel fructus nomen non refert: verum ex orationis ſerie ſatis patet, hanc eſſe Palmam Ady quæ fructum Caryoſſo fert, ex cujus pulpa fit iſtud croceum oleum.

Etjam diſpiciendum duxi operæpretium, an hi palmæ fructus ab Indis allati Veteribus innotuerint, nec ne, quod ſumma cum cautione peragendum. Sæpenumerò enim rebus quibuſdam ſunt indita nomina, quę tamen deſcriptionibus Veterum non conveniunt: quibus nominibus idcirco non nimis fidendum eſt, ut optimè & pulchrè monet vir graviſſimus, doctiſſimus, & ſuper hæc occupatiſſimus Petrus Bellonius libro primo ſingularium & memorabilium Obſervationum, quas tu mi Cluſi latinas feciſti.

Theophraſtus de Palmarum generibus, Genera, inquit, Palmarum plura. Primum enim, & quaſi diſcrimine maximo, quod aliud fructiferum, aliud ſterile: & paulo poſt addit: * Fructuum ipſorum differentiæ plures, alij namque ſine ligno intus, alij cum ligno: & alij duro ligno, alij molli proveniunt: colore quoque inter ſe diſcrepant: alij enim candidi, alij nigri, alij flavi: ad ſummam non pauciores quam ficorum colores, aut abſolutè genera ſtatuunt. Adhæc differre magnitudine figuráque volunt: quoſdam enim in modum eſſe malorum, magnitudinéque tantos, ut quatuor tantum in ſpicam teneantur, alios minutos cicerum magnitudine. Denique, paucis interjectis, inquit. Genus aliud eſt in Cypro, quod & folium amplius habet, & fructum multo ampliorem, diſcriminéque peculiari diſcretum, magnitudine mali punici, figura oblongum: non tamen ſapidum tanquam cæteræ, ſed radicibus ſimilem, ut non devoretur, ſed ſucco tantùm expreſſo expuatur. Hactenus Theophraſtus. Qui ſanè locus deſumptus ex Hiſtoria Plantarum lib. II. cap. VIII. Caryoces fructum utcunque proponit, quem antè diximus eſſe ex Palma fructifera, & habere durioris ligni corticem, cui inſedit pulpa flava cum ejuſdem coloris pellicula, magnitudinem etiam illius eſſe mali citrij, cujus ſit forma oblonga. Quo modo denique præter nucleum pulpæ expreſſæ ineatur uſus, in olei præparatione oſtendimus. Itaque apertiſſimè patet nonnullis cum Palmæ cujuſdam fructu Theophraſti notis, hunc Caryoces fructum convenire.

* *Videtur interdum Gaza negligentis interpretis officio functus, aut alium Græcum codicem ſequutus: meus enim ſic habet.* αὐτῶν δὲ τῶν καρπῶν διαφοραὶ πλείους. οἱ μὲν γὰρ ἀπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι, καὶ τὰς χροιὰς οἱ μὲν λευκοὶ, οἱ δὲ μέλανες, οἱ δὲ ξανθοί. τὸ δὲ ὅλον οὐκ ἐλάττω χρώματά φασιν εἶναι τῶν συκῶν, οὐδ' ἁπλῶς τὰ γένη. διαφέρειν δὲ καὶ κατὰ τὰ μεγέθη καὶ κατὰ τὰ σχήματα. καὶ γὰρ σφαιροειδεῖς ἐνίους ὡσανεὶ μῆλα, καὶ τὰ μεγέθη τηλικούτους, ὥς τέτταρας εἰς τὴν σπάχυν εἶναι· ἐπτὰ δὲ καὶ εὐπόδους. ἄλλους δὲ μικροὺς ἡλίκους ἐρεβίνθους.

Ambigo præterea an Theophraſti locus de Palma Ady ſit intelligendus. Sed & Cariotas Dioſcoridis & Galeni nihil aliud eſſe aio, quàm palmulas ſive dactylos qui ad nos adferuntur, qui quidem immaturi ſicci & adſtructionis participes ſunt, maturi autem dulces pingues & ſucculenti.

Hujus fortè meminit Dioſcorides, dum Caryotarum, ſive Caryotidarum Palmarum mentionem facit: inquit enim lib. I. cap. de Palma. μάλιστα δὲ αἱ καρυώτιδες ἐσθιόμεναι ἀρτηριῶν τραχύτητας ἰῶνται. præſertim Caryotæ eſu faucium aſperitati medentur.

Earundem meminit & Galenus lib. II. de alimentorum facultatibus, ubi Palmæ fructus facultatem alimentalem rimatur: ἔστι δὲ, inquit, ἐν αὐτοῖς οὐ μικρὰ διαφορά. τινὲς μὲν γάρ ξηροί τε εἰσὶ καὶ στύφοντες, ὥσπερ οἱ αἰγύπτιοι, τινὲς δὲ μαλακοὶ καὶ ὑγροὶ καὶ γλυκεῖς, ὥσπερ οἱ καρυωτοὶ καλούμενοι: id eſt. Non pauca autem in ipſis eſt differentia: quædam enim ſunt ſiccæ & adſtringentes, ut Ægyptiæ: quædã verò molles & humidæ, & dulces, ut quæ Caryotæ appellantur.

Oleum

Oleum præterea hiſce Caryocis ſive Caryotis ineſſe paulo pòſt his verbis approbat: ὁ δ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν εἰς τὸ σῶμα ἀναδιδόμενος χυμὸς, παχὺς μὲν πάντως ἐστὶν, ἔχει δέ τι καὶ γλίσχρον ὅταν ᾖ ὁ φοίνιξ λιπαρὸς ὥσπερ ὁ καρυωτός. id eſt: ſuccus autem qui ab ipſis in corpus diſtribuitur craſſus quidem omnino eſt, habet autem & liquoris quidpiam, ubi palma pinguis fuerit, ſicuti Caryota. Quin & ante dixerat Caryotas eſſe exiguæ adſtrictionis participes: quod videlicet multum olei contineant, & valde ſint unguinoſæ. Ex his non abs re ſuſpicari quis poteſt, hos fructus veteribus innotuiſſe.

Vir doctiſſimus de re herbaria optimè meritus P. Andr. Matthiolus in ſuis in Dioſcoridem longè doctiſſimis Commentarijs, non videtur obſervaſſe diſcrimen, quod Dioſc. & Galen. ſtatuerunt inter Caryotas & reliquos palmarum fructus, dum inquit, Venetias Palmarum fructus, nõnullis palmulæ, aliquibus Caryotæ, quibuſdam verò dactyli dicuntur, ex Syria & Alexandria Ægypti advehuntur, ac etiam ex Neapoli, illuc prius ex Numidia importati. Quod tamen diſcrimen celeberrimus Io. Ruellius (quem ante Hieronymum Tragum, Leonardum Fuchſium, & Matthiolum ſcripſiſſe exiſtimo) annotavit in primo ſuo libro, quem de natura ſtirpium eleganter, doctè, & copiosè conſcripſit.

In hoc argumento, vir doctiſſime, præter morem prolixior fui, quòd ſpeculationum omnium quæ ſunt in Medicina, ea propemodum ſit utiliſſima, quæ circa facultates verſatur quæ alimentis inſunt. Nam alijs præſidijs non omni tempore utimur: ſine alimento autem, ne vivere quidem, neque ſecunda, neque adverſa valetudine poſſimus. Vale feliciter in multos annos, & me, ut facis, ama. Medioburgi Walachriæ poſtridie Nonarum Maij M. D. XCVII.

F I N I S.

PLANTAE,

ſeu SIMPLICIA, ut vocant, QVAE IN BALDO MONTE, ET IN VIA AB VERONA AD BALDVM REPERIVNTVR;

Cum Iconibus & nominibus quamplurimarum quæ à nullo antè ſunt obſervatæ : nunc à IOANNE PONA Pharmacopæo Veronenſi repertæ, deſcriptæ, & editæ.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

cIↃ. IↃ C I.

CLARISSIMO VIRO
CAROLO CLVSIO
IOANNES PONA S.

PRAESTANTISSIMAM *Medicinam humano generi neceſſariam eſſe inde conſtat, quòd (uti in Eccleſiaſtico legitur, & in libris Caſtigationum purgantium Ioannis Meſuæi) ipſi propter ejus fragilem, & caducam naturam à ſummo rerum opifice clementiſſimè fuerit elargita; conſtant ſiquidem hominum corpora ex elementis corruptioni ſubjectis invicem agentibus, & patientibus, ex quibus alterationes, & affectiones neceſſariò hominibus occurrunt, quarum vi actiones facultatum, organorum miniſteria, ſimilarium partium naturales effectus omnes varijs modis læduntur: hinc ipſa rationalis anima labefactatis inſtrumentis (quaſi dentata dolabra) in operibus ſuis, & circa artes omnes, ſcientias, philoſophiam, & (quod gravius eſt) erga ſuum ſummum creatorem deficere ſæpe cogitur; anima namque noſtra hac carnea veſte obvoluta hujus corporis inſtrumentis (continuè etiam fluentibus) ut ſua perficiat munera indigere lucidiſſimè conſpicitur; nam quo modo imaginatione corrupta, diminuta memoria diſcurret, & ratiocinabitur? ſuum agnoſcet auctorem, redemptorem, atque illi obtemperabit? ægrotum verò corpus quo modo homini artes convenientes exercebit? proculdubio aut hæc diminutè tractabit, aut depravatè præſtabit: ô verè infœlix humana natura, cùm prope innumeris ærumnis, & tot, tantisq́ue morbis miſerrimè ſubjaceas! His tamen calamitatibus omnibus arte ipſa medica nobis à benedicto Deo benigniſſimè impartita obviam imus, & verè medemur. Hæc etenim præcepta, & medicamenta proponit, ac exhibet, quæ dogmaticè rationabilitérque uſurpata, quantum homini licet, præſentem tuetur, & deperditam ſanitatem reſtituit: jam verò hæ medicæ materiæ (habitibus illis prætermiſſis, qui ex fonte philoſophiæ hauriuntur) cùm ab elementis, fodinis, animantibus, alijsq́ue hujuſmodi rebus naturalibus promanant; tum præcipuè à ſimplicium, plantarúmque admirabili virtute ſumuntur. His igitur ego cùm avidè operam navaverim, tum, ut ex horum admirabili natura, artificio, & effectibus cauſantem artificem intelligerem, admirarérque: tum, ut hæc cognoſcendo, diſcernendóque poſſem (quod muneris eſt noſtri) utiliter, & non adulterinè, quæ ab Excell^{mis} Medicis in hominum utilitatem præcipiuntur, genuina ſimplicia eligere, & eadem in pharmaca commiſcere; neque expenſis, neque laboribus peperci, ut vegetabilium præcipua loca ſtudiosè inviſerem; quæque ibi ad hoc facientia naſcerentur, quanta poſſem diligentia perquirerem, obſervarem atque colligerem. Inter hæc igitur cum cæteris dote iſta minimè ſecundus ſit* MONS *noſter* BALDVS *dictus, Baldus (inquam) qui altitudine, latitudine, amœnitate, ac pulchritudine inſignis in Italiæ finitimis limitibus Tridentum verſus, ubi faucibus Alpium ipſa à Rhetia ſeparatur, ſitus eſt; isq́ue in agro Veronenſi, ab ipſa urbe Verona viginti millibus paſſuum diſtans: quæ præter arces, & mœnia tutiſſima, civium ſplẽdore, vetuſtate fundatorum, aëris ſalubritate, amœniſſimis collibus, flumine pulcherrimo Atheſi, lacu Benaco (qui certè benè agit, cùm ſolus Carpiones, regios piſces & producat & alat,) Ædibus, ſuperbo Amphitheatro, illuſtribus Templis, terræ quibuſque fructibus, acutorum ingeniorum feracitate, & quæ tandem naturali, & medicæo Viridario Baldo monte, in quo variæ, ac peregrinæ plantæ abundè conſpiciuntur, præſtantiſſima civitas exiſtit. Hunc itaque ipſum cùm per plures vices unà cũ Illuſtribus, Excellentiſſimisq́;, atque admodum RR. D. Patre Mauro, & D. Cæſare, altero quidem fratre, altero filio peracutiſſimi integerrimíque Iuris conſulti D. Fabij de Nicheſolis, hujuſce civitatis, generis ſplendore, fortunæ bonis,*

& literis primatibus civibus: D. Nicolao Maronea, Hectore Moſcalea pariter Vrbis noſtræ Medicis clariſſimis: D. Hieronymo Calderino cive noſtro doctiſſimo: D. Ioachimo Iungermano Norinbergenſi (fœlicis recordationis) Philoſopho, Medico, & Herbariæ facultatis peritiſſimo; à quo veluti à ſcientiſſimo Duce plurimum & cognitionis, & artis ſimplicium omnium mihi comparavi: D. Paſcale le Coq. Gallo, D. Iacobo Zuinghero Baſilienſi, & D. Georgio Rentzio Vueinſpergenſi, omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ doctoribus, atque in plantarum notitia verſatiſſimis: & cùm per plures (inquam) vices montem ipſum Baldum peragraſſem, inveſtigando, rimandóque diligenter Valles, Prata, Sylvas, Rubos, Foveas, Cavitates, Rupes, Verticéſque omnes præcipites, atque ſaxoſos; ne quæ iterato ſæpe labore conquiſieram, temporis tractu è memoria effluerent, aut conſeneſcerent, ac demum culpa mortis interirent, hæc de maximo hoc Baldo breviter adnotare non ab re fore arbitratus ſum: tum præſertim, cùm numeroſiora ſimplicia ipſe quàm alij hucuſque obſervaverim, tum potiſſimum etiam, cùm plantas aliquas noviſſimè ibi ego adinvenerim, quæ hactenus nec editæ, nec cognitæ ab aliquo (quod ſciam) unquam fuerint. quas etiam nec parum & utilitatis, & pulchritudinis, herbariæ ſupellectili allaturas eſſe mihi perſuadeo.

Memor ergo ſingularis humanitatis tuæ, quam tu mihi aliquando doctiſſimis epiſtolis tuis, ſimplicium alicujus difficultatis enodationem tractantibus declaraſti, meque eorum perfectiori ſcientia adauxiſti: optiméque ſciens quantum in plantaria facultate polleas; quandoquidem ſcientiæ tuæ præſtantia cuique ex præclariſſimis tuis voluminibus ſatis patet, quibus præ te fers incomparabilia ſtudia, vigilias, peregrinationéſq; ejus comparandæ cauſa ſubiiſſe: eiſdémq; manifeſtas, te mirabili ordine, & eloquẽtia ſingulari, non minus ſingula deſcribendo mentis oculis, quàm ſuis iconibus referendo oculis corporis ſubiicere. Pulchrè itaque cognoſcẽs, te Medicæ materiæ tantũ profuiſſe, ipſamq; tibi infinitè debere, à ratione alienum non eſſe cenſui ut hæc tibi uni dicarem. prout etiam in futurum, ſi qua occurrent, me facturum polliceor, ut apicem perfectionis tum in cognoſcẽdis, tum in uſurpandis ſimplicibus (ſi fieri poßit) aſſequi mihi liceat; hoc autem eo libentius feci, quod ad id me (inter cæteros) Perilluſtris, & undequaque Clariſſimus, ac omnium ſcientiarum genere inſignis Ioannes Vincentius Pinellus, præcipuus ac ſingularis meus dominus, honorificæ ſervitutis meæ erga te fœlix initium eſt cohortatus. Hîc Vir præſtantiſſime reperies Iter, Villas, Loca, Situs, Aſpectus, ſeriemque omnem ac nomina herbarum, quæ ſingulis in locis vere exoriuntur. Poſthac verò, ac propediem (ut ſpero) Deo benè annuente, ſingularum ipſius Baldi partium imagines, ac locorum effigies depictas accipies. Quoniam autem nobilitas, & candor animi tui, mihi jampridem perſpectus eſt, quo labores hos meos qualeſcumque amplexari non dedignaberis; pluribus hoc à tua benignitate contendere ſupervacaneum exiſtimavi. Satis id mihi erit ſi ſignum hoc eſſe meæ perpetuæ erga te obſervantiæ, pro certo habueris. Interim Deum O. M. ut te quàm diutiſſimè incolumem tueatur, rogo. cura ut valeas. Veronæ, Idibus Auguſti, M. D. XCV.

DESCRI-

DESCRIPTIO MONTIS BALDI.

Menses Vernales cùm jam præterijſſent, qui propter montium qualitates in noſtri Baldi regionibus, quàm in planitiebus tardiùs ſeſe manifeſtant, tempus ad iter noſtrum faciendum opportuniſſimum viſum eſt. Itaque circiter Idus Iulij ab Vrbe diſceſſimus Occidentem verſus, & egreſſi ſtatim per amplam agrorũ planitiem, abſque vitibus, aliiſve arboribus cultam progredimur, in qua abundanter conſpicitur:

Eryngium montanum, Matthioli: ſeu vulgare.

Tithymalus Cypariſſias Penæ: perperam Eſula minor Italorum, Lobellio.

Spina ſeu Stella ſolſtitialis, Penæ.

Atractylis multorum: ſecũdum aliquos Cnycus ſylveſt. Gaza Fuſum ſylveſtrem vocat.

Onopyxus, Guillandini: Carduus vulgatiſs. Lobel.

Acanthium, Dioſc. ſeu Spina alba ſylveſt. Fuchſij.

Ornithogalon, Dioſc. ſeu Bulbus Leucanthemus Dodonæi.

Rhamnus tertius, Matthioli: ſeu Paliurus, Penæ: frequentiſſimus.

Pulegium floribus verticillatis: perperam Calamintha officinarum.

Carlina ſylveſt. minor, Cluſij.

Gallium luteum, frequentiſſimum.

Verbenaca vulgaris, & Matthioli.

Polygonũ minus, Matthioli: à quibuſdam Herniaria vocata: ab alijs Herba Turca: Tragus, pro Empetro proponit: Cordus, Millegranam vocat, ab aliquibus, Helleborina Dioſc. putata, & Herba Cancri minor etiam nominatur: ab Italis, Centograna.

Verbaſcum fœmina, Lobellij; ſeu Verbaſcum ramoſum candido flore.

Verbaſcum latius, Dodonæi; prius, Matthioli.

Blattaria, Plinij luteo flore.

Hyoſcyamus primus, Matthioli.

Mentaſtrum vulgare, ſeu Mentæ ſylveſt. ſpecies.

Plantago aquatica, Herbariorum: nonnulli verò genuinum Aliſma; ſeu Damaſconium Dioſc. autumant.

Calamintha tertia; ſeu aquatica, Matthioli.

Verbenaca recta Fuchſij; ſive mas.

Erythrodanum, Græcorum: Rubia tinctorum in Officinis.

Centaurium Collinũ, Geſneri, Ioachimo Iungermãnõ: Aphyllãthes quarta, Dodonæi.

Dipſacus ſativus, vel Galledragon Xenocratis, Anguillario: ſeu Spina ſelenitis Theoph. Guillandino.

Dipſacus ſylveſt. major, Fuchſij.

Ranũculus Hortẽſis ſimplex, ſeu primus Fuchſij: Ranunc. echinatus ſylveſtr. tertius, Dodonæi: ſeu Ranunc. arvorum, Lobellij.

Heliotropium ſupinum Cluſij.

Anthemis, ſeu Chamæmelum.

Buphtalmum Matthioli.

Sideritis prima Matthioli: Pena verò, Marrubiũ aquaticũ ſeu paluſtre facit.

Stachys Dioſcor. & Scordotis Plinij, Lobellio: à Trago Marrubium agreſte vocatum: at à Matth. Pſeudoſtachys.

Echium Matthioli, floribus rubris.

Item albis floribus.

Echium Loniceri, ſeu Bugloſſum vulgare officinarum.

Chamæzizypha, ſeu Zizypha ſylveſt. frequentiſſima.

Echium Fuchſij.

Gnaphalium vulgatiſſimum.

Ægylops Theophr. ſeu quartum genus Roboris, Dalechampij.

Hyoſiris flore cãdido, ſive Iaceæ Pannonicæ ſpecies, Cluſij.

Sideritis prima Fuchſij: perperã Herba Iudaica Avicennæ, Herbariorum.

Sideritis ſecunda Matthioli.

Lactuca ſylveſt. Matthioli: Endivia quarundam officinarum, Penæ.

Et pervenimus ad locum, qui vulgo Clivus dicitur, qui eſt principiũ planitiei cujuſdam magnæ, ſaxoſæ, & ut plurimũ incultæ; latitudinis circiter octo millium paſſuum, & lõgitudinis quattuor; Hæc omnino æqualis eſt, aëre ſaluberrimo, & pervia in qua quaſi in quodam æquore perſiſteres, & per illud permeares, eminus abſque impedimento proſpicis hinc indè Villas, & ipſum Baldum; in hac autem deambulando adnotatur:

Sideritis pratenſis rubra, Dalechãpij, & Sideritis etiam luteo flore ejuſdem conſpicitur.

Eruum ſativum, Cordi: Piſum Græcorum, Trago: Matthiolus, pro Clymeno pingit.

Camelina ſiue Theophr. Eryſimum, & Dioſc. Myagrum Dodonæo: à Matthiolo, Pſeudomyagrum dicta, hîc abundanter colitur.

Convolvulus minor ſpicæ folijs, Lobellij: à quibuſdam, Scamonium tenue Plinij, creditur.

Convolvulus ſecundus, Cluſij: Cantabrica

brica Plinij, ſecundùm aliquos: à Dalechampio Volvulus terreſtris dictus.
Onoſma Matthioli.
Anchuſa lutea Dalechampij; frequentiſſima.
Centaurium parvum Dioſcor. à Dodonæo Panax heptophyllon Plinij vocatum: ab Italis Biondella: Quibuſdam perperam Lymneſium Cordi videtur.
Blattaria flore cæruleo, elegantiſſima.
Cytiſus Tragi: à Lobellio Lagopus altera pinnato folio dictus.
Ciſtus annuus alter Lobellij.
Hyacinthi ſpurij varia genera.
Ampelopraſum frequentiſſimum.
Lagopyrus Dodonæi; ſeu Lagopum ſpicatum.
Pulſatilla vulgaris; ſeu Anemone ſilveſt. Fuchſij: Ranunculum decimũ Cordus facit: Luſitanus perperam, Alopecuron vocat.
Betonica paſſim.
Cotinus, Plinij: Cocconelia Theophr. Cluſio: Coggygria Plinij Camerario: Chryſophyllon Priſcorum Lobellij: fortè Barba Iovis Plinij Geſnero.
Glaux Guillandini: à Belgis Anthyllis leguminoſa; ſeu Anthyllis prior Dodonæi.
Tithymalus platiphyllos Penæ; à quibuſdam Characias vocatur.
Holoſtium Matthioli.
Muſcipula altera flore muſcoſo, Penæ: ſeu Seſamoydes magnum Salmanticum quorundam, Cluſio: etiam Cluſius ipſe Lychnidis ſylveſt. ſpeciem eſſe putat.
Aphyllanthes Anguillaræ: à Pena pro Bellide cærulea exhibita: Italis Botonaria; à Monſpellienſibus Globularia.
Armerius flos tertius, Dodonæi.
Lagopus, ſeu pes leporis.
Clinopodium Lacunæ, Penæ: idem Pena Acinon facit: Betonica Pauli quorundam; ſeu Clinopodium primum Matthioli.
Clinopodium minus, ſeu Vulgare; Ocymum ſylveſt. ſeu Acinos Dodonæi: vel Pulegium petręum Geſneri: perperam Calamintha montana, Tragi.
Trifolium cochleatum, ſeu Medicę ſpecies, Penæ.
Item Medica ſpinoſo folliculo.
Symphitum petræum Penæ: Conſolida minor à Matthiolo: Brunella altera Dodonæi:
Item floribus albis.
Oenanthæ Fuchſij: Filipendula multorum: & dubitat Pena, an Plinij Molon.
Thalictrum nigrum Cordi: Dodonæus Thalictrum magnum facit: à quibuſdam Ruta pratenſis, & Saxifragia Gallorum.
Oſiris, ſeu Linaria vulgaris.
Sylibum, ſeu Leucacantha Loniceri.
Aphyllanthes prima Dalechampij.
Syſirinchion Theophraſti, Cordo: ſeu Bulbus eſculentus, Lacunæ: Bulbus ſylveſt. Fuchſij: à Lobellio, Ornithogallon luteum vocatũ, qui etiam dubitat an ſit Vomitorius Bulbus.
Lactuca ſylveſt. vera Dalechampij.
Lactuca ſylveſt Fuchſij, & Matthioli; ſeu Picris anguſtifolia Dioſc Penæ.
Pecten Veneris Ruellij: aut fortaſſe (ut inquit) Anguillara, Scandix Veterum.
Tordylium, Seſeli creticum Lobellij.
Naſturtij ſpecies, Geſneri: illa quæ à Trago, Fuchſio, & Cordo pro Seriphio Germanico propoſita eſt: à Pena fortè Thalietrum Dioſc. ſeu Sophia Chyrurgorum: à Dodonæo etiam pro Thalietro picta.

In hujus dextera parte prope flumen reperitur

Coluthæa Theophraſti: à quibuſdam Cytiſus creditus.
Saxifragia alba, ſeu quarta Matthioli.
Polygonatum Dioſc. ſeu Fraxinella Italorum: Secacul Geſnero putatur.
Flammula altera Dodonæi, ſeu Clematis recta.
Stratiotes, ſeu Achilleæ congener Cluſij; fortè Helyochriſes Italica, Matthioli.

In ejus fluminis oppoſita parte, copioſè pullulat:

Rhus Obſoniorum, & Coriariorum; vel Sumach: ſed tamen ſterilis eſt.

Et cùm jam pervenimus ad finem ſpatioſi hujus agri, ad lævam manum pagum Buxoletum relinquimus (ita vocatum ex copioſo Buxo ibi ſponte naſcenti, cujus ſylva etiam in præſentia in fluminis ripa conſpicitur) quo in pago inveniuntur plantæ diverſæ, videlicet:

Abrotanum mas commune.
Abrotanum inodorum, Penæ.
Abrotanum mas, album.
Alyſſum, Matthioli: an potiùs Thlaſpi ſpecies? fortaſſe Alyſſum minimum Cluſij.
Botrys, frequentiſs.
Antirrhynum ſylveſt. ſive Phyteũ. Dod.
Chamænerion Geſneri: à quibuſdã Delphinium Dioſc. & Linum ſiliquoſum.
Ladanum ſegetum Plinij Dalechampio; rubro ac albo flore invenitur.
Ariſtolochia rotunda genuina; frequentiſſima.
Itẽ Clematitis, Penæ: perperã aliquæ Officinarũ credunt eſſe genuinã longam.
Thlaſpi parvum Hieracifolium, & Leucoion minimum luteum Penæ: à Dalechampio pro Lunaria lutea picta: Cluſius Thlaſpi clypeatum vocat, in

ſuis

ſuis doctiſs. Obſervat. Pannonicis: à quibuſdam, Biſcutella.
Nepeta, Tragi: Menta Catti, & Cattaria multorum.
Iberis, ſeu Lepidium Dioſc.
Tithymalus verrucoſus Dalechampij.
Eſula minor Tragi.
Polypremnum Dalechampij: ſeu Polygoni ſpecies.
Origanum ſylveſt. ſeu commune inofficinis.
Lappa major Matthioli utraque.

MOX deſcendimus ad Atheſim, inde ſenis conjunctis navigijs pendentibus ex longo, craſſo, & mobili fune, qui alium ſimilem funem amplectitur, magnis arborum truncis in utraque ripa infixis alligatum, in Pagum tranſvehimur Septimum dictum, quòd ab Vrbe diſtet ſeptem millibus paſſuum, quod magnam voluptatem ſpectantium oculis ob elegantiam adfert; pergentibus autem per illas ſemitas reperiuntur hæ plantæ:

Onobrychis Pannonica prima, Cluſij: ſeu, ut ego dicerē, Cicer Aſtragaloides.
Heliochryſos ſylveſt. ſeu Chryſocome, Tragi; vel Amaranthi lutei ſpecies.
Verbaſcum III. Matthioli.
Cynogloſſum Vulgare.

HINC poſt frugiferos aliquos campos ingredimur in vaſtum & pariter incultū agrum, parum ab eo diſſimilem, de quo in initio itineris. ubi adnotantur:

Euphragia, paſſim.
Linum perpuſillū floribus luteis Lobellij.
Item ſylveſt. Linum floribus albis.
Eupatorium Gręcorum; ſeu Agrimonia.
Erygerum magnum, ſeu Iacobęa Senecium Lobellij.
Helxine Ciſſampelos.
Filix mas, frequentiſs.
Iris vulgaris.
Anonis lutea Camerarij: Natrix Plinij, Quorundam: perperam multi Pharmacopęorū pro vero Meliloto utūtur.
Lotus ſativa Matthioli.
Ocymoides Matthioli; flore albo.
Percepier Anglorum Penæ.
Saponaria Rec. Cunder Avicennæ Valerandi, ex Lobellio.
Conyza Helenitis Cordi: ſeu Baccaris Monſpellienſis Penæ: Matthiolus pro Conyza majore pingit, uti etiā Dod.
Horminum ſylveſtre Fuchſij.
Millefolium luteum, an Agerati ſpecies?
Polygalla Dioſc. Dalechāpio: ſeu, Onobrychis Dodonæi: vel caput Gallinaceum Belgarum Penæ.
Sideritis prima Fuchſij: Tethrait & herba Iudaica, Herbariorum.
Sarxifagon Pauli, & Dioſc. Guillandino, & Oſteocollum Abſyrthi: eſt Saxifragia communis.
Corruda.
Cicer ſylveſt. alterum Dalechampij.

IN quo loco etiam conſpicimus;
Ciſtum annuum flore guttato, noſtrum.

Ciſtus annuus flore guttato.



ASSVRGIT recto ſurculo tripalmari, quadrato, hirſuto, vireſcenti; cui prope terram folia multa Oleæ effigie, deinde per intervalla ad oppoſita latera alternato ſitu bina, ad medium uſque, deinde per aliquos ordines terna ſpectantur, duobus tamen ex his anguſtioribus, è quibus flores multi, colore & forma Helianthemi. Sed hoc amplius in ſingulis folijs guttulam ſanguineam ſortiti, ad inſtar Pyropi, auro ſumma arte excepti, tum ſummitati, tum pediculo longiuſculo & capillari calicibus affixi hærent; horum tamen aliqui ſine folijs unicum florem in ſuprema parte obtinentes plantam finiunt. quæ radice unica, exili, lignoſa, ac parum fibrata alitur. Floret initio Iulij; ſapor, & ſemina ut in alijs Chamæciſtis; provenit in plano Agro altero, ſed frequentior in opido Ciani.

ET hæc inveniuntur Pontonum uſque: Eſt autem Pontonum rus amœnum in quo jam dictorum Nicheſolarum ſunt perampla prędia, & egregiæ ædes, aptę ad excipiendos propter varia illarum exculta ornamenta, varij generis ſupellectilem, & abſolutas commoditates quoſvis Illuſtriſs. Viros, uti ſæpiſſimè contigit; adjuncta huic nobiliſs. domui duo pulcherrima Viridaria, in quibus pręter varios ordines frequentiſſimarū Cupreſſuum, & inſertorum

ſertorum ſelectiſſimorum, diligenter coluntur iſtæ nobiles plantæ: (inter quas digniores & magis peregrinæ à Præclariſſimo Viro Ioanne Vincentio Pinello tranſmiſſæ huc ſunt.)

Acanthus aculeatus Lobellij: ſeu Monſpellienſium Chamæleontha.
Caucaſon, ſeu Moly Indicum.
Althæa flore luteo; aut Theoph. Ibiſcum Lobellij: ſeu Abritilon Avicennæ.
Sanicula montana Cluſij.
Aconitum lycoctonum Matthioli.
Aconitum batrachoides Penæ.
Napellus Matthioli.
Napellus Penæ.
Napellus racemoſus.
Napellus Moyſi Avicennæ, Matthiolo.
Leucoion creticum pulcherrimum, fortè Leucoion cœruleum Dioſc.
Tamarindus vel Derelſide Ægyptiorum, Exc^mo^ Proſpero Alpino.
Acatia Ægyptia genuina Antiquorum.
Stœchas altera Penœ.
Paliurus Athenæi, ſeu Nabca Ægyptiorum, Alpino.
Aquilina quatuor diverſorum colorum pleno flore, ſive degener, hoc eſt, expers corniculorum inflexorum.
Item, quatuor diverſorum colorum, pleno flore roſeo, ſive degener.
Hyppomaratrum.
Dictamnum creticum.
Bryonia cretica.
Hedyſarum alterum clypeatum Lobel.
Thlaſpi clypeatum Penæ.
Iris bulboſa colore luteo palleſcēti. (tior.
Iris bulboſa verſicolor anguſtifol. ſatura-
Iris bulboſa verſicolor latifol. ſaturatior.
Iris bulboſa violaceo flore.
Iris bulboſa flore rubro.
Iris bulboſa flore rubro elegantior.
Pſeudonarciſſus pleno flore.
Pſeudonarciſſus Hiſpanicus minor.
(Cluſij.)
Mirtillus Germanica.
After pratenſis, ſeu V. Cluſij.
Scabioſa Hiſpanica Cluſij: à Fabio Columna, Phyteuma Dioſc. credita.
Lirio-aſphodelus albo flore.
Anonymos Buxifolia.
Seſeli Maſſilienſe Dioſc.
Panax Heracleum Herbariorum.
Panax Aſclepium Dioſc. Guillandino.
Aloë utraque.
Trachelium majus, noſtrum.
Tragium creticum Bellonij: ſeu Androſemum fruticoſum Camerarij: vel Ruta hypericoides Dodonæi.
Iſopyrum Matthioli: ſeu potius ad Melanthij ſylveſt. ſpecies referenda.
Eruca peregrina Cluſij: ſeu Leucoion marinum Patavinum.
Impatiens Dodonæi.
Trifolium Aſphaltites.
Viola matronalis, vel Damaſcena Rec. à Fuchſio pro Leucoio albo picta: à quibuſdam Heſperis Plinij credita.
Centaurium majus genuinum Dioſc.
Smyrnium Lacunæ.

Hemerocalles Chalcedonica.
Digitalis lutea, flore amplo.
Item purpurea.
Cytiſus Maranthæ.
Bryonia cretica.
Peucedanum magnum Italicū Lobellij.
Hieracium intubaceum flore carneo.
Verbaſcum quartum Matthioli.
Draba Dodonæi; ſeu Dryophonō Plinij, ejuſdem: nonnulli verò, Thlaſpi Candiæ umbellatum vocant.
Myrrhis parva altera Lobellij.
Superba Auſtriaca Cluſij.
Cacalia Penæ.
Leontopetalon, è Creta.
Tanacetum acutum album Tragi: ſeu Ptarmica folio Taraconis, Penæ: vel Pyrethrum ſylveſt. quorundam.
Ocymoides arboreum, ſeu fruticoſum Camerarij.
Cardiaca Melica Penæ; ſeu Moluca aſpera.
Tanacetum non odorum Penæ; ſeu perperam Sideritis Italorum Lobellio.
Chamærhododendros alpina, Penæ.
Corona imperialis, ſimplici ſerie florum.
Lilium Suſianum Cluſij: quidam Lilium Perſicum vocant.
Poterion Dioſc. Penæ: à quibuſdā Pimpinella ſpinoſa.
Pthora Valdenſium.
Lychnis Chalcedonica: Scarlatea vulgò.
Thapſia Matthioli.
Ferula Galbanifera Lobellij.
Ranunc. polyanthos aureo flore.
Datura Turcarum Garziæ: Solanū manicum Columna facit.
Muſchari Turcarum: Matthiolus exhibet pro Bulbo Vomitorio.
Eryſitales, Plinij.
Ocymoides repens polygonifolio, Penę.
Helianthæ flore candido.
Acorum genuinum Antiquorum: perperam Calamus aromaticus multorū.
Rhodia radix.
Siliqua.
Iaſmynum Cathalonicum.
Syringa cœrulea Luſitanica Penæ: Lilac Turcarum, Matthiolo.
Arundo Indica, vel Cannacorus quorundam: à Camerario Gladiolus Indicus vocatur.
Cumynum ſylveſtre primum, Dioſc.
Calcitrapa candida, & rubra flore duplo.
Cnicus alter Cluſij,
Cnicus ſylveſtris primus multorū: Atractylis vera Dalechampij.
Chariophyllata montana major.
Item Alpina minima noſtra.
Iacobæa II.
Item, III. Pannonica Cluſij.
Caltha ſeu Calendula, pleno amplo flore: Clymenum Dioſc. Fabio Colūnæ.

Soldanella

Soldanella alpina Cluſij.
Gramen Parnaſi Dodonæi.
Primula arboreſcens flore ſimplici.
Lyguſticum verum Dioſcoridis.
Pulſatilla flore albo.
Aconitum tertium Dioſc.
Alectorolophus primus alpinus Cluſij.
Nardus Celtica altera Lobellij.

Stœbe Capitata Roſmarini folio.



Traſi noſtrum, vel eſculentus Cyperus: Dulcichinũ, à Guillandino vocatum: à Dodonæo pro Cypero dulci propoſitum: Fabius Columna Neapolitanus, Malinathallam Theoph. eſſe autumat, uti etiam Anthalium Plinij, facit. Hæc planta propriè Veronenſis eſt, nullibi enim in tota Europa, præterquã apud nos ſponte naſcitur. Provenit verò copioſiſſimè prope Vrbem ad meridiem, in qua itidem parte ſurgunt hæ, quæ hîc deſcriptæ ſunt:

Scorzonera Hiſpanica.
Item, V. Pannonica Cluſij.
Ornithogalon ſpicatum.
Dentariæ minoris Matthioli, tres ex foliorum numero varietates.

Item:

Stœbe Capitata Roſmarini folio noſtra, cujus Iconis deſcriptio ſequitur.

EX albicante radice lignoſa, & aliquantulum fibroſa, varij efferuntur caules teretes, modo coronariæ Lybanothidis, trium circiter cubitorum, quadam canitie aſperſi, profert folia uti ipſa Lybanothis, ſed longiora multo, & acuminata magis, quæ paululum flaccida facta, ita ſeſe coarctant, ut omnino appareant Pinaſtri folia; quæque supernè ſubvireſcunt, infernè albicant, cum quadam lanugine, uti & cauliculi: in ramulorum faſtigijs edit capitula queadmodum Stœbe Salmantica prima Cluſij; quaſi magnitudinis Centaurij majoris, cui etiam flos ſimillimus eſt, niſi quòd magis purpuraſcit: ſemen retinet Cnici, ſed nigricans; perennis eſt planta. Hanc ſub nomine Chamæpiperis mihi miſit D. Antonius Berthiolus Ducis Mantuæ Pharmacopæus peritiſſimus, obſervatorque inſignis, ut ipſi de hac ſententiam meam dicerem: ego verò rationes nullas cur ipſa ita vocari deberet intelligens, imò cùm viderem Roſmarinum in folijs æmulari, ac Stœbis formam obtinere, atque temperamentum, (cùm adſtringens & exſiccans guſtu ſentiatur,) non eſſe præter rationem arbitratus ſum, nomine Stœbis Capitatæ Roſmarini folio eam inſigniri, donec verius aliquod inventum ſit, cui me ſubſcribere non recuſabo.

Chelydonium ſylveſt. Cordi: ſeu Caltha paluſtris, Geſneri: Matthiolus pro Farfugio pingit.
Phalangium Cretę Salonenſis Penæ: ſeu, Pſeudoaſphodelus, vel Aſphodelus minor Dodonæi. & Aſphodelus III. Cluſij.
Lotus tetragonolobus Camerarij. Vbi etiam abundanter conſpicitur,
Oleaſter Germanicus, Cordi: ſeu (ut multi exiſtimant) Rhamnus primus Dioſcoridis.

RVRSVM traijcimus flumen hîc præſertim rapidiſſimum, & aliqua in parte vorticoſum vel flexuoſum, antedictis annexis anfractis, & ſic incedendo relinquimus dextrorſum Atheſim, & Arcem illam ratione loci inexpugnabilem, ſitam in faucibus montium, nobis appellatam *la Chiuſa*; nam cùm olim montis ſoliditate integri tutiſſimo lapidoſóq; pariete Atheſis clauderetur, atque aliò, non autem Veronam perflueret, mons hominum arte, manúque apertus fuit, parte illa quæ alveo recta opponitur integra relicta, quam ita violenter ipſæ aquæ labentes feriunt, & ab objice montis rejectæ tanto impetu relabuntur, ut rates, quibus merces utriuſque Germaniæ advehuntur Venetias, Veronam, & alias in civitates, quandoque omnino ibi ſubmergantur, ſemper tamen pars anterior in altum per ipſum montem aſcendat, poſterior autem aquis immergatur; quo fit ut in ea parte morantes cum aliorum riſu, nec ſine ſuo periculo ad genua uſque madeſcant: converſum interim flumen ad dexteram ablabitur, ac denuo reconverſum, tortuosè anguloséque ipſum pervium, acarte factum os ingreditur, ac ſineimpedimento perlabitur. Per hanc Arcem perpetuo

petuo præſidio Sereniſs. Senatus Veneti cuſtoditam, & per callem hunc montibus adhærentem partim arte, partim natura extructum, iter fit in ipſam Germaniam: in via iſta invenitur:

Pſyllium, frequentiſſimum.
Ægylops Penæ: & prima Matthioli.
Alcea vulgaris.
Alcea Veneta Tragi: Alcea peregrina ſoliſequa Penæ: ſecundùm aliquos Veſicaria Cordi: à Matthiolo pro Hypecoo exhibita.
Bryonia.
Phyteuma Dalechampij frequentiſs.
Chamædrys, frequentiſs.
Perfoliata rubra, quorundam, Geſnero: Tamecnemum Cordi: Vaccaria Dodonæi.
Dorycnium Rondelletij, Penæ.
Tribulus ſylveſt. Dalechampij.
Terebinthus, frequentiſſimus.
Mahaleb Geſneri, & Matthioli.
Leucoion ſylveſt. Pannonicum Cluſij.
Lycium Italicum, Matthioli: an infectoria Spina altera Cluſij?
Lolium Fuchſij: Gittago Tragi: Nigellaſtrum Dodonæi: à quibuſdã Pſeudomelanthium, & Lychnoides ſegetũ.
Clematis altera Matthioli.
Campanula arvenſis minima, Dodonæi; quam ipſe olim pro vera Onotrichide exhibebat.
Gladiolus vulgaris.
Galega, ſeu Ruta Capraria: à Clariſſimo Philoſopho ac celeberrimo Medico, Hieronymo Fracaſtorio Onotrichis dicta: à quibuſdam Italis, Lavaneſe.
Trio, ſeu Eryſimum.
Lycopſis Loniceri: ſylveſt. Bugloſſi congener.
Vvularia Tragi: Cervicaria, & Trachelion multorum: à quibuſdam Archangelica.
Rheſeda Plinij ſecundùm aliquos: dubitat an Cantabrica Plinij Pena: ab Italis Eruca peregrina vocata.
Dentellaria Geſneri: Dodonæus, Erygerum quartum facit: Pena, pro minima Conyza exhibet: Matthiolus pro minore Conyza pingit; & Phyllium, à Cordo.
Veronica fœmina Fuchſij, & Matthioli: Pena verò pro vera Elatine Dioſcorid. pingit.
Lamium Plinij; ſeu iners, ac mortua Vrtica.
Lamium Penæ: perperam à Matthiolo pro Galeopſi Herbariorum picta, ut Lacuna affirmat.
Perfoliata Dodonæi.
Drypis Dalechampij.
Drypis Loniceri.
Fraxinus.
Populus Lybica, Nigra, & Leuca.
Rubus.
Prunum ſylveſtre ex quo fit Acatia vulgaris.
Liguſtrum vulgare: à nonnullis Cyprus vocatur: ſive Phillyrea à Dodonæo.
Phalangium ramoſum Lobellij.
Fuſanum noſtrum: Evonymus Theoph. Lobellio: Tragus pro Carpine Theophr. proponit: Cordus verò Anonymon vocat.
Lotus arbor Dioſc. à noſtris autem Perlaro vocatur.
Frumentone noſtrum; ſeu Theophraſti Eryſimum Penæ: vel Ocymum Veterum Tragi: à quibuſdã Lampſana vocatum, hîc copioſiſſimè colitur.
Melampyrum Theophr. Cordo, Trago, & Dodonęo; ſeu Vaccinum Triticum: à Cluſio Parietaria ſylveſt. Pannonica tertia: Alopecuros Plinij Lobellio: & Stelephuros Plinij, quibuſdam.
Telephium Dioſc. Anguillario, & Guillandino: Scorpioides Matthioli: ſeu, Telephium Crateuæ, Lobellio.
Braſſica campeſtris Cluſij: & Perfoliata ſiliquoſa Anglorum.
Caryophyllata vulgaris, an (ut inquit Pena) Geum Plinij? à quibuſdã Chryſogonum Dioſc.
Rapunculus ſylveſt. cœruleo flore; ſeu ſylveſt. Tragi: Dodonæus Rapum ſylveſtre facit.
Ocymaſtrum Fuchſij: Ocymum ſylveſt. ſeu Acinos Dodonæi: à Pena, pro Clynopodio vulgari odore Pulegij exhibitum: Tragus Calaminthami montanam facit, ſed malè, nam Calamintha montana vera ab iſta diverſiſſima eſt, ut infra adnotabimus.
Lappa agreſtis Tragi: à Pena, Caucalis albo flore vocata: Aſter Dioſc. Penæ: alter Matthiolo: Bubonium Galeni, Dodonæo.
Aſter primus Matthioli; ſeu Amellus Virgilij.
Calcitrapa Cordi.
Chamæmelum Eranthemum, Fuchſij.
Conſolida regalis, quorundam.
Ruta Canina Rec. an tertia Scrophularia Dodonæi?
Galium floribus albis.

Postea verò ingredimur Pagum Caprinum, nobilem, multum feracem, pluribus fontibus ſcatentem, & nobilibus habitationibus exornatum. Hîc obſervantur:

Aſplenum Dioſc. Cetrach Arabum.
Polytrichum, utrumque.
Phyllitis Dioſcoridis.
Hydropiper Dioſcor. ſeu Perſicaria non mitifolia: perperam Cratæogonum Cordi, aliqui vocant.
Hydropiper Ruellij; ſeu, Hepatorium Cannabinum vulgò; perperam Hepatorium

patorium Avicennæ creditum.

Hydropiper alterum Herbariorum, Dalechampio: à quibuſdam Chryſanthemum.

Androſæmum Matthioli, Penæ, & Lobellij.

Aſcyrum Matthioli,& multorum.

Lyſimachia altera Matthioli:ſeu (ut Pena inquit) Lyſimachia purpurea, an verò Pliniana?

Nummularia Recentiorum : an (ut inquit ipſe Pena) Ereſtedanũ Theoph. à Cæſalpino Boriſſa dicta.

Artemiſia major,ſeu vulgaris.

Centauroides vel Lymneſium Cordi: fortè (ut inquit Anguillara) Papaver ſpumeũ: Gratiola,& Gratiadei vulgò.

Anagallis utraque,terreſtris, ac aquatica.

Symphitum maius,floribus albis,& purpureis.

Solanum Halicacabum Dioſc.

Hedera terreſtris Matthioli.

Hermodactylus, ſive Colchicum nõ venenatum Officinarum : quorundam Narciſſus Virgilij.

Symphitum medium,& minus.

Ophyogloſſum, Fuchſij; ſeu Enophyllon: à Cordo lingua Vulneraria: Ligulacam Plinij Geſnerus autumat:à quibuſdam Ceratia Plinij, Luciola etiam, ac Argentina nuncupata.

Geniſtella infectoria vulgatiſſima: an (ut Pena inquit) Lutea Plinij? à Trago perperam pro Ferula propoſita.

Potentilla minor, ſeu Argemone quorundam.

Vitis ſylveſt. Matthioli: an (ut idem Pena inquit) Melotton Theoph. ſeu Cyclaminus altera à Dodonæo : Siliquaſtrum Plinij Guillandino : à quibuſdã Circea, & Dulciſamara vocatur.

Chryſanthemum Damocratis Fuchſio: Ranunculus verticillatus Apulleij.

Perſicaria puſilla Lobellij.

Cirſium Matthioli.

Centaurium luteũ vel Citrium, Meſues.

Vrtica Heraclea Tragi : falsò Scorodonia Cordi à quibuſdam credita, nam Scorodonia ab ipſo Cordo exhibita alia planta non eſt quàm Salvia ſylveſt. Tragi; & Sphacelus Dodonæi.

Dryopteris, frequentiſſima.

Caſſuta Plinij : Linodeſmum Geſneri: vel Cuſcuta vulgò : quidam, Orobanchen vocant.

Oxyacantha Fuchſij : perperam Berberis multorum.

Oxyacantha Dioſc.& Matthioli, eſt Berberis genuina Arabum : à Trago Cynosbatos : à Cordo, Sorbus aculeata: Spn a Appendix Plinij, à Geſnero.

iliquia ſylveſtris Cluſij: an (ut Pena inquit) Cercis Theophraſti? eſt illa commentitia Acacia prima, à Matthiolo picta.

Condrilla major, Dodonæi, & Loniceri; ſeu Apate Dalechampij.

Periclymenum Dioſcoridis.

Periclymenum rectum alterum Cluſij.

Periclymenum non perfoliatum alterum, Lobellij.

Xanthium, ſeu Strumaria.

Caucalis Matthioli.

Tuſſilago ſeu Bechion, vel Farfara.

Equiſeti variæ ſpecies.

Phu parvum, ſeu paluſtre.

Acer Monſpeſſulanum.

Erica major floribus purpuraſcentibus, Lobellij: ſeu Erica altera Cluſij.

Gramen hyrſutum, fortè Gramen Leucanthemum Dalechampij : à quibuſdam Combretum Plinij dictum.

Circea Lutetiana.

Orvala tertia Dodonæi: ſeu Colus Iovis, vel Galeopſis lutea, ſeu Horminum ſylveſt. quorundam.

Colutea Scorpioides.

Cytiſus Hiſpanicus alter, Cluſij.

Item quartus, ejuſdem.

Cytiſus alter, Penæ.

Cytiſus albus ſylveſt. Cordi : an Cytiſus, Geſneri?

Valeriana rubra Dodonæi; & Ocymaſtrum Valerianthon: an (ut inquit Lobellius) Cõdurdum, Plinij? fortè Narciſſus Virgilij & Columellæ: Strution ab Excell^{mo} Aldroando : & à quibuſdã Ben rubrum creditum.

Aria Theophraſti, Dalechampio.

Phyteuma Matthioli : à Pena Campanula perſicifolia, vel quæ Iaſone à Theophr. credita.

Viburnũ Matthioli; ſeu Lantana vulgò.

Daphnoides, ſeu Laureola.

Digitalis Lutea parva.

Iacea montana Narbonenſis, Lobellio.

Anemone tenuifolia Cordi : Eranthemum Geſneri, & Dodonæi: Matthiolus, Adonis florem nuncupat : Lobellius φλὸξ, id eſt, Phlox Theophraſti, autumat.

Orobus Venetus primus, & alter, Cluſij; ſeu purpureo, & albo flore.

Galeopſis Dioſcoridis. cujus radices quia albo Helleboro perſimiles ſunt, hactenus pro ipſo Helleboro in Officinis perperam exhibitæ ſunt. hujus effigies à nullo certiùs relata eſt, quàm ab Excellentiſſimo Camerario, in Epitome Matthioli.

Geniſtella aculeata; fortè Vlex Plinij, Penæ.

Pneumonanthe Cordi: Gentianæ minoris ſpecies, Penæ : à Dodonæo, Viola Calathiana dicta.

Geranium Bathrachioides Dodonæi: vel Gratiadei Germanorum, Lobel.

Geranium Hemathodes; ſeu Gruciale ſupinum Lobellij.

Chamæciſtus III. Pann. Cluſij.

Hyſſopus

Hyſſopus Officinarũ, vel potiùs Thymbræ ſpecies.

Anonymos linifolio Cluſij.

Clematis tertia Matthioli: ſeu Vitis ſylveſt. Dalechampij.

Ocymoides repens polygonifolio, Penæ.

Iuniperus minor, ſeu vulgaris.

Taxus: Milos Theoph. Pena, ſeu σμίλος, vel σμίλαξ, Dioſc. & Galeni.

Leucacantha Monſpellienſium, Dalechampio.

Aſarum; perperam Baccara multorum.

Polygala Matthioli, non Dioſc. Aſtragaloidem, Lobellius facit: an potius ad Loti ſpecies referenda eſt?

Lotus ſylveſt. Anguillaræ, & Matthioli: ſeu Trifolium Aſphalthæum, Fuchſij; vel odoratum Trifolium, ſeu ſativa Lotus Dodonæi: an Mel frugum Theophr. ut Pena inquit?

Calamintha montana; & altera Calamintha, Matthioli.

Lampſana Dodonæi.

Clymenum Plinij quorundam: Dodonæus, Androſæmum facit: vel alterum Androſæmum Fuchſij.

Chærephyllum, vel Chærophyllon Columellæ, Dodonæo: à Manardo, Myrrhys credita: Oreoſelinum Anguillaræ: & Cerefolium, & Gingidium multorum.

Marrubium agreſte, Tragi: ſeu Stachys Dioſc. (ut Pena inquit) & Scordotis, Plinij.

Herba ſacra quorundam Dalechampio: ſeu Melliſſophyllon Tragi, & Cordi: à quibuſdam perperam Melliſſophyllon Fuchſij putata; nam (ut mihi videtur) Melliſſoph. Fuchſij, eſt ipſa montana Calamintha, Penæ.

Sphondilium Rec. ſeu Acanthus Germanica.

Cicuta.

Serpillum, utrumque.

Polium alterum Matthioli: à quibuſdam Iva moſcata.

Anonymos flore Coluteæ, Cluſij, ſive prior.

Caſtanea; atque Carpini frequentiſs.

Et hæ plantæ, uſque dum aſcendendo pervenimus ad coronam.

Locvs Coronæ, eſt in anguſtijs duorum montium, qui conſtant ex ſolido ſaxo, ſemi milliaris altitudinis, adamuſſim perpendiculariter recti, ac aſpectu horribiles, ſupra medium ſiniſtri quorum exporrecta eſt magna ſaxoſa portio, hortulum pẽſilem repræſentans, inacceſſibilis, niſi per funem ab altitudine ſuperiori demittaris: aut via hominum induſtria parata, aſpera, & difficili circa latus dexteri montis deſcendendo, ex hoc ad ſiniſtrum tranſeas per ligneum pontem, valida Tiliæ fœminæ arbore bifurcata fultum, quæ Tilia adeò magna (divinum profectò) ex vivo ſaxo exoritur, ac alimento à ſimplici lapide ſuggeſto nutritur, augetur ac germinat, pandens ita nobiles illos duos ramos, ut ponti viride tegumentum paret; hinc per arctam ſemitam in montis latere gradatim exciſam, & unicæ perſonæ deſervientem ſcanditur ad naturale podium, ubi perpulchrum, neque parvum Templum Deiparæ, ſemper Virgini glorioſæ erectum eſt, cunctis non ſolùm vicinis pagis, ſed etiam remotioribus oppidis, & urbibus venerandum, ad quod præſertim decimo octavo Kal. & ſexto Idus Septembris turbæ hominum copioſiſſimæ confluunt; quod ab Heremita quodam venerabiliter cuſtoditur, quare ab aliquo etiam probo viro ſolitudinis cupido hujuſcemodi apta contemplationi loca initium ſumpſiſſe credibile eſt: hîc Omnipotenti Deo mentis elevatione aguntur gratiæ, atque divinæ clementiæ beatæque Virgini locorum indagatores ſemetipſos commendant, ſubinde benè cultus hortulus religioſi hominis inviſitur: jam verò cùm ſuperius denuò reditum eſt, in initio deſcenſus conſiſtendo, deorſum proſpicientibus ſeſe offert admodum amœna Vallecula Brentini, agris vitiferis, & optimè cultis inſignita, qui rapido, flexuoſiſſimóque Atheſi ſumma cum voluptate ſecari conſpiciuntur: in hoc admirabili Coronæ ſitu hæ plantæ vireſcunt:

Corydalis Galeni Anguillario: ſeu Fumaria tertia Matthioli: Splith, vel montana Corydalis quibuſdam: an (ut Lobellius inquit) Phragmites Aetij?

Scorzonera latifolia, ſeu Hiſpanica; è rimis tantum ſaxorum erumpens.

Crocodilium Fuchſij: à Geſnero, Echinopus vocatum: à Cordo, Carduus Sphærocephalus: à Trago, pro vero Chamæleone pictum: Pena verò, Ritro ſeu Rutro Theophr. autumat: Dodonæus, pro Spina peregrina pinxit: Spina alba quorundam: ſeu Sphærocephalus annuus, Camerarij.

Fabaria, ſeu Faba inverſa, vel Craſſula à Trago, pro Scrophularia exhibita, ut inquit Pena, quam Telephium Græcorum ipſe putat.

Saxifragia magna Italorum; frequentiſs. ex ſciſſuris pullulat.

Polemonia petræa Geſneri, Ioachimo Iungermanno.

Fiſtularia petræa, ſeu Alectorolophos tertia alpina Cluſij.

Hyſſopus montana.

Parietaria ſylveſtr. prima } Pannonicæ
Item ſylveſt. altera. } Cluſij.

Saxifragia Bavarica } Iunger-
Saxifragia hircina elegãtiſſima } manni.

Epimedium Penæ, & Dodonæi: Lunaria media ſecundùm aliquos.

Euphragia altera, Lobel. & Dodonæi.

Cannabis ſylveſt. prima Lobel.

Conyza minor, & media, Matthioli.

Campanu-

Campanula Elæophyllos, Iungermanni.
Sedum magnum pallido flore.
Phalangium ramoſum, jam dictum.
Colutea Scorpioides, frequentiſſima.
Galeopſis aquatica, verticillatis floribus.

Tanacetum non odorum Penæ; frequentiſſimum.
Androſæmum Matthioli: frequentiſſ. &
Trachelium petræum majus noſtrum, etiam hîc pullulat, cujus Icon hîc proponitur.

Trachelium majus petræum.



A Radice lignoſa, & rugoſa, colore pallido purpuraſcente exeunt cauliculi multi ſtriati, ſubhirſuti, cubitales, & cum rubore virides; qui inordinatè emittũt folia oblonga, crenata, nigricantia, ſua pariter hirſutie communita, parte prona potiſſimum, ubi etiam albicant, & Salviæ folia referũt, magis tamen anguſta, & mucronata; inter quæ parvula quædam foliola prodeunt: in ſummo caule ſunt flores multi acervatim congeſti, quẽadmodum in umbellata Cervicaria Penæ; & inferius ex eodem globuli quidam, at minori numero, & inferius magis inter caulem, & folia, alij, & adhuc pauciores; formam repræſentãt illorum jam dictæ Cervicariæ, ſed minores, albi, & in quinque, & quandoque ſeptem mucronatas ſciſſuras diviſi; è quorum centro multa exeunt ſtamina ſublutea, quorum unum modo Proboſcidis egreditur, verſus cacumen ſatis craſſum, quod dum maturatur, bifurcatum & aduncatum evadit. decedente Auguſto florens conſpicitur, atque talis per plures dies conſervatur, unde hactenus ſemen minimè obſervari potuit; inter rimas illorum aſperrimorum lapidum Baldi, ſolum circa Coronæ Templum pullulat. Trachelium hoc non acre, non amarum, ſed tantùm adſtringens eſſe ſenſu dignoſcitur, multóque magis ipſa Cervicaria.

HVIC contiguæ aliquæ domus ſunt quorundam hominum urbanorum qui Cruciati vocantur, in quibus hoſpitia non incommoda pro locorum ratione haberi poſſunt: Hinc diſcedimus ad Vallem frigidam, & primò tranſimus per quædam prata, vulgò Prata Bazaria dicta: deinde ad Baſianam, & Imen, quæ ſunt Valleculæ Meridiem ſpectantes, admodum herboſæ, in quibus greges pecudum, & armentorum paſcuntur, eo præſertim temporis initio, cùm in montes tendunt; atque etiam, cùm ineunte frigore ab altioribus deſcendunt; & hoc ne quid à frigoris ſubita mutatione animalia patiantur: Quæ Valles multis caudicibus, Acerum: Ariarum Theoph. Viburnorum, Corylorum, Fagorũ, & pullulantium Quercuum abundant, inter quas frequentiſſima germinat;

Montana Calamintha vera Antiquorum, à Pena, & Lobellio celebrata; ſive Melliſſophyllon verum Fuchſij.

HIC etiam vireſcunt plantæ hæ:

Biſtorta major vulgatiſſima: à Geſnero Limonium: à quibuſdam, Britannica exiſtimata.
Caltha alpina Geſneri: Plantago alpina ab alijs: an Celtica nardus altera Penæ? & Rondelletij? fortè Chryſanthemum Dodonæi: & Doronicum quartum Cluſij.
Chamæleon albus Dioſcor. Helxine Plinij, Anguillarij: Sylibus Geſneri; & Carlina vulgo.
Martagonis, ſeu purpurei Lilij, variæ ſpecies.

Hyacinthus Germanicus liliflorus, & Hyacinthus bifolius Theoph. Penæ.
Aſphodelus albus major, frequentiſſ.
Verbaſcum Tragi: Cyanus major Lobellij.
Cyanus ſupinus Lobellij.
Cirſium Pannonicum primum Cluſij.
Orobanchæ, variæ.
Panax Heracleum Recentiorum.
Myrrhis altera parva Penæ: perperam Daucoides Cordi, Lobellio: quidam pro vero Seſeli; alij pro Liguſtico genuino in pharmacis ponunt.

ff Alectorolo-

Alectorolophos, Plinij, ſeu Criſta galli: ab aliquibus Alliaria dicta.
Cirſium Anglicum Penæ.
Aſclepias flore albo, frequentiſs.
Heliochryſos ſilveſtris Tragi: vel Chryſocome Germanica, Lobellij: à Matthiolo Pſeudoleontopodium dicta.
Onopordon Plinij Dalechampio: fortè Carduus Eriocephalus Cluſij: à quibuſdam Corona fratrum.

Et ſic pervenimus in nobiliſſimam, ac omni laude dignam frigidam Vallem, ortui ſolari expoſitam. hîc ſunt planities non parvæ herbis abundantes, quibus à Maio, uſque ad Septembrem menſem animalia copioſa nutriuntur; hic adſunt cavitates quædam, in quarum duabus pluviales aquæ conſervantur, in tertia autem ſalientes aquæ perpetuò ſcaturiunt: his armenta pro potu utuntur. In eiſdem copiosè luxuriat,

Potamogetum, ſeu fontalis: perperam Malabathrum Luſitani.

Hic ſunt humiles, & paſtorales caſæ, ſeu Tuguria ex viminibus contexta, flantibus ventis pervia, paleis cooperta (Baito) ab Incolis dicta, ſub quæ lac defertur atque aſſervatur, & ſub his, & ab imbribus paſtores ipſi ſeſe tuentur: in iſta planitie frequentiſſima eſt,

Alchimilla, ſeu Stellaria multorum, ſeu Leontopodium Brunfelſij: Droſium à Cordo nuncupatum.
Soldanella montana Cluſij, paſſim.
Britanica Fracaſtorij: an potius Hormini ſilveſt. ſpecies?
Veronica ſupina, Lobellij.
Carduus Condryloides Dalechampij.
Hyerabotanæ mas, & femina, Dodonæi.
Bellis cœrulea magna.
Helleborus albus, floribus palleſcentib.
Primula veris prior, & altera, Matthioli: à Fabio Columna Neapolitano, Aliſma ſylvarum, & pratorum, vocitatur.
Polygala, Tragi, & Dodonæi: ſeu Onobrychis, Dioſc. Lobellio.
Item floribus luteis, ab Excellentiſs. Iacobo Zuinghero inventa.
Aconitum Lycoctonum vi. Cluſij.
Lotus eneaphyllos Dalechampij: multi ex noſtris pharmacopęis, pro vero Meliloto utuntur.

Qvibvs perſpectis aggredimur aſcenſum, (& difficilem ſanè, licet talis non videatur) ad ſcopulorum latus, atque ſimul hæc ſimplicia à nobis collecta,

Loti, variæ ſpecies.
Helleborus albus floribus atrorubētibus.
Aconita varia.
Piloſella floribus rubris.
Gramen parnaſſi, vel Lilijconvallij ſpecies Dodonęi: aut Monophyllon multorum: Cyclaminus altera Dioſc. ſeu unico folio Dalechampij: non rectè Lobellius Gramen parnaſſi Cordi facit; nam (ut ipſe Cordus ſcribit) ignorari affirmat.
Bethonica alpina albo flore.
Iuniperi ſpecies minima; fortè Iuniperus ſupina Cluſij.

Et cùm jam ad eum locum perventum eſt, vulgò Saxa Vallis Frigidæ appellatum, quæ ardua, prærupta, ac alicubi valde diſciſſa ſunt, laborandum eſt in ingenti ſelectarum plantarum copia, quæ hîc amœniſſimè vivunt, atque vireſcunt, ſiquidem obſervantur:

Crocodilium Monſpellienſium Dalechampio.
Echium montanum Dalechampij: ſeu ut ego dicerem, Cervicaria montana Thirſoides, ſeu Trachelium Alopecuroides.
Scabioſa montana omnium minima Penæ.
Lonchitis aſpera major, Ghini, & Matthioli.
Centaurium majus alterum Cluſij: à quibuſdam (falsò) Centaurium majus Dioſcor. creditum; & Rheubaldenſis quorundam: hîc frequentiſſimum.
Veronica mas Fuchſij, & Dodonæi: Lobellius, Bethonicam Pauli facit.
Veronica Dalechampij.
Veronica recta minima, Lobellij.
Leontopodium, Loniceri: an Myoſotis?
Allij montani iiii. ſpecies duæ, Cluſij.
Serratula Rec. frequentiſs.
Carduus pratenſis, Tragi: ſeu Acanthus ſylveſt. Lugdunenſium.
Carduus Aræophyllos Dalechampij.
Chamæleon verus Tragi: Tetralix ſpinoſa Lugdunenſium.
Viola Martia ſurrectis cauliculis Penæ: à quibuſdam Viola arborea.
Martagon, ſeu Lilium montanum Italorū: vel Hyacinthus Poëtarum Tragi: ſeu Aſphodellus fœmina, Fuchſij: à Dodonæo, Lilium ſylveſt. vocatum.
Polygonatum latifolium.
Item minus, multorum; ſeu anguſtifolium: à Mutono, Chamædaphne Dioſcoridis creditum.
Bellis maxima flore Anthemidis: ſive Bellis major Lobellij.
Antiphthora, frequentiſſima.
Napellus verus cæruleus, Penæ.
Napellus vulgaris, ſeu Lycoctonum ſativum Ericarpum, Cordi.
Iacea nigra, Dodonæi.
Panax Chironium Tragi: ſeu Iſophyllon Cordi, vel Bupleurum alterum latifolium, Lobellij.

Bupleurum

Bupleurum Penæ; ſeu anguſtifolium.
Aſter luteus, ſeu Oculus Chriſti major Dalechampij.
Achillea ſideritis Matthioli.
Iacobea altera Pannonica Cluſij.
Draba Penæ.
Hypogloſſum multorum: Fabius Columna, Radicem Idæam facit.
Lunaria Magorum Arabum Penæ: ſeu Oxalys ſcutiformis, vel ſaxatilis.
Onagra Rec. an potiùs Lyſimachiæ ſiliquoſæ ſpecies? quibuſdam Chamæmeris Geſneri putatur.
Digitalis prima, Tragi; ſeu amplo flore: Dalechampius Verbaſci ſpeciē facit.
Pſeudoaſphodellus Pann. Cluſij.
Dauci alterum genus Fuchſij: à Lobellio, Lybanothis Theophr. vocata.
Daucitertia ſpecies Fuchſij: ſeu Lybanothis altera Dodonæi: & minor Lobellij.
Geleopſis Cortuſi: Scrophulariæ congener eſt.
Linum ſylveſt. Pann. alterum Cluſij; vel Ciſtoydes Linum.
Lychnis quarta Cluſij.
Flamula; & Clematis recta.
Trachelium majus, & minus Fuchſij.
Scorzonera v. Pannonica Cluſij.
Succiſa Fuchſij; ſeu Morſus Diaboli.
Ornithopodium Dodonæi.
Condrilla cœrulea flore pulcherrimo; ſeu Sonchus lævis primus Cluſij.
Paſſerina Linariæ folio, Lob. ſeu Chryſocome altera, Mutoni.
Galega montana, Dalechampij.
Vbi etiam;
Clematis Crutiata alpina noſtra, invenitur; cuj⁹ effigies ac deſcriptio ſequitur:

Clematis Crutiata alpina.



A Sarmentoſa radice egerminant multi caules vitignei, magis ſubtiles quàm in alijs Clematidibus; lignoſi, angulares, lenti, & tricubitales; è quibus ſurculi multi adhuc magis ſubtiles quatuor digitorum altitudinis, qui æqualiter bipartiti ad latera dividuntur, ſinguliq; obtinent tria folia iuſto intervallo diviſa, & pediculo breviſſimo adnexa, forma mirtea, tamen majora, ſatis profundè per ambitum ſecta, nervoſa, rugoſa, inæqualis magnitudinis, nigróque virentia: eſt illi flos Crucem repræſentans, folijs mucronatis, lanuginoſis, cœruleis albicantibus, cujus medium acervulo quodam extremulis foliolis (uti in Roſa Alexandrina apparet,) decoratur. Eſt ſarmentoſa, & perenni radice. Oritur in altioribus Baldi rupibus, quibus Eurus dominatur. Bruma areſcunt folia. Planta aliquantulum acri ſapore: radices verò inſipidæ exiſtunt.

Ex ſimplicibus cotibus egerminant:
Phyllum Arrhenogonum majus Dalech.
Nardus Celtica, frequentiſſima.
Daucus primus, Dioſcor. ſeu Creticus vocatus.
Saxifragia major, frequentiſſima.
Vmbilicus Veneris alter, frequentiſſimus.
Rapunculus major latifolius, ſeu Alopecuros Theoph. Dodonæo.
Rapunculus montanus anguſtifolius.
Sedum Petræum montanum, Penæ: fortè Phyllum Arrhenogonum primum Dalechampij.
Campanula minor rotundifolia, Lobel. frequentiſſima.
Auricula Vrſi Matthioli: Britanica, ſeu Arthritica, Anguillaræ: Lunaria Arthritica à Geſnero: à Fabio Columna, pro genuino Aliſmate proponitur.
Aizoon montanum Dalechampij. &
Cneorum aliud Theophr. Matthioli, in poſtrema Commentariorum Latinorum editione.

Indidem præterea mirabiliter, ac elegantiſſimè exſurgunt plantæ hæ noſtræ, Icones quarum, & deſcriptiones, ſunt quæ ſequuntur:

Trachelium petræum minus.



IN ipſius Baldi altioribus ſummitatibus, cuiuſvis alius plantæ, à Trachelio petręo minori, ſteriliſſimis, inter præcipites illas cotes ab eiſdē veluti cadentibus pendens, germinat Tracheliū iſtud, lignoſa, pallida, ac valde rugoſa radice, ſeſquipalmari, à qua folia numeroſa pediculis quatuor vel ad ſummū quinque digitos tranſverſos altis nixa, Cymbalariæ folia ut plurimum æmulantia, non ita craſſa, ſed nervoſiora, & profundius laciniata, atque in viridi colore nigricantia; & ex qua ſeparatim cauliculi multi, tenues, læves, nigrovirentes prædictæ altitudinis, cum folijs aliquot ſubſtantia cum ſuperioribus, quorum aliquando unum non longo pediculo circa medium caulem emicat, reliqua florem ſemper circumvolvunt, ſed hæc anguſtiora, & magis laciniata prioribus exiſtunt; inter quæ umbellæ vice flores calycibus breviſſimo pediculo contenti prodeunt in nigro purpuraſcente cærulei, Chymicæ cucurbitæ vitreæ ſimillimi, quinque inciſuras obtinentes in medio corporis tumore, quæ neque ad collum perveniunt, nec totum corpus ad calycem uſque diſcindunt: in cujus medio multa filamenta nutriuntur, quorum unicum illius lōgitudinis eſt, ut aliquantulum craſſum collum, multum egrediatur, & quod maturitate bifurcatum fit: Floret tempore majoris Trachelij noſtri: ſemen nondum conſpeximus: perennis, & aſtringens eſt planta.

Veronica petræa ſemper virens.




Item:

Veronica petræa ſemper virens.

EX ſciſſuris ſimplicis & omnino nudi ſaxi Baldi, hęc naſcitur, quinque, ſex, vel pluribus etiam caulibus rotūdis, non ramoſis, altitudinis ſeſquipalmaris, è quibus foliola bina exeunt, (licet aliqua magna reperiantur) æquali ordine diſpoſita, uti Chamædrys, tamen non ſic profundè inciſa, admodum craſſa, ſplendida, ſupernè virentia & lanugine quadam donata, infernè verò albicantia: fert in ſummitate multos flores ad inſtar ſpicæ, quaternis, quinis, & ſeptenis folijs cœruleo colore, aliquantulum albicantibus; quibus cadentibus relinquitur calyx, in quo ſemen continetur, ut in alijs Veronicis fit. Habet radices parvas fibroſas ac nigricantes, quæ ita ſaxis illis horridis pauciſſima commixta terra includuntur, & adhęreſcunt, ut difficilimè etiam ligonibus evelli poſſint. Floret initio Iulij, & circa finem maturatur ſemen. Semper virens eſt, & elegantiſſima pulcherrimáque planta, acerbi, & auſteri ſaporis eſſe guſtu percipitur.

Item:

Veronica minor alpina, Serpilli folio.



Item:

Veronica Serpillifolia omnium minima.

VERONICA minima folio Serpilli, oritur in altioribus ſummitatibus Baldi, Orientem verſus, multis ramuſculis ſurculoſis, rotundis & lævibus; altitudinis ad ſummum unius cum dimidio palmi: fert folia Serpilli modo, ſed aliquanto longiuſcula, in nigro colore virentia, non ſerrata; licet aliquando (ſed raró) aliqua diviſa conſpiciantur. in ſummitate abſque aliquo ordine habet flores, cum quinis, aut ſenis, & quandoque etiam quaternis tantùm folijs. ſimili colore floribus petrææ Veronicæ, ſed dilutiori. Calycem ſeu Vaſculum, dum flores deponit, retinet; in quo clauditur ſemen rotundum, minutum atque nigrum: radix eſt lignoſa & fibroſa. Floret Iulio menſe; ſemen Auguſto maturitate perficitur. Perennis naturæ planta eſt; licet frigore depereant comæ. tota planta, & ſemen guſtu adſtringenti deprehenditur, nulla percepta acredine, aut mordacitate; unde in fluxibus & in quibus adſtringere ſine caliditate opus eſt, aptum eſſe medicamentum judicari poteſt.

Saxifragia alba petræa.



Item:

Saxifragia alba petræa.

HABET hæc tenerrima planta radiculam unicam, tenuem, capillarem, ad ſemipalmum altam ac ruteſcentem, à qua plura folia ſubſtantiâ, ac formâ albæ Saxifragiæ, molliora tamen, ac profundiùs diviſa, è quorum medio caulis aſſurgit teres, nodoſus, leviter hirſutus, dilutè purpuraſcens, ac dodrantalis. huic inhærent ramuſculi plurimi ab imo ad ſummum inordinatè diſpoſiti: in ſummitate frequẽtes ſunt floſculi quinque candidiſſimis folijs conſtantes, quorum centrum quædam palleſcentia filamenta occupant; iſtis cadentibus relinquitur calyx ſemen continens minutiſſimum, uti in Saxifragia magna Italica. Floret Iunio menſe ad finem; facillimè langueſcit, ac deperditur: initio dulcem exiſtimes, poſteaverò acrimonia percipitur.

Item:

Thlaſpi petræum Myagrodes; cujus eſt hæc deſcriptio.

IN ſciſſis cotibus frigidæ Vallis pullulant à radice capillari folia multa humi ſparſa, & per ambitum ſecta; atque unicus quadrangularis caulis atrovireſcens, ad tres palmos altus, à medio ad ſummum in varios ramuſculos diviſus, in cujus ſummitate floſculi albi foliorum quatuor; quibus de-

Thlaſpi petræum Myagrodes.



cidentibus relinquuntur vaſcula omnino referentia Dodonæi Myagrum. Floret ad exitum Iunij. ſaporis acrimonia nulli Thlaſpi generi cedens.

ALIQVANTVLVM autem ſupra ipſa non ſatis celebrata dirupta ſaxa, in dextera parte ſcaturiunt aquæ gelidiſſimæ ad Notum expoſitæ, quibus Fons Navolæ nomen eſt, quarum frigiditatem manus vix ferre poſſunt; imò quandoque vitrea ipſa vaſa, ad refrigerandum potum in ijſdem immerſa, quo calores propter difficilem aſcenſum contractum, leniantur, minimo temporis ſpatio perfracta ſunt; quæ quamvis abundanter ſatis fluant, per illam Montis partem dimidij milliaris altitudinis ad Vallis frigidæ planitiem, attamen ad hanc non perveniunt, ſed totæ ab illa terrarum ſuperficie abſorbentur; circa fontem iſtum nullæ ſurgunt plantæ, quæ alibi obſervatæ non ſint.

AD dexteram autem Fontis, eſt Vallecula quędam appellata (*la Valle del Baſtion*) quòd olim ibi magnus murus in formam propugnaculi ædificatus, ad tranſitum Germanorum retardandum. Hanc percurrentes dum deſcendimus ad diverſorium, in parte dextera Navolæ contigua, Zephyro oppoſita, frequentiſſima vidimus:

Pirolam alteram Pann. Cluſij fortè Ambroſiam montanam Dalechampij.
Item quartam Pann. Cluſij.
Item Pyrolam Matthioli: & Limonium Fuchſij.
Hepaticam albam Cordi: ſeu Gramen Parnaſſi Hederaceo folio Lobellij.
Salicem Platiphylleos: Leucophlæos Dalechampij.
Salicis Pumilæ genus quartum Cluſij.
Balſamum alpinum, & Roſam alpinam, quorundam: an (ut Geſnerus inquit) potiùs Ledon alpinum? à Dalechampio Evonymon Theoph. creditum: ab Excellentiſs. Aldroando Nerium alpinum dictum.
Chamærododédron Allobrogum, Penæ.
Idæam Vitem Theophr. Dalechampio: at Cluſius in Pannonicis, alteram Vitem Idæam facit: ab Anguillario Vva Vrſi dicta: Dodonæus, Vacciniam nigram vocat: alij, Mirthyllum.
Tuſſilaginis alpinæ Cluſij, duas ſpecies.
Pinguiculam cœruleo, ac albo flore.

IN medio verò ipſius Vallis ad Orientem provenit frequens.

Filix mas.
Cacalia Penæ.
Cacalia prima Pannonica Cluſij.
Aconiti varia genera.
Tuſſilago.

PARS verò ejuſdem ſiniſtra, ſterilis exiſtit.

MANE à ſomno experrecti, oriente jam ſole ex hoſpitio (Baito videlicet) ſcandimus denuo (lævorſum tamen) jam dictas diruptas rupes, ac pervenimus ad verticem montis ubi (quoniam terra nonnihil videtur depreſſa) & ſinum quendam efficit, ideo vulgò Os Navolæ appellatur, expoſitus autem eſt locus iſte ad Africum ſive Lybem, quo circumcirca provenit:

Pulſatilla albo flore Penæ: ſeu Anemone ſylveſtr altera Pann. Cluſij: vel Samolum Plinij Dalechampio; ut in ſuo Horto medico Camerarius teſtificatur.
Tormentilla candidà frequentiſſima.
Ranunculus IIII. luteo flore Fuchſij: ſive Ranunc. nemoroſus luteus, Dodonæi.
Item Ranunc. glomeroſus frequentiſſ.

AB hac aliquantulum deſcendendo venimus in quędam prata ad Occidentem ſpectantia Vrticaria vocata, quæ plantis iſtis ornantur:

Crocum

Crocum vernum minus prim. Cluſij.
Ranunculus bulboſus Penæ: ſeu Tuberoſus Dodonæi: aut Batrachium Apuleij.
Ornithophora candida Gemmæ frequentiſſima.
Oenanthe alpina Penæ: paſſim.
Serapias candido flore Lobel. ſive Cynoſorchis montana folio maculoſo Gemmæ.

HINC Aquilonem verſus per eandem hanc partem montis, in alia prata ampliſſima, herboſiſſimáque tranſivimus; Baldenſibus ea Vallis Vaccaria vocatur, quòd illic opimis paſcuis aluntur innumerabilia boum armenta; dives autem eſt locus iſte fonte perenni aquarum ſalientium, quæ uſui ſunt non ſolùm paſtoribus, atque armentis ad extinguendam ſitim, verùm & ipſis paſcuis ad humum irrigandum: ſurgunt hîc

Major, minor, & minima Gentiana Matthioli.
Pſeudorchis, Bifolium Dodonæi: à quibuſdam Ophrys Plinij: Gramen Parnaſſi quorundam Lobellio.
Coriandrum ſylveſt. Myconi.
Liriaſphodellus albo flore: ſeu Hemerocales Dalechampij.
Thapſia Matthioli.
Aconitum tertium Matthioli.
Aconitum tertium Dioſc. frequentiſs.
Laſerpitium Fuchſij: à Trago Smyrnium nuncupatum: Anguillara Lyguſticum autumat: Cordus, Struthion facit: ab aliquibus Imperatoria, Oſtrutium, & Magiſtrantia.
Auricula Muris, frequentiſs.
Pæonia fœmina.
Sphondylium laciniatis folijs.
Orchidis varia genera.
Saxifragia umbellifera Penæ.
Galeopſis maxima Pannonica Cluſij.
Ornithopodium Dodonæi.
Draba altera Pannonica Cluſij.

AB iſtis autem herboſiſſimis pratis ad Occidentem verſus, ſtatim aſcendimus (& laborioſè ſanè) ad cacumen montis, à Vaccaria valle unius milliaris altitudine perpendiculariter elevatum; cui nomen eſt, Mons Major. quoniam omnium vicinorum montium altitudinem ſuperat: hîc ſtantes Benacum detegimus, qui à Sarcis Tridentinis initium ſumens, deſinit in Mintium flumen Piſcheriam ingrediens, & eandem in duas partes ſecans: Hic Piſcheriæ locus, mœnibus, propugnaculis, & mole tutiſſimis munitus eſt: hîc numeroſæ Anguillæ, ac Troctæ maximæ abundantiſſimè capiuntur à piſcatoribus: Cernimus ſubinde Syrmionem peninſulam, natale ſolum Catulli noſtri Poëtæ; ubi non longe ſub ipſis Benaci aquis, fontes ſulphurei creduntur eſſe; exhalationem certe ſulphuris, & ſentis, & hauris naribus. Vlterius eſt in conſpectu Decentianum quarumcumque frugum emporium magnum. Præterea Salodium, quod ad urbis dignitatem proximè accedit, oculis ſeſe offert; hîc merx dealbati fili, ejuſdémque ſubtiliſſimi ad veſtes lineas conſuendas & acu pingendas, copioſiſſimè exercetur. Ob oculos quinetiam verſatur, Maternum, & Tuſculanum. His tribus in locis, ubi vitalis ſaluberrimáque aura ducitur, omni arte ac induſtria coluntur Viridaria arborum præſtantiſſimarum, ut ſunt Malus Citria, Malus Medica, & Maſſilica. inter quas ſunt etiam quædam quæ ingentes fructus ferunt, Poma Adami vocitata, propterea quòd in inferiori parte cicatricem obtineant, poſt morſum primi patris, (ut ferunt) relictam. Hæ quidem celebrandæ plantæ quovis tempore florent, & totum annum acervatim fructus conſervant. horum locorum parietes ex Lauro & Mirto, quaſi auleis quibuſdam mirè teguntur. his & hortorum viæ concinnè admodum exornantur: atque adeò abundant Lauro loca iſta, ut hac, vice lignorum, ad inſtruendum ignem etiam populares utantur. Ex quibus amœniſſimis viridarijs, præter delitias, ſummus quoque proventus excipitur, cùm fructus iſti non ſolùm nobis, & vicinis civitatibus, verùm etiam Germanis ipſis cumulatiſſimè impartiantur. Papyrus ſcriptoria hîc etiam in magna copia conficitur. Hinc conſpicitur parva inſula Monachorum minorum D. Franciſci, in qua abundanter provenit,

Nerium albis, & rubris floribus, ex ſaxis nudis prope aquam pullulans.

Aſpectui etiam ſeſe offert, Bojacum, ubi piſcatores Carpionum præcipuè degunt. Vlterius Vicus Campioni, quo in loco ad excoquendum ferrum, ferramentorúmque genera omnia extruenda, ædificia varia fabricata ſunt, habent namque hîc aquas ipſis inſervientes, atque fodinas ferrea materia exuberantes; atque ut paucis totam rem perſtringam, hîc contemplari licet aquas diverſicolores: ſelectarum olearum oliveta frequentia: Naves, (quæ tamen naviculæ apparent,) tum ab aſpirantibus ventis, tum nautis remigantibus, Lagiſium hanc Veronenſis oræ, illam ad oppidum Tridentinæ Ripæ impulſam: prætereo rivulos murmurantium aquarum, Piſtrinis ad molendas fruges, ac torcularibus varijs deſervientes: prætereo ut prolixitatem evitem, diverſos alios pagos: taceo tempeſtates procelloſas, ac repentinas, quibus Lacus iſte commovetur, ob contrarios ventos tempore eodem inter ſeſe concurrentes. Vt jure Virgilius Lacum verbis illis compellarit.

Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino.

Ad ſummum, humanis delitijs, ac vitę ſalubritati, ora hęc locupletiſſima Benacenſis opportuniſſima exiſtit.

Ex hac etiam ſpecula veluti ab altiſſima eminentiſſimáque Arce, Verona, ejus territorium, Atheſiſque flexuoſiſſimus oculis ſeſe (confusè tamen,) ſubijciunt; luminoſo etiam, ſerenoque exiſtente cœlo remotiores vrbes, ſed adhuc magis indiſtinctè, atque confusè apparent. hic locus diſtat à Benaco conſueto itinere ſex milliaribus, perpendiculariter verò duobus: in hoc itidem montis cacumine planities eſt herboſa, ubi oves, & capræ tantummodo paſcuntur; in qua invenitur Trifolium anguſtifolium alpinum, quod ita deſcribo.

Trifolij anguſtifolij alpini icon.



Naſcitur Trifolium iſtud in eodem Majori Monte; ea parte, quæ ad Orientem ſpectat. cujus radix longitudine eſt ferè quincunciali; exterius quidem colore palleſcenti, interius verò albido: lignoſa autem, & multis obtecta comis: ſapore ſubamaro. Surgit ab hac unus tantùm cauliculus, omnibus prorſus folijs nudus, rotundus pariter, cavus, ac lævis, ſemipedalis longitudinis; qui in ſummo ſine ordine flores emittit, quorum forma ad Viciæ flores proximè accedit, in quibus color purpureus admodum venuſtus eniteſcit. E ſummo radicis capite exeunt ſupra terram quinque, ac plures etiam pediculi, ternas ferè uncias longi, quorum ſinguli, è medio duas barbulas emittunt; & in ſummo folia tria, æquo inter ſe ſpatio diſtincta. Horum verò longitudo ſeſquiuncialis eſt: at forma anguſta, acuminata, ac nervoſa. Planta ipſa admodum rara eſt, & perennis. Floret autem menſe Iulio. Illius ſemen nondũ mihi conſpectum, neque vires ſatis cognitæ ſunt. parte autem occaſum ſpectante fonticulus perpetuò ſcaturit, cujus aquæ labentes per montis crepidines in Vaccariam vallem, paulatim abſorbentur & ad nihilum rediguntur: in parte verò Septemtrionem aſpiciente ſemper nives jacent, quas aliquando, cùm nimis altæ non ſunt, plantæ penetrant, & caput ſupra ipſas efferentes in eis vireſcunt, florent & ſemen ferunt, quod ego ipſe mea manu collegi. In hac eadem planitie, ac contiguis alpinis rupibus exurgunt plantæ infraſcriptæ:

Alectorolophus primus Pann. Cluſij.
Chamælea Germanica, Tragi & Dodonæi: an (ut Pena inquit) Chamædaphne Dioſcor. Fuchſius, Daphnoiden facit: à quibuſdam, Mezereum Germanicum.
Tormentilla candida Dalechampij: ſeu Pentaphyllon alpinum petroſum minimum Lobellij: ſive Stellaria argentea, vel Argentaria petræa Geſneri: ſeu Alchimilla minor Camerarij.
Lunaria racemoſa, ſeu Lunaria minor Matthioli: à Columna pro Epimedio Dioſcor. exhibetur.
Gnaphalium alpinum Cluſij: Matthiolus Leontopodio proponit.
Leontopodium parvum Lobellij.
Pinus Tibulus Plinij; vel Pinaſtri genus ſterile: Itali Mugo vocant.
Anagyris minor.
Cneorum Matthioli: an Oleandrum ſylveſtr. Avicennæ? fortè Thymelea minor Cordi.
Ranunculi montani primi, ſpecies prima } Cluſij.
Item primi, ſpecies altera }
Gentianella v. Pannonica Cluſij: à Dalechampio, Helleborina vocata.
Gentianella ſexta Cluſij; frequentiſſima.

Vbi etiam plantæ hæ noſtræ exurgunt, quarum effigies & deſcriptiones ſequuntur.

Ranuncu-

Ranunculus alpinus Coriandri folio: Cluſio, Rutæ folio.



Ocymoides muſcoſus.



Ranunculus Alpinus Coriandri folio.

EX radicibus longis teretibus, fibroſis, candidis & quodam ſplendore ornatis, quatuor ad ſummum ſeſe efferunt folia ſemipalmaria, à purpuraſcente pediculo folia Coriandri referentia, attamen minora, & magis laciniata, & ad ſimilitudinem Fumariæ diſpoſita; inter quæ exurgit unicus pediculus rotũdus, lævis, palmaris, florem continens, circa cujus medium foliolum unicum eſt, in ſummitate autem flos ex duodecim, & pluribus etiam folijs compoſitus, (uti in Buphtalmo) albis ſubpurpuraſcentibus, ac venulis ſanguineo colore percurrentibus, ab alijs viridibus foliolis exceptis, calycis vicem gerentibus; in cujus defloreſcentis medio remanent ſemina congeſta ut in alijs Ranunculis: floret ad Kal. Iulij. Naſcitur in Majoris montis cacumine, Occidentem verſus. perennis eſt, & aliquantulum acris.

Item:

Ocymoides muſcoſus.

EX unica radice lignoſa, pallida, ſuperiori parte in plures diviſuras ſecta, uti in Sedis alpinis Cluſij, emergunt frequentiſſima foliola ſuperficiem terræ æqualiter, denſiſſiméque cooperientia ad Muſci ſimilitudinem, pulcherrima viriditate prædita; inter quæ frequentiſſimi floſculi, ſuis pediculis ijsque breviſſimis ſinguli innixi à folijs ſecundùm calycem tantùm elevati ſunt, formâ, calyce, & colore Ocymoidis repentis, (minores tamen) quare Ocymoidem muſcoſum appellare placuit. Sic Muſcus iſte exornat terram, ut tapete pulcherrimum referens oculos ſummopere demulceat. In Iugo rupium Majoris montis provenit. Floret circa Kal. Iulij. guſtu exſiccantis facultatis eſſe percipitur. perennis eſt planta.

Item:

Geranium alpinum longius radicatum.

HABET hæc planta radicem craſſam, bipalmarem, exterius nigricantem, intus albam, ſupernè in plures partes diviſam, atque eo in loco, unde folia exeunt, tuberoſam; folia autem unico pediculo tereti, gracili, lanugine argentea pubeſcenti, palmarique inhærentia, ex quin-

que,

Geranium alpinum longius radicatum.



Cariophyllata alpina, omnium minima.



que, aut ſex folijs, tribus lacinijs profundè ſectis ac mollibus cõſtantia: unico etiam nudóque pediculo folijs ipſis breviori inſident flores foliorum quinque, Alceæ colore venis ſanguineis depicti; in medio ſtamina ſicuti in Roſis habentes, qui vaſculo quinque foliolis mucronatis continentur, & defluentes in breve roſtrum deſinunt, quemadmodum in reliquis Geranijs. Naſcitur alpinis rupibus Majoris montis Orientem aſpicientibus, ac ibi paſſim. Floret initio Iulij. ſemen Kal. Auguſti perficitur. Perennis eſt planta. Radix amariuſcula, ac quadam ſubaſtrictione donata.

Item:

Cariophyllata alpina, omnium minima.

A Radice craſſiuſcula, in fibras varias diviſa ſemipalmari altitudine, & albicante, pullulant prope terram multa folia trium digitorum altitudine Agrimoniæ formam æmulantia, (æqualiter tamen inferna foliola veluti alæ utrinque diſpoſita,) ſerrata per ambitum, multis in locis per ordinem laciniata, molliter lanuginoſa, aliquantulum criſpa, ſaturatè virentia, ac ſplendore quodam nitentia; inter quæ quædam ad hanc perfectam formam haud perveniũt; ex horũ medio ſeſe attollit unicus, & elegans flos, folijs quinque aurei coloris conflatus (in quorum centro lutea ſtaminula) calyce non abſimili ab alterius Cariophyllatæ montanæ Cluſij continetur, atque pediculo lanuginoſo tereti, ac ad ſummum palmari inſidet. Flores profert initio Iulij. perennis eſt; ac facultate exſiccatoria. In Iugo Viticariæ ad Occidentem provenit.

Item:

Clinopodium alpinum.

PVLLVLANT ſerpendo ex fibroſiſſimis radicibus varij cauliculi quadrangulares, hirſuti, ac ſeſquipalmares; quibus bina folia hirſuta, ſerrata, Ocymum minus æmulantia, ex adverſo & directè ſita ſunt, inter quæ alia parva foliola exiſtunt: flores multi atrorubentes, ac Calaminthæ mon-

tanæ

Clinopodium alpinum.



tanæ genuinæ forma, inter folia commixta, globulum repræſentant; floret in initio Iulij; eſt acri ſapore. Provenit paſſim non procul à Majori monte, ubi perennat.

HINC ulterius pergentes paulò inferiùs deſcendimus in Valleculam æternis nivibus, & glacie majori ex parte contectam, cujus inferior pars conſtat ex confractis & ita mobilibus ſaxis, ut ſuper ipſis nullo modo conſiſti poſſit, adeò ut lupi, & urſi mortui adinventi ſint, quando hac tranſire volentes, ſaxis ſub eorũ pedibus motis, nullo cùm modo gradũ cõtinere poſſent, unà cum cotibus præcipites corruerunt. quæ ſaxa cùm attrita, & candida ſint, variasq; ſortiantur figuras non abſimiles denudatis oſſibus, à vicinis Vallis oſſium nominata fuit: in hac Valle contiguíſque præruptis locis hæc exurgunt ſimplicia:

Alpigena Chamęrhododẽdros, Penæ: à Guillandino, Terionarca Plinij putata: Geſnerus, Vitem Idæam rubris acinis, nuncupavit: Dodonæus, pro Vaccinia rubra proponit: Mihi videtur, Anonymos, Balſami alpini folio.
Cotonaſter Geſneri.
Caſſia poëtarum Penæ.
Ilex.
Pthora Valdenſium, frequentiſſima.
Heptaphyllon.
Chariophyllata montana altera Cluſij.
Seſeli pratenſe Monſpellienſium, Lob.
Lilium Convallium, frequentiſſimum.
Syringa flore albo; an Phylladelphus Athenæi? Oſtrys Theoph. quorundam, malè tamen: nam Camerarius in doctiſſimo ſuo Medicæo horto, aliã non eſſe Oſtrym, vel Oſtrya à Theoph. deſcriptam putat, quàm plantam illam, quę pro Carpino à Matth. pingitur. hîc paululò inferiùs copioſiſs. conſpicitur.
Chamæceraſus montana Geſneri: Xyloſteum alterum quorundam.
Anemone tuberoſa radice Penæ: ſive tertia Dodonæi: vel altera Cluſij.
Anemone flore albo Cluſij.
Lycoſtaphylos fœmina Cordi: à Pena, Sambucus aquatica: à quibuſdam Thraupalus Theoph. credita.
Sambucus ſylveſt. ſeu Cervina Tragi: vel Sambucus racemoſa Penæ.
Sedum alpinum VI. Cluſij.

ADHUC paulò inferiùs huic Valleculæ contigua ſunt prata in latere montis latè extenſa, admodum delitioſa, cùm propter apricum ſitum, tum quia ſunt inſtar Viridarij, ubi multæ ac raræ plantæ, quæ paſſim toto in monte ſurgunt, collectæ viſuntur. Cujus rei, ea videtur eſſe cauſa; quòd cùm in alijs locis, pratíſq; editioribus, & his ipſis imminẽtibus herbæ quotannis ematuruerint, exſiccatæq; & in fœnum redactæ, non plauſtris, non jumentorũ dorſo propter locorum difficultates, convehi domum poſſint, ſed eas trahi per terram neceſſe ſit, & per hæc præcipuè prata tranſitum habere; hinc fit, ut varia ſemina decidant, ijſdemque mox naſcentibus, omnigenis herbis loca redundent. quare etiam per quãdam dignitatem, & excellentiam abſolutè, & nullo alio adjecto nomine à Malſeſinenſibus Prata vocantur. numerus autem plantarum in his ipſis luxuriantium, hic eſt:

Aſter v. pannon. Cluſij: elegantiſs.
Linioſphodelus albo flore, frequentiſs.
Phlomos Lychnitis altera Syriaca, Lob.
Ocymoides magnum flore purpureo.
Caltha alpina Geſneri, frequentiſs.
Iacea montana Narbonenſium, Lob.
Verbaſcum Tragi, copioſiſſimum.
Ornithogalon ſpicatum, luteo palleſcente flore.
Clynopodium Auſtriacum Cluſij.
Ranunc. quartus Dioſc. ſeu Aconitum Batrachioides Penæ: hîc frequentiſs.
Hyacinthus Poëtarum, Tragi; copioſus.
Lilium purpureũ majus, & primũ Penæ.
Hieracium v. Pannonicum Cluſij.
Condrylla cœrulea purpurea.
Iuncaria Salmanticenſis Cluſij.
Doronicum v. Pann. Cluſij, frequentiſs.
Mirrhys altera parva, Lobel.
Iacobææ Pãnonicæ Cluſij, omne genus.
Gentianellæ variæ.
Aconita varia.
Sphondylium laciniato folio.
Sanicula montana Cluſij.

Panax

Panax Heracleum.
Geniſta Nuenſis Dalechampij.
Aſphodelus major, frequentiſs.
Aquileia fuſco flore.
Herba Paridis.
Machaleb Geſneri.
Lunaria lutea Dalechampij.
Anagyris minor.
Periclymeni recti duæ ſpecies.
Cytiſi varia genera.
Serrata Cordi, ab alijs Recentioribus Solidago Saracenica nuncupata.

Orobus primus Pann. Cluſij.
Hepatica nobilis Dodonæi.
Helleborina Penæ.
Combretum Plinij, quorundam.
Gentiana major frequentiſſima.
Gerania multorum generum.
Cacalia Penæ.
Pæonia fœmina frequentiſſima.
Scorzonera v. Pann. Cluſij: frequentiſs.
Seſamoides magnum Salmanticum, Cluſij: n altera Muſcipula flore muſcoſo, Penæ?

HINC pariter ſilentio non eſt prætereunda Via illa Fagorum acclivis valde, triũ milliarium longitudine conſtans, modò hac, modò illac, anguem dum ſerpit ſemicontractum referens; ex utroque latere fagis ingentibus ſepta, quarum cacumina ſeſe mutuò vincientia veluti fornicem effingunt, quę viatores ab ardentiſſimi Solis æſtu, & impetu pluviarum aliquo modo tueri poſſint. Ab his verò pratis uſque ad montis ſummum dorſum, Culmen Malſeſini vocitatum, infraſcriptæ ſunt plantæ:

Libanothis Cheryophoros fruticans.
Item Sterilis.
Liguſticum Matthioli: nõnulli pro Silere, aut Seſeli Maſſilienſe utuntur.
Soldanella alpina.
Tuſſilaginis alpinæ Cluſij duo genera.

Anonymos Balſami alpini folio.
Pulſatilla flore albo.
Seſeli genuinum Maſſilienſe.
Mezereum Germanicum.
Oenanthe alpina Lob. Item:
Clematis Crutiana noſtra, invenitur.

IN hoc etiam culmine, eſt planities ſatis lata herbis refertiſſima, ubi propter varios proſpectus jucundè indagatores animum atque oculos paſcunt. in hac ac circumcirca, germinat frequentiſs.

Chariophyllata alpina noſtra.
Cotonaſter Geſneri.

Ledum alpinum; &
Soldanella alpina.

EX hoc faſtigio deſcendimus rectà verſus Septemtrionem in ſemicirculares quaſdã fauces, inter jam dictum Culmen, & alium mõtem Altiſſimum nominatum, licet ille ad celſitudinem Majoris montis non perveniat. quæ montis in Lunæ formam excavata portio, Os Navenæ dicitur. hic Benaci adhuc multa pars cernitur; imò & ſonorus bombus aquarum Braſæ fluminis, abundantiſſimè ex Brixienſibus montibus è regione montis altiſſimi, de quo agimus, in lacum præcipitantium clariſſimè exauditur, licet inter hęc loca, & illaquatuor milliarium ſpatium interſit. His in locis dicendæ plantæ copioſæ, attolluntur:

Seſeli Maſſilienſe genuinum, frequentiſſimum: fortè Meum Italicum Lobellij.
Daucus Creticus.
Panax Aſclepium.
Abſynthium montanum odoratiſſimum.

Allium Vrſinum Matthioli: Arctoſcorodon Geſneri.
Lunaria odora, vel Græca major.
Lunaria Chymiſtarum: ſeu Viola latifolia Bolbonach, Dodonæi.
Orchidis Serapiadis varia genera.

IN hoc Altiſſimo ubi Baldus terminatur, nullæ naſcuntur herbæ quarum alibi non meminerimus.

AB his faucibus ambulamus per montis latus admodum herboſum, & cui Oriens dominatur, pulcherrimas plantas ſemper obſervantes alibi, tamen deſcriptas. In planitiem tandem devenimus, ubi aliàs ingens, & pulcherrima fuit ſylva, Brentonicenſis dicta, Abietibus, Pinis, Ilicibus, Quercubus, alijſque innumeris arboribus, ac præcipuè patulis Fagis referta, nunc verò, ut rerum fert viciſſitudo, trunci tantum ipſi craſſiſſimi ramis omnibus reſciſſis, neſcio quid magnum indicantes, cernuntur.

Impatiens herba Dodonæi: an (ut ipſe inquit) Aeſchynomenes Plinij: Mercurialis ſylveſt. altera, Tragi: Pena Perſicariam ſiliquoſam, & Noli me tangere, facit, perperam Eſula ſylveſt. Tragi, multorũ: ab aliquibus Pſeudoapocynum dicta.
Radix cava Herbariorum: à Cordo Capnum Aetij; & Capnos Phragmites, Plinij: à Fuchſio, Piſtolochia credita: à Pena, Fumaria bulboſa Plinij, vocata: Matthiolus, pro altera Fumaria exhibet.

Mutelina Geſneri, & Camerarij: à quibuſdam, Meum Alpinum dictum.
Pulmonaria Lichenis facie.
Filix ſaxatilis criſpa; fortè Pteridion fœmina Cordi:
Filix ſaxatilis Tragi.
Saxifragia aurea Lichenis facie, & Eryſimi ſpecies Aldroandi, Penę.
Cacalia Penæ.
Phallus Hollandicus. pro Satyrio primo Dioſc. Excell° Matthiolo tribus folijs Rumicis arte affixis, venditus. prout Clariſſimus & Excellentiſs. Philoſophus, ac

phus, ac Medicus, Ludouicus Fumanellus, qui hunc, & illum qui ad Matthiolum eſt miſſus, ſpectavit, apertè teſtatur: facile autem fuit decipi, propter ſummam utriuſque, antequam è terra erumpat, ſimilitudinem.

Sanicula alpina guttato flore Geſneri: Sanicula montana Cluſij: fortè Chariophyllata folio Hederaceo Penæ.

Ab hac exciſa ſylva pergimus per eandem ſemitam verſus Meridiem, ac ingredimur Vallem Attilonem, quę multis ſcaturiginibus ſalubrium aquarum irrigatur. Cujus pinguibus herbis copioſiſſima armenta æſtate tota paſcũtur: refertiſſima eſt numeroſiſſimis plantis, quarum multas ſilentio prætereo, cùm alibi adnotatæ ſint; eas ſolùm referam, quæ aut copioſiores hîc naſcuntur, aut digniores relatione ſunt. Abundantiſſimè igitur hîc naſcitur:

Coralloides Cordi: ſeu minor Dentaria Matthioli: vel Alabaſtrites nemoroſa Alpina, Penæ: & Viola Dentaria, Dodonæi: Pentaphyllea, ac Eptaphyllea; flore albo, atque purpureo, hîc invenitur.
Helleborine, ſive Epipactis, Penæ, & Dodonæi.
Polytrichum aureum majus, & minus Herbariorum.
Filix fœmina.
Item, mas.
Primula ſylvarum Lobellij.
Cynocrambe, vel Mercurialis ſylveſtris.
Iacobęa tertia Pann. Cluſij.
Sanicula fœmina Fuchſij.
Solidago Sarracenica Lobellij.
Mater Violarũ Dalechampij: alijs Viola ſurrectis cauliculis vocatur: à quibuſdam Viola arborea.
Barbi Capra, Herbariorum: à Brunfelſio, Picnemon credita: ab aliquibus Rhodera; ab alijs Melandrium Plinij: Italis, Vlivaria, & Croſtofanaria.
Tanacetum non odorũ Lobellij: Athanaſia Leucanthemos quorundam.
Virga aurea major Doriæ floribus.
Item, minor.
Phellandrium Plinij; Guillandino: ab Herbarijs Angelica ſylv. vocata: Cordus, Smyrnium facit.
Geranium fuſcum Cluſij.
Geranium Malacoides, Rec.
Geranium Batrachoides Dod. ſive Germanorum Gratiadei.
Geraniorũ communiorũ, varia genera.
Pulmonaria vulgatiſſima Borraginis folio, major, & minor; itẽ cœruleis, atque purpureis floribus: Cordus, Symphytum ſylveſt. facit: & Pulmonariã Plinij, Geſnerus: perperam Potamogetum Dioſc. Luſitanis.
Lythoſpermum Anchuſę facie, Lobellij: fortè Pulmonaria major Dalechãpij.
Auricula Muris major Tragi: à Dalechampio Corchorus Theophr. Galli, Pulmonariam vocant.
After non Atticus Tragi: perperam Aconitum Pardalianches Fuchſij: Geſnerus, Solanum Monococcon facit: à Cordo Aconitum Monococcon vocatum: à Pena, Solanum tetraphyllon: ab Herbarijs, Paridis herba dicta.
Aconitum alterum Matthioli.
Item, quartum ejuſdem.
Napellus verus cœruleus Lobellij.
Napellus racemoſus Dodonęi: an (ut Pena inquit) Actea Plinij? à quibuſdam Chriſtophoriana dicta: ab aliquibus, Helleborus niger.
Sambucus paluſtris, Lycoſtaphyllon fœmina Cordi.
Rubus Idæus Dioſcoridis.
Rubus Idæus lævis.
Rubus alter lævis, an potius Chamærubus? Rubum Idæum Geſnerus facit; & Rubum ſaxatilem, Cluſius.
Mirthyllus Germanica, frequentiſſima.
Corruda altera Cluſij.
Chariophyllata montana Matthioli.
Item, montana Dalechampij.
Seolymos Theophraſti, Cluſio.
Muſcus arboreus, à Græcis, Bryon.
Muſcus terreſtris Tragi: ſeu Chamæpeuce, Geſneri: vel clavatus Muſcus, Lobellij: Dens leoninus, ſecundũ aliquos.
Muſcus terreſtris repens Cluſij: fortè Mirma, Boruſſi: à Lobellio, Muſcus alter denticulatus.
Muſcus terreſtris denticulatus prior, Lobellij.
Oxys lutea Cluſij: ſeu Oxys corniculata repens, Lob.
Oxys Pliniana.
Virga paſtoris, Matthioli: Labri Veneris ſpecies.
Tithymalus Characias v. Dodonæi.
Item, Helioſcopius.
Item, Platiphyllos.
Pithyuſa Dodonæi.
Mezereum Germanicum.
Solanum majus, Rec. hic non ſolùm frequentiſſimum eſt, ſed admodum vegetum ſurgit.
Fragaria.
Myrrhis Fuchſij.
Pyrola Matthioli; frequentiſſima: Limonium ſilveſtre Tragi.
Hyſſopus nemorenſis lutea, Lugdunenſium.
Nepeta quarta Tragi: ſeu Calamintha Mentaſtrifolia, Penæ.
Ranunculus primus, Item, alter, Item, tertius } Matthioli.
Item, quintus ejuſdem: nonus apud Cordum: Bulboſus Apuleij Dodonæo.
Item, quartus Dioſc. copioſus.

Item,

Item, Glomeroſus alpinus, Lobel. Flos Trolius, à Geſnero: Sextus, Matthioli: ſeu, ut ego dicerem, Aconitum tertium Dioſc.
Mollugo altera montana Dalechampij.
Paralytica alpina anguſtifolia major, Lobellij: à Fuchſio, Verbaſculum odorum dictum.
Viola lutea montana Cluſij.
Primulæ arboreſcentis varia genera: à Fabio Columna, Aliſma ſylvarum, & pratorum, vocata.
Amellanchier Gallorum, Penæ: Pyrum Cervinam, Geſnerus facit: Cluſius, in Obſervat. Pannon. ſub nomine Idææ Vitis deſcribit.
Abies.
Pinus ſylveſtris ſeu Muſto.
Carpinus, Matthioli; vel Oſtrys Plinij Camerario.
Fagus.
Betula.
Acer montana, ſeu Acer major Cordi: Clinotrocha Anguillaræ, Lobellio.
Sorbus ſylv. alpina Penæ, & Matth. Sorbus Torminalis ſecundùm aliquos: Dodonæus, Ornum & Fraxinum ſylveſtrem vocat.
Sorbus Torminalis Matthioli, & Penæ: ſeu Cratægus Theophraſt. Anguillaræ.
Aquifolium, vel Agrifolium, & Ruſcus ſylv. multorum, Cratæogonū Theoph. Plinij: Lacuna verò, Paliurum ſecundum vocat.
Larix, & Agaricum.

Ex dignioribus verò hæ ſunt:

Lamium primum, & alterū Pann. Cluſij.
Cacalia Pann. ſeu glabro folio, ejuſdem.
Anemone v.
Item, Anemone trifolia } Dodonæi.
Rubra lævis Taurinenſium, Lobellij.
Phyllum Thelygonum Dalechampij.
Satyrium Erythronium Herbariorum Penæ, & Dens Caninus: à Dalechampio Satyrium trifolium ſeu album: à Cluſio (in Pānonicis) Dentali vocatur.
Satyrium abortivum Lobellij: perperam Orobanches magna quorundam.
Circæa Dalechampij.
Sedum alpinum tertium
Item, quartum } Cluſij.
Oreoſelinum Cluſij: ſeu nigrum Seſeli, quorundam.
Abſinthium alpinū, ſeu Vmbelliferum floribus albis.
Sanicula mas, Fuchſij: à Matthiolo Diapenſia vocata: Fabius Columna, pro Siderite tertia Dioſcoridis proponit.
Amblatum Cordi: vel Dentaria major Matthioli.
Dentaria rubra Dalechampij.
Solidago Sarracenica tertia Cluſij.
Petaſites magna Dalechampij.
Tuſſilago montana ejuſdem.
Eriſitales Dalechampij: perperam Mithridatia Plinij, ſecundùm aliquos.
Baccaris Dioſcor. Matthiolo.
Ribes Officinarum.
Apium montanum Dalechampij.
Bellis lutea ejuſdem.
Thimelææ ſpecies, Myconi.
Ranunc. montanus albus, Dalechamp.
Ciſtus; & Hypociſtis.
Aſter montanus Penæ.
Damaſonium nothum: Calceolus Mariæ, & Sacerdotis Crepida, Recentiorum: Amatus Luſitanus ſub nomine Lonchitidis primæ pingit.
Aſter montanus hirſutus Penæ.
Aizoon ſerratum primum
Item, alterum } Cordi.

Vlterius introimus latitudinem quandam quæ Novezia ab incolis appellatur, in qua frequentiſſimus eſt:

Crocus Vernus primus Cluſij.
Dentellaria, Geſneri.
Solanum majus: ſeu Bella Donna Italorum: vel Mandragora Morion Theophr. quorundam.
Tuſſilago.
Petaſites alpina.
Iacobæa altera Cluſij.
Aſphyllanthes.
Batrachij varia genera.
Aſphodellus luteus, & alter Plinij Dodonæo.

In cujus ſiniſtra parte, quædam inæqualitates magnæ ſaxeæ exiſtunt: inter quas variæ cavitates conformantur, Noveziæ cavitates vulgò dictæ; in quibus,

Cicutaria latifolia fœtidiſſima Lobellij: à quibuſdam Peloponenſe Seſeli credita.
Lunaria minor Matthioli: ſeu Botrytes.
Trifolium aureum Dod. flore purpureo.
Allium anguinum Matthioli.
Cacalia Penæ, copioſiſſima.
Aconiti varia genera.
Item:
Clematis crutiata noſtra.

Præter hæc Novezia in montis parte dextrorſum ad Occidentem, tribus dotata eſt Valleculis, quarum capita uſque ad Majorem ipſum jam dictum montem perveniunt: harum Vallecularum prima appellatur Loſanna, quæ licet parva ſit, dives tamen eſt rariſſimis plantis; in hujus convexa parte orienti expoſita aſcendere incipientibus inuenitur:

Holoſtium Camerarij: fortè Holoſtium quorundam Dalechampio.
Aconitum aliud Dalechampij.
Pſeudoaſphodellus Cluſij.

Et dum

ET dum magis aſcenditur:

Chamęciſtus quartus Myrtifolius Cluſij.
Nardus Celtica frequentiſs.
Aconitum Pardaleanches, Plinij.
Aconitum Pardaleanches Antiquorum Dodonæo.
Phtoræ duæ ſpecies, frequentiſs.
Doronicum vulgatiſſimum.
Doronicum Pannon. primum } Cluſij.
Item Pannon. tertium } Cluſij.
Clinopodium Auſtriacum ejuſdem.

IN dextera verò ejus parte Noto ſubjecta copioſa reperitur:

Pinguicula, Geſneri cœruleo flore; ſeu Cucullata Dalechampij: à quibuſdam Crias Apuleij credita.

IN ſiniſtra autem quæ Græcum Orientem aſpicit, peculiariter provenit:

Pinguicula flore albo.
Auricula Vrſi purpureo flore frequentiſs.
Item:
Clinopodium alpinum noſtrum.

AT circumcirca abundantiſſima eſt:

Geniſta Iluenſis Dalechampij.
Tuſſilago altera alpina Cluſij.
Tuſſilago montana altera Lobellij.
Soldanella montana Penæ: ſeu Lunaria alia minor Dalechampij: à quibuſdam Lunaria di dinari vocata.
Biſtorta minor Cluſij.
Verbaſculus alpinus cœruleus Dalechampij.
Carum.
Lonchitis aſpera major, frequentiſſima.

DVARVM reliquarum Vallecularum altera Lonzia vocitatur, in qua nihil notatu dignum detegitur, niſi quòd in ea

Phtora major, atque minor frequentiſſima.
Doronici Recent. varia genera.
Salicis ſaxatilis duæ ſpecies.

ALTERA verò Bruta nuncupatur, in qua Nives & Glacies perpetuò dominantur. in ipſam præterea feræ diverſæ, Lupi præſertim, ac Vrſi ſeſe recipiunt; in hujus ſummo vertice inacceſſibili, prominenti, & ſimpliciter ſaxeo, cavitas quædam exiſtit (*Coval ſanto*) dicta, è cujus rimis,

Trachelium minus petræum, & } ſeſe exerunt:
Veronica petræa ſempervirens }

Quarum Icones, ac deſcriptiones, habentur in deſcriptione frigidæ Vallis.

Sedum petræum Bupleurifolio: flore verius.



Item:

Sedum petræum Bupleuri folio: flore verius.

EST illi unica radix craſſa, teres, ſine fibris, ſed quibuſdam quaſi tuberculis hinc inde erumpentibus, craſſo cortice obvoluta, intus pallida, extra in rubore nigricans, ad ſummum cubitalis, ſupernè partita, (ut in Geranio noſtro alpino:) folia anguſtifolij Bupleuri omnino ſimilia ex protuberātibus illis partitionibus copiosè emanantia, & in circuitum ſeſe expandentia: flores autem ex ſeptem foliolis aliquantulum mucronatis, in luteo palleſcentibus, profert in ſummitate caulis teretis, nudi, & dodrantalis; in quorum medio ſemina umbellæ modo graviter ſpirantia exiſtunt; atque hæc uti in eodem Bupleuro. Floret Idibus Iulij: & Idibus Auguſti colligitur ſemen: guſtu refert Cynaræ ſaporem.

DVM

DVM autem deſcenditur ab hac dextrorſum, videre licet,

Centauroidem magnam, Geſneri: fortè Centaurium Nothum Dalechampij.
Gentianam folio Aſclepiadis.
Cirſium Spinoſum.
Cirſium primum Pannonicum, Cluſij.
Bupleurum anguſtifolium.

AT nos tranſeuntes via inter Maonum, & Campedelum pervenimus in Ferrarium pagum, domibus ac hominibus montanis cultiſſimum: in qua via frequentiſſimum,

Vincetoxicum albo flore, conſpicitur.
Vbi etiam:
Phalangium Matthioli.
Cyclamini duæ ſpecies.
Chryſolachanum, Dodonæi: Tota bona, & Bonus Henricus Matthioli.
Oxalis rotundi folia frequentiſſima: à Rovillio picta, ſed non deſcripta: fortè Lunaria Magorum Arabum, Penæ.

ATQVE ita tandem æterni Motoris favore pulcherrimus fœcundiſſimúſque, naturæ hortus, Mons Baldus, circulariter perſpectus, & cum ſumma admiratione, & voluptate diligenter obſervatus à nobis eſt.

FINIS.

INDEX GRÆCVS PLANTARVM QVÆ IN HAC HISTORIA CONTINENTVR.

Ἀγρελαία pag. 27.
ἄγρωστις ccxvij.
ἄγχουσα clxv.
ἀδράχνη 48. 49.
ἀείζωον lviij.lxij.
αἰγίλωψ 18.20.
αἱμόῤῥοον 101.
αἱμόδωρον 270.
αἰτώλιον 87.
ἄκαρνα clvj.
ἄκηνος 86.
ἄκοπος 93.
ἄκυλον 23.
ἁλικάκαβον lxxxv.
ἁλιφλοιὸς 18.
ἀλκιβιάδιον clxv.
ἄλυμος 54.
ἀμαμηλὶς 62.
ἀμάραντον 326.
ἀμομηλὶς 62.
ἀνάγυρις 93.
ἀνδράχνη 48.
ἀνδράχνη ἀγρία lx. clxxxvij.
ἀνεμώνη 260.
ἀνεμώνη λειμωνία 246.247.248.
ἀνθερικὸν 197.
ἀνθυλλὶς clxxxvj.
ἀνώνυμος 104.105.323.324.
ἄπιος cxc.
ἀπόκυνον 126.
ἄραβις cxxvj.
ἀραχίδνα lxxx.
ἀργυροκόμη 328.
ἀρὶς lxxiiij.
ἀρίσαρον lxxiiij.
ἀριστολοχία lxxij.
ἀρκτοσάφιλος 63.
ἅρμαλα cxxxvij.
ἀρτεμισία λεπτόφυλλος 341.
ἀσκόλυμβρος cliij.
ἀσπάραγος πετραῖος clxxix.
ἀσπρὶς 18.
ἀσέβιδα 109.
ἀστὴρ xv.
ἀσφόδελος 197.
ἀτραγῦνη 122.
ἀχίλλειον 331.

Βατράχιον 237.
βολβὸς ἄγριος 201.
βολβῦ κάδιον 166.
βαβώνιον xv.
βρεταννικὴ lxix.

Γαλεόβδολον xxxij.
γαλίοψις xxxvj.
γναφάλιον 330.

Δαῦκος ἄγριος cciij.
δάφνη ἀγρία 50.
διὸς ἄνθος 286.
διόσπυρος 5.
δραβὴ cxxvj

Ἐλαίαγνος 30.
ἐλαία ἥμερος 26.
ἐλαίπρινος 51.
ἐλάτη 34.
ἐλίχρυσον ἢ ἑλιόχρυσον 326.
ἐπιμηλὶς 61.62.
ἐρείκη 46.
ἐριόφορος 173.
ἕρπυλλος ἄγριος 360.
ἐτυμόδρις 18.
εὔφλοιος 18.
εὐώνυμον 57.
ἐφήμερον 201.
ἔχιον clxv.

Ζυγὶς 360.
ζίζυφα ἢ ζίνζυφα 29.

Ἡδύοσμον ccxxxvj.
ἡλιοτρόπιον xlvj.
ἡμερὶς 18.
ἡμιονῖτις ccxiiij.
ἠρύγγιον clix.

Θαψία cxcij.
θηλυκίας lxxxvij.
θρυαλλὶς xxviij.
θύα 36.
θύμβρα 358.
θυμέλαια 87.
θύμος 357.

Ἱερὰ βοτάνη xlvj.
ἶρις 224.
ἰσόπυρον ccv.
ἶσος 120.
ἴχας cxcj.
ἰξία clv.

Κάλυξ clxv.
καυκαλὶς ccj.ccij.
κέλαστρος 51.
κενταύρειον μέγα xj.
κερκὶς 14.
κερωνία 1.4
κέστρον 87.
κίθαρος ἢ κίσαρος 70.
κικὶς 14.
κίρσιον cl.
κίσσος 70.
κιχόρειον cxliiij.
κλήθρα 12.
κνέωρον 87.
κνικὸς clij.
κόκκος βαφικὴ 24.
κόκκος κνίδειος 86.
κοκκονηλεία 17.
κοκκυμηλέα 17.
κολοκασία lxxv.
κόμαρος 48.61.
κονδρίλλα cxliiij.
κόνιζα xxj.
κόϊς clxxiiij.
κόπινος 17.27.
κοτυληδὼν lxiij.
κρόκος ἐαρινὸς 208.
κρόκον ὀρεινὸν 209.
κρυᾶς 311.
κυκλάμινος clxxxiij.
κυμβάλιον lxiij.
κυνοκράμβη 126.
κύτινος 71.

Λάδανον ἢ λῆδον 81.
λάθυρος ccxxxvj.
λάριξ 35.
λινόδρυς 352.
λῖνον 87.
λυχνῖτις xxviij.

Μανδραγόρας μέλας lxxxvij.
μαστίχη 15.
μεμαίκυλον 48.
μήκων κερατῖτις xcij.
μυάκανθα clxxix.
μυὸς ὦτα clxxxiiij.
μυρίκη 41.
μυρσίνη 67.
μῶλυ ὀρεινὸν cxxxvj.

Ναρκίσσος 16.
νευρὰς 108.

Ὅμοιον τῷ ἀράκῳ lxxx.
ὁμομηλὶς 62.63.
ὀνόκλεια clxv.
ὀνόπυξος clvj.
ὀνοχειλὲς clxv.
ὅρμινον ἄγριον xxxij.
ὀστρύα 55.
ὄστρυς 55.
ὀξύκεδρος 39.
ὀξυμυρσίνη 64.
ὀφιοσκόροδον

Παγκράτιον 172.
πελεκινὸς ccxxxvij.
πέπλιον clxxxvij.
πεπλὶς ibid.
περιπλοκὰς 126.
περδίκιον 189.
περιστερεὼν xlvj.
πεύκη ἀγρία 31.
πήγανον ὀρεινὸν ἢ ἄγριον cxxxvj. cxxxvij.
πίτυς 33.
πλατύφυλλος 18.
πόλιον 364.
πολύρριζον cclx
ποτήριον 108.
πράσιον 356.
πρῖνος 23.
πυρὸς ἄχνη 86.87.

Ῥάμνος 110.

ῥόδενδρον 71.
ῥοδία ῥίζα lxv.

Σατύριον τρίφυλλον 150.
σπεικὰ 29.
σιδηρῖτις xlj.
σπουρίγχιον 217.
σκίλλα 171.172.
σκόλυμος cliij.cliiij.
σκορπίουρον xlvj.
σκυτάλιον lxiij.
σμίλαξ 22.
σμίλαξ τραχεῖα 113.
σπάρτιον 103.
σπλήνιον ccxiiij.
στελέφουρον xlv.
στίχας ἢ στοίχας 345.
στρατιώτης ὁ χιλιόφυλλος 331.
στρύχνον ὑπνωτικὸν lxxxv.
σχινίνη ῥητίνη 15.
σχῖνος 14.

Τερμινθίνη ῥητίνη 15.
τέρμινθος 15.
τετραγωνία 57.
τετραγωνόλοβος ccxliiij.
τετράλοφος ccxliiij.
τεύκριον 350.
τεύθειον 364.
τιθύμαλος cxc.
τίφυον 186.
τράγανον 92.
τράγον 92.
τραγορίγανος 356.
τρίβολος χερσαῖος ccxlj.ccxlij.

Ὑοσκύαμος lxxxv.
ὑπερικὸν clxxiiij.
ὑπήκοον xciiij.
ὑποκιστὶς 71.

Φελλόδρυς 21.
φελλὸς 21.
φηγὸς 18.
φιλύκη 51.
φιλλυρέα 53.
φύλλον xlix.

Χάλκειον 109.
χαμαιβάλανος cxc.
χαμαίβατος 118.
χαμαίδρυς 352.
χαμαίδρωψ 352.
χαμαικέρασος 64.
χαμαιλίνον 319.
χαμαιρόδον 117.
χαμαισύκη clxxxvij.
χαμέλαια 86.87.
χελιδόνιον cciij.
χρυσάνθεμον 326.

INDEX LATINVS PLANTARVM QVÆ IN HAC HISTORIA CONTINENTVR.

ABIES pag. 34.
Abies marina 35.36.
Abrotonum femina 341.342.
Abſinthium 338.339.340.
Acacalis 46.
Acacia 1. Matthioli ccliij.
Acer 9.
Acinos Dioſcor. 354.
Aconitum xciiij.xcv.xcvj. xcvij.xcviij.
Aconitum bacciferum lxxxvj.
Acorum 230.231.
Actæa Plinij lxxxvj.
Admirabilis Peruãna lxxxviij. lxxxix.xc.
Adonis flos 263.335.336.
Adrachne 48.49.
Agriomelea 63.
Alaternus 50.51.
Alcea xxv.xxvj.xxvij.
Alchimilla cviij.308.
Alectorolophos alpina ccx. ccxj.
Allium alpinum 190.
Allium urſinum ibid.
Alnus 12.
Aloë clix.clx.
Alopecuros nonnullorum xlv.
Alpigena 64.
Alſine clxxxiij.clxxxiiij.
Althæa xxiij.xxiiij.xxv.
Alypum quorundam 91.
Alyſſum Galeni xxxiiij.
Alyſſum minimum cxxxij.
Amanita Pauli cclxxij.
Ambra dulcis 356.
Amellus Virgilij xvj.
Anabaſis 92.
Anagallis clxxxij.clxxxiij.
Anagyris 93.
Anchuſa clxv.
Androſace altera Matthioli cxxxiiij.
Androſace Bellonij 92.
Anemone hortenſis 248.249. 250.251.253.254.255.256. 257.258.259.260.261.262. 263.
Anemone Mompelliana 336.
Anemone ſil v eſtris 244.245. 246.247.248.
Anonis mitior 99.
Aniſum ccij.
Anthora xcviij.
Anthriſcus Plinij cxcix.
Anthyllis clxxxvj.
Anthyllis leguminoſa ccxxxij.
Apharca 48.
Apocynum 124.125.126.
Apocynum Syriacum lxxxvij.
Aquilina cciiij.ccv.
Arabis cxxvj.
Arachidna lxxix.
Arbor filici ſimilis 37.
Arbor Gadenſis 2.
Arbor Iudæ 13.
Arbor ſancta 30.
Arbor vitæ 36.
Arbutus 47.48.
Archangelica cxcv.
Aria 11.
Ariſarum lxxiij.lxxiiij.
Ariſtolochia lxix.lxx.lxxj.lxxij.
Armerius flos 287.
Arthemiſia tenuifolia 340.
Arum Byzantinum lxxiiij.
Aſarina cxiij.
Aſclepias 126.cclv.
Aſpalathus alter 105.106.
Aſperula odorato flore clxxv.
Aſphodelus 196.197.cclviij.
Aſter xij.xiij.xiiij.xv.xvj.
Aſtragalus ccxxxiij.ccxxxiiij.
Aſtrantia cxciiij.
Atriplex ſilueſt. baccifera 135.
Auellana Byzantina 11.
Auricula Iudæ cclxxvij.
Auricula urſi 302.303.304. 305.

BACCARIS Dioſc. xxj.
Baccharis Rauwolfij ibid.
Benedicta ciiij.
Berberis 120.
Bellis media xliiij.
Betonica xxxviij.xxxix.
Biſtorta lxviij.lxix.
Blitum majus Peruãnum lxxxj.
Boletus cclxxiij.cclxx.
Braſſica campeſtris cxxvij.
Braſſica virgata cxxvij.
Britannica lxviij.
Bruta Plinij 37.
Brya ſilveſtris 41.
Bugula vide Prunella
Bulbus eriophorus 172.173.
Buphthalmum 332.333.
Butomon 232.

CACALIA cxv.
Calamentum inodorum 354.
Calcitrapa vij.viij.
Caltha paluſtris cxiij.
Campanula clxxj. clxxij. clxxiij.
Canna Indica lxxxj.
Cantabrica Plinij xlix.
Cantabrica quorundam ibid.
Cardamine cxxvij.cxxviij. cxxix.

Carduus

Carduus eriocephalus cliiij.
Carduus mollior cl.clj.
Carduus muricato cap. viij.
Carlina clv.clvj.clvij.
Caryophyleus flos 282.283. 284.285.286.287.
Caryophyllata cij.ciij.ciiij.
Caſia quorundam 91.
Caſtanea equina 7.
Caſtanea peruāna 8.9.
Catanance cxj. cxij.
Cattaria tenuifolia xxxiij.
Caucalis ccj.ccij.
Caucon 92.
Cedrelate 39.
Cedrus lycia ibid.
Cedrus phœnicea 38.
Celaſtrus 51.
Centaurium flavo flore clxxx.
Centaurium majus x.xj.
Cepœa lxvij.lxviij.
Ceraſus avium 65.
Ceraſus laurea 5.
Ceraſus Macedonica 64.
Cercis 13.
Cerrus 20.
Cerinthe quorundam clxvij. clxviij.
Chamæbalanus ccxxxiiij.
Chamæceraſus 64.
Chamæciſtus 74.75.76.
Chamædaphne Dioſc. 278.
Chamædrys 351.352.
Chamægeniſta 103.104.
Chamæiris 224.225.226.227.
Chamæleon cliiij.clv.
Chamæleuce Plinij cxiij.
Chamælinum 319.
Chamæmeſpilus 60.61.
Chamæmorus 118.119.
Chamæpeuce Cordi 81.
Chamæpitys Auſtriaca clxxxiiij.clxxxv.
Chamærododendron 82.
Chamæſyce clxxxvij.
Chamelæa 86.
Chamelææfolia 82.
Chara radix cxcij.
Chelidonium cciij.
Chryſanthemum 331.332. 333.334.335.
Chryſocome 326.327.
Cicer ſilv. Matthioli ccxxxiij.
Cicercula Ægyptiaca ccxxxvj.
Cichorium verrucarium cxliij.
Cicutaria cc.
Cinnaberis Dioſc. 2.
Cirſium cxlviij.cxlix.cl.
Ciſtus annuus 76.77.
Ciſtus femina 70.71.72.73.
Ciſtus ledon 77.78.79.80.81.
Ciſtus mas 68.69.
Clematis altera 121.122.123.
Clematis daphnoides 221.
Clinopodium 353.354.356.
Clymenum Matthioli ccxxix. ccxxx.
Cneorum Matthioli 89.90.
Cnicus clj.clij.
Coagulum terræ Plinij 270.
Coccus infectoria 24.25.
Coggygria 16.17.
Colchicum 199.200.201.202. cclviij.
Colocaſia lxxv.
Colutea Theoph. 14.
Colutea ſcorpioides 97.98.
Colytea Theoph. 14.
Condrilla cxliij. cxliiij. cxlv.
Connarus Alexandrinorum 27.
Conſolida regalis ccv.
Convolvolus altheæ fol. xlix.l.
Convolvolus minor l.
Conyza xix.xx.xxj.
Coral arbor ccliij.
Corallina latifol. ccl.
Coralloides cxxiij.
Coris quorundam clxxiiij.
Cornus 13.
Corona fratrum cliiij.
Corruda clxxvij.clxxviij.
Cortuſa Matthioli 307.
Corylus 10.
Cotinus Plinij 16.
Cotonaſter 62.63.
Cotyledon lxiij.lxiiij.
Cratægus Theoph. 9.
Cratæogonum xlv.
Criſta gallinacea ccxj.
Crocum montanum 208. 209.
Crocum vernum 203.204.205. 206.207.208.cclix.
Croton Anguillaræ 92.
Cuci 3.
Cupreſſus marina 36.
Cyclaminus 263.264.265.
Cydonago 62.
Cynogloſſum clxj clxij.clxiij.
Cytiſus 93.94.95.96.97. ccxlvj.

DACTYLVS Plinij ij.iij lxij.
Daucus montanus cxcviij.
Delphinium ccv.ccvj.ccvij.
Dens caninus 266.
Dentaria cxix.cxx.cxxj.cxxij, cxxiij.
Dentilaria cxxiiij.
Dolichus Bellonij ccxxvij.
Doronicum xvj. xvij.xviij. xix.
Dorycnium 100.ccliiij.
Dorycnio congener planta 100. 101.
Draba cxxiiij.cxxv.cxxvj.
Draco arbor 1.
Draconis ſanguis 2.
Dryophonon Plinij 17.
Dyoſpiros 62.

ECHIVM clxiij.cxliiij.clxv.
Eleagnus Cordi 86.
Elechryſum 325.326.
Elleborine recentiorum 271. 272.273.
Elleborus 274.
Elleborus niger Dioſc. Dodonæo 308.
Ephedra 92.
Erica 41.42.43.44.45.46.
Erinacea 107.
Ervum Cordi ccxxx.
Eryngium cliij. clvj. clvij. clviij.clix.
Evonymus 56.57.82.

FABAGO 13.
Faba Ægyptia lxxv.
Faba ſuilla lxxxv.
Fagulus 55.
Filipendula ccxj.
Filix pumila ccxj.ccxij.
Flammula Matthioli 124.
Flos cancri lxxxij.
Flos Perſicus Siſynrichio congener 217.
Fœniculum tortuoſum cxcix.
Fœnum Græcum Tragi ccxxxiij.
Fraxinella 100.
Fritillaria 152.153.cclvij.
Frutex coronarius 55.
Fumus terræ ccviij.
Fungi eſculenti cclxiiij. cclxv. & ſequentibus paginis vſque ad cclxxvj.
Fungi pernicioſi cclxxvj.& ſeq. pag. vſque ad ccxcv.
Fungus Latinis litteris inſcriptus cclxxvj.

GALEGA ccxxxiij.ccxxxvij.
Galeopſis xxxv.xxxvj.
Gallium rubro flore clxxv.
Geniſta Plinij 102.
Geniſta vulgaris 103.
Geniſta tinctoria 101.
Gentiana 311.312.313.314.315. 316.
Geranium xcix. c. cj. cij.
Geum Plinij cij.
Glandes terreſtres ccxxxij.
Glaux ccxxxiij.ccxl.ccxlj.
Globularia vj.
Glycyrrhiza fol. Geſneri ccxxxiij.
Gnaphalium 327. 328.329. 330.
Gramen ccxvij. ccxviij. ccxix.
Graſſularia 120.
Guayava ccliiij.

HALIMVS 51.52.
Hedera cilicia 113.
Helenium Ægyptium ccxliij.
Heliotropium xlvj.xlvij.
Hemerocallis 129.
Hemerocallis Valentina 167.
Hemionitis ccxiiij.
Hepatica trifolia ccxlvij.ccxlviij.
Heptaphyllum cviij.
Herba cervi 352.
Herba Iudaica xlj.
Hermodactylus Syriacus 202.
Heſperis 296.297.

Hieracium cxxxix. cxl. cxlj. cxlij. cclx.
Hippogloſſum Valentinum 90.
Hippophaës viij.
Hippophæſtum 300.viij.
Holoſteum cx.cxj.
Horminum ſilveſtre xxviij. xxix.xxx.xxxj.
Hyacinthus 174.175.176.177. 178.179.180.181.182.183. 184.185.cclvij.
Hydnophyllon 77.
Hyoſciris Plinij vij.
Hyoſcyamus lxxxiij. lxxxiiij. lxxxv.
Hypecoum legitimum xciij.
Hypericum ſupinum clxxxj.
Hypociſtis 68.79.
Hypogloſſum 278.
Hyſſopus vulgaris 356.

Iacea vj.vij.viij.
Iacobæa xxj.xxij.xxiij.
Iaſione Plinij l.
Illecebra lx.
Ilex 21.22.
Iris 217.218.219.220.221. 222.223.224.
Iris anguſtifolia 228.229.230.
Iris bulboſa 209.210.211. 212.213.214.215.
Iris tripolitana 227.
Iſchæmon Plinij ccxvij.
Iſchas cxc. cxcj.
Iuglandis genus 10.
Iuncaria clxxiiij.
Iuniperus 37.38.

Lacatha Theophr 65.
Lachryma Iob ccvj.
Lada 81.
Lagopus ccxlvj.ccxlvij.
Lamium xxxvj. xxxvij.xxxviij.
Larix 34.35.
Lathyrus ſil. ccxxix. ccxxx.
Lavendula multifido folio 345.
Lauroceraſus 4.5.
Laurus Alexandrina 278.
Laurus ſilveſtris 50.
Laurus taxa 278.
Ledon 77.78.79.80.81.
Ledum alpinum 81.82.
Ledum Sileſiacum 82.83.
Leimodorum 270.
Lentiſcina reſina 15.
Lentiſcus 14.
Leontopodium 328.cxj.cxij.
Lepidium Nebriſs. ccxxiiij.
Leucanthemum alpinum 335.
Leucas montana 352.
Leucoiũ bulboſum 168.169.170.
Leucoium marinũ 298.cxxxiiij.
Leucoium ſilveſtre 299.
Leucophlæos Dalechamp. 85.
Lichen marinus ccl.
Lili-aſphodelus 137.
Lilio-narciſſus 137.138.139. 140. & aliquot paginis ſequentibus.
Lilium album Byzant. 135.
Lilium Byzant.miniat. 131. 132.
Lilium convallium 190.
Lilium fatuum 135.
Lil. Perſicum 127.128.129.
Lil.puniceum 136.
Lil.rubrum 133.
Lil.ſilv.ſive montan. 133.134. cclvj.
Lil. Suſianum 129.130.
Limæ 6.
Limones ibid.
Limonium peregrinum lxxxij.
Linaria 319.320.321.322.323.
Linum ſilveſtre 317.318.319.
Lirionarciſſus Hemerocallidis facie 167.168.
Lirium alterum Theoph. 163.
Lithoſpermum clxiij.
Locuſtulæ in ulmi radicibus 13.
Lonchitis ccxij.ccxiij.
Lotus Ægypt. lxxvj.
Lotus Athenæi 29.
Lotus Lybica 27.
Lotus Pharidis 29.
Lotus ſec.Theoph. 5.
Lotus ſiliquoſus ccxliij.
Lunaria cxviij.cxix.
Lupi 224.
Lupinus ccxxviij.
Lupulus 126.
Lychnis ſilveſtris 288.289. 290.291.292.293.294.
Lycium 111.
Lyſimachia l.lj.lij.liij.

Malva trimeſtris xxiij.
Malum terræ lxxiij.
Malus aurea 6.
Malus medica 5.6.7.
Mandragora femina lxxxvj.
Mandragoras Theoph. lxxxv.
Marrubium xxxiiij.
Martagon 136.137.
Marva Iantuſa xxxiiij.
Marum 356.
Maſtiche 14.
Medica ccxlij.ccxliij.
Melampyrum xlv.
Melandrium Plinij 293.294.
Melanthium ccvij.ccviij.
Meliſſophyllum xxxvij.
Menthaſtrum xxxij.xxxiij.
Millefolium 331.cclj. cclij.
Mimulus Plinij ccxj.
Mollugo clxxvj.
Moly 191.192.193.194.195. 196.
Molybdena cxxiiij.
Muſcari 178.179.
Muſcipula 294.295.
Muſcus marinus ccl.
Muſcus terreſtris ccxlix.
Myrica 36.39.40. 41.
Myriophyllum pelagicum cclj.
Myrtociſtus 68.
Myrtomalis 62.
Myrtus 65.66.67.

Napellus vulgaris xcvj.
Narciſſus 154.155.156. & aliquot paginis ſubſequentibus, & cclvij.
Nardus celtica & montana lvj. lvij.
Naſturtiolum cxxix.
Naſturtium Valentinum cxxix. cxxx.
Natrix Plinij 100.
Nepa 106.
Nerion alpinum 82.
Nymphæa lxxvj.lxxvij.

Ocimaſtrum Valentinum xlij.
Ocimum Indicum 352.
Oculus Chriſti xvj.
Odontitis Plinij 292.
Oenanthe 190.ccxj.
Oenoplia Bellonij 27.
Olea 25.26.
Oleaſter 26.
Onobrichis ccxxxij. ccxxxiij. ccxxxviij.ccxxxix. ccxl.
Opuntia marina ccl.
Orchis 267.268.269.270.
Orioſelinum cxcv.
Ornithogalum 186.187.188. 189.cclvij.cclviij.
Orobanche 270.271.
Orobus ccxxx.ccxxxj.ccxxxij.
Oſtria 55.
Oſyris 91.325.
Oxalis maxima lxix.
Oxyacantha 64.
Oxycedrus 39.
Oxytriphyllon ccxliij.
Oxys ccxlviij.

Padus Theoph. 65.
Pæderotis 350.
Pæonia 279.280.281.
Palma marina ccl.
Pancratium 171.
Panicum ccxv.ccxvj.
Papaver corniculatum xcj. xcij.
Papaver ſpinoſum xcij.
Parietaria ſilveſtris xliiij.xlv.
Paronychia Hiſpanica clxxxij.
Parthenium 336.337.
Peplis clxxxvij.
Perdicion cxlv.
Periclymenum 57.58.59.
Perſea 2.3.
Petaſites cxvj.
Petromelis 62.
Peucedanum cxcvj.
Pezica fungus cclxvj.ccxc.
Phallus Iunij cclxxxvij.ccxcv.
Phoſeolus ccxxij.ccxxiij.& aliquot ſequentibus pag.
Phillyrea 51.52.53.
Philyca 51.
Phlomis xxvij.
Phrynion 108.
Phyllitis ccxiij.
Phyllum xlviij.
Phyteuma Dioſc. v.

Picea 33.34.
Piloſella minor 330.
Pimpinella cxcvij.
Pimpinella ſpinoſa 109.
Pinaſter 31.32.33.
Pinguicula 310.
Pinus tibulus 34.
Piperitis fungus ccxc
Piſtolochia lxxij.cclix.cclx.
Piſum ſilveſtre ccxxix.
Pityides 33.
Plantago cix.cx.
Platanus 9.
Plumbago cxxiij.cxxiiij.
Polium 361.362.363.
Polygala 98.99.324.325.
Polygonatum 275.276.277.
Polygonum quartum Plinij 91.92.
Polytricha clxxix.
Poterium Dalechampij 108.
Primula veris 300.301.302.
Pruna 4.
Prunella xlij.xliij.
Prunus myrobalanus 46.47.
Pſeudo-apios ccxxxij.
Pſeudo-aſphodelus 158.
Pſeudochamæpitys clxxxv.
Pſeudoleontopodium 330.
Pſeudonarciſſus 164.165.166.
Pulmonaria clxix.clxx.
Pyracantha 64.
Pyraſter-Idæ 62.
Pyrola cxvj.cxvij.cxviij.
Pyrus cervina & petræa 62.

QVERCVS latifolia 20.
Quercus marina 20.21.
Quercus ſemper virens 18.
Quinquefolium cv.cvj.cvij.

RADIX cava 271.
Ranunculus grumoſa radice 237.238. & paginis aliquot ſequentibus.
Ranunculus montanus 234.235.236.237.
Ranunculus præcox 232.233.
Ranunculus ſilvarum 246.247.248.
Rapunculus clxxiij.
Rhamnus 109.110.111.
Rhodia radix lxv.
Rhus 17.
Ribes 119.120.
Robur 18.19.
Roſa 113.114.115.116.
Ros marinus ſilveſtris 83.84.
Rubia clxxvj.clxxvij.
Rubus Idæus & ſaxatilis 117.
Rumex latifolius lxix.
Ruta canina ccix.
Rutamontana cxxxv. cxxxvj.

SABINA baccifera 37.
Salix 85.86.
Salſi cortex 18.
Salvia 342.343.
Sanamunda 88.89.
Sanguiſorba cxcvij.
Sanicula montana 306.307.
Sanicula trifolia cxxviij.
Saxifraga 308.cxcvj.cxcvij.
Scabioſa j.ij.iij.iiij.v.vj.
Scammonea Valent. 126.
Scilla 171.
Scolymus clij. cliij.
Scorodopraſon 190.191.
Scorpius 106.107.
Scorſonera cxxxvij. cxxxviij. cxxxix.
Scrofularia ccix .ccx.
Securidaca ccxxxvij.ccxxxviij.
Sedum lvij.lviij.lix.lx.lxj.lxij.
Selinum cxcix.cc.
Senecio fœtidus xxij.
Serpillum ſilveſtre 358.359.360.361.
Serratula Matthioli viij.
Sertularia ccl.
Seſamoides quorundam 295.
Seſeli cxciij.cxciiij.cxcix.
Sideritis xxxix.xl.xlj.
Siler 85.cxcv.
Siliqua ſilveſtris 13.
Sinapi pumilum cxxix.
Siſyrinchium 216.217.cclvij.
Smilax aſpera 112.113.
Solanum lxxxv.
Soldanella alpina 308.309.
Sonchus cxlvj.cxlvij.
Sorbus 9.
Sparganium Placæ 164.
Spartium Græcorum 102.
Spartum Plinij ccxix.ccxx.ccxxj.
Spina appendix Plinij 121.
Spina infectoria 111.
Spiræa 84.
Spongioſi fungi cclxiiij.
Stachys ſpinoſa cclix.
Stelis 34.
Stœbe Salmantica ix.x.
Stœchas 344.345.
Stratiotes millefolia 330.
Suber 21.22.
Suilli fungi cclxxj.ccxcj.
Symphitum tuberoſum clxvj.
Syringa frutex 55.56.

TANACETVM inodorum 337.338.
Teda 33.
Telephium lxv.lxvj.lxvij.
Terebinthina reſina 15.
Terebinthus 15.16.
Tetrahil xlj.
Tetralix 46.
Teucrium 348.349.350.
Thapſia cxcij.
Thlaſpi cxxx.cxxxj.cxxxij.cxxxiij.
Thora Italica xcvij.
Thymbra 358.
Thymelæa 87.
Thymum 357.
Tinus 49.50.
Tipha ccxv.
Tithymalus clxxxviij. clxxxix. cxc.
Trachelium clxx.clxxj.clxxij.
Tragacantha altera 107.108.
Tragium alterum Dioſcorid. cxcvij.
Tragoriganum 355.
Tragum vulgare 327.
Tribulus aquaticus minor cclij.
Tribulus terreſtris ccxlj.ccxlij.
Trifolium 100.101.ccxlij.ccxlv.ccxlvj.ccxlvij.
Tuberes 28.
Tulipa 137.138. & ſequentibus aliquot paginis uſque ad 153.
Turrita cxxvj.
Tuſſilago cxij. cxiij.cxiiij.

VACCINIVM Plinij 65.
Valeriana liiij.lv.lvj.
Veratrum nigrum j. ij. iij. iiij. 274.
Verbaſcum ſilveſt. xxviij.
Verbena xlv.xlvj.
Veronica 346.347.
Vicia ccxxxv.
Victorialis longa 189.
Viola Mariana clxxj.
Viola montana 309.310.
Viſcum 20.23.26.34.39.85.
Vitis Idæa 61.62.
Vitis ſilveſtris 122.
Vlmaria cxcviij.
Vva marina 91.92.
Vva taminia 122.
Vva urſi 63.

XYPHIVM 190.

ZIZYPHVS alba 29.30.
Zizyphus rutila 28.

INDEX CONTINENS PEREGRINA PLANTARVM NOMINA QVÆ IN HAC HISTORIA DESCRIBVNTVR.

ABBEIS 237.
Abeto 34.
Abhel 37.
Abillota 23.
Abrojos ccxij.
Açafran ſalvage clij.
Acero 9.
Açofeiſas & Açofeiſo 29. & Açufeiſas.
Açucenas amarillas 164.
Aldaſber 9.
Adoꝛna 55.
Adracla 48.
Ahoꝛn 9.
Aies lxxviij.
Ajo de ciguẽñas 180.
Ajujera cxliiij.
Alaçer clij.
Alader 53.
Aleja Suſam 224.
Alaterna 51.
Albardin ccxx.
Alcolcaz lxxv.
Alcornoque 21.
Alezre 35.
Alfabeca ccxxxiij.
Algarouo 13.14.
Alichrin frances 345.
Aliſier 9.
Aliſo 12.
Allega caon 113.
Almaſtiga 15.
Alno 12.
Alpergas clxxix.
Alproſen 82.
Altamiza 364.
Alubias ccxxvij.
Amapolas xcij.
Amelancher 62.
Amores mios 167.
Amotes lxxviij.
Amourettes ccxviij.
Angerling cclxvij.
Arabiſche Jacinthen 186.
Araghoen 67.
Arbol d'amor 13.
Arbol parayſo 30.
Arbouſier 48.
Arbre de vie 37.
Ardivuja 79.
Argamula clxv.
Armoiries 287.
Arnaballo cxc.
Arveira 15.
Arzolla viij.
Aſchꝛitz 10.
Aſparago clxxix.
Aſprilla clxxxij.
Atorga 46.
Atramocos de can ccxxxiiij.
Aube eſpine 121.
Auffenblad 278.
Aulaga 106.
Aulne 12.
Azadarac 30.
Azcal-Xochitl 157.
Azebuche 27.
Azedaraeth 31.
Azeite de mata 15.
Azre 9.
Azuche 27.
BABA varganya cclxxxiij.
Bagoly gomba cclxxviij.
Baguenaudier 14.
Blaw Baldꝛian 185.
Baltracan cxcj.
Bamia xxvij.
Barbozca 9.
Barenbluſt 82.
Batatas lxxvij. lxxviij.
Bathengel 352.
Bec de grue cij.
Bechy fiu lvij.
Behen 292.
Beidelſar lxxxviij.
Beidſar ibid.
Bein holtz 59.
Bel 16.
Belcho 92.
Belend lxxxv.
Beleſa cxxiiij.
Bella donna lxxxv.
Bellan 109.
Bellota 23.
Benedicten kraut ciiij.
Benedicten wurtz ciiij.
Benoitte ciiij.
Bergꝛoſen 82.
Berkinye 9.
Beſaſa cxxxvij.
dulle Beſien lxxiiij.
Bikalya cclxvij.
Bilſen krupe lxxxv.
Bingſtein cclxxxiij.
Binizade & Binizante 255.256.
Bidecin 301.
Birchen ſchwammen cclxxviij.
Bitter wurtz 313.314.
Bitwurtz 245.
Blutwurtz cij.
Boga 96. & Box.i.
Bois à faire lardoires 57.
Bokros gomba cclxxv.
Bont quibir & ſougier 16.
Borſos gomba cclxxviij.
Boraſa termewt cclxxvij.
Bꝛachen diſtel clix.
Breço 46.
Bꝛem raepe 271.
Bꝛuſt beerlin 29.
Bruyere 46.
Buchen ſchwammen cclxvij.
Bugloſſa ſalvatica clxv.
Bugloſſe ſauvage. ibid.
Buhurmeneni 264.
Bultz cclxxj.cclxxij.cclxxiij. cclxxiiij.
Burhalaga 89. (cclxxxv.
Butter woꝛt 311.
CABEÇVELA x.
Cade 39.
çadorija xciiij.
Caſelale 150.
çamarilla 364.
Camarinhera & Camarinhas 46.
Camotes lxxviij.
Camparrilla 116.l.
Candilera xxviij.
Cañaheja cxcij.
Cantueſſo 345.
çarça parilla 113.l.xiij.
Cardo corredor clix.
Cardon clxj.
Cardon lechal cliij.
Carra xlix.
Carobe & Carobole 14.
Carouger & Carouges ibid.
Caſca 5.
Caſtagna di cavallo 8.
Caſt. ñ. de cavallo ibid.
ad Caſtaneſi 8.
Cavala lale 150.
Caucaſon 191.
Cebolla albarrana 171.
Cebolla de culebra 197.
Cebollina 208.
Ceerapchel 20.
at Ceeſtaneſi 8.
Ceriſier nain 64.
Cerres ccxxxvj.
Chamepidia cxc.
Champignon cclxvij.
Chaſtagne de cheval 8.
Chelidoine cciiij.
Cherſa 20.
Cherme 55.
Chermaſel 41.
Cheſne verd 23.
Cheſnette 352.
Chöpörke gomba cclxvij.
Chꝛiſtwurtz 274.
Chumo lxxx.
Chypkeſa 118.
Ciden ſari 164.
Cidras 5.
Cinogloſſa clxiij.
Clavellinas 286.
Colcas lxxvj.
Cogombrillos amargos cxxxvij.
Collejas 292.
Collejon cxxvij.
Conoccielle cclxxiiij.ccxc.
Con zambach 167.
Coquelourdes 166.260.
Coraçoncillo clxxxj.
Cormier 10.
Cornicabra 15.
Coronilla de frayles 91.
Coronilla de Rey 99.
Coſcoja 24.
Craftkraut 305.
Creſpino 121.
Cuentas lxxxij.
Culcas lxxvj.
çumaque 17.

çumille

I N D E X.

Çumillo cxcij.
Cypres 342.

DALADER 51.
Damor cciij.
Devebokini 156.162.
Dizno gomba cclxxj.
Dizno repa 264.
Dit 13.
Dohum 264.
Dolkraut lxxxvj
Dolwurtz lxxxvj.
Durillo 50.

Eberwurtz clv.
Edeldiſtel clj.
Egörfa 12.
Elce 23.
Elexen 65.
Ellebore blanc & noir 274.275.
Enebro 39.
Enſayon lviij.
Kleine Entian 313.
Enxalmos cxcix.
Enzina 18.23.
Eouſe 23.
Erbſel 121.
Erdt apfel 264.
Erdt pfrimmen 104.
Erica 46.
Erizo 107.
Erlnbaum 12.
Eſcabon 95.
Eſclaire cciiij.
Eſola rotonda cxc.
Eſparragos clxxix.
Eſpine vinette 121.
Eſteba 70.77.
Eulalia 106.
Ewz lab cclxxiiij.
Ezerethgyw fiu 272.

FAEL 16.
Fauterne lxxij.
Fay giorgy 20.
Fay ſoska 121.
Feyer ſcarwas gomba cclxxxvij.
Felber 85.
Felber ſchwammen cclxxvij.
Felſcher grefling cclxxxv.
Fenyo alya gomba cclxxv. cclxxxv.
Fenyo fa 34.35.
keröztös Fenyo 33.
köz Fenyo 32.
teviſkes Fenyo 39.
vad Fenyo 32.
weiſz vnd ſchwartz Ferent 31.
Feſtü verag 102.
Fette henne lxviij
Feuchten 34.
Fieber kraut 237.
Filiguero 51.
Fiz fa gomba cclxxvij.
Flambe 224.
Flecken kraut clxx.
Fliegenbeer 62.
Fliegen ſchwammen cclxxix.
Flubirlin 62.
Flublumle 305.
Follado 50.
Frailillos lxxiiij.
Framboiſier 117.
Friſoles ccxxvj.ccxxvij.
Fröſchen ſtuel cclxxx.
Fueſpeerkraut xlj.
Fuſain 57.

GAGEL 17.
Galambicza cclxix.
cclxx.
Galinaccia cclxxvj.ccxc.
Galipoli lale 263.
Galaginya fa 121.
Gamarſa cxxxvij.
Gamonçillos & Gamones 197.
Ganejou cclxxvij.
Garavancillos ccxxxiij.
Garlobs ſtuden 62.
Garoupe 86.
Gaſpeldorne 107.
Gelb beckerl 166.
Gelbe klee 104.
Gelb Hornungs blumen 166.
Gelb Mertz blumen 166.
Geel tydeloſen 166.
Gemſwurtz xix.
Genevre 39.
Gengevo ſalvatico 246.
Germandree 352.
Geſchecket Indianiſche blumen xc.
Geyſzbart cclxxiiij.
Geyſz klaw cclxix.
Geyſz ſchwammen cclxxix.
Giglio 224.
Giglio marino 167.
Ginepro 39.
Gilgen 224.
Giroflees ſauvages 286.
Giugiole 29.
Giul 262.
Glidkraut clxxvj.
Goldwurtz 134.
Golia korem eij.
Gouwortel ccliij.
Graine d'eſcarlatte 24.
Graine de perroquet clij.
Grana de tintoreros 24.
Greſſeling cclxxv.
Grimwurtz cxxiij.
Groote naſcaye lxxxvj.
Guardalobo 91.
Guindoulier & Guindoules 29.
Gul catamer 262.
263.
Gyewngy Wyrag 190.

HABHEL 37.
Hachal Indi xc.
Hadhaba 111.
Hagdorn 121.
Hallada 106.
Halm ccxx.ccxxj.
Hanebane lxxxv.
Hanenbuche 55.
Hanekammeken ccxj.cclxxxij.
Harmala cxxxvj.
Haſen örlein cclxx.
Herba di latte cxlv.
Herbe aux poulmons clxx.
Herbe aux tignes lxxxv.
Herbe aux viperes clxv.
Herench cclxviij.
Herva de S.Laurenzo ccxxxiiij.
Heſtre 55.
Heyden 46.
Heyden yſſop 76.
Heydniſch binkraut 83.
Heyl aller welt kraut 76.
Hinber 117.
Hinieſta 103.
Hirſchling lxxv. cclxviij. cclxxiiij.
wilde Hirſchling cclxxxij.
Hirtzwurtz 352.cxcv.
gemeine Hondſtonge clxiij.
Hohen ſchwammen cclxxvij.
Holder ſchwammen cclxxvij.
Holtz ſchwammen cclxxxvij.
Horgreillen cclxxxij.
Huile de maſtic 15.
Hundsbeer 59.
Hundskirſchen 59.
Hundszung clxiij.
Hunerlaub 82.
feyer & fekete Hunyor 274.
Hutrief 204.
Hys 24.
Hyſgynum ibid.

IARO lxxiiij.
Iaſmin roſſo xc.
Iauge 107.
Iavor fa 9.
Jeger beer 62.
Jeger kraut 237.
Iglicze 104.
Igname lxxix.
Ihar fa 9.
Iletro 51.
Illyan zuet 137.
Inhame lxxviij.
Ionc marin 107.
Ionquillos 159.162.
Iringo clix.
Iröm 338.
Iröm barbara 121.
Iſten nyla 287.
Iujubier & Iujubes 29.
Iunquerina cxliij.
Iuſquiamo lxxxv.

KACHCHI jeſicalch 332.
Kartan clij.
gelbe Käſeblumen 332.
Kechke rago fa 57.
Kelber ſchiſz 315.
Keméni cher fa 18.
Kerſenbaum ſchwammen cclxxvij.
Keſerew gomba cclxvij.
Keske gomba cclxxix.
roſs Keſten 8.
Keykens 287.
Keyſerlin 301.cclxxij.
groſſer geye Klee ccxlvj.
Knaben kraut lxviij.
Knot berries 118.
Kötö fa 81.
Köz fiz fa 85.
Kremling cclxviij.
Kreutz blumen 301.
Kreutz wurtz 313.
Krottien ſchwammen cclxxviij.
Kueling cclxxij.
Kygio gomba cclxiij.
Kygio hagma 180.

LABLAB ccxxvij.
Ladierna 51.
Lagrimas de Moyſen ccxvij.
Lale benzede 263.
Langue de chien clxiij.
Larmes de N.Dame ccxvj.
Latiri ccxxxvj.
Lauro ſalvatico 50.
Lauſskraut 274.
braun Lauſskraut ccxj.
Lean kewkewrchin 245.
Leche treſna cxc.
Lengua canina clxiij.

Lengua

Lengua de buey Salvage clxv.
Lengua de perro clxiij.
Leifrat 204.
Lemerinha 46.
Lentagine 50.
Lent(juela 99.
Lentiſco 14.53.
Lentiſque 14.
Leplap ccxxvij.
Lerchenbaum 35.
Liege 21.
Limas y Limones 6.7.
Linkraut 325.
Linterna 52.
Lirio 213.217.224.
Lirio cardeno 224.
Lirio eſpadañal 213.
Lirios azules ibid.
Liſch 224.
Lohere ccxlvj.
Lo kewke wrchin 245.
Longer krupt clxx.
Lubie Endigi xxvij.
Lunaria del grapolo cxix.
Lynen 122.

MAÇVCAS 217.
Madreño 48.
Maguey clxj.
Magiaro ſalata ccl.
Maiſterwurtz cxcv.
Malbeerpaum 9.
feyer Malva xxiiij.
Mamey 3.
Mançanilla 327.
Manns trew cllx.
Manta de N. Señora lxxv.
Marabillas del Piru xc.
Mareſma 54.
Margendzehen 270.
Marguerites bleuës vj.
Marienſchuch 272.
Maßbeer 9.
Maſtich 15.
Mata 14.
Matulera xxviij.
Maurachen cclxiij.cclxiiij.
Mazola xxiij.
Mazza di cavalliero cxliij.
Meleſe 35.
onſer vrowen Melch krupt clxx.
Menchera xxviij.
Metl clxj.
Meurte 67.
Mezey zeck fin 286.
Miſcajin 327.
Mierda cruz 88.
Mijediega 101.
Miſég yerthya 271.
Miſtſchwammen cclxxvij.
Modelger 313.
Moleſſo 50.
Molino 107.
Moltebeeren 119.
Monkraut cxix.
Monrauten cix.
Montan 238.
Monyaro alya gomba cclxxviij.
Morilles cclxiiij.
Mort au chien 201.
Mortella 67.
Moßveil 170.
Mouges 70.
Muſchio greco, & Muſcho romi 179.
Muſral 18.
Myrta, Myrte, Myrto 67.
Myrtus baum 64.

NABCA Alpini 28.
Nap & Napeca 27.
Naranjas 5.6.
Narciſſe 162.
Narciſſen röſlin 162.
Narzen ſchwammen cclxxix.
Natter ſchwammen cclxiiij. cclxxxj.
Nep 27.
Neurinas 39.
Niwl zëk fiu 292.
Niwl gomba cclxx.
Nogeruela clxxxvij.
Nombril de Venus lxiij.
Nozelhas 217.
Nozellas pequeñas 208.
Nuphar lxxvij.
Nyrfa gomba cclxx.

wilden Ochſenzung clxv.
Oelbaum 26.
Oeillets ſauvages 286.
Okö zom 332.
Olayfa 26.
Olivaſtre 30.
Olivella 86.
Olivier 26.27.
Olivo 27.
Openaw lxxx.
Orbitochorto ccxlij.
Orpin lxviij.
Orvale xxxij.lxxxr.
Oſſuna 364.
Oſterlutzey lxxiij.

PALMA di Nettuno cclj.
Palomilla & Palomina ccix.
Papas lxxix.lxxx.
Panicaut clix.
Paſſefleurs 260.
Paſternitz ccxv.
Penachio delle Ninfe cclj.
Penachio Perſiano 130. 131.
Peperlin ccj.
Perdiguera 74.
Perlaro 30.
Peztricz cclxv.
Pfifferling cclxvij.
Piadera 53.
Pico de Cigueña cij.
Pie de borro 209.
Piment 17.
Pincel clxxiiij.
Pino alvar 35.
Pino carax 33.
Pöffeteg cclxxxvij.
Poncires 7.
Porrion 166.
Potiron cclxvij.
Pſifakia 281.

QVEIRO 46.
welſcher Quendel 357.
Quercivola 392.
Quexigo 18.
Quinua lxxx.lxxxj.
Quiribuela 46.
Quiruëla 73.
Quiſpel 180.
Quita meriendas 201.

RAISNIS de mar 92.
Rapontis xj.
Raſelml lxxvj.
Rauſch 82.
Recama 113.
Reheling cclxix.
Rekottye fa 85.
Retama 103.
Reveille matin cxc.
Reylla buey 213.
Reynblumen 325.
Rhon 17.
Roble 18.
Rodel vnd braun Rodel ccxj.
Romero 80.
Romero marino 327.
paragi Roſa 117.
Roſella 70.
erd Roſen 117.
dunnen Roſen 116.
heyden Roſen 117.
pimpernelle Roſen 116.
Roſen von Jericho 57.
Roſenwurtz lxv.
wilde Roſmarin 364.
Roßſpeyck 305.
Rouge herbe xlv.
blaw Ruckartza vj.
Ruda cxxxvj.

SAAR fəz 85.
Sabdari fa xxvj.
Sadar Serapionis 27.
Saffaf 30.
Safran baſtard clij.
wilde Safran clij.
Safrano ſaracineſco ibid.
wild Salben xxcij.
Salguedeiras 14.
Salice 85.
Salomon pöcheti 277.
Salſero 357.
Sandalida ccxliij.
Sanguenho 51.
Sanguin blanc ibid.
weyß Sanickel cxxiij.
Sant Georg ſchwammen cclxiiij.
Sant Johans brot 14.
Sant Peters wurtzel cxciiij.
Sap 34.
Sapin ibid.
Sarga viola 299.
Sarilla 356.
Sarraſine lxxiij.
des Sars ccxxxvj.
Saule 85.
Sauze ibid.
Sawbrot 264.
Sawtaſchen cclxxx.
Scakaik 179.
Scambrones 110.
Scheberling cclxxv.
Schelkraut cciiij.
Schluſſel blumen 301.305.
dicke turggiſche rot Schmaltzblumen 244.
Schmerwurtzel lxviij.
Schoßwurtz 267.
Schrubbebeeren 60.
Schwalbenkraut cciiij.
Schwertel 224.
Schwindelkraut 305.
Sceitro de Nettune cclj.
Scoba hedionda 326.
Scobas 103.
Scopa 101.

Segullada

Segullada 91.
Seiſe ſum 30.
Semper nova clxxx.
wilden Senff cxxiij.
Seprew ſiu 341.
Sequita Romana cxxiij.
Serbin 38.
Serin cada 162.
Siben hainkorn 190.
Siempre enxuta 91.
Sigwurtz 190.
Smeerſchwammen cclxxxj.
Snetropſen 170.
Sorbolaro 10.
Spargen clxxix.
Sparto ccxx.
Speick lvij.
Speirbaum 10.
Sperwerbaum 10.
Spina borda cliij.
Spindelbaum 57.
Spino 110.
Spongiole cclxiiij.
Stain aichel 18.
Steinber 118.
Stein negelin 286.
Stein röſelin 90.305.
Stichendpfrimen 104.
Storck ſchnabel cij.
Stock ſchwammen cclxxxv.
Stridula cxlv.
Sugaro 21.
Sultan Zambach 131.
Sumac 17.
Suſam giule 130.
Szarwas gomba cclxxiiij.
Szedöry 118.
ſödi Szedör ibid.
Szemerchyeck cclxiij.
Szent Gyewrgy gambaya cclxiiij.
Szent Gyewrgy veraga 190.
Szent Ianos kenyere 14.
Szilwa alya cclxv.cclxxvij.
Szil fatermewt alya cclxvj.

TAMARICE 41.
Tamariſchen baum 41.
Tamariſque ibid.
Tamoxi, Tamuexo, Tmujos 111.
Taratoufli lxxx.
Taray 41.
Tarobolos catamen 241.
Tartarsky 232.
Tataria cxcj.
Têly fa 20.
Têly zöd 46.
Terbaick 16.
Terebinthe 15.
Tetiberzicės 119.
Teubelinge cclxix.cclxx.
Teuffels abbeys 237.
Teuffels milch cxc.
Thanneling cclxxv.
Thannen 14.
Thym, Thymo, Thymus 357.
Tik tara 189.
Tiz tös ſiu xlj.
Tomarguera clxvj.
Tomillo 345.357.
Tomillo perruno 342.
Tomillo ſalſero 357.
Toñada 162.
Tornaſol xlvij.
Torneſol ibid.
Toronjas 5.7.
Torviſco 53.
Trebiſon curmaſi 5.
Trebol ccxlvij.
Tribi & Timbri 358.
Trique madama lx.
Tuero cxcij.
Turmera 77.
Tuſai 127.128.129.
Tuvis alya gomba cclxxxv.
Tuyſchiachi 129.

VAD-megy 64.
Vad zek ſiu 292.
Varganya cclxj.cclxij.cclxxxiij.
cclxxxiiij.
Varuy lab cij.
Vazillos lxiij.
Vedegambre blanco y negro 274.
Velcño lxxxv.
Verdezilla l.
Vermeillon 24.
Veſſe de loup cclxxxvij.
Villorita 201.
Viorne 122.
Vnderdorn ſchwammen cclxxxv.
Vnſer fraw har 323.
Vnſer frawen ſchuch 272.
Vnſer frawen ſchwartz rauch 337.
Vogel beer 9.
Vogel neſt 270.
Vr gomba cclxxij.
Vrgueira 46.
Vrs ibid.
Vva de perro 50.113.
klein Walwurtz clxx.
Waryw borſo ccxxxv.
Weiberfiſt cclxxxvij.
Weiden 85.
Weiſſe baldrian 19.
Weiß Hornungs blumen 170.
Weiß Jacinthen 186.
Weiß rauch 340.
Weiſſe veil 170.
Weiß wurtz 277.
Welſche holder 55.
erdt Weyrel 64.
ſtain Weyrel 64.
Whit root 311.
rechter Widerthon cxix.
Wild gelb veil 299.
Wild kutten 62.
Wild Saffran 201.
Wild neglin 286.
Wolfs milch cxc.
Wolfſwurtz xcv.
Wt felem terewnt gomba cclxx[illegible].
Wulblumen 328.
Wundkraut lxviij.

XAGVARCA 78.
Xaguarco 80.8[illegible].
Xara 77.
Xara-eſtepa 70.78.
Xara-xarguna 78.
Xaron 78.

YERVA de las bivoras clxv.
Yerva de S. Guiteria xlix.cxliiij.
Yerva del quadrillo 77.
Yerva de Valleſteros 274.
Yerva pulgera xxj.
Yerva puntera lviij.
Yerva tora 101.
Ynieſta 103.
Yſopillo 356.

ZAFRAN 208.
Zarnabo 30.
Zarneb ibid.
Zaroa 111.
Zëk ſiu 286.
Zelnice-fa 65.
Zenſelacht 30.
Zens Ianos ſive xxxij.
Zent Lazlo kiraly ſive 313.
Zeod liliom 137.
Zerem cada 162.163.
Zigenbaert cclxxiiij.
Zeydloſz 201.
Zinneck 46.
Zoddet negelin 286.
Zuſiniare 131.132.
Zumbul 175.
Zumbul Arabi 186.
Zurumbeth 30.

APPROBATIO.

HÆ Rariorum Plantarum Hiſtoriæ CAROLI CLVSII Medici expertiſſimi, nihil noſtræ Catholicæ fidei contrarium præ ſe ferunt. Quare ante obitum Auctoris in lucem prodire poſſunt, vt precibus piorum, ipſe memor ſuæ primæ plantationis, iam finem ſuum certum faciat, quò ſecurior viam vniuerſæ carnis ingredi tandem valeat. Ita cenſeo 27. Februar. an. 1601.

Egbertus Spitholdius Plebanus & Canonicus Antuerpienſis.

Mendæ quæ Typographicarum operarum oculos effugerunt, in hac Plantarum Hiſtoria ſic erunt emendandæ: Prior numerus paginam ſignificat, Alter verſum.

p.4.v.60 ſerebat.p.3.v.36 PERSEAE.p.10.v.1.𝔄ſchʒitʒ. p.13.v.34.tectos p.13.v.40.rotunditatis p.14.v.21.fert,in p.17.v.6.ἀνδρέχνη p.17.v.10. κοκκυμηλ. p.26.59. Cerpa p.29.v.1.à colore v.30.Guindoulier p.36.v.19. Tellinarũ p.39.v.4.Genevre p.46.v.45.Lemerinha p.50.v.19.Lentagine p.51.v.27.ſanguenho p.74. & 75. figuræ Chamæciſti IIII & V tráſpoſitæ p.84.v.26.Sebi.v.62.Viburnum p.86. v 12 ſabuloſis p.89.v.43.Centaurij p.91.v.1.Velez el rubio. v.37.ſiam p.94.v.32.ut leguminum p.100 v.18.*titulo*, DORYCNIVM p.110.v.15.plurimus & p.114.v.10. tranſlatas, p.117 v.15.*tit.* RVBVS IDAEVS VVLGARIS p.124.v.49. pingui ſucco tur. p.133.*ſupra figuram ponendus titulus* LILIVM MINIATVM PRAECOX ANGVSTIFOLIVM. p.144. v.4.inſidentes p.151.v.6.bulbillos: p.153.v.29. habet hortũ, p.173.v.5. in denos p.177.v.6. proficiſcerer: p.178.v.26. premenda p.180.*tit.*Hyac.Comoſ. albo p.186.v.14. quem p.191.v.61.parens. p.212. *tit.* Iris bulboſa flavo flo. ſive IV. p.222.v.9.anguſta p.223.v.5.Caroli à S Audomaro, p.224. v.25.Lirio cardeno, p.228.v.40. tia, ſemen p.230.v.53.Badenſes thermas,p.233.v.9.aconiti p.236.*marg.* Ranunculi m. IIII.ſ.a.p.244.v.42. acris p.259.v.49. valde diſſimilis e p.286.v.26.exterius rub.p.275.*deeſt* Veratri nigri III *figura, quam additam oportuit ex pag.679.Tom.Icon fig.2 aut pag.* 680.*fig.*1.p.279.v.4.oſſeum p.283.v.13.adferebamus p.285. v.6.*ſupra fig.*2.Caryophyll.ſil.VIII.p.291.v.27.PRIOREM & Octavam Sal.p.299.v.9.inciperet, p.304.*poſt* v.20. *debuiſſent inſeri verba ſequentia.*

SEPTIMAE folia ijs erant ſimilia, quæ Primum genus flavos geſtans flores habet, præſertim his quæ candicant, & veluti farinâ quadam ſunt aſperſa, minus tamẽ ampla: caulis dodrantalis tanquã farinâ etiam aſperſus, ſummo faſtigio multos flores in quinque lacinias diviſos ſuſtinet, quarum ſingulæ in extremo crenâ ſunt præditæ, inſtar florum flavæ, paullò tamẽ minores, coloriſq; exalbidi carneo perfuſi: odorem habet Primæ.

In Bataviam, ubi conſpiciebam, ex Anglia primùm allatum eſſe intelligebam hoc genus: an verò ſponte iſtic naſcatur, an aliunde illatum, me latet.

Deinde ponendum OCTAVA *pro* SEPTIMA *& in marg. Auric.Vrſi* VIII *& pag.*305 *ſupra fig.* Auricula urſi IX. minima,& v.8.NONAE *pro* OCTAVAE, *& marg.* Auric.urſi IX. p.316.v.5.cognominans. v.11.leis folijs con p.342. *margine* Chamæcypariſſus Plinij *reponi debuerat è regione ſectionis* PLINIVS Cha.p.349.v.1.primo genere, p.356.v.36. duræ, lignoſæ, in

Tribus poſterioribus libris mutata eſt numerorum ratio, quæ nobis in mendis corrigendis fuit ſequenda.

p.iij.v.17.tria exteriora p.xj.v.1.lapidoſis juxta p.xviij.*margine* Pannonic.p.xxviij.v.34.Bæticâ v.39.Bætica. v.40.Bætici p.xxxvij.v.9.Lauſannam p.xliiij.v.26. corrumpit.pag. lxiij. *margine* Sedum minus. 1.p.lxvj.v.28. haberet p.lxvij. v.5.minor.Hoc p.lxviij.v.33.ſuæ Cepææ p.lxx.v.18.LONGAE p.lxxv.v.8.poſtremæ fo.v.34.Alcolcaz p.lxxvj.v.23.virẽtibus à.p.lxxix.v.19.Yucam.p.lxxxj.8.purgatas v.54.Suillæ p.cxiiij.v.25.pergerent:p.cxxv.v.13.deinde in p.cxxxiiij. v.50.conſequi. p.cxxxv.v.3.vaſcula p.cxxxvj. *ſuppoſita fig. pro legitima quam miſeram* p.cxlij. *tit.* Hieracium XI.min. p.cxlix.v.11.alternis p.cl.v.21. munitæ ſint p.clvj.v.18.nit Plan.v.24.diſſimiles v.53. quibuſdam p.clviij.v.15. cùm ſub inſeq.p.clxj.v.2.nonnulli p.clxv.v.15.bugloſſa ſal v.56.ἄγχουσαν κ) p.clxvj.v.7. (quod iſtius regionis mulieribus uſi v. 19.foliam ap.v.28.ſemini p.clxix.v.28. caliculum p.clxxviij. *utriuſque figura titulo* Corruda p.clxxxvj.v.42.Chamæſy-v. 46.aſperſa,p.cxc. *margine* χαραχίας p.cxcij.v.61.θαψία.p. cxciij.v.30.ſtriatus,p.cxcvij.v.9.Phaſion- p.cxcviij.v.55.deſcri, *illud* ſcri *expungẽdum* p.cc.v.44.infernâ parte p.ccj.v.22. PROXIMIVS p.cciij.v.16. Chelidonij p.cciiij.v.19. blandè rub p.ccv.v.25. propoſuerunt. p.ccix.v.3. quidam p.ccxviij. v.9.diſſimile eſſet, v.10. beret bre p.ccxxj.v.2, quæ in v.26. plumulam,p.ccxxxiij.v.11.cognita,p ccxlv.v.18. qui conſertim p.ccl.v.26.ad Brij p.cclviij.v.11.Arabici vel Lilij v.19. glanduloſas p.cclix.v.48.derothymo, p.cclxxix.v.30. primum.

Series Chartarum.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

a b c d e f g.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ

RR SS TT VV XX YY ZZ.

aa bb cc dd ee ff gg.

Omnes ſunt Terniones, præter Y Y Duernionem, g, & ff, Quaterniones.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

ANNO CIↃ. IↃCI.

15MNM

Cat Bibl Hemsimi

II p 159 n 55

grav. titel, (10), 364, CCCXLVIII, (12) pp.

CLUSII,
Hiſtoria
Plantarum.